ORIGINES ECCLESIASTICAE: SIVE DE JURE ET POTESTATE ECCLESIAE...

Herbert Thorndike

Digitized by Google

XIV.
E.
2.
BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XIV
E
2
NAPOLI

Digitized by Google

J. 53. 100.

Digitized by Google

Digitized by Google

ORIGINES ECCLESIASTICÆ: SIVE DE JURE ET POTESTATE ECCLESIÆ CHRISTIANÆ, Exercitationes.

Authore HERBERTO THORNDICIO,
Weſtmonaſterienſis Eccleſiæ Canonico.

LONDINI,
Typis *T. Roycroſt*. Proſtant apud *Rob. Scott*, in vico Little-Brittain, 1674.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI
Digitized by Google

Digitized by Google

Index Capitum.

Cap. I. A Fide Scripturarum, in quas partes conſentiant, tanquam priori, ad Eccleſiæ Auctoritatem de qua diſputatur, conſtituendam, progrediendum eſſe. Seponendum interea præjudicium Spiritus Sancti, veritatem huic vel alteri parti inſpirantis. Pag. 1.

Cap. II. Scripturarum fidem in ea miracula deſinere, quibus Dominus & Apoſtoli Evangelio, Moſes ac Prophetæ Legi fidem aſtruxerunt: Tum, in eam Analogiam, ſecundum quam, Vet. Teſtamenti Hiſtoria Novi Teſtamenti myſterio reſpondeat, Patres Myſtico ejus ſenſu ſalutem adeptos. p. 14.

Cap. III. Propoſitam Analogiam, in ferendæ Legis Moſaicæ conſilio, apud Deum inito, fundatam eſſe. p. 41.

Cap. IV. Quatenus, in eis quæ ante Legem, quæque ſub Lege, Scripturis conſignata ſunt, propoſita Analogia locum habere cenſenda ſit, De ſenſu Myſtico plura. p. 52.

Cap. V. Certam eſſe fidem Scripturis, quæque in Deum non in homines deſinat, conſenſiente fidelium teſtimonio, non Auctoritate decernentis Eccleſiæ. Nullam edere rationem cur credant, qui aliam viam inſiſtunt. p. 76.

Cap. VI. Scripturas non eſſe ſeipſis perſpicuas, omnibus quorum ſalutis intereſt, probatur inductione Scripturæ Legalis, Propheticæ, Evangelicæ, Apoſtolicæ. p. 94.

Cap. VII. Eccleſiæ Unitatem in Communione poſitam eſſe; cui indulgendæ inſtituta à Domino poteſtas clavium Societatem Eccleſiæ contineat. p. 112.

Cap. VIII. Profeſſionem fidei, quam celebrat Baptiſmus, ad ſalutis legem pertinere. Regulam eſſe quandam fidei, Eccleſia Antiquiorem, quæ & ad ſalutis, & ad communionis legem pertineat. p. 127.

Cap. IX. Demonſtratur idipſum, à ſupremo jure in Eccleſiam, ab Apoſtolis ad Eccleſiam tranſmiſſo, ex Scripturis ad totius Eccleſiæ conſenſum exactis; Reſpondente etiam Jure Synagogæ, ſecundum ejus analogiæ rationem, qua Synagogam Eccleſiæ reſpondere demonſtratum eſt. Ac primo, de jure ſubſtituendi Apoſtolis Rectores Eccleſiarum. p. 153.

Cap. X. De Jure ferendi Leges Eccleſiæ; ſupplendis legibus latis ab Apoſtolis. p. 171.

Cap. XI. De Jure pellendi communione Eccleſiæ, eos qui a fidei lege deſiſcunt. p. 185.

Cap. XII. De Jure diſpenſandi Facultates Eccleſiæ, conflatas ex Oblationibus fidelium. p. 206.

Cap. XIII. Demonſtratur id ipſum, Inductione cauſarum, vel propter quas abdicatæ ſunt ab Eccleſia Hæreſes, vel quæ ſalva communione compoſitæ ſunt; ab initio Eccleſiæ uſque ad concilium Epheſinum. p. 221.

Cap. XIV. Intra fines traditionis Catholicæ errore immunis, interpretandam Scripturam, decernendum de fide. Quatenus de eis, quæ non neceſſe ſit ad ſalutem, ſingulorum fide teneri, decernendum ſit. Leges etiam Apoſtolicas mutari poſſe; non eas quæ unitatem continent. Quatenus Eccleſiæ unitas ad ſalutem neceſſaria. p. 239.

Cap. XV. Solum Eccleſiæ uſum non facere fidem traditionis. Traditionem reformationi non obſtare. Nullam eſſe de Millennio; nullam, de Euchariſtia ad ſalutem baptizatorum Infantium neceſſitate, Traditionem. Difficilius eſſe poſſe, quam pro captu ſingulorum fidelium, Schiſmatis cauſas dijudicare. p. 274.

Cap. XVI. Epiſcopos eſſe, ex Apoſtolorum inſtituto, Presbyteris ſuperiores. p. 291.

Cap. XVII.

Digitized by Google

Cap.XVII. *De Reſponſionibus ad allatam ex S. Paulo objectionem, quas alii attulerunt.* p.313.

Cap.XVIII. *Adverſus cœtus abſolutos, & Presbyteria.* p.325.

Cap.XIX. *Jus dandæ Confirmationis idoneum eſſe argumentum inſtituti ab Apoſtolis Epiſcopatus.* p.339.

Cap.XX. *Reſpondetur Objectionibus, quibus interpellari videtur Traditio de ſucceſſoribus Apoſtolorum Epiſcopis.* p.348.

Cap.XXI. *Neque Petri, neque R. Eccleſiæ Principatum Monarchiam fuiſſe, vel eſſe; ſed Canonicam ſupra reliquas Eccleſias Auctoritatem.* p.379.

Cap.XXII. *Jus Conciliorum, & Hierarchiæ rationem, ſecundum Diœceſes & Provincias Imperii Romani conſtitutum eſſe.* p.397.

Cap.XXIII. *Canones Concilii Sardicenſis per Orientem non valuiſſe. Qui de Appellationibus Epiſcoporum damnatorum ad R. Sedem, ab Afris recuſati, ab Italis & Gallis quomodo recepti. De obſequio erga Sedem R. Hiſpanicarum Eccleſiarum, Britannicarumque.* p.419.

Cap.XXIV. *De Jure Sedis Conſtantinopolitanæ. Sedem R. in Synodis Oecumenicis præſediſſe. Schiſmatis Acaciani cauſam non minus penes ipſam, quam penes Acacium reſidere. De Judicio in PP. Symmachum & Honorium. Ambitionem R. Sedis, recepta Quinta Synodo in Ordinem redactam. Quibus Gradibus Primatus ejus, ex Canonico ſui arbitrii evaſerit.* p.454.

Cap. XXV. *De Auctoritate Patrum, in dogmatibus decretiſque Eccleſiæ conſtituendis.* p.489.

Cap. XXVI. *Exponuntur Scripturæ, tam quæ hinc, indefinitam Scripturæ claritatem, quam quæ inde, erroris immunem Eccleſiam aſſerere videntur.* p.501.

Cap.XXVII. *Quæ ex Patribus afferuntur, ad utramque ſententiam confirmandam ita exponuntur, ut poſitam hic ſententiam aſſerant.* p. 519.

Cap.XXVIII. *Scripturas quæ Apocryphæ dicuntur conſenſus Eccleſiaſtici Auctoritate Legi; Propheticæ Scripturæ fidem non habere.* p.541.

Cap. XXIX. *De auctoribus, deque auctoritate Græcæ Verſionis, quæ LXXII. Senibus tribuitur; tum de Auctoritate vulgatæ Verſionis Latinæ.* p.569.

Cap.XXX. *De hodiernæ Literaturæ Judaicæ Fide & Auctoritate Fidem Veteris Scripturæ non ſtare punctorum vocalium, & hodierni Codicis Hebraici auctoritate; ſed conſenſu Codicis Origeniani, Syriaci, Hieronymiani. Non Poſſe fidei periculum creari ex ea lectionis varietate, quæ, toto adhibito Eccleſiæ inſtrumento, tolli non poſſit.* p.581.

Cap.XXXI. *Jus ſummarum Poteſtatum in Eccleſiaſticis, à Jure Eccleſiæ, rationibus ex Scripturis Novi Teſtamenti ductis diſcernendum eſſe; Addicentibus etiam Veteris Teſtamenti Scripturis.* p.605.

Cap. XXXII. *Uſurpatum hoc jus Fidelibus ab initio Poteſtatibus, Oecumenicis Conciliis cogendis, regendis, Sanciendis; Tum extra ordinem minoribus: Denique legibus ferendis, de rebus ſacris.* p.618.

Cap.XXXIII. *Quo Jure, quaque lege, inſtaurari à Fidelibus Poteſtatibus Eccleſia poſſit. Schiſmatis cauſa, quæ hinc accidat, penes quem futura ſit.* p.649.

Cap. XXXIV. *De Jure ſanciendarum pœnis ſeculi Legum Eccleſiaſticarum. Non cadere Jure ſuo ſummas Poteſtates, quibus Eccleſiæ communione interdictum ſit. Eadem ratione, tum paci publicæ, tum unitati Eccleſiæ cautum eſſe.* p.670.

Digitized by Google

Ad Lectorem Chriſtianum

PRÆFATIO.

N*EMINI mirum videri poteſt, Ordinis mei hominem, triſti civilis apud nos belli exitu exauctoratum, otium, quod ingratiis dabatur, diſpiciendæ rationi ac modo inſtaurandæ Eccleſiæ conſecraſſe. Neque enim obſcurum eſt, multas diſſidiorum noſtrorum cauſas illud unum habuiſſe, quatenus a R. Sedis dogmatibus inſtitutiſque diſcedendum ſit, ut legitime inſtaurata videatur Eccleſia. Itaque cum apud me conſtitutum eſſet, eam eſſe demum Eccleſiæ Reformationem, quæ intra fines, totius ab initio Eccleſiæ Fide ac Legibus definitos conſiſtat; putavi officij mei eſſe, quanto Fidei periculo ſacris manum admoverent, qui hos fines non agnoſcerent, quovis mei capitis periculo teſtari. Nimirum, cui perſuaſum erat, neque inſtaurata hujus Coronæ Majeſtate, aliam unitatis Eccleſiaſticæ inſtaurandæ rationem teneri poſſe, quæ Deo* Occaſio hujus ſcriptionis.

grata ſit; neque aliter firmam futuram, niſi Deo gratam, juſta ratio aſſerat. Nam quod hoſpitium Eccleſiæ Reſpub. ſit, neque conflagrare hoſpitium ſuum expedire Eccleſiæ poſſit; Propterea ferenda quæ publicæ pacis ratio poſtulare videretur eis quorum intererat; expetenda autem, non niſi ea quæ juſta Sanctiſſimæ Fidei & Religionis Chriſtianæ ratio aſſerat, ac poſtulet. Quantum enim Fidei communis intereſt, legitimarum Poteſtatum arbitrio, inſtaurari Eccleſiam eis Legibus, quæ cives univerſos ipſis ſubditos teneant? Itaque hanc ſententiam, poſt aliquot editos libellos, de eis quæ apud nos in diſputatione verſabantur, vernaculo ſermone, ad præcipua earum controverſiarum, quæ hodiërnum Eccleſiæ diſcidium continent capitula propagatam vulgavi: Et quia tumultuaria editione mihi ſatisfactum non fuerat, de retractandis eiſdem, & ſermone latino Eccleſiæ totius judicio ſubjiciendis cogitabam.

Fundamentum ejus; Fidem Eccleſia antiquiorem eſſe.

Nimirum obſervaſſe mihi videbar diſcrimen eorum, quæ ſingulorum ſunt Fidelium, eo ipſo quod Fideles ſint, & ſpem regni cæleſtis foveant, ſive fide tenenda tantum, ſive moribus etiam exercenda; ab eis quæ Fidelium ſunt univerſorum, Eccleſiæ Communione gaudentium. Nam Eccleſiæ Unitatem, in Communione Officiorum cultus divini, ex inſtituto dominico poſitam eſſe, probandum erat nobis; quia apud nos primum, non tam palam negari, quam cuniculis ſubrui cœptum eſt. Atqui hinc conſtat; antiquiorem eſſe, rationis quidem ac naturæ ordine, Legem ſalutis, Communione Eccleſiæ; Propterea Dei conſilio inſtituta, ut ſuſceptum

tum

tum in Baptiſmo jugum Chriſti, opitulante Fidelium Communione, ad mortem uſque perferri poſſit. Itaque lex ſalutis poſita erit in eis, quæ ſingulorum ſunt Fidelium; Niſi quod ſingulorum ſit Fidelium, Eccleſiæ Communionem colere; excolendæ, ſive Fidei profitendæ conſtantia, ſive morum totius vitæ ſanctitate, legi ſalutis. Sed ea quæ in controverſiam deducta ſunt, (ſive de Lege ſalutis, quæ lex eſt Evangelici fœderis, ſive de legibus & inſtitutis Eccleſiæ) definiri non poſſunt, ad inſtaurandam quidem Unitatem Eccleſiæ, niſi prius definitum fuerit, qua ratione, quoque jure definiendum ſit quicquid indefinitum Unitatem Eccleſiæ in dubium vocare poſſit. Definitionis enim locum habere illud intelligo, quicquid legitimo Eccleſiæ decreto conſtitutum fuerit. Itaque cum multa diſcidio cauſam præbeant, quæ de inſtitutis ac Legibus Eccleſiæ Catholicæ quæruntur; ſemper tamen neceſſe fuerit, idoneam ſcindendæ Eccleſiæ cauſam præbere non poſſe, quicquid Scripturis, ex totius ab initio Eccleſiæ conſenſu intellectis, definiri non poſſit; Quicquid intra fines quæritur, totius ab initio Eccleſiæ conſenſu definitos. Quid enim prohibebit, integram eſſe Eccleſiæ Communionem, manente inſtitutorum morumque Eccleſiaſticorum diverſitate, quam Unius ab initio Eccleſiæ auctoritas non improbet? Nimirum, ſemel perſpecta receptaque lex communis ſalutis non patitur eos fines latere, intra quos definitum, quicquid Eccleſiæ Unitatem in dubium vocat, idoneam diſcidij cauſam nullam relinquat. Hæc ego, generaliter hoc loco dicta, obſcura potius videri patior, quam

ut exemplis agendo, pro conceſſo ſumere videar, quod diſputando conficiendum eſt. Unum eſt, de quo plenius hac diſputatione quæſiviſſe mihi videor, quam antehac factum eſt; Cum diſcidium, quod de re maximi momenti (quatenus ratus eſſe deberet Baptiſmus ab Hæreticis acceptus, cum ab Hæreſi ad Eccleſiam *redibatur)* Eccleſiæ *imminebat, ſolâ minus recte ſententiam utrinque partium tolerantia, ita ex veritate ſopitum oſtendi, ut ad diſcidium non veniretur. Neque enim ulla gravioris momenti controverſia hodierno* Eccleſiæ *diſcidio cauſam præbere videbitur, quam quæ de Baptiſmi veritate, ad ſalutis legem pertinentis, tum vertebatur.*

Conſilium hujus Editionis.

Inſtitueram itaque, quæ de diſſidiorum noſtrorum, deque præcipuis controverſiarum capitibus, ſuper quibus hodie diſcidium patitur Latina Eccleſia, *vernaculo ſermone ſcripſeram, Latine tribus libris retractare,* Eccleſiæ*que, quæ ſcriberem, cognitioni ſubjicere; Quorum primum hic habes: Secundus de lege fœderis Evangelici futurus fuerat; Nimirum de eis, quæ de ſalutis lege controverſa diſcidio cauſam præbent. Tertius de inſtitutis Legibuſque* Eccleſiæ *Catholicæ; quatenus ita ad ſtatum* Eccleſiæ *hodiernum definienda ſint controverſa, ut diſcidio locus eſſe nullus debeat. Sed occupatus, derepente ingruentibus, abhinc ſexennio, ingraveſcentis ætatis incommodis, adfectum opus interrupiſſem, niſi in mentem veniſſet, diſputationem hanc, quam nunc edimus, integri operis ſpeciem ferre poſſe; Quæ à primis credendi rationibus initium ſumens, in eo inſtaurandæ* Eccleſiæ *jure deſinit,*

Digitized by Google

deſinit, quod, ſive ſummis Poteſtatibus Fidem profeſſis, ſive Eccleſiis, *Summarum Poteſtatum ditionem agnoſcentibus, ex univerſæ ab initio* Eccleſiæ *conſenſu aſſerit. Nam etſi permulta reſtabant tractanda, ad ejus argumentum pertinentia, quæ, progreſſa cum ætate ſcriptorum decretorumque Eccleſiaſticorum lectio & meditatio, ad Scripturæ utriuſque conſenſum collata admonebat; Tamen, ſi remitterentur lectores rerum ſacrarum ſtudioſi, ad recentiorum Scriptorum loca, quorum ſententias probandas putabam, videbatur ejus inſtituto ſatisfieri poſſe. Inſtitueram enim ab initio, laudandis ſcriptorum nominibus abſtinere; etſi eorum præſertim, quorum ſententias reprehendebam; quia partium ſtudium; facit, ne recte diſſentire videri poſſis ab eis, quorum in nonnullis rationes ſequaris. Expertus autem incommoda, quæ, ingraveſcentis ætatis infirmitati attulit exigua ſtudij ejus contentio, quod illis impendendum ſciebam, quæ inter imprimendum emendanda erant, cogor nunc, ab edendorum reliquorum conſilio diſcedere. Sed ſatis erit, ſi exilius jejuniuſque ſcripta, quæ diſputationis hujus finem occupant, cum ad ejus ſcopum maximi momenti ſint, ejuſmodi tamen ſint, ut ſuſceptæ me editionis pertinere non debeat.*

Reformationem profeſſis gratam eam eſſe debere.

Nemo autem me exiſtimet, ſi quando veritatis ejus modum definiam, qui ſi reciperetur, inſtaurandæ unitati ſatis eſſet, ulla ſpe eſſe tanti boni meis rationibus obtinendi. Quis enim neſcit, utrinque cædi ſolere, qui ſe pugnantibus medios inferunt? Neque niſi malis ſuis admonitos litigantes concordiæ rationibus aures præbere? Niſi perſuaſum

 haberem,

haberem, nullam eſſe legitimam rationem inſtaurandi Eccleſiæ *hujus* Anglicanæ *Unitatem, niſi quæ ad inſtaurandam totius* Eccleſiæ *Unitatem valeat, Reformandæ* Eccleſiæ *nomine ſciſſam, nunquam ad hujus editionis conſilium deventum fuiſſet. Itaque non debet ejus inſtitutum Reformationem* Eccleſiæ *colentibus offenſioni eſſe, qui ſtudium ſuum Patriæ probare ſe ſperet, cujus rationes, in tanti re momenti, non ſatis probari æquo animo ferat. Nimirum, quibus Reformatio* Eccleſiæ *cordi eſt, eis Unitas Reformati Nominis in ratione ac modo Unitatis cordi eſſe debet. Neque enim vel ſine Unitate Reformationem obtinere poſſe ſperandum eſt, neque Unitatem, ſine ratione, ac modo, ac Lege Unitatis. Quis enim neſcit, diſceſſiſſe in partes, qui utrinque Reformaſſe ſe* Eccleſiam *putant, de modo præſentiæ Corporis ſanguiniſque Dominici in Sacramento Euchariſtiæ? Tum vero, de Prædeſtinationis & Gratiæ divinæ conſenſu cum Libero hominis arbitrio, ad ſalutis legem aſſequendam retinendamque, in partes rurſus diſceſſum eſſe? Atqui, quæ ſpes eſt inſtaurandæ Communionis, niſi in eam veritatis legem modumque partes conſentiant, quæ totius ab initio* Eccleſiæ *conſenſu definiri poſſit? Quæ ratio diſſentiendi reſtat, ſi in eam partes conſentiant? Nam ego quidem non recipio in me, definita eſſe* Traditione, *quæcunque de his rebus in diſputationem deduci poſſint, vel deducta ſint. Illud mihi dicere videor poſſe, receptis quæ* Traditione *totius* Eccleſiæ *definita ſunt, nihil reſtare, quod indefinitum diſcidio cauſam præbeat. Atqui, quid aliud, ad inſtaurandam* Ec-

cleſiæ

cleſiæ *Unitatem*, *a* R. Sede *poſtulari poteſt*, *quam ut ejus veritatis agnitione contenta ſit*, *quam* Traditio Eccleſiæ *continet*; *de reliquis ita ferat diſſentientes*, *ut eos Communione non abdicet?* *Aut quid aliud poſtulant ſententiarum divortia*, *de quibus ultimo loco* Eccleſiæ Anglicanæ *Communio laborat?* *De* Epiſcopatu, *deque non temerandis Deo per* Eccleſiam *dicatis*, *conflatum eſt diſſidium*, *quod* Eccleſiam Anglicanam *etiamnum labefactat*. *Qui*, *conſentiente Scripturis divinis* Eccleſiæ Traditione, *utramque cauſam*, *inteſtini belli exitu damnatam*, *inſtaurata hujus* Coronæ Majeſtate *probatam*, *merito dici poſſunt obtinuiſſe*, *quam cauſam dicent*, *quare eam rationem in omnibus non ſequantur*, *qua in eis ſuperiores ſunt*, *quæ in diſputationem venerunt?* *Merito alia atque alia pondera*, *alias aliaſque menſuras adhibere dicendi fuerint*, *ad veritatis momenta ac modos æſtimandos*, *ſi aliud agant*. *Itaque tantum abeſt*, *ut inſtaurata videre* Eccleſia *debeat*, *niſi* Epiſcopatus *ſucceſſio*, *niſi facultatum Deo dicatarum diſpenſatio* Eccleſiæ *juri ſervetur*, *nulla alia ut inſtaurandæ Communionis ratio ſuperſit*; *Inter eos quidem*, *qui* Reformationem *profeſſi*, *in partes propterea diſceſſerunt*, *quod* Eccleſiæ *auctoritas*, *in* Epiſcopatus *ſucceſſione*, *decernendi de controverſis jus non obtinuerit*. *Videant quam obtinendæ* Reformationis *ſpem foveant*, *qui inde quidem*, *quod* R. Sedis *arbitrio Communionis Legem definiant*, *neque de* Euchariſtiæ *præſentia*, *neque de Gratiæ conſenſu cum arbitrij libertate in partes diſceſſum eſſe vident*; *Hinc*, *ne* Trinitatis *quidem Fidem*, *neque*

ſatisfactionis Chriſti, *inconcuſſam manere, quod* Epiſcopatus *ſucceſſio ad legem Communionis inſtaurandam propagandamque non valeat.* Reformationis *enim nomen, ut &* Veritatis, *&* Orthodoxiæ, *ſine re titulus erit, quamdiu nihil ſit præter arbitrium inſcribentium, quo definiatur.* Reformandæ *autem* Eccleſiæ *tantum opus eſt, quantum uno momento perfectum non eſſe, mirum videri non debet. Publicæ certe paci conſultum erit, conſenſu nominis* Reformati, *in eam* Reformandi *rationem, quæ profeſſionem* Eccleſiæ Reformandæ *impleat.*

Nec tamen ingratam R. Sedi.

Quod ſi quis dicat, deſpondere eum R. Sedi *victoriam videri, qui* Reformationem *ſtare poſſe neget, niſi ea* Unitatis *lege, quam non agnoſcat; Is eam non eſſe* Eccleſiæ *victoriam ſciat, per quam Veritas non vincat. Satis eſſe ad ſententiæ noſtræ veritatem, quod legitima primæ* Sedis *magnitudo obtineri non poſſit, ita ut communis Fidei ſinceritati conſultum ſit, niſi* Canonicum *juris ſui modum agnoſcat. Nam quod purpuram ſuam, ſententiæ ejus mercedem eſſe vult, quæ nullam credendi rationem auctoritate* Eccleſiæ *antiquiorem agnoſcit; merito eam auctoritatem penes* R. Eccleſiam *eſſe videri patior, quæ ſi obtineat, nulla ratio ſuperſit, cur* Chriſtiani *eſſe debeamus, quoniam* Eccleſiæ *auctoritate antiquior nulla ſit. Sane, cum inde quidem, Veritatis lex ſit quicquid* R. Sedi *libet, hinc partes fiunt, ut ab ea magis diſcedatur quotidie ac magis; Videant quam ſibi de eis victoriam polliceantur, quibus diſcidia ex diſciaijs ſerere Veritatis loco eſt; niſi vincat Veritas, quæ* Eccleſiæ *aucto-*

auctoritatem Scripturæ *ſenſu contineat, quem totius ab initio* Eccleſiæ *conſenſus defineat. Itaque non eſt metuenda ejus ſententiæ victoria, quam ſponte deſeruerunt, qui nunc dierum* Schiſmatis *nomine trahere ad ſe contendunt, quos graviori* Hæreſis *crimine reos peragi non poſſe, centum aliquot & quinquaginta annos experiendo cognoverunt. Quod ſi eos fines* Eccleſiaſtico *juri ponendos agnoſcerent, quos* Scripturæ *ſenſus* Eccleſiæ *totius conſenſu definitus agnoſcat; Merito damnarent eos* Schiſmatis *crimine, qui legitimæ Communionis rationes ac modum non agnoſcerent. Nam quod* Eccleſiæ, *id eſt* R. Sedi *tantum in ſummas Poteſtates juris aſſerunt, quantum Fidei expedire ipſis videatur; Id cum, Fidei jure, ipſis cum infima Fidelium plebe communis fiat, quid impedit, etiam plebi, Fidei nomine tantum eſſe ſibi juris in ſummas Poteſtates videri, quibus obſequij Fidem debent, ut armis quærendum putent, quod* R. Sedes, *armis in ſummas Poteſtates ſibi inobſequentes ſumptis quærendum doceat? Præſertim, qui Fidei veritatem auctoribus Scripturis tenere ſe credant, quarum Fides auctoritate* Eccleſiæ *antiquior ſit. Sed Summarum Poteſtatum jura in ſacris recte ab eis intelligi, qui R.* Sedem *colunt, manifeſtum erit, ſi recolatur; fruſtra, hos centum quinquaginta annos, ſperaſſe* R. Sedem, *Poteſtates à quibus agnoſcitur, conjuncturas vires ſuas ſubigendis eis, qui ipſam, ut res nunc ſunt, non agnoſcant; interdicturas civium ſuorum commercio eis quibus ipſa* Communionem *ſuam negat. Nimirum, fruſtra hæc ab eis expectari, qui ſe jugum ſuum gravare ſciunt, ſi*

Digitized by Google

jus ipſi nullis limitibus definitum aſſerant. Atqui quis neſcit, quanto hiatu expectatum ſit, per tot annos, ab alteris partibus, ut meretricem Babylonicam Reges nudam deſtituerent, *& ſpoliatam opibus ſuis contemptui* Gentium *exponerent? Et tamen inventus nemo eſt, qui tanti incepti conſilium caperet, donec extitit apud nos* Tyrannus, *qui cædibus, rapinis, perjurijs, omnibuſque inteſtini belli malis ad parricidium graſſatus, in ſacrificium hæc omnia Deo ſe offerre putaret, quod ſe moriturum non crederet, donec tam gratam Deo cauſam aggrederetur. Mihi ego, apud occupatos hoc præjudicio, difficilem cauſam ſuſceptam putarem, niſi, ex his quæ probaſſe me confido, conſtare poſſet, ſive* Antichriſtus Papa *ſit, ſive non ſit, eandem inſtaurandæ* Eccleſiæ *& rationem & modum eſſe; nec debere obſcurarum Prophetiarum ſenſum fundatæ Fidei communis veritati obſtare. Quod ſi agnoſceretur inſtaurandæ* Eccleſiæ *ratio, ac proinde modus; ſi nec metus eſſet ſummis Poteſtatibus, ne, inſtaurandæ* Eccleſiæ *nomine, plebes Fideles vim à ſe adhiberi poſſe putarent, nec Fidelibus Plebibus, ne neglectis Eccleſiaſtici juris limitibus, ſibi ſalutis ratio non conſtaret; Puto gratulaturam ſibi R. Sedem, quod, ſervanda fide procurandæ communis ſalutis, juris ſui* Canonicum *modum obtineret. Et hæc quidem, ſi, decurſa controverſorum omnium diſputatione, ſuper quibus diſcidium conflatum eſt, exponere datum fuiſſet, fidentius aſſererentur. Indicium enim eſt inventæ veritatis, difficultatum ſibi undiquaque reſpondens ſolutio, ut ait* Ariſtoteles. *Proximum eſt, jacta eſſe hac diſpu-*

diſputatione fundamenta, ex quibus ſingula dijudicentur. Quæ ſi Eccleſiæ Catholicæ *cauſa, grata partibus eſſe poſſe, improbum ſit ſperare; veniam humanitatis imbecillitati tribuere omnium fuerit, qui veniam à Deo Dominoque* Chriſto *expectant. Obteſtor autem æquos Lectores, ut ad ſententiam noſtram cognoſcendam, Latini ſermonis proprietatem adhibendam putent; Mihi autem, ſicubi eam aſſecutus non ſim, ignoſcendum.*

DE

Digitized by Google

Errata *ſenſum morantia, iteratæ lectionis. Nam prius animadverſa in calce libri reperies.*

PRæf. *pag.*5.*l.* 24.*l.*pœnitere *p.*7.*l.*20. *l.*videri *p.*3.*l.* 5. *lege* ſive 11. 26.*l.*ſive 19.22.*l.* aliis 22.1.*l.* Sacrificiorum 26.3. *l.*ſubingres.27.25. *l.* φιλαλήθως 32, 19. *l.*Conc. XI. 45. 9. *l.* X.29.49.29.*l.*expiari capital potuerit. 99. 26. *l.*neceſſe eſt, eorum,105. 8. *l.* lactentium 34. *l.* receptam, 106.27.*l.*XI.2.135.8.*l.* depoſitum 146. 24.*l.*ioti 156. 1. *l.* eum 24. *l.* fuiſſe? 170.23.*l.*Seldenus de Synedriis libro I. 174. 23. *l.*ἐκ. 25. *l.* χεῖραν 176. 32. *l.* indicarunt. 188.26. *l.*Jeſum Chriſtum 218.7. *l.* profeſſis 230. 30. *l.* ἀναισχύντως 232.9.*l.* Encratitarum 239. *dele* ſive. 253. 18. *l.* ſocietatis 262.6 *l* ut inſtitutis 276.28. *l.*adverſam 324. 19 *l.* Syricium 325. 29. *l.* juſſerit; Prorſus 328.20. *l.* ſe reos 330. 28.*l.* pertendat, 331. 29. *l.* totum ſere M. 332.10. *l.* Spiritus Dei erat. 395.13. *l.*Kentigerni 381. 2. *l.*nomine 383. 19.*l.* tantam 384.21. *l.*quoad 409 5. *l.* aſſignavi. 411. 5. *l.* Hæreticum me 442. 2. *l.* ediderunt) 448.14. *l.* Giraldo in Vita. 449. 3. *l.*avunculi 450. 1. *l.* ut notum eſt, *ſine* (459. 14. *l.* fuiſſet, 460.2. *l.*præſenti, cum rogatus eſt, ut 463.10. *l.* dicti, 474. 27. *l.* pollicitationibus 5[illegible]4.29. *l.*unitatem 518.21. *l* huc 526.30. *l.* reſarciri 539.21. *l.* eo ipſo 550. 9 *l.* in Fide 551.23. *l.*ſine. 563. 20. *dele* aris. 581. 32. *l.* populi 588 27. *l.* communis 593.25.*l.* קום 596.8. *l* dubium 600.8. *l.* לדהונכל 616.8.*l.* Benjaminitici 622. 22. *l.* oſtendit. 623. 14. *l.* exiſtere. 627.35.*l.*diſſidia, 631.27.*l.*XII. 638. 17. *l.* & Ivo 640. 1. *l.* Northanhumbrorum 645.29.*l.*lege 28.674.17.*l.*qui aliam 676.5, 6.*l.* reddat & obtemperent. 698.5.*l.*exauctoratas.

Digitized by Google

DE

RATIONE AC JURE

Finiendi Controverſias Eccleſiæ Diſputatio.

CAPUT. I.

A Fide Scripturarum, in quas Partes conſentiant, tanquam priori, ad Eccleſiæ auctoritatem, de qua diſputatur, conſtituendam, progrediendum eſſe. Seponendum intereà præjudicium Spiritus Sancti, veritatem huic vel alteri Parti inſpirantis.

GENERALE caput eſt earum Controverſiarum, ſuper quibus diſcidium patitur Chriſtianiſmus Occidentis, de auctoritate Scripturæ & Eccleſiæ. Neque enim quicquam in quæſtionem venit, eorum quæ diſcidio cauſam præbent, in quo, & veritatis Canonicæ, & auctoritatis Eccleſiaſticæ ratio habenda non ſit. Itaque non eſt mirum, ejus diſputationis exitum inveniri nullum, quæ hinc quidem, Eccleſiæ auctoritatem, ſine fine ac modo, inde Scripturæ fidem, ſine ratione ac fundo aſſerit. Quid enim aliud agitur, cum hinc quidem, non niſi propter auctoritatem Eccleſiæ palam decernentis; Inde autem, non niſi propter auctoritatem clam inſtinguentis ac dictantis Spiritus Sancti, Scripturam pro verbo dei habendam agnoſcendamque

Quid faciat diſcidium Eccleſiæ videri irreconciliabile.

damque contenditur? Itaque, qui Scripturam, inſpirante Dei Spiritu ſecutos ſe Reformationem amplecti putant, Fidem humano Eccleſiæ decreto nixam; Qui autem divinam Eccleſiæ auctoritatem ſecutos ſe Romanæ Eccleſiæ obſequi putant, Fidem humana inſtinctus divini opinione nixam neque ad veritatem nominis Chriſtiani, neque ad ſalutem hominis Chriſtiani valere contendunt. Quo minus mirum eſt, exitum ejus diſputationis inveniri nullum, quæ vel Eccleſiæ ſine modo, quod Scripturæ, vel Scripturæ ſine fundo, quod Eccleſiæ decedere neceſſe ſit, aſſerit. Cum enim utriuſque auctoritatis ratione judicandum ſit quicquid in quæſtionem venit, inexplicabilem eſſe eam diſputationem oportet, quam, præter utriuſque auctoritatis rationem ac modum, nihil eſt quod explicare poſſit.

Unde orta Controverſia de auctoritate Scripturæ & Eccleſiæ.

Nimirum, cum primum à Luthero, adverſus Indulgentias Leonis P. X. diſputari cœptum eſt, ad auctoritatem Eccleſiæ ſe receperunt, qui in Scripturis, non ſatis ſibi ad eam cauſam præſidii reperiebant. Damnatus poſtea à Pontifice Lutherus, cum Concilium appellaſſet, poſtmodum tamen, in Comitiis Wormatienſibus, etiam Concilium Judicem recuſavit, niſi quod ex ſolis Scripturis ſententiam ferret. Secuta eſt Tridentinæ Synodi definitio, quæ omnem aliam inſtaurandæ concordiæ rationem occupaſſe videri poteſt, omnem ſpem præcidiſſe. Nam qui ejus auctoritatem agnoſcunt, modum autem auctoritatis ac fines tenere non poſſunt, niſi rationem teneant; quid aliud eſſe putent, ejus ſententiam in quæſtionem vocare, quam communi Fidei nuncium mittere? At, qui ad inſtaurandum collapſum Fidei & Eccleſiæ ſtatum pertinere palam teſtati ſunt, quæ per Tridentinæ Synodi definitiones inſtaurari non poſſunt; Quis eos æquum putet, ſi Fideles haberi velint, ejus auctoritati, nullis limitibus definitæ, ſalutem ſuam permittere, cujus ſe Fidem deſiderare palam teſtati ſunt? Nimirum huc redit Achitophelis conſilium, civilis belli alium à victoria exitum ſive horrentis, ſive aſpernantis; Ut inſtau-

randæ

Digitized by Google

randæ veritatis nulla ſpes ſupereſſet, niſi in eorum principum armis, & Rerumpub., quos ſententiam Concilii amplexos, ejuſdem amplectendæ prætextu adverſarios in ordinem coacturos ſpes erat. Itaque ab hoc initio cœptum eſt, ſive funem contentionis, ſive ſerram, de auctoritate Sciptuæ & Eccleſiæ diſputando reciprocare; Tam nullo profectu, quam neceſſe eſt, diſputando implicari, quicquid ab utriuſque auctoritatis, ratione nondum definitæ, momentis pendens, in quæſtionem venit.

Scripturæ auctoritatem à Partibus ſupponi.

Quod ſi, id quod in ſe habet omnis diſputatio, ac diſciplina, omnis à dubitatione & ignorantia ad ſcientiam progreſſio & methodus, id ſibi homines, in ſalutis ſuæ quæſtione, tenendum ſtatuerent; facile conſtaret, non poſſe, de eis quæ in quæſtione verſantur, niſi ex prioribus, ac notioribus, ac omnino ex rebus utrimque receptis ratiocinando conſtare. Tum, ſi communem partibus nominis Chriſtiani eſſe profeſſionem teneretur; omnino, priora ac notiora eis, quorum quæſtione conſtat diſcidium, ea eſſe omnia conſtaret, tum quæ utrimque recepta conſtat, tum propter quæ recipienda eſſe, adverſus Fidei hoſtes tenendum ſit. Quis enim parvi æſtimet, quod Novi Teſtamenti Scripturas, adverſus Judæos, utrimque veneramur & agnoſcimus; Ac proinde veteribus, eam utrimque interpretationem adhibemus, quam communis Fidei adverſus Judæos tuendæ cauſa poſtulat? Certe, ſi omnis morbi medicinam ab eis naturæ elementis proficiſci neceſſe eſt, quorum ſanitatem nondum vis morbi pervaſit, non eſt ejus morbi deſperanda curatio, cujus ſanandi tanta præſidia utrimque agnoſcimus. Nam cum utriuſque Teſtamenti Scripturas pro dei Verbo utrimque veneramur, quid aliud ad pacem reſtat, niſi ut de earum conſtituendo ſenſu, ac definiendo conſtet? Non quod ignorem, ſi de re tanta conveniret, tamen, quid Traditione tenendum reſtaret, adhuc diſputatum iri; Sed quod nihil Traditione tenendum, cui recte definitus Scripturæ ſenſus obſtet, etiam jam conveniat.

Non

Digitized by Google

Non quod ignorem, his conſtitutis, de magni momenti Scriptis quibuſdam verſari diſputationem, quatenus ad veteris Teſtamenti Scripturas pertinere cenſenda ſint; Sed quod eorum auctoritatem, receptarum utrimque Scripturarum auctoritati non obſtare, ſimul receptum ſit. Hactenus igitur, tanquam prius & notius ſumi poteſt, ad eorum veritatem, quæ in quæſtionem veniunt, ratione diſputandam, quicquid, utrimque receptis Scripturis affirmari, tam manifeſtum ſit, ut, niſi contempta Scriptorum auctoritate repudiari non poſſit.

Ne eſſe quidem Eccleſiam à Partibus ſupponi.

Atqui, non eſſe Eccleſiæ auctoritatem perinde eis priorem & notiorem, antiquiorem denique & receptiorem, quæ inter partes quæruntur, docent inteſtini belli cauſæ, inſtaurandæ Eccleſiæ obtentu apud nos ſuſcepti. Quis enim ullam omnino Eccleſiæ auctoritatem eſſe poſſe ſomniet, ſi ſemel, divinitus inſtitutam Eccleſiæ Catholicæ unitatem, in dubium veniat? Certe, omnis Eccleſiæ auctoritas hoc ponit; Cœtum eſſe ejuſmodi Eccleſiæ univerſitatem, ut ejus decretis univerſi teneantur Fideles, ſi Fidem ſuam ſinere titulum eſſe nolint. Itaque, inſtitutam à deo Eccleſiæ unitatem, non in animorum conſpiratione conſiſtere, ſed ad externam, & ſenſui ſubditam, Officiorum cultus divini Communionem pertinere. Refragati ſunt huic dogmati duplex apud nos hominum genus: Primum eorum, qui omnem auctoritatis Eccleſiaſticæ pretextum, quæ alium à ſecularis & civilis poteſtatis indultu titulum ederet, impoſturam eſſe Cleri palam ferebant: Alterum eorum, qui ſummam Eccleſiæ poteſtatem ac jus, ſingulis in ſolidum cætibus, jure ac vinculo deum una colendi præditis aſſignabant. Nam cum uniuſcujuſque Reipub. per ſuos fines jus ſummum ſit; Cumque ubique verum ſit, quod à Platone Athenis dictum eſt; Πᾶσα πόλις πάσῃ πόλει φύσει πολέμιος· μάλιστα ἐὰν ὅμορον χώραν τυγχάνωσιν ἔχουσαι; *Omnis Civitas omni Civitati natura hoſtis eſt, maxime ſi regiones conterminas habeant*; Non poſſunt omnes Reſpub. eodem

jure

jure cenſeri, ut eandem Rempub. conſtituant; prout, omnes Eccleſias ad unam conſtituendam Eccleſiam concurrere, à Deo inſtitutum hoc loco proponimus. Tum, unam Eccleſiam, ex omnibus cœtibus, ſummo Eccleſiæ jure præditis, conflari poſſe putare, ſibi ipſi contradicere eſt. Quod ſi, non tanti eſſe dicatur paucorum apud nos,ab omnium temporum ac locorum Chriſtianiſmo deſciſcentium pervicacia, ut ejus ratio, in diſputatione totius Eccleſiæ cauſam complectente, haberi debeat; Cogitandum eſt, nullam aſſerendæ Fidei rationem idoneam eſſe, niſi quæ omnibus refutandis erroribus, à quibus impugnari Fides poſſit, ſufficiat. Quid enim effato Ariſtotelis perſpectius; Perſpectam veritatem, ſolvendis omnibus de veritate difficultatibus ſatis eſſe? Idem Ariſtoteles, cum quæſtionem, an ſit aliquid, in ſe habere quæſtionem cur ſit oſtendit; ſatis oſtendit, rationem ac cauſam inſtitutæ à Deo Eccleſiæ, in aperta luce ponendam ei, qui ejus auctoritatem,ſola ſua aſſerentis fide tenendam aſſerere nolit. Itaque quantumvis contemnendi ſintq ui Eccleſiæ ſtatus controverſiam, in judicio communis Fidei movent; edenda eſt ratio ejus auctoritatis, propter communem Fidem aſſerendæ, quam per communem Fidem repudiari poſſe, quamvis levis ſuſpicio ſit. Cum autem rebus omnibus modum ſuum, ac fines, ratio ſola præſcribat; tum demum, quatenus obtinere debeat Eccleſiæ auctoritas, manifeſtum fieri poteſt,ſi ejus agnoſcendæ rationes perſpectæ fuerint.

Non eſſe ponendum,ſed probandum, vel decreta Tridentina, vel adverſa dogmata à Sp. S. inſpirata eſſe.

Nunc illud, ab hoc ſtatim initio, cavendum eſt; non poſſe quenquam, qui cauſam ſuam ratione diſputari æquo animo ferat, ab hoc initio ſupponere, cauſam ſuam Sp. Sancto judice definitam. Notum eſt, utrum auctore Sp. S. ſententiam tulerit Tridentina Synodus, ſimul hinc in dubium vocari, ſimul inde, tanquam ad communis Fidei neceſſitatem pertinens ſumi. Nimirum, non conſtare Fidelibus rationem propter quam credant, ſi ſemel Eccleſiæ decreta in dubium veniant. Ac, etſi in dubium venire

Digitized by Google

poſſit, num Papæ, an vero potius Concilii ſententia Eccleſiam teneat, tamen, quod auctore Papa Concilium decreverit; quod hic factum conſtat; id ſi in dubium vocetur, nihil eſſe cur Fides communis firma cenſeri debeat. Neque enim poſſe Eccleſiæ de Fide conſtare, niſi auctore Deo teneatur, quod auctore Eccleſia decretum eſt. Itaque merito, propter repudiatum Concilium, *Hæreticos, Schiſmaticoſque* & eſſe & haberi, qui R. ſedi diffident; Ut cum Deo auctore, & Sp. Sancto inſpirante, quicquid decreverit Concilium teneatur, non ſit mirum, exitum diſcidii nullum inveniri. Nam neque poſtulandum eſt, ut, qui Concilium repudiant, minori auctore videri velint ſententiam ſuam tenere, quam ſolis auctoribus Scripturis tenent. Quippe, Scripturas, ſolo Spiritu S. auctore fidem ipſas ſibi facere, nefas putant dubitare, qui, propter earum perſpicuam ſententiam, Concilio ſibi repugnandum ſtatuunt. Nam Deo auctore non decreviſſe Concilium, Deum ſe auctorem habere putant. Quod ſi quis, opinione ſola teneri ab eis Scripturarum ſententiam dicat; meritò omnes rationem requirunt, communi Fidei coævam, cur Concilio auctore, in ejus ſententiam recte interpretatas Scripturas credere debeant, qui, eas Concilii decretis repugnare, ſibi conſtare putant. Dico autem *Fidei coævam*, quæ Eccleſiæ auctoritate antiquior ſit, rationis ordine, neque eam ſupponat; de qua dubitari poſſe, ab eis qui Fidem communem agnoſcunt, dictum eſt. Itaque, neque ceſſerunt quicquam criminibus *Hæreſis*, aut *Schiſmatis* ſibi objectis, qui adverſarium ſibi *Papam*, quaſi *Antichriſtum*, & hærentes ipſi Eccleſias, quaſi *Idololatriæ* reas proſcripſerunt. Neque enim à Scripturis diſcedunt; quibus auctoribus, graviora etiam vel *Hæreſi* vel *Schiſmate* crimina, cum quaſi manibus tenere ſe credant, nemo miretur, ſi auctore ſe Sp. Sancto ſedi R. diffidere exiſtiment. Nemo me hic id poſtulare credat, ab his vel ab illis, ut ſententiam ſuam alio quam Deo vel Sp. Sancto auctore tenere ſe credant; qui hoc tantum poſtulo,

Digitized by Google

ut communem Fidem, ſententiis ſuper quibus diſſidetur priorem ac notiorem, rationiſque ordine antiquiorem credant: Ut habeant unde ratiocinentur, qui ratione potius quam vi agendum putant; nec ultra ſententiæ ſuæ hæreant, quam quatenus ipſam communi Fidei cohærere neceſſe ſit. Nam niſi conveniat, non eſſe primo verum, Sp. S. auctore, vel Synodi decreta, vel Synodum repudiantium adverſas ſententias teneri, ſed à communi Fide ducendas rationes, propter quas, quid Sp. Sancto tribuendum ſit, conſtet, nulla iniri poteſt veritatis ratione diſputandæ ratio. Itaque ſeponenda eſt interim omnis, de dictamine & inſtinctu Spiritus divini, præſumptio, quaſi Deo auctore præjudicata; ut eis rationibus locus ſit, abſque quibus eſſet, ne communem quidem Fidem teneremus; Ut à prioribus, ac notioribus; quæ ſcilicet utrimque recepta ſunt; ad difficiliora, quæ in dubium veniunt, definienda, graſſari liceat. Erit ſuus locus, vel Hæreſis & Schiſmatis criminibus diſputandis, vel, quatenus in Sedem R. eique ſubditas Eccleſias Idololatras eſſe cadat, & Antichriſti diſcipulos. Interea loci, ſuppoſitis eis tantum de quibus convenit, ad ea de quibus diſputatur definienda, ordine ac ratione graſſandum ſit.

Pontificios gratiam gratis datam, adverſarios, gratam facientem ſibi ſumere.

Hic tamen obſervandum, aliter aſſeri dictamen & inſtinctum Sp. Sancti decretis Synodi Tridentinæ, ac omnino Eccleſiæ, aliter ea repudiantibus. Nam ut Sp. S. auctore decernere credatur Eccleſia, hoc tantum poſtulatur, ut eis adfuerit, quibus Eccleſiæ nomine res tantas decernendi jus fuerit. Itaque ne id quidem requiritur, ut ipſis ad ſalutem adfuerit; per quos Eccleſiam obligare Deum nihil vetet, etſi ipſos à ſe alienos. Neque enim fidem inſtinctus divini Eccleſiæ faciendam reſtare, ab eis, quibus, auctoritate in Eccleſiam præditis, ipſe aſſiſtentis Spiritus ſui teſtimonium perhibuerit. Atqui è diverſo, non eſt negandum, quærentibus his, unde de ſenſu Scripturæ conſtaret, reſponſum eſſe aliquoties, ab eis qui auctore Sp. S.

repudiare

Digitized by Google

repudiare ſe putant decreta Concilii ; perſpicuas eis eſſe
Scripturas, qui ad eas intelligendas inhabitantis Sp. Sancti
dotem afferunt. Quid enim aliud conſequens ei ſententiæ
ſit, quæ aliam nullam *divinæ Fidei*; qua Scripturas Ver-
bum eſſe Dei tenemus, qua Canonicas Veteris Teſtamenti
Scripturas Apocryphis internoſcimus ; rationem agnoſ-
cunt, ab inſpirantis & dictantis Sp. Sancti auctoritate ?
Unde dubitari non poteſt, eis qui decretis Synodi Spiritus
S. auctoritatem aſſerunt, ſatis eſſe, adfuiſſe videri ſenten-
tias ferentibus ejus gratiam, inſtar earum, quas, non ſalu-
tis propriæ, ſed ædificandæ Eccleſiæ cauſa dari conſtat.
Quibus autem, ejus repudiandi Concilii, neminem eſſe con-
ſtat, quem omnes auctorem aliter ſequantur, niſi quatenus
ex Scripturis veritatem oſtendat, eos non aliter ducem ſibi
Sp. S. aſſerere poſſe, quam univerſim, veris Fidelibus ad-
futurum Dei Spiritum promiſſum ſit; Ac proinde vere
eſſe Fideles, quibus repudiare Concilium datum ſit, ſupponi,
cum aſſeri non poſſit, ab eis qui has rationes edunt. Quid
huic diſcrimini conſequens ſit, ſuo fortaſſe loco monendum
fuerit. Sumimus igitur hoc loco, tanquam ad intelligen-
das aliorum, non tanquam ad noſtram probandam ſen-
tentiam neceſſarium, duplex eſſe Gratiarum Sp. S. genus
diſtinguendum ; quarum has gratis datas appellamus, illas
gratum Deo reddere eum cui adſint, dici ſoleat. Alteras,
ſalutis cauſa eorum quibus adſint dari, alteras ad com-
munem Eccleſiæ utilitatem ſpectare, ejuſque cauſa dari à
Deo. Nam etſi, nullam eſſe niſi per Chriſtum, deique per
Chriſtum gratiam ſalutem, non eſt hic ab initio ſumendum,
ſed eis rationibus ſuo loco probandum, quas hoc loco quæ-
rimus ; dato tamen hoc, id eſt, ſuppoſito pro tempore,
non conceſſo, quod ad intelligenda quæ diſputantur, non
probanda ſumitur, nihil impedit ex prioribus, & notio-
ribus, receptiſque utrinque diſputari. Itaque qui Concilii
decreta aſſerunt, ii, ſecundum S. Paulum, ubi Chariſmata
Spiritus bono Eccleſiæ dari diſputat, 1 ad *Cor.* XII. 14.
adeſſe

adeſſe iis quos auctores ſequi Eccleſia debeat veritatis chariſma; Qui autem Concilii decretis renituntur, ſibi, tanquam Idololatriæ & Antichriſto adverſantibus, Spiritum Dei verum Scripturæ ſenſum dictare, ſi conſtare eis velint, quæ altrinſecus aſſeruntur, aſſerere debent.

Interea diſtinguendum eſt, auxilium inſpirantis Sp.S., ac omnino inſpirationem, & inſtinctum, vel ad effectricem cauſam, vel ad formalem pertinere, intelligi poſse. Nam Chriſtianiſmi fidem, non naturæ viribus, ſed Sp. Sancti gratiæ imputandam eſse, etſi neque hoc loco probandum ſit, neque pro confeſso ſumendum, ſed ea, quam hic quærimus, interpretandæ Scripturæ ratione probandum; manifeſtum eſt tamen, ad effectricis cauſæ quæſtionem pertinere. Quod ſi quæratur, quare Chriſtiani eſse debeamus; *ratio* quæritur animo objecta, cujus intuitu amplectendus ſit Chriſtianiſmus. Eſt autem in Scholis tralatitium, potentias, habitus, actus peræque omnes ab objectis ſpeciem accipere; Utpote, quorum ratio ipſa atque eſsentia in habitudine, quæ ad attingendum objectum pertineat, poſita ſit. Itaque cum in ea, ſecundum noſtram intelligendi rationem compoſitione, quæ formæ ac materiæ, ad conflandas rerum naturas, concurſui reſpondet, formæ loco ſit differentia ſpeciem conſtituens; objecta potentiarum, habituum, actuum, ad formalem cauſam pertinere dicendum eſt. Itaque non eſt hoc loco diſputandum, divinitus eis Fidem revelari, qui per Fidem ſalutis compotes ſunt; infuſo cælitus lumine deſtitui, qui Fidem repudiant. Dato enim, ſed non conceſso; id eſt, ſuppoſito pro tempore; ad effectricem Fidei cauſam Sp. Sancti gratiam neceſsariam eſſe; præeſse tamen oportet, ac præſupponi rationes, quibus revelari à Deo Fidem, eorum prædicatione, quos ipſe miniſtros tanti operis adhibeat, idonea Fides ſit. Quibus, etſi Apoſtolatus ſui teſtimonium Sp. Dei perhibeat, repugnari tamen idoneis credendi rationibus, ab eis qui Fidem repudiant, Dominus in Evangelio oſtendit; cum eos, qui

Sp. S. inſtinctum, niſi præmiſſis credendi rationibus, diſcerni non poſſe.

miracula ſua, quibus ad Fidem vocabantur, Principi dæmoniorum tribuebant, *Blaſphemiæ in Sp. Sanctum* reos agit. Nam niſi, quamvis idoneam credendi rationem, fruſtrari tamen poſset Crucis Chriſti Lex, Fidei Chriſtianorum appenſa, non eſset cur Deus Fidei præmium, jus vitæ æternæ, & Spiritus ſui promiſsum proponeret. Itaque nihil impedit, revelaſse ei Chriſtum Dei Spiritum videri, cui, refragantibus licet ſeculi cupiditatibus, ac periculis, Chriſtianiſmum Chriſtianiſmi nomine amplecti datum eſt; etſi idoneis rationibus perſuaſo, non alia Lege ſalutem æternam obtineri poſse. Sane, qui alio quam Dei ſpiritu aguntur, eos Dei ſpiritu agi ſe putare, utinam non notius eſset, quam ut probandum ſit. Atqui, non niſi vera Fides eſt, cui debetur Sp. Sancti promiſsum. Itaque ſupponendum eſt quicquid veram Fidem a falſa diſtinguit, ut te, non alio quam Dei ſpiritu agi, dignoſcas. Nam quicquid ad habendum Dei ſpiritum neceſsarium eſt, id totum, ad eundem ab hujus ſeculi ſpiritu internoſcendam, neceſſarium eſse oportet. Sane, niſi propoſitis credendi rationibus, interventu ipſarum, veritatem Fidei ſpiritu Dei revelari teneatur, periculum eſt, ne illa etiam ſpiritu Dei revelari putentur, quæ propoſitis a Domino credendi rationibus non aſtruantur. Certum eſt Gnoſticos, ab Apoſtolorum temporibus, Marcionem deinceps ac Manichæum, Montanum etiam fortaſse, denique Muhammedem, ita ſcripturas pro Dei Verbo agnoviſse, ut dogmatibus ſuis, quæ ſcripturis contineri non contenderent, non minorem auctoritatem vindicarent. Quantum hinc abeſt Fanaticorum noſtrorum fiducia, ſive quod Scripturis contineri non contendant, ſive eum Scripturæ ſenſum, quem, propoſitis rationibus, propter quas Chriſtiani ſumus, aſtruere non poſſint, fidei Eccleſiæ imponentium? Adeo nulla ratio iniri poteſt, veritatis ratiocinando indagandæ, niſi ſepoſito dictantis Dei Spiritus præjudicio, a ratione credendi incipias.

Mode-

Digitized by Google

Modeſtius eſt omnino quod poſtulant, qui ſententiam Synodi Tridentinæ in dubium venire nolunt, & Eccleſiæ, tanquam falli neſciæ, auctoritatem in diſputationem vocari. Eſt enim communi hominum ſenſui, & rerum uſui convenientius, ea lege conſtitutam à Deo Eccleſiam, ut eis auctoribus, penes quos ejus regendæ jus eſſe voluerit, ſecuram eam eſſe de Fidei veritate voluerit. Et tamen quale eſt, ut, nondum ſuppoſita Fidei veritate, Eccleſia ſibi vel dotem Spiritus, vel omnino Eccleſiæ jura ac titulos afferat? Nam quod veritas Chriſtianiſmi, ad conſtituendum Dei filium, id ejuſdem veritatis profeſſio, ad conſtituendam Eccleſiam facit; Hactenus ſaltem, ut, niſi integra adſit, Eccleſiæ nomen ſine re titulus ſit. Cum igitur ad Eccleſiæ veritatem veritas Chriſtianiſmi ſupponatur; priora & notiora Chriſtianis omnibus eſſe oportet, quæ ad veritatem Chriſtianiſmi, quam quæ vel ad veritatem, vel ad unitatem Eccleſiæ agnoſcendam pertinent. Tum præterea, conceſſo, penes Eccleſiam eſſe, de controverſa Chriſtianiſmi veritate pronunciare, promiſſo Spiritus auxilio; Quis hanc auctoritatem, niſi in hominibus legitimo Eccleſiæ jure præditis, niſi legitimis modis, ad conſentiendum de controverſis rebus adductis, & liberum conſenſus ſui arbitrium legitimis teſtimoniorum ſignis edentibus, eo valere putet, ad quod a Deo inſtituta Eccleſia eſt? Sive Papa ſit, ſive Concilium Generale, ſive utriuſque conſenſus, ſive homo quicunque, ſive hominum vel Ordo vel Ordines; non poteſt putari eorum ſententiæ, niſi legitimæ, promiſſum Sp. Sancti auxilium interfuiſse. At enim eorum, qui Eccleſiam quærunt, cui communicent, quotus quiſque dogmatis Chriſtiani univerſi, aut ejus particulæ cujuſcunque veritatem non aſſequatur facilius, quam eorum, quæ ad legitimam Eccleſiæ de controverſis ſententiam pertinent? Nam, ut de eis, quæ ad omnium ſalutem neceſſaria ſunt, ſinguli rationem Deo reddant, ita rationi conſentaneum eſt, ut tamen, in eis quæ minime neceſsaria ſunt, teneri

Cum eis diſputari non poſſe, qui Tridentina decreta à Sp. S. inſpirata ſupponunt.

neri non videantur, ultra id quod eis poſſe Deus conceſſit. Quod ſi ad Eccleſiæ veritatem ſupponenda eſt dogmatis Chriſtiani integritas, tum, priora ac notiora ſunt, quæ ad ſenſum Scripturæ, quam quæ ad auctoritatem Eccleſiæ conſtituendam requiruntur. Quæ ſi vera ſint, ſi neceſſaria, tum, niſi ſepoſito Spiritus Eccleſiæ dictantis præjudicio, eiſdem rationibus, quibus communem Fidem tenemus, diſputandam Eccleſiæ decernentis auctoritatem permittamus, nulla iniri poterit ratio veritatis ratiocinando indagandæ. Id autem fieri nequit, niſi, utrum omnino divinitus auctorata ſit Eccleſia, ad examen deduci poſſit. Fruſtra ſane, *Hæreticorum & Schiſmaticorum* nominibus proſcribuntur, qui, ingratiis R. Sedis, inſtaurandam Eccleſiam ſuſcipiunt, propter præſumptum Sp. Sancti auxilium eis præſtitum, qui condendis Tridentinis decretis affuerunt. Niſi prius, editis ſingulorum rationibus, conſtet, ad decernendum deſcendi, & potuiſſe, & debuiſſe, non magis, hominum perſonis Concilium implentium, addici poterit Spiritus Sancti afflatus, cujus ipſi nullum pignus exhibeant, quam Fanaticis noſtris, inſpirari ſibi ea, quorum homini nato nemini Fidem faciant, ſponte ſibi Fidem haberi poſtulantibus. Contendentibus enim inter ſe partibus, penes quos ſit Eccleſia, cujus Communio ſalutem afferat, ſibi ſoli, nulla allata idonea ratione, Dei Spiritum aſſerere, id vero eſſet, affirmanti ſibi ſponte credi poſtulare. Etſi enim communis Fidei ratio oſtendat, non eſſe eam integram Fidem, nec ſalutis ſpem facere, niſi quæ Communionem Eccleſiæ ad ſalutis ſpem poſtulat; Tamen, ſi eadem Fidei ratio oſtendat, non eſſe ſatis ad ſpem ſalutis Eccleſiæ Communionem, niſi ad profeſſionem qua conſtat Eccleſiæ Communio, implendæ profeſſionis ſinceritas accedat, facile conſtabit, neminem ſibi præſentem Dei Spiritum polliceri poſſe, qui veram ſe Fidem, in veræ Eccl. Communione tenere, perſpectum non habeat; Qui, Fidem quam teneat opere ſe implere. Quæ cum ejuſmodi ſint, ut, ſine ratione verum

Scripturæ

Digitized by Google

Scripturæ ſenſum à falſo diſcernendi, ex Scripturis haberi non poſſint; Manifeſtum eſt, de Gratiæ gratum facientis auxilio, niſi poſitis recte intelligendæ Scripturæ rationibus, præſumi nihil poſſe. Gratiam autem gratis dari nullam niſi Eccleſiæ,cum ne ipſi quidem contendant, qui ſibi ſumunt nomen Eccleſiæ, omnino, priores eſſe rationes oportet, quibus veram eſſe Eccleſiam probent; cujus hoc ſibi nomine ſumant.

Sumendum autem & illud hoc loco, pro tralatitio; aliud eſſe, cur vera ſint, in quibus poſita eſt Fides Chriſtianorum, aſtruere, aliud, cur ipſis credi debeat. poſito enim, à Deo miſſos, quibus auctoribus credimus, non poſſet dubium eſſe, pro veris accipienda, quæcunque ab illis traduntur; etiamſi, vera eſſe, nulla ratio oſtendat. Quæ ad Dei naturam, voluntatem, conſilia ſpectant, niſi Deo revelante non conſtant. Itaque controverſias de Religione ratione finiendas eſſe, non hoc valet, ut rationis lumine, vel rebus rationis lumine perſpectis, ſed; ut rationis uſu finiendæ credantur. Neque enim à rebus ratione perſpectis, ſed divinitus revelatis, ratiocinando diſputandæ ſunt, ac terminandæ.

Non lumine ſed uſu rationis definiendum.

CAPUT

CAPUT. II.

Scripturarum Fidem in ea miracula deſinere, quibus Dominus & Apoſtoli Evangelio, Moſes ac Prophetæ Legi Fidem aſtruxerunt: Tum, in eam Analogiam, ſecundum quam, vet. Teſtamenti Hiſtoria novi Teſtamenti Myſteriis reſpondeat. Patres Myſtico ejus ſenſu ſalutem adeptos.

Idem eſſe, de Fidei & de Scripturæ veritate diſputare.

SUMPTUM igitur ſit ab initio, inter partes, quorum Controverſiæ, quibus terminis finiendæ ſunt, quærimus, de nominis Chriſtiani profeſſione, deque Scripturis ſacris pro Dei Verbo agnoſcendis, convenire. Non enim ignoro, fuiſſe, qui Scripturarum auctoritatem ſibi probandam ſumpſerint, ſuppoſita Fidei veritate. Sed eorum anxietatem, non poſſum putare cuiquam probatum iri, qui huc communem hominum ſenſum adhibeat: Quis enim ita inſanit, ut ſuſcipiendam ſibi Fidem non dubitet, cum de Scripturis dubitet, vel res Fidei, vel rationes continentibus? Quis Judæo, de ſuſcipiendo Domino Chriſto hærere aquam poſſe credat, poſtquam novi Teſtamenti Scripturas, totas commendandæ Chriſti Fidei ſcriptas, divinitus inſpiratas fuiſſe agnoverit? Illud, ad conſtituendum Scripturæ ſenſum, non poteſt non multum facere, in confeſſo eſſe, quibus rationibus agnoſcendæ ſint pro Dei Verbo Scripturæ. Neque enim alia eſſe ratio poteſt, univerſim, cur amplectanda Fides ſit, ſtatuendi, ac de ſingulorum veritate, in quibus Fidem poſitam eſſe contenditur. Itaque cum idem ſit, de ſenſu Scripturæ, ac de eis quæ propter ſcripturas de Fide quæruntur, ſtatuere, neceſſe eſt primo, de ratione credendi, propter quam, ſcripturas etiam Verbum eſſe Dei agnoscimus, conſtare eis, qui ad conſtituendam, vel Fidei veritatem, vel ſenſum Scripturæ graſſantur. Omnino nihil accidere potuit opportunius, quam, ut, de ratione agnoſcendæ pro Dei Verbo

Digitized by Google

Verbo Scripturæ, diſputandum primo ſit; Modo teneatur, idem eſſe, de ratione quare Chriſtiani ſumus diſputare.

Eam autem & brevem & liquidam ediderit, qui affirmet, totam credendi rationem à miraculis pendere, quorum patrandorum virtute, voluntatis ſuæ internuncios Deus inſtruxerit; ut eis conſtet ad quos miſſi ſunt, falſum eſſe non poſſe, cui Deus Teſtimonium perhibeat. Nemo mihi hoc loco objiciat, Dominum ac Apoſtolos, Moſis & Prophetarum teſtimonio, fidem ſibi facere; ac proinde Scripturis, non minus quam miraculis. Facile enim reſpondetur, nec Moſem nec Prophetas, niſi editis operibus, quibus à Deo miſſos ſe probarent, fidem ſibi conciliare potuiſſe. Itaque auctoritas quam obtinet eorum teſtimonium, tota in Deum, legatos ſuos mirabilibus edendis operibus aſſerentem, refundenda eſt. Scio Judæum *Maimonidem, Titulo de Fundamentis Legis* cap. VIII. negare, ſuam ac Gentis ſuæ fidem miraculis à Moſe editis niti, ſed ſola tantum *Montis Sinai ſtatione*; Sic enim pompam ejus Diei appellant, qua Legem majores ſui acceperunt; cum allocutus univerſam ſimul Gentem Deus, præſens præſentem, Legem ipſis vivendi, digno Majeſtate ſua terrore, ſancivit. Nimirum, hanc ſibi rationem reddunt, cur Domini Chriſti, ejuſque Apoſtolorum miraculis, ad amplectendum Evangelium non moveantur. Et tamen majoribus ipſorum, viſis paucis, quibus Deus Moſem inſtruxerat, miraculis primum, deinde mirabili prorſus Maris Rubri tranſitu *crediditſſe*, laudi datum eſt, *Exod.* IV. 30, 31. XIV. 30, 31. Sed per illud leve eſt, quo ſibi ſatisfaciunt. Nam, quid aliud eſt, aut fuit, tota illa quam prædicant *Montis Sinai Statio*, quam opus mirabile, eo fine à Deo editum, ne unquam, Legem Moyſi à Deo datam, in dubium veniret? Quid aliud ſermo cum populo coram inſtitutus, quam in aere nutu Dei formata ſermonis humani imitatio? Quid aliud reliqua pompa, & quæ ipſam complebant univerſa, quam ſigillum Dei Moſis legationi appenſum? Scio Joſephum

Eam totam à miraculis pendere.

Digitized by Google

ſephum Albo Judæum, de *Radicibus Fidei* Judaicæ III. 11. addere hoc Sententiæ Maimonidis, ut dicat majores ſuos, in *Statione Montis Sinai*, provectos a Deo, non ſolum in Ordinem Prophetarum, ſed etiam in gradum Prophetiæ Moyſi proprium; nam cum Prophetis, *per Viſionem vel per Somnium* agere ſe ſolitum, oſtendit Deus, cum Moyſe tanquam *cum amico, ore ad os* colloqui. *Num.* XII. 6, 7, 8. Cum igitur ore ad os, cum populo egerit Deus in *Statione Montis Sinai*, cum eis non aliter quam cum Moyſe egerit. Sed hæc fruſtra ſunt. Nam quid opus Moyſi dono Prophetiæ, ad hoc tantum, ut voces per miraculum à Deo editas de Propitiatorio exciperet? Niſi dei mentem ac ſententiam, niſi conſilium eorum quæ Dei nomine populo præcipiebat, per Dei Sp. intellexiſſet, non erat cur Prophetam ſe ferret, potius quam, quemcunque Deus, ad miraculum exceptorum cœlitus Dei ſermonum teſtem adhibere potuiſſet. Nam quod ſine perturbatione, quam Viſiones ac ſomnia Prophetarum afferebant, tanquam amicus cum Deo colloquens, ſermonem ejus percipiebat, propterea ad honorem Moyſi habitum pertinet, quod ſecretorum ſuorum tam familiariter eum participem feciſſe Deum intelligimus. Quod ſi non poterant Gentes ſimul univerſæ, ad quas Evangelium deſtinabatur, Deum coram loquentem audire, perinde ac Judæi, quibus ſolis ferebatur Lex Moyſi; num propterea Deo vires deerant, quibus, idoneis novo nuncio operibus, fidem faceret? Nimirum ſtupidi nos, ac ingrati, niſi tanto luculentioribus, Evangelio quam Legi, operibus teſtimonium perhibitum agnoſcamus, quanto majus fuit, ad Evangelium Gentes, quam ad Legem Judæos adducere.

Lex Naturæ ad eam ſupponitur.

Nec tamen diſſimulandum eſt, quantam vim habeat, ad aſtruendam Evangelio fidem, præceptorum ejus, cum luce animo humano divinitus indita, conſpiratio. Neque enim vel Deum eſſe, vel homine condito humana curare; ac proinde, cum in hoc ſeculo bonis male malis autem recte ſit, quos immortales, quoad animas quidem, condiderit,

eos

Digitized by Google

eos in altero ſeculo pro meritis remuneraturum; hoc loco probare inſtitui, ſed pro utrimque conceſſo ſumere. Itaque divinæ juſtitiæ, puritati, ſanctitati, majeſtati; immenſum in modum ſuper omnem animi humani conceptum elatæ, ita tamen, ut ab eis, in quibus ſibi animus hominis, tanquam Deo vel gratis, vel ingratis, vel placet vel diſplicet, non poſſit ejus ſanctitas abhorrere; in eis quæ, tanquam Deo revelante docentur in Scripturis, non poteſt animi humani conſcientia teſtimonium vel non perhibere, vel negare. Cum enim, inſitam eſſe hominum animis, cum ad eos affertur primo Evangelium, erga Deum Religionem, ponendum omnibus ſit, qui propagandam Fidem ſuſcipiunt; Neque non teſtes appellandi ſunt, quibuſcum de Fide ſuſcipienda agitur, quam Deo digna ſit Lex ſalutis, quam fert Evangelium: Neque tamen propterea, de veritate eorum, quæ *Fide* ad ſalutem tenenda ratio credendi dictat, ex rationis dictamine pronunciandum; Sed ex rationibus interpretandæ voluntatis divinæ, quas idonea ratiocinatio in apertum proferre poſſit. Quare, quicquid poteſt lux animo inſita, cum nihil valeret, niſi, *quaſi* Deo ad ſalutem neceſſaria revelante, ad credendum homines vocarentur; non neceſſe eſt, inſitam animis hominum lucem, quæ bona à malis diſcernit, ad rationem credendi, ſed ad ea quæ ad credendi rationem ſupponenda ſunt, referri.

His igitur ſepoſitis, cum omnem credendi rationem, miraculis, à Domino Chriſto ejuſque Apoſtolis, à Moyſe & *ipſum* ſecutis Prophetis, faciendæ Fidei a Deo ſe miſſos, editis, contineri dicimus, nihil aliud dicimus, quam quod univerſa clamat Scriptura; Quæ, ſive Judæos ſive Gentes mirandis operibus, quibus ſe Dei Legatos Moyſes & Prophetæ, Dominus & Apoſtoli probabant, commotos, non potuiſſe, quantumvis captum hominum ſuperanti Fidei, non Fidem adhibere oſtendit, cum ab eis traderetur, quos a Deo miſſos diffiteri non poterant. Nam, quod in eo conſenſu, quo ſibi invicem divinæ Scripturæ partes teſtimoni- *Totius Scripturæ conſenſus hoc probat.*

um perhibent, elucet manifeſtum ejuſdem Dei Spiritus, in omnibus ejus Scripturis indicium; ad vim eorum operum, Spiritus Dei virtute editorum referendum eſt, propter quam, ſinguli pro Dei Legatis ſuſcepti ſunt. Neque enim in tanta ingeniorum, tanta ſtudiorum humanorum varietate, eluceret tanta in unam Chriſti Fidem conſpiratio, quantam omnes oſtendunt Scripturæ divinæ, quantumvis a ſe invicem locis, temporibus, inſtitutis cauſiſque ſcribendi diſſitæ, niſi Dei Spiritu omnes ad eundem ſcopum intendente. Itaque, cum Dei gloriæ non intereſſe non poſſit, idoneis ad fidem ſibi faciendam rationibus inſtructos legatos ejus exiſtimari; quod ad fidem ſingulis, apud eos quibus prædicabant, aſtruendam ſatis erat, id ad fidem univerſis, conſenſu ſingulorum affirmandam, & abunde eſſe, & miraculi locum habere, tenendam eſt.

Quale V. Teſt. teſtimonium, Novum deſideret.

Verum, cum miraculis Legationis ſuæ teſtibus, Dominum & ejus Apoſtolos fidem ſibi conciliaſſe, expedita ratio ſit; quid opus fuit teſtimonio Moyſis ac Prophetarum, ad fidem Evangelio conciliandam? Aut quo tandem pacto, Moyſi ac Prophetarum teſtimonio ſtabit Evangelium, quos, *uſque ad Joannem valuiſſe*; id eſt, deinceps non valuiſſe; Dominus ipſe in Evangelio pronunciat; ita ut, introducto Evangelio Legem vacare, manifeſtum ſit? Equidem ſi, qualem Judæi etiamnum Meſſiam expectant, talem Deus ab initio deſignaſſet, non eſſet cur, aliis a Deo miraculis inſtructus, quam eis, quæ ad inſtaurandum Gentis ſuæ regimen, & ſubjiciendas ſibi Nationes pertinerent, (puta ſi verbi cauſa, operibus eis, miraculorum nomen deberetur, quibus Legem ſuam Muhammedes ſancivit,) ad eos accederet, qui Meſſiam qui hæc faceret, tanquam Lege ac Prophetis prædictum, quotidie expectabant. Verum, cum longe aliud illis Legis ac Prophetarum prædictionibus deſignaſſet, ac illi, male acceptis eorum oraculis credunt; Tale Domino & Apoſtolis ejus teſtimonium perhibendum erat, quod ad fidem ipſis conciliandam ſatis fuiſſet, ſi Lex nulla, Prophetæ

Digitized by Google

phetæ nulli præceſſiſſent. Nam qui,non minori auctoritate Gentibus Evangelium commendaret, quam Legem olim Judæis, eum & conſilii ſui, in danda Lege & Prophetis, & ejus ſenſus, quem Moyſi ac Prophetis inſpiraverat,idoneum & eſſe teſtem, & eſſe debere, quis neget? Præſertim, qui tam aperta, de aggregandis ad ſuum populum *Nationibus*, vaticinia præmiſerat, ut, ſtante eo Legis ſenſu, de quo Judæi contendunt, vel nihil valerent, vel exitum nullum haberent. Itaque cum omnis, quæ tum temporis extabat, erga Deum Religio, Judæis ac Gentibus abſolveretur;Cumque abunde ſit, in operibus a Chriſto Domino ac Apoſtolis, aſſerendæ legationi ſuæ editis,quo Judæis ſatis fiat, Jeſum Dominum eum eſse Meſſiam, quem Legis ac Prophetarum oracula, ex Dei mente intellecta,venturum prænunciabant; Evangelium Legis ac Prophetarum teſtimonio ſtare, cum tamen Chriſti & Apoſtolorum miraculis ſtet,expedita ratio eſt.

Sed hæc quia, quamdiu, quem ſenſum Legi ac Prophetis aſserit Fides, non dicimus, obſcura ſunt, tenendum eſt Chriſtianis, qui, quam debent fidei ſuæ rationem Judæis reddere cupiunt, Deum Lege Moyſi, non minus civilem populi ſui vitam; quam ab alii Gentibus, quæ ad Idola a Deo vero deſciverant, ſeparatam volebat; quam, ſui colendi formam ac ritum conſtituere voluiſse. Itaque veteri populo terræ Cananææ Dominium,ac eorum omnium, quæ inde provenirent,cum libertate,ea Lege fructum pollicitum *eſse*; non minus, ne aliis civilibus legibus viverent,quam ne alium Deum, aut aliter quam Lege præſcriptis ritibus colerent.Terram autem Cananæam,vitæ beatæ olim in cœlis agendæ figuram a Deo inſtitutam, non magis apud Judæos, quam apud Chriſtianos dubitari puto. Sunt enim tam expreſſa, hinc inde, in veteribus Scripturis, hujus apud Deum arcani indicia, ut nihil aliud à Judæis poſtulandum ſit, quam ut, quod in multis obtinere ſua ipſi ſponte palam ferant, ejus rationem in omnibus valere æquum putent. Poſtulandum

Lex Moyſi, carnalis & ſpiritualis.

ſtulandum autem, non gratis, quod dici ſolet, ſed tanquam omnium eorum miraculorum demonſtratione confectum, quæ a Domino & Apoſtolis, aſſerendæ Legationi ſuæ edita, in novis Scripturis legimus. Neque alia eſt ratio, in qua, veteres Scriptores Chriſtiani adverſus Judæos diſputant; peccato in mundum defectione primorum parentum ingreſſo, libertatis ac ſalutis eandem rationem, quam Evangelio revelavit, à Deo ab initio inſtitutam; id eſt, ante Legem primum; ac proinde ſub Lege; non Lege, ſed Evangelio ſalutem Patribus contigiſſe. Cùm autem generis humani indoles, in malum propenſa, Idololatriæ labe, ac malorum omnium, quæ Idololatriam ſequi, initio Epiſtolæ ad Romanos S. Paulus oſtendit, orbem terrarum, nequicquam Patribus juſtitiam prædicantibus, inundaſſet; Deum ſuo cultui genus Abrahami, clarioribus indies editis miraculis deſpondiſſe. Et ne in Idololatriam reciderent, quam peregrini in Meſopotamia, & poſtmodum in Ægypto amplexi fuerant; quod *Ezek.* XX. 7. *Joſuæ*, XXIV. 2, 14. auctoribus credendum eſt; libertatem eis, ac terræ promiſsæ Dominium hac Lege obtuliſse, ut a Gentibus reliquis, Legum diverſitate diſcreti, ſe ſolum pro Deo colerent. Nam qui ſub Lege hoc tenerent, non erat quo minus, qui Dei & proximi charitatem, hujus ſeculi mercede, & fœlicitatis terrenæ Lege colerent, ſpe vitæ cœleſtis, eandem, animi ſui ſponte amplecterentur. Hæc autem illa eſt Chriſtiana pietas, quam, ante latam Moyſi legem, pro ſalutis æternæ, ac ſinceræ juſtitiæ lege valuiſse, Dominus primus & Apoſtoli, ac eis ducibus, Chriſtiani Scriptores adverſus Judæos contendunt. Quæ ſi vera ſint, vel duplex erit Moyſi Lex, vel duplex Legis Moſaicæ ſenſus, etiam Judæis, in Meſſiam, tanquam Lege promiſsum anhelantibus. Altera eſt, cujus obſervatio, quamvis, quoad exteriorem tantum actum, literis Moſaicis præſcriptum, terræ tantum promiſsæ fœlicitatem pro mercede afferebat: Altera quæ vitam futuram, eadem præcepta, ex Dei proximique charitate obſervantibus.

Digitized by Google

ſervantibus. Neque enim, ſi hoc ſub Lege factum ſit, Legis vi factum conſequens erit; Quod ab ejus populi Majoribus, Patribus ac Prophetis, niſi Dei Spiritu præditis, nunquam præſtitum fuiſſet. Neque Spiritus Dei dos, niſi eadem Fidei Lege, venturum Meſſiam expectantibus, qua, veniſse Chriſtum profitentibus, proveniſset.

Hic igitur, univerſim, cardo eſt ejus differentiæ, qua, duplicem veteris teſtamenti ſenſum diſtinguendum eſse contendo; unum in promptu poſitum, & obvium, ſecundum hujus ſeculi promiſſiones, terræ Cananææ dominio comprehenſas, & eam Legis, ſecundum verborum primo obvium ſenſum obſervationem, cujus merces erant: Alterum myſticum, & reconditum, ſecundum eam Legis obſervationem, quam homines fideles ac pii tum temporis, duce Dei Spiritu, tanquam Legem futuri ſeculi, a Deo, ſub prioris velamine propoſitam, intelligebant. Cum enim, ſuſceptæ Legis Moſaicæ intuitu, factus ſit ſui juris populus Dei vetus, & in Reipub. formam, præceptorum ejus ac rituum obſervatione redactus: Novus autem, ex univerſis Gentibus ita *coactus, in unum quaſi corpus,* futuri ſeculi pollicitatione, ut tamen, ſingulis quæ ad eum ſe aggregent Gentibus, ſuæ leges, in hujus ſeculi regimine, integræ ſint; non poteſt Evangelium Lege promiſsum, eo ſenſu videri, quo, ſtatus veteris populi, quoad ad hanc vitam, conſtitutus ſit. Quare, quibus, Dominum Chriſtum idoneis rationibus mundo probatum, convenit, ii conſtitutam eiſdem momen*tis,* literalis ſenſus & carnalis à Myſtico & Spirituali differentiam, recuſare non poſſunt. Quibus autem, Dominum Jeſum Chriſtum eſse, nondum perſuaſum eſt, ſua ſponte, ac ſepoſitis operibus, quibus à Deo ſe miſsum oſtendit, idem facturi ſunt, ſi carnalem Legem, quanti pretii ſit, ac quam Deo accepta eſse debeat, quatenus ultra literalem ſenſum nihil ſpectet, rectæ rationis momentis perpendant. Quis enim facile credat, moroſitatem Legis, ac præceptorum ejus obſervandorum, ſuperſtitioni haud temere alie-

Duplex veteris Teſtamenti ſenſus.

nam

Digitized by Google

nam diligentiam, quis ſatisficiorum nidorem, ac animalis ſanguinis ſordes, Deo gratas eſse poſse putet, ſi ſignificationem eam, quam Evangelium exponit, ſeponas; Præſertim ad Spiritualem ejus obſervationem collatas, quam Evangelium, pro Lege vitæ æternæ requirit?

Probatur, obſcuriorum Apoſtolicæ Scripturæ locorum explicatione.

Generaliter poſita hæc, ita ut ad omnes Vet. T. ſcripturas pertineant, generaliter ex Novi T. ſcripturis affirmanda ſunt; Tum ex ſcriptoribus Chriſtianis, quos adverſus Judæos eiſdem telis pugnare diximus. S. Paulus 2 ad *Cor.* III.6. ſic de Deo; *Qui nos idoneos fecit N.T. miniſtros, non literæ ſed Spiritus; litera enim occidit, Spiritus autem vivificat.* Pergit autem per reliquum caput totum miniſterium ſuum Moſaico anteponere; hujus gloriam eam fuiſſe differens, quam Moyſes, *velamento vultui ſui oppanſo* occultaverit; Verum, ex eo ſenſu quem aſtruimus, *velatum* adhuc Judæis ſpiritualem legis ſenſum, qui idem Evangelium eſt, diſputat, quamdiucunque lectis veteribus ſcripturis, Chriſtum tamen & Chriſti Fidem repudiant. Neque alio pertinent, quibus Corinthios ſuos ab Idololatriæ communione revocat, 1 ad *Cor.* X. 1, 4. *Nolim autem ignorare vos Fratres, fuiſſe Patres noſtros ſub nube omnes, & mare omnes tranſiſſe, baptizatos etiam in Moſem omnes, in nube & mari: Item eandem omnes Spiritualem eſcam ediſſe, eundem omnes Spiritualem potum bibiſſe; Bibebant enim ex Spirituali, quæ ſequebatur eos, Petra; Petra autem erat Chriſtus.* Nam quid eſt, *in Moſem baptizatos fuiſſe* Patres *in nube & mari*; Niſi tranſeuntes mare, nube velante, Moyſi ſe regendos tradidiſſe; ſicut Chriſto ſe permittunt, qui baptizantur Fideles? Quid *eſca, potus, Petra Spiritualis*, niſi quæ eſcam, potum, Petram Evangelicam deſignant, eique reſpondent? Unde idoneum Apoſtolo argumentum, idem ipſis, quod ad ſeculum futurum attinet, expectandum, quod Patribus, quoad terram promiſſam, accidiſſe legimus. Tuetur igitur generalitatem ſuam epiphonema quod ſubdit Apoſtolus; *Hæc autem omnia eis in figura contingebant; Scripta autem ſunt nobis admonendis, quibus*

extrema

Digitized by Google

extrema ſeculi occurrerunt. Neque enim conceden dum eſt, idem, ullibi veteris ſcripturæ non obtinere, ubi eadem ratio locum habet; quatenus locum habet, ex eis quæ pergimus dicere conſtabit. Interea loci, manifeſtum hinc evadit, qua ratione Apoſtolus ad *Heb.* XI. 24, 25, 26. cum *maluiſſe* Moſem laudat *mala, quibus premebatur Dei populus, quam deliciis ad tempus frui, cum peccato conjunctis*; *Viſum ei Chriſti opprobrium majores divitias ſubdit, quam theſauros Ægypti*; *Propterea quod redditum iri mercedem expectaret.* Nimirum, quid hoc erat, niſi crux Chriſti; Quatenus quidem ejus ferendæ lex, veteri teſtimento velata, ſalutem etiam tunc afferebat? Itaque recte, eadem ratione, idem; XIII. 8. *Jeſus Chriſtus heri idem, ac hodie, & in ſeculum.* Sed omnium clariſſime, ſi attendat quis, S. Paulus, 1 ad *Cor.* II. 12, 13. *Nos autem non accepimus Spiritum mundi, ſed ex Deo Spiritum, ut ſciamus quæ nobis a Deo data ſunt*; *Quæ etiam loquimur verbis, non quæ humana ſapientia, ſed quæ Sp. S. docuit*; *Spiritualibus Spiritualia comparantes.* Nam *Spiritualia* hæc, quæ *Spiritualibus* a ſe conferri prædicat, quid aliud ſunt, quam Lex ſpiritualis; ſive ſpiritualis Legis Moſaicæ & ſecutorum Moſem Prophetarum ſenſus; quam, Evangelicæ prædicationis, palam ſpiritualis, comparatione, oſtendi à ſe S. Paulus affirmat? Propterea ſane, & *Spiritualem* eſſe *Legem* affirmat ipſe ad *Rom.* VII. 14. & S. Stephanus, *Act.* VII. 38. Moſem λόγια ζῶντα, *viva oracula* in deſerto accepiſſe, aſſerit; quæ, *vitam* hac ſola ratione afferre, communis Fides poſtulat. Neque alia ratione S. Paulus, *Judæum & circumciſionem eam quæ in propatulo, ſecundum carnem ac literam, a circumciſione cordis, & Judaiſmo ſecundum Spiritum, in corde abditum*, diſtinguit, ad *Rom.* II. 27, 28, 29. Neque alia, *revelari Evangelio Dei juſtitiam aſſerit, ex Fide in Fidem*, ad *Rom.* I. 17. ea nimirum quæ ſub Lege, in eam quæ ſub Evangelio juſtificat. Neque aliud ſibi voluit S. *Joannes*, I. 16, 17. cum de Domino Chriſto hæc ſcriberet; *Et ex plenitudine ejus omnes accepimus, & gratiam pro gratia*; Gratiam ſcilicet

Evangelio

Evangelio revelatam, pro ea quæ Lege velabatur; ſic enim ſequitur; *Quia Lex per Moſem data eſt, gratia & veritas per Jeſum Chriſtum extitit.*

Tum, univerſæ Apoſtolorum, adverſus Judæos & Judaizantes, diſputationis inductione.

Sed quid ego obſcuriora Scripturæ Apoſtolicæ teſtimonia colligo, propterea quod generaliter hanc rationem ita aſtruunt, ut ad totam veterem Scripturam extendi poſſit? Extant Apoſtolorum Epiſtolæ, & Acta, tum, ſi vis, Apocalypſis Prophetia, totus nimirum Apoſtolicæ Scripturæ cenſus, aſtruendo ex veteribus Scripturis prædicationis Evangelicæ Myſterio, diſerte in tabulas relatus. Quid enim prohibet, negligere hoc loco, id quod his inter ſe Scripturis intereſt, ſuis locis definiendum, ut quod omnibus commune eſt, ab Aſcenſione Domini, promulgato demum Evangelio editas fuiſſe, in communem hujus loci rationem veniat? Inprimis autem ea loca ſpectemus, quibus aſtruitur Fides, ſive adverſus *Judæos*, ſive adverſus Fideles, propter minus perſpectam credendi rationem ita *Judaizantes*, ut Legi non minus quam Fidei ſalutem acceptam ferrent. Haud ſcio an habituri ſint illud monenti mihi ~~gratiam, ſine quo, ſatis ſcio, nullam eſſe~~ legitimam tuendæ a Judæis Fidei rationem, qui alias ſe habere putant idoneas. Mihi ſatis eſt, non aliam eſſe ab ea legitimam, quam adhibent, & adhibere docent Apoſtoli. Spectentur eorum Epiſtolæ, ſive aliæ Scripturæ, quatenus quidem, adverſus, ſive Judæos, ſive Judaizantes Fideles, *non Lege ſed Fide* ſalutem contingere contendunt; Mentiar, niſi ad eandem analogiam exponendæ ſint, quam adductis jam eorum Scripturis adhibuimus, quæcunque ſunt, quibus ex veteribus Scripturis aſtruitur Fides. Non quod alia ratio obtineat, ſive adverſus ſubnaſcentes Hæreſes, hac poſita hypotheſi diſputatur, ſive monentur officii ſui Fideles, ſive quid aliud agitur, quod veteris Scripturæ teſtimonio aſſerendum ſit, vel aſtruendum. Idoneam autem eſſe hanc aſſerendæ argumentationis Apoſtolicæ, à Judaicæ pertinaciæ incurſibus, ſicut Fideli nemini dubitandum eſt; Ita nul-

lam

lam eſſe aliam, etſi, in Apoſtolica Scriptura cum vetere conferenda non verſatis, fruſtra ſuadetur; (Quæ una ratio eſt, manentis in æternum contentionis, ſicut ait Dominus; *Erratis neſcientes Scripturas*) facile tamen comperient, qui à nobis moniti, hoc inire examen gravati non fuerint. Cujus ego univerſæ obſervationis unum exemplum affero, undecimum Caput *Epiſtolæ ad Hebræos*; quò, *Fide non Lege* ſalutem Patres conſecutos aſſeritur. Nam ut, aliud ab hujus ſeculi bonis à Deo expectaſſe eos per Fidem, ſatis manifeſtum eſt, ex hujus capituli diſputatione; Ita, perpetuam eſſe allegoriam cœleſtis Patriæ, & populi Fidelis ad eum peregrinantis, in rebus Patrum ac Prophetarum, terræ promiſſæ jus ac bona ſpectantibus, univerſa mani feſtum facit. Fruſtra idem in reliquis obtinere contenderetur; Nam Scripturarum cognitio; quam, principii loco habendam eis, ac aſſumendam, qui de hæc diſputatione recte judicare volunt, ſatis eſt hoc loco moneri; facilem efficiet hujus rationis tranſlationem, ad omnes Apoſtolicæ Scripturæ obſcuritates illuſtrandas; quas ad hanc rationem referendas eſſe, modicus uſus monſtrabit.

Præterea, conſenſu Scriptorum Eccleſiæ, de iis quæ ante Legem primum;

Eccleſiæ auctoritatem ad hanc cauſam adhibere ineptum eſſet; nondum ſcilicet conſtitutam, ſed, rationibus hanc cauſam poſcentibus, conſtituendam. Auctoritatis Eccleſiæ loco erit, Doctorum & Patrum Eccleſiæ auctoritas; Qui ſi eandem rationem, tuendæ adverſus Judæos veritatis, inſtiterunt, quam inſtitiſſe Apoſtolos oſtendimus, idoneum erit argumentum, nullam aliam ab eis inire poſſe, qui Apoſtolos ſequi volunt. *Euſebius Cæſarienſis, demonſtrationis Evang.* l. 8. eandem cauſam agit adverſus Judæos, quam, adducto Epiſtolæ ad Hæbræos capite agere Apoſtolum oſtendimus; Tantum quod, tanquam Chriſtianos, non tanquam Judæos, ſalutem aſſecutos Patres contendit; Apoſtolus autem, Fide non per Legem. Egregius eſt in hanc rem locus *S. Joannis Chryſoſtomi Homil.* XLII. *in Gen.* XXXVIII. 30. ubi Gemellos, quos Judas Patriarcha ex Thamar ſuſ-

cepit, in figuram Chriſtianorum & Judæorum exponit. Faciente enim Deo, manum prior extendit, qui poſterior naſciturus erat; Ut ſignificaretur, ſub ingreſſuram Legem, quæ Fidei ceſſura erat. Nam & Abel, Enoch, Noe, Melchiſedek & Abraham ante Legem Deo placuerunt, prorſus ut poſt Legem Chriſtiani. Ut autem a peccatis ſuperantibus reſpiraretur, datam eſſe Legem, quæ peccatum, etſi non extingueret, tamen propoſita pœna cohiberet; Fidem ultimo loco, quæ tolleret. Hujus expoſitionis auctorem ipſi fuiſſe invenio *S. Irenæum, contra Hær.* IV. 43. Idem ejuſdem Operis IV. 28, *Facilem autem ad Idola reverti populum erudiebat per multas advocationes, præſtruens eos perſeverare & ſervire Deo; per ea quæ erant ſecunda ad prima advocans; Hoc eſt, per typica ad vera, per temporalia ad æterna, & per carnalia ad Spiritualia, & per terrena ad Cæleſtia.* Vide & Caput 24. Tum, IV. 35. *Munera autem, & oblationes, & ſacrificia omnia in typo populus accepit: Quemadmodum oſtenſum eſt Moyſi in Monte Sinai, ab uno & eodem Deo, cujus & nunc in Eccleſia glorificatur nomen in omnibus Gentibus. Sed terrena quidem, quæ ſunt erga nos diſpoſita, typos eſſe congruit eorum quæ ſunt Cæleſtia, ab eodem tamen Deo facta.* Hæreticorum autem eſſe, facere Cœleſtia typos aliorum Cœleſtium; Quod quia faciebant Hæreſes contra quas ſcribit, propterea rurſus *Irenæus, actionibus Prophetatum* ſcribit, cap. 37. & in eandem ſententiam ſæpius. Sed & rurſus Chryſoſtomus ad *Gal.* III. 16. Ἐπειδὴ γὰρ αὐτοὺς ἐθορύβει τὸ τὸν νόμον ἀρχαιότερον εἶναι, τὴν δὲ πίστιν μετὰ τὸν νόμον, καὶ ταύτην αὐτῶν ἀναιρεῖ τὴν ὑποψίαν, δεικνὺς ὅτι τοῦ νόμου πρεσβυτέρα ἡ πίστις. Καὶ τοῦτο δηλοῖ ἀπὸ τοῦ Ἀβραάμ· πρὶν ἢ γὰρ φανῆναι τὸν νόμον ἐκεῖνος ἐδικαιώθη. Δείκνυσι δὲ, ὅτι καὶ τὰ νῦν γινόμενα κατὰ προφητείαν ἐγένετο. *Quoniam enim ipſos turbabat, quod antiquior Lex eſſet, Fides autem poſt Legem, hanc etiam illorum ſuſpicionem tollit, antiquiorem eſſe Lege Fidem oſtendens. Hoc autem ab Abraham manifeſtum facit; Priuſquam enim extitiſſet Lex, ille juſtificatus eſt. Oſtendit*

autem,

autem, quod quæ nunc fiunt ſecundùm Prophetiam acciderunt. Sic etiam Theodoretus, ad *Gal.* IV. 11. Οὕτω δείξας τὴν πίστιν τοῦ νόμου καὶ πρεσβυτέραν καὶ τιμιωτέραν, δείκνυσι πάλιν τὸν νόμον τῆς πρὸς τὸν Ἀβραὰμ γεγενημένης ἐπαγγελίας μεταγενέστερον, ἀποφήνας τὴν χάριν πρεσβυτέραν τοῦ νόμου. *Sic, cum Fidem Lege & antiquiorem & præſtantiorem demonſtraſſet, rurſus Legem promiſſione Abrahamo facta ætate poſteriorem demonſtrat, cum Gratiam Lege antiquiorem pronunciat.* Sed audiendus eſt Epiphanius, cum Hæreſes Fidei oppoſitas, ab ipſo rerum initio, propterea deducit, quod ab eodem initio, Fide conſtitiſſe Fidelibus ſpem ſalutis, cum Apoſtolis ſupponit; Quibus, quod ab initio obtinuit, ſubingreſſa Lege obtinere, invictum erat adverſus Judæos argumentum, cui, propter ſpem Meſſiæ toti Genti communem,repugnari non poterat. Sic igitur ille,initio magni operis. Καὶ οὐδὲν ἦν ἐπὶ τῆς γῆς, οὐχ αἵρεσις, οὐ γνώμη ἑτέρα καὶ ἑτέρα, ἀλλ' ἢ μόνον ἄνθρωποι ἐκαλοῦντο, ἑνὸς χείλους καὶ μιᾶς γλώττης. Ἦν δὲ μόνον ἀσέβεια καὶ εὐσέβεια ὁ κατὰ φύσιν νόμος, καὶ ἡ κατὰ φύσιν ἑνὸς ἑκάστου προαίρεσις τοῦ θελήματος, καὶ οὐκ ἀπὸ διδασκαλίας, οὔτε ἀπὸ συγγραμμάτων συγγραφέων πλάνη· οὐκ ἰουδαισμὸς, οὐχ αἱρεσίς τις ἑτέρα, ἀλλ' ὡς εἰπεῖν, ἡ νῦν πίστις πολιτευομένη ἐν τῇ ἄρτι καλουμένη καθολικῇ τοῦ θεοῦ ἐκκλησίᾳ, ἀπ' ἀρχῆς οὖσα, καὶ ὕστερον πάλιν ἀποκαλυφθεῖσα· τῷ γὰρ βουλομένῳ φιλαλήθως ἰδεῖν, ἀρχὴ πάντων ἐστὶν ἡ καθολικὴ τοῦ θεοῦ ἐκκλησία, ἐξ αὐτοῦ τοῦ σκοποῦ· Ἀδὰμ γὰρ πρωτόπλαστος πέπλασται, οὐκ ἐμπερίτομος, ἀλλ' ἀκροβύστης μὲν τῇ σαρκί· καὶ οὐκ εἰδωλολάτρης δὲ ἦν, καὶ ᾔδει πατέρα καὶ υἱὸν καὶ ἅγιον πνεῦμα· προφήτης γὰρ ἦν· οὐκ ἔχων τοίνυν περιτομὴν, οὐκ ἦν ἰουδαῖος· ξόανον δὲ μὴ προσκυνῶν ἢ ἄλλο τι, οὐκ ἦν εἰδωλολάτρης. προφήτης γὰρ Ἀδὰμ, καὶ ᾔδει ὅτι ὁ πατὴρ εἶπε τῷ υἱῷ ποιήσωμεν ἄνθρωπον. Τί οὖν ἦν, μήτε περιτομὴν ἔχων, μήτε εἴδωλα σέβων; ἀλλὰ τοῦ χριστιανισμοῦ χαρακτῆρα ὑποφαίνων; οὕτω καὶ ἐπὶ τοῦ Ἄβελ, καὶ ἐπὶ τοῦ Σὴθ, καὶ ἐπὶ τοῦ Ἐνὼς, καὶ ἐπὶ τοῦ Ἐνὼχ, καὶ ἐπὶ τοῦ Μαθουσάλα, καὶ ἐπὶ τοῦ Νῶε,

καὶ ἀπὸ τοῦ Ἔβερ, ἄχρι τοῦ Ἀβραὰμ διαλιπέσιν. Ἐνήργει δὲ τότε εὐσέβειά τε καὶ ἀσέβεια, πίστις καὶ ἀπιστία· πίστις μὲν, ἐπέχουσα τοῦ χριστιανισμοῦ τὴν εἰκόνα, ἀπιστία δὲ ἐπέχουσα ἀσεβείας τὸν χαρακτῆρα καὶ παρανομίας, ἐναντία τοῦ κατὰ φύσιν νόμου, ἕως τούτου τοῦ προδεδηλωμένου χρόνου. *Neque ulla erat in terris Secta, aut ſententiarum diſcidium; Tantum Hominum appellatione cenſebantur, labio uno, unaque lingua præditi. Pietas autem, & impietas erat, ſola Naturæ Lege, & voluntatis cujuſque ſecundum naturam electione definita; nec dum error emerſerat, ſive diſciplina, ſive Scriptorum monimentis introductus. Neque Judaiſmus, neque alia ulla Secta erat, ſed illa eadem, ut ita dicam, fides vigebat, quæ nunc in ea, quæ Catholica appellatur Eccleſia; quæ, cum ab initio extitiſſet, poſtea patefacta eſt. Nam qui ſtudio veritatis rem ſpectare voluerit, inveniet primam extitiſſe Catholicam Eccleſiam, ex ipſo ejus ſcopo. Adam enim primus a Deo formatus eſt, non circumciſus, ſed præputio præditus: Neque tamen Idololatra erat, ſed Deum Patrem cum Filio & Sp. S. cognovit. Erat enim Propheta. Itaque Circumciſionem non habens, Judæus non erat; Sculptile autem nullum adorans, aut aliud id genus, Idololatra non erat. Propheta enim erat Adam, & noverat Patrem Filio dixiſſe; Faciamus hominem. Quid igitur erat? Neque Circumciſus, neque Idola colens, ſane Chriſtianiſmi formam indicabat. Idem de Abele, Setho, Enos, Enoch, Mathuſala, Noe, Ebero, uſque ad Abraham, judicium. Obtinebat autem pietas & impietas, fides & infidelitas. Illa quidem Chriſtianiſmi imaginem exhibens, hæc autem infidelitatis faciem ac tranſgreſſionis, uſque ad illud tempus quod deſignatum eſt.* Dixerat in Præfatione; Θεοσεβείας δὲ χαρακτὴρ ὑπῆρχεν ἅμα καὶ ὁ κατὰ φύσιν νόμος πολιτευόμενος. De temporibus ante Abraham loquens; *Pietatis autem forma, ſimulque Lex Naturæ vigebat*; Ubi pietatis formam, ejus quæ tunc colebatur, in Naturæ Lege obſervanda ſitam fuiſſe docet, eandem quam nunc, patefactam Evangelio, & explicatam, colit Eccleſia. *S. Ambroſius in Pſalm.* XXXIX. *Scriptum profecto de Chriſto eſt, in principio Veteris Teſtamenti, quod venturus*

Digitized by Google

turus eſſet, ut in Redemptione hominum Dei Patris faceret voluntatem; quando Scriptum eſt, quod Evam, in Specie Eccleſiæ, ad hominis adjumenta formavit. Quid enim nobis, in hac corporis infirmitate, & ſeculi iſtius perturbatione, præſidio poteſt eſſe, niſi ſola Eccleſiæ Gratia, qua redimimur? Et fides noſtra, qua vivimus? In capite Libri Scriptum eſt; Scriptum eſt in capite Libri, quod Abel juſti hoſtia placuit Deo, diſplicuit oblatio parricidæ. Nunc aperte ſignificavit Dominus Jeſus, offerendum ſe eſſe pro nobis, ut in ſua paſſione novi ſacrificii gratiam conſecraret, ritum populi parricidalis aboleret? Dixerat paulo ſuperius; *Expectavit eum Adam de Paradiſo ejectus, ut longo liberaretur exilio. Expectavit eum in Noe juſto, qui ad ſemen futurorum eſt reſervatus.* Evam Eccleſiam ſignificare, auctorem habet S. Paulum Ambroſius; Abelis ſacrificium Chriſti Paſſionem, ipſum etiam præter Apoſtolos Dominum, minantem Judæis vindictam omnium ab Abele Sanctorum, præcurſorum & præconum ſuorum, quos Patres ipſorum perſecuti fuerant, ut ipſi ipſum crucifixerunt. Idem contendit *Tertullianus* Libro adverſus Judæos, Juſtinum Martyrem diſputatione cum Tryphone ſecutus; Nimirum, antiquiorem eſſe Lege pietatem Patrum, qua ſine Lege ſalutem ſibi promittebant, non aliter atque patefacto Evangelio Fideles; Quæ eſt tota Apoſtolorum adverſus Judæos diſputatio. Juſtinus hoc amplius, quod, pluribus ejus diſputationis locis, ſuos; id eſt, Chriſtianos; *gratiam*, Scripturæ veteris ex Dei mente intelligendæ, donante Spiritu Sancto accepiſſe: Quod mihi viſum eſt aliquando intellectu difficile; Quippe qui, adductas à Juſtino Scripturarum interpretationes, non ſemper mihi præſtandas putarem. Sed non fuit neceſſe hærere. Quid enim impedit, rationem afferendæ ex Lege & Prophetis Fidei, diſcipulis à Domino inſinuatam, cum *aperuiſſe dicitur eorum mentes, intelligendis Scripturis*, *Lucæ*, XXIV. 45. eandem poſtea, dato Spiritu Sancto inſpiratam eis, qui *gratiarum* ejus *diſtributionem* in hoc dono ſortirentur? Nam etſi à conſilio

Spiritus

Spiritus Sancti, veteres Scripturas dictantis, aberrare non potuerint, qui hoc, inſpirante nullo medio Spiritu Sancto potuerunt; tamen, qui eos ſecuti, eandem Fidei analogiam rationis ſuæ ductu inſiſterent, quid eſt cur, erraſſe eos, Fidei fraudi eſſe debeat? Sic igitur *Juſtinus dialogo cum Tryphone*; Ἵνα παύσησθε καὶ ἑαυτοὺς καὶ τοὺς ὑμῶν ἀκροατὰς πλανῶντες, καὶ παρ' ἡμῶν μανθάνοντες, τῶν σοφισθέντων ἀπὸ τῆς τοῦ χριστοῦ χάριτος. *Ut deſinatis, & vos ipſos, & eos qui vos audiunt ſeducere, & a nobis diſcatis, quos gratia Chriſti ſapientes reddidit.* Multo poſt; Ἀλλὰ χάρις παρὰ Θεῶ μόνη, εἰς τὸ συνιέναι τὰς γραφὰς αὐτοῦ, ἐδόθη μοι· ἧς χάριτος πάντας κοινωνοὺς ἀμισθωτὶ καὶ ἀφθόνως παρακαλῶ γίνεσθαι, ὅπως μὴ καὶ τούτου χάριν κρίσιν ὀφλήσω. *Sed gratia tantum a Deo, ut Scripturas ejus intelligam, mihi data eſt; cujus gratiæ omnes gratis & prolixe participes fieri hortor, ne hac quoque cauſa judicio obnoxius ſim——.* Rurſus multo inferius; Καλὸν ἂν εἴη ὑμᾶς, ὦ ἄνδρες, ἃ μὴ νενοήκατε, παρὰ τῶν λαβόντων χάριν ἀπὸ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν τῶν χριστιανῶν μανθάνειν. *Bonum eſſet vos, O Viri! Quæ non intellexiſtis, ea a nobis, qui gratiam a Deo accepimus, Chriſtianis diſcere.* Mox, poſt non pauca; Εἰ μὲν οὖν τις μὴ μετὰ μεγάλης χάριτος τῆς παρὰ Θεοῦ λάβοι νοῆσαι τὰ εἰρημένα, καὶ γεγενημένα ὑπὸ τῶν προφητῶν, οὐδὲν αὐτὸν ὀνήσει τὸ τὰς ῥήσεις δοκεῖν λέγειν, ἢ τὰ γεγενημένα, εἰ μὴ λόγον ἔχοι καὶ περὶ αὐτῶν ἀποδιδόναι· ἀλλὰ μήτι γε καὶ εὐκαταφρόνητα δόξει τοῖς πολλοῖς, ὑπὸ τῶν μὴ νοούντων αὐτὰ λεγόμενα. *Itaque, niſi quis cum magna gratia acceperit a Deo intelligere quæ a Prophetis dicta factaque ſunt, nihil ipſum juvabit dicta eorum vel geſta referre videri; Niſi etiam rationem eorum reddere potuerit. Quin & multis forte contemptibilia videbuntur, cum a non intelligentibus commemorantur.* Sane, cum pergit quærere, cur, ut Enoch & Noe ante Circumciſionem & Sabbatum, Abraham non niſi Circumciſus, ſub Lege autem Prophetæ non ſine Sacrificiis Deo placuerint, quis dubitet, inepta ad ejus conciliandam gratiam videri debere Sacrificia, abſque Fide eſſet, qua juſtificatos Patres contendit Apoſtolus?

Apoſtolus? Recte igitur Juſtinus Gratiam Chriſtianis datam intelligendarum Scripturarum diſputat, quæ Judæis perviæ eſſe non poſſint. Nam Veteris Teſtamenti hiſtoria niſi ex Novi myſterio intelligi nequit; Quamvis nihil impedit Juſtinum, rationem certam minus dextre ad hiſtoriam myſterio accommodandam aptandamque adhibere.

Sed quod ad Legem attinet, & quæ ſub Lege, Figuram habuiſſe eorum quæ ſub Evangelio geruntur affirmat Apoſtolus; Audiendus eſt S. Auguſtinus, cum præcepta Legis Spiritualia eſſe docet; Eadem nimirum, vel fere eadem quæ continet Evangelium; promiſſa autem terreſtria & carnalia; Quæ nimirum fœlicitatem terræ promiſſæ in ſe continent. Dico autem *fere eadem*, ex ipſius Auguſtini mente, quia, utrum addat Evangelium Lege præceptis, an, rejectis tantum pravis Scribarum & Phariſæorum interpretamentis, ſuum eis ſenſum reſtituat, nondum eſt definiendi locus. Sed, qui ſola carnalia Lege Fœderis promiſſa docet, eum conſequens eſt, Legis obſequium ſolo pœnæ timore contineri docere, ejus, quæ in auferendis terræ promiſſæ bonis ſita eſt, cujus ultimum mors eſt, quam ſine ſpe veniæ tranſgreſſio Legis obtendit. Itaque qui vitam ſibi ſub Lege pollicebantur; non Legis Fœdere, ſed Fidei, perinde ac, ante Legem; eos, etſi ſub Veteri Teſtamento viverent, ad Novum pertinuiſſe; perinde ac qui ſub Evangelio carnalia ſub Fidei profeſſione concupiſcunt, etſi ſub Novo Teſtamento vivant, ad Vetus tamen pertinere. Sic igitur in *Pſalmum*, LXXIII. S. Auguſtinus; *Si enim diſcernimus duo Teſtamenta, Vetus & Novum, non ſunt eadem Sacramenta, nec eadem promiſſa, eadem tamen plerunque præcepta: Nam non occides, non mœchaberis, non furaberis, honora Patrem & Matrem, non falſum teſtimonium dixeris, non concupiſces res proximi tui, non concupiſces Uxorem proximi tui, & nobis præceptum eſt.* —— *Videamus quare præcepta eadem; Quia ſecundum hæc Deo ſervire debemus. Sacramenta non eadem; Quia alia ſunt Sacramenta dantia ſalutem,*

Tum, de iis quæ ſub Lege.

ſalutem, alia promittentia Salvatorem. Sacramenta novi Teſtamenti dant ſalutem, Sacramenta Veteris Teſtamenti promiſerunt Salvatorem. —— Promiſſa quare non eadem? Quia promiſſa eſt terra Chanaan, terra copioſa, fructuoſa, affluens lacte & melle; promiſſum Regnum temporale, promiſſa fœlicitas ſeculi, promiſſa fœcunditas filiorum, promiſſa ſubjectio inimicorum. Hæc omnia ad terrenam fœlicitatem pertinent. Sed quare ipſa primo promitti oportebat? Quia non primo quod ſpiritale eſt, ſed quod animale; poſtea, inquit, ſpiritale. —— Sed ne quiſquam putaret ab alio factum eſſe hominem terrenum, ab alio cœleſtem, ideo Deus, oſtendens ſe eſſe utriuſque creatorem, etiam utriuſque Teſtamenti ſe voluit eſſe auctorem; ut & terrena promitteret in Veteri Teſtamento, & cæleſtia in Novo Teſtamento. Eodem pertinent quæ in *Retractationibus*, ubi de iis quæ contra *Adimantum Manichæum* ſcripſit. Et ſane, qui hæc ad mentem revocaverit, facile intelliget, quæcunque adverſus Marcionitas & Manichæos, Veteris Teſtamenti alium Deum auctorem ferentes, ab Auguſtino, Tertulliano, aliis ſcripta ſunt, eodem pertinere debere. Rurſus, in *Pſalmum* CXVIII. *Conc.* XI. *S. Auguſtinus; Ecce quomodo voluit iſte Legem ſibi poni a Domino; non ſicut injuſtis, & non ſubditis, ad Vetus Teſtamentum pertinentibus, poſita eſt in tabulis lapideis; Sed ſicut ſanctis filiis liberæ; hoc eſt ſupernæ Jeruſalem, filiis promiſſionis, filiis hæreditatis æternæ, Sancto Spiritu, tanquam digito Dei in mente datur, & in cordibus ſcribitur: Non quam memoria teneant, & vita negligant, ſed quam ſciant intelligendo, faciant diligendo, in latitudine amoris, non in timoris anguſtiis. Nam qui timore pœnæ, non amore juſtitiæ opus Legis facit, profecto invitus facit. Quod autem invitus facit, ſi poſſet fieri, mallet non juberi. Ac per hoc Legis, quam mallet non eſſe, non eſt amicus, ſed potius inimicus; Nec mundatur opere, qui immundus eſt cogitatione & voluntate.* Idem, *de Bapt. contra Donat.* I. 15. *Eccleſia vero, quod eſt populus Dei, etiam in iſtius vitæ peregrinatione antiqua res eſt, in aliis hominibus habens animalem portionem, in aliis autem ſpiritalem. Ad animales pertinet Vetus Teſtamentum,*

Digitized by Google

ad Spirituales novum. Sed primis temporibus utrumque occultum fuit, ab Adam uſque ad Moyſen. A Moyſe autem manifeſtatum eſt vetus, & in eo ipſo occultabatur novum, quia occulte ſignificabatur. Poſtea vero quam in carne Dominus venit, revelatum eſt novum; Veteris autem Sacramenta ceſſarunt, ſed concupiſcentiæ tales non ceſſarunt: In illis enim ſunt, quos Apoſtolus, per Sacramentum novi Teſtamenti natos, adhuc tamen dicit animales non poſſe percipere quæ ſunt Spiritus Dei. Sicut enim in Sacramentis Vet. Teſtamenti vivebant quidam Spirituales, ad Novum ſcilicet Teſtamentum, quod tunc occultabatur, occulte pertinentes; Sic & nunc in Sacramento Novi Teſtamenti, quod jam revelatum eſt, plerique vivunt carnales. Idem *de Geſtis Palæſt. cap.* V. *Veteris Teſtamenti nomen modis duobus dici ſolet: Uno modo ſecundum divinarum Scripturarum auctoritatem, alio ſecundum loquendi vulgatiſſimam conſuetudinem.* —*Cum ergo vetus Teſtamentum ad ſervitutem pertineat; Unde etiam dictum eſt; Ejice ancillam & Filium ejus, non enim hæres erit Filius ancillæ cum Filio meo Iſaac; regnum autem Cælorum ad libertatem; quomodo etiam regnum Cælorum ad vetus pertinet Teſtamentum? Sed quoniam, ut dixi, etiam ſic ſolemus loqui, ut Scripturas omnes Legis & Prophetarum, quæ ante incarnationem Domini miniſtratæ auctoritate Canonica continentur, nomine Teſtamenti Veteris nuncupemus, quis Eccleſiaſticis literis vel mediocriter eruditus ignorat, ita Scripturis illis promitti potuiſſe regnum Cælorum, ſicut etiam illud Teſtamentum Novum, ad quod pertinet regnum Cælorum?* —*Tunc autem Daniel Propheta nondum erat, qui dixerat; Accipient ſancti regnum altiſſimi. His enim verbis præmium non Veteris ſed Novi Teſtamenti Prophetabat, ſicut ipſum Chriſtum venturum iidem Prophetæ prænunciarunt; Cujus ſanguine dedicatum eſt Teſtamentum Novum, cujus Teſtamenti miniſtri Apoſtoli facti ſunt, dicente beatiſſimo Paulo; Qui idoneos nos fecit miniſtros Novi Teſtamenti, non literæ ſed Spiritus, litera enim occidit, Spiritus autem vivificat.* De timore per literam occidente, Spiritu autem per charitatem vivificante, in Libro de Spiritu & litera ad Marcellinum multa S. Auguſtinus.

Digitized by Google

Pergit autem ubi ſupra; *In illo autem Teſtamento quod Vetus dicitur, & datum eſt in Monte Sina, non invenitur promitti apertiſſime niſi terrena fœlicitas. Unde illa terra quo eſt populus introductus, & per eremum ductus, terra promiſſionis vocatur; In qua pax, & regnum, & ab inimicis victoriarum reportatio, & abundantia Filiorum, & fructuum terrenorum, & ſiqua hujuſmodi, hæc ſunt promiſſa Veteris Teſtamenti; Quibus etſi figurantur ad Novum Teſtamentum pertinentia Spiritualia, tamen qui propter illa terrena ſuſcipit Legem Dei, ipſe eſt hæres Veteris Teſtamenti. Ea quippe ſecundum Vetus Teſtamentum promittuntur, quæ ſecundum Veterem hominem concupiſcuntur. Quæ autem illic ad Novum Teſtamentum pertinentia figurantur, novos homines quærunt.* *Primaſius* S. Auguſtini diſcipulus ad *Phil.* III. 6. ſic ſcribit; *Potuit enim* (S. Paulus) *eſſe intus in affectionibus pravis prævaricator Legis, & tamen conſpicua opera Legis implere, vel timore hominum, vel ipſius Dei, ſed pœnæ formidine, non dilectione vel delectatione juſtitiæ. Nam profecto, in ipſa intus voluntate peccat, qui non voluntate ſed timore non peccat.* Merito *timorem hominum* a Dei *timore* diſtinguit, etſi utrumque Legis eſſe opus agnoſcat. Nam qui Lege Moyſi terræ promiſſæ ſortem obtinere ſe ſciebat, trangreſſione Legis mortem incidens, Adami peccato debitam, ſorte ſua excidebat. Quatenus autem futuræ mortis, in communi hominum ſorte inerat ſignificatio, quæ ſpem nullam vitæ tranſgreſſori Legis relinquebat, Lex merito timorem ei incutiebat, cum ſpem veniæ nullam oſtendebat. *Claudii* cujuſdam eruditum in *Epiſtolam ad Galatas* commentarium Bibliotheca Patrum exhibet, quem merito Taurinenſem illum eſſe putant, qui ſub Ludovico Pio claruit, Is in III. 1. ſic ſcribit. *Qui autem vivebant in his operibus timebant utique, ne, ſi ea non feciſſent, lapidationem vel crucem, vel aliquid hujuſmodi paterentur. Ergo, qui fecerit, inquit, illa vivet in illis; id eſt, habebit præmium, ne in iſta morte puniatur. Non ergo apud Deum; cujus ex Fide, ſi quis in hac vita vixerit, cum hinc exceſſerit, hunc cum magis habebit præſentiſſimum præmium.* Idem

fere

Digitized by Google

fere dicit *Sedulius* ad *Rom.* IV. 2. & *Commentarius Ambroſianus* ad III. 21. quorum verba, ut & *Origenis*, & aliorum latius alibi referenda erunt. Cum igitur, juſtos ab initio ex Fide vixiſſe, propugnaculum ſit Fidei adverſus Judæos, cumque ſeculi hujus bona & mala pariter Fidelibus acciderint & impiis, ab initio ſeculi, merito habebat in ſe vita Fidelium, ab initio, ex Dei conſilio, figuram Chriſtianæ Pietatis, in hujus ſeculi peregrinatione colendæ. Lata autem Lege, quæ terræ promiſſæ fœlicitatem oſtentabat, colentibus juſtitiam ex ejus præceptis, ad unius veri Dei obſequium relatis, non eſt mirum ejus promiſsa beatitudinis Cœleſtis figuram obtinere, quæ timore pœnæ non amore juſtitiæ obſequium exigebat. Sed abunde mihi eſt, quod docet S. *Auguſtinus*, quoties diſtinguit *Vetus Teſtamentum* à *Veteris Teſtamenti Scripturis*; ita ut eos, qui ſub Lege & Prophetis, Legem tamen ſalutis, quæ eadem a lapſu primorum Parentum ad finem ſeculi, Evangelio demum promulgata eſt, in eorum ſcriptis intellectam ſecuti ſint, ad Novum Teſtamentum pertinere affirmet. E diverſo, *Fideles* profeſſione, operibus *Carnales*; qualem eſse, poſt ſuſceptam a ſeculi poteſtatibus Fidem, majorem partem Fidelium, indicare videtur; ad *Vetus Teſtamentum ſub Novo* pertinere. Quid enim aliud eſt, promulgatam Fidem bonorum hujus ſeculi intuitu ſequi, quam Deum verum, ad normam Legis Moſaicæ, promiſsæ terræ reſpectu coluiſse? Et quid moror teſtimonia ſingulorum Eccleſiæ Scriptorum; quibus referendis omnibus exhaurienda eſsent omnium ſcrinia? Eſt enim manifeſtum, myſticum Legis ac Prophetarum ſenſum ac Spiritualem, a literali & carnali auctoribus Apoſtolis diſtinctum, omnes omnino Eccleſiæ Scriptores ſecutos eſse, ſive in aſserenda, ſive enarranda Fide: Quid igitur mirum eſt, idem ipſis quod Juſtino M. accidiſse; Ut rationis ſuæ ductum, in vera ejus ratione eruenda ſecuti, aberrarent interdum à vero ejus rei modo, cujus rationem non exacte tenerent? Quam qui nunc etiam eruere ſtudent, haud ſcio,

cur inire ab Eccleſia Dei gratiam non debeant, ſi ad inſtaurandam ex veritate Fidei ejus unitatem pertineat; Quod eſt hujus diſputationis conſilium. Neque enim aliam inſiſti poſſe, aſſerendæ explicandæque ex Veteribus Scripturis Novæ Scripturæ viam, conſtàre debet ex Apoſtolorum Scripturis, ſolis poſt promulgatam Fidem editis; Præſertim cum omnium Eccleſiæ Scriptorum lucubrationes, idem enarrandi Veterum Scripturarum Myſtici ſenſus inſtitutum ſecuti, rejectis eis, quæ ad hanc rationem non congruunt, eandem rationem afferant. Igitur non portabo ligna in Sylvam, neque excerpam ex eorum ſcriptis locos, quorum vix aliquid reperietur diſſimile, quatenus quidem hoc conſilium ſpectant, aſſerendæ, enarrandæque ex veteribus Scripturis Fidei. Illud dicam, commendatiora multo eſſe debere ſtudioſis Theologiæ, veterum Eccleſiæ Scriptorum monimenta, quæ in myſtico Veteris Teſtamenti ſenſu enarrando occupantur, quam recentiorum, antiquæ hiſtoriæ linguarumque profeſſorum lucubrationes, quatenus ſolam veteris Scripturæ literam interpretantur. *Non quod non* multum faciat, ad ſenſum myſticum recte conſtituendum, literalis ſenſus ad hiſtoriæ veritatem enarratio; Sed quod parum interſit Chriſtianiſmi hiſtoriæ veritas, à myſtico ſenſu ſejuncta. Itaque non eſt mirum, ſtatim ſe Patres Eccleſiæ; ante conſtitutum ſcilicet ſenſum literalem; ad eum enarrandum contuliſſe; cum videamus, hodiernos literalis ſenſus interpretes, de cortice digladiandi finem non facere, ad medullam non accedere. Exemplo eſſe poſſunt Sſ. Cyrilli in Legem, Hieronymi in Prophetas lucubrationes; Quæ cum hiſtoriam non negligant, ita tamen Fidei veritatem, Legis & Prophetarum myſterio velatam, eruunt, ut æquis rerum arbitris, non temere ab inſtituta à Domino ac Apoſtolis ratione digredi videri debeant. Adhuc majus eſt, quod, hac recepta ratione, damnantur omnia enarrandæ myſtice veteris Scripturæ inſtituta, quæ Legem ejus non ſequantur. Nemo neget Philonem Judæum, & erudite & ingenioſe,

Digitized by Google

ingenioſe, Legis allegoriam enarraſſe. Judæos, Phariſæorum poſteros, quorum traditiones farrago Talmudica refert, in enarrationibus myſticis, quas *medraſhin* ipſi appellant, multa ponere, quæ ad firmandam Fidem pertineant. Et tamen Philonem, qui ante repudiatam à Judæis Fidem vixit, nemo temere tanquam Fidei hoſtem repudiat; Cum tamen Fidei hoſtes, ſi quid ponant, quod Fidei proſit, cæcitati imputandum ſit, qua merito percuſſos putamus, qui Dominum Chriſtum repudiaverint. Cæterum, qui vel hos vel illum aliter legat, quam ut utroſque, ad eam rationem exigat, quam, ſecutos Scripturam Apoſtolicam Eccleſiæ Scriptores, enarrare diximus, ſibi imputet, ſi Fidei vel obſit, vel non proſit. Neque enim dubium eſt, etiam hodierno die exiſtere, qui rationes enarrandæ myſtice veteris Scripturæ ſibi comminiſcantur, quas, recepta hæc ratio ab Eccleſiæ ſcriniis excluſura ſit.

Excludi ab hac diſputatione, qui negant Patres Fide ſalutem adeptos.

Illud hoc loco prætermittendum non eſt, huic rationi conſequens; ſalutem aſsecutos quidem ſub Lege, & ante Legem Patres, ſed Fidei Lege; Ac propterea, Fidei myſterium ſuo modo cognitum habuiſſe. Et præclare quidem S. *Auguſtinus*, plebi Dei populi ita perſpectum hoc myſterium fuiſſe, ut tamen *majoribus*; *Prophetis* ſcilicet, & eorum *diſcipulis*, tum populi *principibus*; multo clarius fuerit, & perſpectius; nec tamen palam aperiendum, ſed ita diſpenſandum, quomodo ad Chriſtianam pietatem, in eo populi Dei ſtatu, facere videri poſſet. Neque video quid ſit, cur hoc ſatis probatum hoc loco videri non debeat, ante conſtitutam Eccleſiæ auctoritatem. Quando & idoneæ ſunt rationes, expugnandæ eorum pervicaciæ omni, ſi qui ſint, qui ab eo, quod communis Fidei intereſſe conſtat, diſcedere velint. Itaque neque inter partes, quarum controverſiæ, quibus finibus terminandæ ſint agimus, controverſiam hanc verſari dici poteſt. Nam Socini Hæreſis, ſi hanc veritatem non agnoſcat, quod ego negare nolim, quid eſt cur repudianda, vel hujus cauſæ præjudicio, videri non debeat? Quid enim

enim eſt, cur Eccleſiæ repudianda non ſit, cum Judæis, hoc nomine, quod rationem aſſerendæ adverſus Judæos Fidei repudiat? Itaque non dubitabo, ratum eſſe adverſus hanc Hæreſim præjudicium, ante omnem Eccleſiæ auctoritatem conſtitutum; etſi non neſciam, de *ſatisfactione* Domini Chriſti mihi adverſus eam diſputandum, hoc ſuppoſito præjudicio, cui ipſa repugnat. Neque enim dubitandum puto, ratum iri inter partes, quicquid aſſerendæ adverſus Judæos Fidei ratio poſtulat. Quanquam neque magis dubitandum puto, non minus ſibi ipſi, quam communi Fidei Socini Hæreſim contradicere, compertum iri, ſi, eorum placita ad examen revocare, tanti eſſet. Nam qui *diſcrimen ſenſus myſtici a carnali*, in veteribus Scripturis, non ignorant, ij, ſi rationem ejus tenerent, quam hic palam facimus, neque de ſalute Patrum dubitarent, neque aliter eam ipſis, quam per Chriſtum Chriſtique Fidem contingere potuiſſe. Sed videant Sociniani, cur ad ejus Reformationis cenſum, cujus nos cauſam ventilamus, pertinere non debeant, qui rationem aſſerendæ adverſus Judæos Fidei, non minus palam repudiant, cum de ſalute Patrum vel dubitant, quam, ab Apoſtolis palam prodita, ab omnibus Eccleſiæ Scriptoribus palam agnita eſt. De ſalute Patrum, certum eſt, & Scholaſticam Theologiam, Veterum Eccleſiæ Patrum mentem tenere, neque eis ab inſtaurandæ Eccleſiæ auctoribus contradictum eſſe. Legantur ſaltem quæ *Gul. Eſtius* ſcribit in 3 *Sent.* XXV. 3, 4. Ubi S. *Bernardi & Hugonis de S. Victore* graves admodum ſententias adducit, *Magiſtro Sententiarum, S. Thomæ & Bonaventuræ* conſentientes; In quibus facile erit animadvertere, ſub Lege Naturæ ac Moyſi piis, propterea, rationem conſtitiſſe ſalutis, ab eis agnoſci, quod ex Fide promiſſorum Patribus factorum ſalutis ſpem foverent; Ita ut vim eorum ac mentem eam tenerent, quam Patres primum, poſtea veteris populi Majores, Deo indies revelante agnoſcerent. Hæc enim mens eſt *S. Auguſtini* loco ſupra dicto, *de Geſtis Palæſt. cap.* V. Ubi ſic ſequitur, poſt pauca;

Digitized by Google

pauca; *Hanc diſtinctionem, qui etiam illo tempore per Dei gratiam intelligentes, Filii promiſſionis effecti ſunt, Novi Teſtamenti hæredes in occulto Dei conſilio deputati ſunt, etiamſi Vetus Teſtamentum per temporis diſtributionem, divinitus datum, populo Veteri congruenter miniſtraverunt.* Sed & eadem eſt Servatoris ſententia, cum beatos ſic prædicat diſcipulos ſuos, *Matt.* XIII. 17. *Multi Prophetæ & juſti,* (*& Reges* Lucæ X. 24.) *Cupiverunt videre quæ vos videtis, nec viderunt, & audire quæ vos auditis, nec audiverunt.* Cum enim, cum Prophetis converſandi piis Regibus Veteris populi facultas fuerit, & ſcientiam Dei Spiritu perceptam hauriendi, merito novi Teſtamenti hæredes fuerunt, Veteri Teſtamento Veteri populo ita miniſtrando, quemadmodum Dei conſilio congruere, vel Prophetæ ipſi, vel à Prophetis docti ſciebant. Itaque ad omnium ſalutem ſatis erat, Dei promiſſa Patribus facta ita tenere, quemadmodum à Principibus populi Dei, Prophetis ac Sacerdotibus intelligerentur. Quid autem & quantum illi de rebus tenerent, quæ nunc in Legem Fœderis Evangelici ita veniunt, ut ab omnibus tenenda ſint, qui ſalutem Fide aſſequi velint, illud diſputationi Theologorum relinqui poteſt. Videtur enim ratio habenda ſententiæ Dominicæ, *Mat.* XI. 11. *Inter natos ex fœminis non ſurrexit maior Joanne Baptiſta; Veruntamen minimus in regno Cœlorum maior illo eſt.* Quid enim impedit, Fœderis Evangelici ſecretum, quæ Fidelibus ſalutis Lex eſt, diſtinctius, etiam minimis eorum expoſitam videri, quam olim Prophetis? Sed Sociniani; qui Chriſtum, Deum ab Incarnatione eſſe cœpiſſe, cum prius non fuiſſet, dogma eſſe Fidei volunt, cujus nomine ab Eccleſia diſcedendum ſibi ſit; merito Patribus ſalutem negant, quam per Chriſtum contingere neceſſe ſit, ſi per Fidem contingat. Cum enim Apoſtoli Judæos, ac eos qui Judaizare volebant, ſimul & Fideles eſſe, hoc nomine refellant, quod per Fidem, tametſi ſub Lege, ſalutem adipiſcebantur; quomodo ſcilicet ante Legem; neceſſe erat illis, qui per Chriſtum Salutem adeptos nega-

bant

bant, Fidei cauſam Judæis prodere, & ſalutem adeptos negare, ne per Fidem ſalvatos per Chriſtum ſalvatos negari non poſſet. Conſultiſſimum autem videtur, rationem totius rei a promiſſione Dei repetere, qua, lapſo ſtatim homini, in Paradiſo, ſignum ad bene ſperandum ſuſtulit, cum *caput Serpentis a Mulieris ſemine*, quam deceperat, *comminutum iri* edixit. Nam cum ſubinde *Filiorum Dei & hominum* diſcrimen celebratum apud Moſen ante diluvium legimus, nulla magis idonea diſcriminis ratio extat quam ut ad duos Adami Filios referatur; quorum alter ſub Deo teſte ac judice pietatem cum poſteris coluerit, alter exceſſiſſe ex Dei conſpectu intelligatur, propterea quod ad ejus arbitrium ſe cum poſteris non compoſuerit. Huc certe convenit, quod *μονογαμίας* legem integro homini latam primus Lamech, ductis duabus uxoribus violaverit. Eodem, quod Idololatriam in eadem familia natam, Veteres Ebræorum doctores intelligunt; ſecundum eam *Gen.* IV. *ult.* verſionem, quam apud Interpretem Chaldaicum leges, qui ſe immerito Jonatham proſcribit; quem ſequitur Solomonis Jarchii Commentarius. Epiphanius quidem, in Prologo magni Operis, a diluvio demum Idololatriam natam tradit; ſecundum ea quæ apud Suidam in Σερούχ leguntur, undecunque demum acceperit. Sed Epiphanius βαρβαρισμὸν cum invaluiſſe ſcribit ante diluvium, vitam eorum deſcribere videtur, qui a Deo diſceſſerant, ita ut ſibi quiſque, nemo in commune viveret. Sive ad Idola deſciverint hominum Filii, ſive tantum ex vi, non ex Lege vixerint, expeditum eſt, ex Fide vixiſſe Dei Filios; Cum Abel, Noe ac Enoch fidem prædicaſſe docet Apoſtolus. Conveniunt, ut dictum eſt, Patribus de hoc Scholaſtici. Quod ſi ponamus hoc initium Fidei & ſalutis per Fidem, ſuppar, ut ratio poſtulat, lapſui protoplaſtorum, non erit dubium, ad interpretandam prædicationem fidemque Enochi, Noæ, Abrahami, reliquorum ſive ante ſive poſt diluvium Patrum, eandem Chriſti Domini hypotheſim adhibendam, pariter-

que

que intelligendam eſſe; quamvis ſubinde & Lege fre-quentius proditam, & Novi Fœderis Scripturis manifeſtius expoſitam, qua de re nunc agendum eſt.

CAPUT. III.

Propoſitam analogiam, in ferendæ Legis Moſaicæ conſilio, apud Deum inito, fundatam eſſe.

TEnendum igitur eſt, & adverſus Judæos aſſerendum, ſatis ſuperque futura fuiſſe miracula, à Domino Jeſu ejuſque Apoſtolis edita, legationi eorum a Deo Patre aſſerendæ, ſi nulla Lex obtinuiſſet, in cujus locum ſubintroducendum Evangelium eſſet; obtinente autem Lege, ſatis ea ſuperque fuiſſe aſſerendæ ejus ſententiæ, quam, ſub velamine civilis ejus populi ſtatus, in myſterio propoſitam, expreſſa Evangelii prædicatione revelandam deſignaverat Deus. Hoc conſilium, ut Evangelii ultra Legem præſtantiam, omnibus Legem amplexis, ſupra modum commendat; Ita, ſine conſenſu Veteris Scripturæ, in eum ſenſum, quem hujus conſilii ratio requirit, ubicunque propoſita ratio locum habere debet, aſſeri non poterit. Itaque tenendum eſt, diſcrimen hoc *myſtici* ſenſus ac *Spiritualis* à *carnali* ac *literali*, Veteris Teſtamenti propriam eſſe; Ita tamen, ut ad Domini Chriſti prædicationem, quam quatuor continent Evangelia, extendendum hoc non eſſe caveatur. Nam cum tempus prædicationis dominicæ, partim quidem ad Novum Teſtamentum, quod tum publicabatur, partim ad Vetus, quod interim obſervabatur, pertineat; Satius erit, ejus rationem ſuo loco a Lectore expectari, ut interim liberum ſit, hoc loco univerſim pronunciare; Totam Veteris Teſtamenti Scripturam, in hanc duplicis ſenſus differentiam conſpirare debere. Cujus rei, quoniam, in aliis, atque aliis Veteris Scripturæ partibus, haud paulo diverſa eſt ratio, operæ pretium fuerit,

Unde Legis Teſtimonium, Fidei Evangelio faciendæ, neceſſariū.

diverſitatem hanc, in Lege, Prophetis, *Hagiographis*; ſic enim reliquam veterem Scripturam ab Hieronymo appellatam meminimus; tanquam ſummis ejus partibus, ſive enarrare, ſive a propoſita ratione deducere. Sic enim conſtabit ratio, ſive Chriſtianiſmi, adverſus Judæos, ex Vetere Scriptura tuendi, ſive myſtici ſenſus vel quærendi, vel recipiendi; in quo ſibi tantum indulget ingeniorum laſcivia; ſi de fundamento conſtet, quo hujus differentiæ ratio nititur. Nam cum infinita eſſe neceſſe ſit, quorum nulla ratio eſt, omnium rerum menſuram ac modum, ratione earum finiri, neceſſarium eſt.

Regnum Cœlorum, veteris Fœderis Lege, promiſſum non fuiſſe.

Quis igitur neget, idonea hujus apud Deum conſilii argumenta in Lege extare? Quis autem affirmet, vitæ futuræ promiſſum, Lege expreſſum eſſe? Quis, exiſtere Sadducæorum Sectam potuiſſe, ſi expreſſum fuiſset? Scilicet, Legis *Apoſtatæ* viſi fuiſsent, qui promiſsum negarent, quod alteram partem Fœderis, inter Deum & populum ſuum initi, contineret. Nam quod *Reſurrectionem* Dominus ex Lege probat, in Evangelio, ſignificari quidem, & innui Lege vitam futuram oſtendit, non ea Lege fœdus initum. Itaque & valuiſse eam Sectam, in ſummo Judæorum Synedrio, Apoſtolorum *Acta* docent IV.1,6.V.17. XXIII.6. reſurrectionis dominicæ temporibus; &, ut Sacerdos Magnus ſe ab ea alienum profiteatur, Phariſaicis *de Expiationis die* inſtitutis cavetur. Sic enim Maimonides Libro Octavo, Titulo de Officio Diei Propitiationis capite II. interpretatur, quod in *Miſnaioth* I.5. Sacramento adigitur Sacerdos M., ne quid immutet ex Ordine agendorum, quem mandato Senatus acceperit. Neque enim mirum eſt, potuiſſe Sacerdotem M. in ſuſpicionem venire Legis Oralis negatæ, cum, a morte ſtatim Domini Sadducæorum Sectam etiam apud Sacerdotes invaluiſſe, *Actorum* Apoſtolicorum Hiſtoria oſtendat locis ſuper adductis. Recenſeantur Legis promiſſa, ab Exodo propoſita, in terræ promiſſæ ingreſſu firmata *Exod.* XVI. 27,28. XIX.5,6. XXIII.25. *Deut.* XXVI.16. XXVII.

XXVIII.

Digitized by Google

XXVIII. XXIX. & XXX. initio, *Levit.* XXV. toto; Mentiar, ſi, ultra terræ promiſſæ bona, quicquam ibi expreſſum reperias. Tum, diſerte Apoſtolus, ad *Heb.* VII. 19. *Neque enim quicquam perfecit Lex; Sed melioris ſpei introductio, per quam Deo appropinquamus.* Itaque Evangelio, non Lege, declaratum eſt vitæ æternæ promiſſum, *meliorem ſpem* præbens quam Lex. *Item.* VIII. 6. *Nunc autem præſtantius ei* (Melchiſedeco) *miniſterium contigit, quanto melioris fœderis mediator factus eſt; melioribus, ſcilicet, promiſſis ſanciti.* Et IX. 15. *Itaque & Novi Fœderis mediator, ut intercedente, redimendis quæ ſub priori peccata fuerant, morte, promiſſum æternæ hæreditatis accipiant qui vocantur. Præſtantius miniſterium,* intelligit Melchiſedeci Sacerdotium; *non ex carnalis præcepti Lege, ſed ex potentia vitæ inſolubilis* VII. 16. *Carnale* autem *præceptum*, quid eſſe velit, ipſe docet. IX. 9—14. *dona ſcilicet & ſacrificia quæ Lege vigente offerebantur, nec colentem quoad conſcientiam perficere poſſunt; cibis tantum potibuſque impoſita, variiſque baptiſmis, carniſque juſtificationibus, ad tempus uſque correctionis; Quo veniens Chriſtus, tanquam futurorum bonorum Sacerdos Magnus, æternam redemptionem invenit.* Itaque recte S. Paulus 2 ad *Tim.* I. 9, 10. *Gratiam datam nobis ante mundi ſecula apparente Domino noſtro Jeſu Chriſto, nunc manifeſtam factam* prædicat; *qui mortem abolevit, vitæ autem lucem & immortalitatis per Evangelium prætulit.* Proinde S. *Hieronymus Epiſt.* CXXIX. *Mihi in Evangelio promittuntur regna Cælorum, quæ Vetus inſtrumentum omnino non nominat*; Quod de Lege primo loco obtinet. Tum S. Joannes Chryſoſtomus, Homill. de Lazaro, aliiſque multis in locis, Fidelibus ſtimulos admovet, ab exemplis Patrum, qui, ſub Lege, Reſurgendi promiſſum nullum haberent. *Aug.* autem *de Geſtis Pal. cap.* V. objectis Pelagio capitulis hoc accenſet; *Regnum Cælorum etiam in Vet. Teſt. promiſſum.* Quod cum Concilium non improbaſset, diſtinguens vetus Teſtamentum S. à *Auguſt.* Veteri Teſtamenti Scripturis; *In illo vero Teſtamento quod vetus dicitur, non invenitur,* inquit, *apertiſſime promiſſa, niſi*

terrena fœlicitas. Infinitum eſſet Patrum ſententias recitare, de Veteri Teſtamento, hoc eſt, de Lege, idem affirmantes. Satis erit apud *Orig.*, *Præfatione Librorum de Principiis*, myſticum Legis ſenſum in eorum cenſum venire.

Præcepta tamen Spiritualia Legem habuiſſe.

Quæ cum vera ſint, non poteſt tamen negari, quod locis ſupra dictis S. *Auguſtino* obſervatum, obſervante idem adverſario Juliano probatur; Legem, quæ carnalia ſolum promiſſa habeat, præcepta tamen Spiritualia habere. Quis enim Spirituale eſſe præceptum neget, *Dei ſuper omnia, proximi juxta ſeipſum amandi*; *a quo totam Legem & Prophetas pendere* affirmat Dominus, *Matt.* XXII. 36? Unde, plura memorari hoc loco neceſse non eſt, reliquis ad unum hoc, vel duo hæc referendis. Atqui, non reſpondet merces carnalis præcepto ſpirituali; Quod unum ſatis oſtendit, duplicem omnino eſse, moralium Legis præceptorum, ſive ſententiam, ſive obſervationem. Eſt enim nimis manifeſtum, poſse officia ſuo genere bona, ſive non boni finis intuitu fieri, ſive ejus, qui futuram vitam non reſpiciat. Atqui, non eſt Spiritualis Legis præceptum, niſi quod Deum reſpicit. Itaque, quamvis, quoad materiam ſubjectam moralia præcepta, ſive perpetui juris, ſive naturalis, Officio tamen carnalia erunt, ſi nihil aliud quam hujus vitæ Officia edant. Præceptum autem *amandi proximi juxta ſeipſum*, civilis inter Judæos vitæ officia reſpicere, manifeſtum faciunt præcepta Legis, quæ eadem officia Judæis, adverſus Ammonitas, Moabitas, Idumæos, Ægyptios interdicunt *Deut.* XXIII. 3, 6, 8. Nam Amalekitas etiam *odio habere* jubentur, eoque *æterno*; uſque ad *delendam* Gentis *memoriam Deut.* XXV. 17, 18, 19. Atque hujus præcepti ratione, omnino recte cenſere videntur, qui negandum Mardochæo putant, ex Lege, honorem quem haberi Hamani Amalekitæ Rex juſſerat *Eſt.* III. 2, 3. vetante ei Deo haberi honorem, Judæorum hoſti nato. Non videtur quidem dubium, hæc interdicta Idololatriæ periculum reſpexiſſe, ab eis Gentibus populo Dei affricandæ, quæ, præter fines conterminos, & uſus quotidiani cauſas, cognationem

cognationem etiam Sanguinis cum eis haberent. Itaque, quatenus hæc cautio locum habebat, ſolus docebat charitatis erga Deum reſpectus charitati erga homines antehabitus; Qui ſiquando ceſsaret, locum ſuum, communis, erga genus humanum, præſertim ſanguine junctos, charitatis vinculum recipiebat. Sed videmus hinc factum, ut Judæi, reliquum genus humanum ita odio habeant, ut odium ſuum Deo imputent, tanquam ipſi præſtitum. Itaque Dominus in Evangelio *Lucæ* X. 19. alium Legis ſenſum Judæo oſtendit, *quem ſibi proximum Lex* diceret, quærenti; Parabola Samaritæ, qui, vulneratum à latronibus Judæum, à Levita & Sacerdote neglectum curaverat. Quo facto, Spiritualem Legis ſenſum ita à carnali diſtinguit, ut manifeſtum ſit, eandem rationem ad reliqua, ſive perpetui juris, ſive naturalis, præcepta produci. Quoniam autem, Spirituali Legis obſervatione, vitam æternam Patribus, tam ante Legem quam ſub Lege, contigiſse, ex dictis, obſcurum non eſt; carnali, terræ promiſſæ mercedem reſpondere, manifeſtum eſſe debet, ex formula Legis. Non eſt hoc loco prætereundum, cum, ſuſcepta Lege, factus ſit Dei populus ſui ipſius, & bonorum terræ promiſsæ Dominus; tum, vicinarum Gentium, quantumvis origine ſanguinis junctarum, ab unius tamen colendi veri Dei Lege alienarum hoſtis; Si Legem Moſis Evangelicæ Diſciplinæ figuram eſse volumus, neceſsario, populi Dei hoſtes, inviſibilium populi Fidelis hoſtium figuram gerere. Itaque, cum, ſine fine modoque, indictum ſit populo Chriſtiano bellum cum poteſtatibus illis quas dicimus, præcipiendum etiam fuiſse veteri populo vicinarum Gentium odium; Quod præclare S. *Auguſtino* obſervatum legimus. Quod tamen neceſse non fuit, Judæis ſine fine modoque præceptum intelligi; Qui, idonea quæ diximus argumenta habebant, perpetuæ Dei Legis, qua ipſis ſpes vitæ æternæ conſtabat, Lege Moſis antiquioris. Neque enim dubium eſse poteſt, antiquiorem ejus ducendam rationem fuiſse, quam, ſubintroductæ per Moſem Legis. Itaque manifeſtum

Digitized by Google

nifeſtum eſt, hac ratione ſtare Domini argumentum, quod exponit ſauciati à Latronibus parabola, quam diximus. Quid enim ei opportunius fuit, quem, perpetuam ſalutis Legem, qua vitæ æternæ ſpem Patribus ante Legem conſtitiſſe dictum eſt, inſtauraturum, & ab interpretationibus Scribarum & Phariſæorum vindicaturum, finibuſque prædicationi ſuæ congruis conſtituturum veniſſe, probavimus; quam Judaiſmi errorem, præcipui Legis præcepti interpretatione traducere, cui communis humanitas Teſtimonium perhiberet? Itaque, ab hoc ſtatim initio, ſpectandum eſt, quantum ſibi polliceri de methodo hac & via poſſunt, quam ad Theologiam, id eſt, ad Scripturarum ſcientiam ſternimus, ſacrarum literarum ſtudioſis; qui difficillimæ & intricatiſſimæ diſputationis; quatenus Legem ſub Evangelio obtinere debere cenſendum ſit; definiendæ rationem, hoc loco, id eſt ſuo ſibi proprio, conſtitutam vident. Sane, neque minus poſtulant communis Fidei rationes, quam ut, ex Judaiſmi a Chriſtianiſmo diſcrimine orta diſputatio, ut ſolvatur, nihil aliud quam ejus diſcriminis rationem requirat. Igitur, cum, ex eis rationibus, quibus ſe Fides tuetur adverſus Judæos, manifeſtum ſit, duplicem Legis Moſaicæ ſenſum, duplicis Legis inſtar & vim habuiſſe, quarum altera terræ promiſſæ, altera vitæ æternæ ſpem contineret; illam ita ante Legem obtinuiſſe, ut ſub Lege non ceſſaret; quis neget, hanc totam diſputationem, in hanc duplicis Legis diſtinctionem, ita ſolvi, ut vacare id totum, quod a Moſe ſubintroductum eſt, valere autem, quicquid ante Moſem introductum, prædicatione Evangelica inſtaurandum fuit, & reformandum, dicendum ſit? Illud enim cavendum, cum divini conſilii, de lapſu generis humani inſtaurando ratio, multo clarius prædicatione Domini & Apoſtolorum promulganda fuerit, quam vel ante legem, vel ſub lege, vel ipſis Patribus cognita fuit; non eſſe hoc loco expectandum, ut eoſdem Officiorum fines, prædicatione Evangelica conſtitutos eſſe definiamus, quos, Spiritualem legem agnoſcentibus,

agnoſcentibus, vel ſub lege velante legem, cognitos & receptos fuiſſe,ex Scripturis conſtare poſſit. Quid enim prohibet,eadem obtinente ſalutis ratione,ſuos fuiſſe Officiorum fines, pro divinæ revelationis diſcrimine ?

Legis *apud S. Paulum, æquivocatio.*

Cæterum, hæc illa eſt obſcuritatis ratio, quam Epiſtolæ ad Romanos,Origenis expoſitio, propter indiſtinctam legis æquivocationem attribuit. *Vide* Origenem in III. 19. in IV. 14. in VII. 18. Spectentur Apoſtoli verba VIII. 2,3. *Lex enim Spiritus vitæ, per Chriſtum Jeſum, liberavit me a Lege peccati & mortis. In quo enim minus valebat Lex, propter carnem, Deus, miſſo Filio in ſimilitudine carnis peccatricis, & pro peccato, damnavit peccatum in carne, ut juſtificatio Legis in nobis impleretur, non ſecundum carnem, ſed ſecundum Spiritum ambulantibus.* Fatendum eſt hoc loco, *Legis* ſignificationem, concupiſcentiæ carnis (quam VII. 21, 23. *Legem* appellat *volenti ſibi bonum oppoſitam, in malum* ; & *Legem in membris, in Legem mentis militantem, & captivantem ſe Legi peccati in membris ſuis*) attributam hoc loco, per abuſionem intelligendam, quæ vinculum quidem in ſe habeat, ſed nullo jure. Neque enim ex Dei inſtituto, unde legis vis,valet concupiſcentia, ſed ex juſtitiæ ratione, lapſum primorum parentum punientis. Cæterum, cum *Legem Spiritus vitæ* prædicationem Evangelicam dici manifeſtum ſit, quæ ſola promiſſum Spiritus Sancti habeat ; *Legem propter carnem invalidam,* in carne Domini Chriſti damnatam, *carnalem Legem* intelligendam conſtat, unde ſalus ſperanda non ſit ; *Legem* autem, cujus *juſtificatio, ab eis qui non ſecundum Spiritum ſed ſecundum carnem ambulant, implenda ſit,* Spiritualem, ſive eandem ſive diverſam. His autem diſtinctis, non eſt quod obſcuritas ea, de qua queritur Origenes, manere cenſenda ſit. Nam cum *Gentes* Apoſtolus,*Quæ legem non habent, ſibi eſſe Legem ait,* II. 14.*quæ Legis ſunt facientes,opuſque Legis cordibus ſuis inſcriptum oſtendentes* ; manifeſtum eſt, etſi nos legis Naturæ appellationem ſine diſcrimine uſurpamus, S. tamen Paulum abſtinere à nomine legis naturæ luci & dictamini tribuendo,

cum

cum Legem non habere pronunciat,qui ſibi ſint loco legis, & reliqua his conſequenter. Nimirum quod legis uſurpatio, ex ſolenniori nominis impoſitione, in Lege Moyſi reſideat, neque ad legem naturæ, vel legem peccati, niſi per ſignificationis converſionem, quam tropum appellant,producatur. Legem autem Moyſi, & carnalem ab omnibus obſervari, & Spiritualem a fidelibus, ſive ſub lege, ſive ante vel poſt legem intelligi, jamdudum contendimus. Itaque Scripturæ ſunt, ac Dei Verbum, Moſaicæ legis inſtituta,non minus quam Evangelica;Ceſſante tamen vinculo legis, niſi,quatenus in Evangelica coaleſcunt, eandem cum illis legem faciant, quam olim, pro eo tempore ſignificabant, quo vim adeptura erant. Manere autem legem Dei, abolitis Moſaicæ legis inſtitutis, manifeſtum eſt ; quatenus eadem, ſperandæ per Chriſtum aſſequendæque ſalutis, ante legem, quæ ſub lege ratio, prædicatione Domini & Apoſtolorum inſtauranda, & definienda fuit. Neque obſtat quod,quæ fuerint Officia, quibus ſpes ſalutis ante legem & ſub lege conſtabat, adhuc, his conſtitutis, definiendum reſtat. Satis eſt enim huic loco, generalem conſtitutam eſſe duplicis legis definitionem. Cum enim, ſenſus Scripturæ definiendi conſtituendique ratio generaliter expedita fuerit, non erit obſcura ratio, expediendi ejus quod in diſputationem venire poteſt, utrum ad perpetuam ſalutis Legem, an ad diſpenſationem Moſaicam pertineat.

De Lege Lev. V. 1—5.

Sed non eſt hinc digrediendum, omiſſo duplicis Legis argumento, quod legis præceptum *Levit.* V. 1—5. poſitum præbet ; etſi ejus ratio, ad multa præterea Legis præcepta pertineat. Manifeſtum eſt, ibi loci, idem ſacrificium violato, ſive juramento, ſive voto, quod immunditiei legali expiandæ, lege conſtitutum. Cujus rei quis rationem reddat, ſi duplicem legis vim ac mentem diſtinguere negligat ? Quis enim, reum eſſe violatæ Dei Legis debere dicat eum, qui mortui cadaver, vel animal lege immundum, vel carnis humanæ ex lege immunditiem tangat, ſi voluntatem Dei

excipias,

Digitized by Google

excipias, qua ſocietati populi Iſraelitici, & bonis terræ promiſſæ adipiſcendis, ac retinendis, hæc Lex conſtituta eſt? Parem itaque legem juramentis ac Votis, uſque ad effectum externi operis Lege carnali præceptum, implendis, eiſdem promiſſis dictum quis neget; Quibus,ex Dei proximique charitate obſervandis, ſpem vitæ æternæ conſtare ratio doceat? Eadem eſt omnino omnium præceptorum ratio, quibus immunditiæ Legalis expiatio conſtituta eſt; Ad quam, ſi ea conferas,quorum, ex Dei proximique charitate obſervandorum, communi humanitati connata eſt ratio, non poteſt non neceſſarium videri, aliam eſſe poſſe eorum obſervationem,quæ hujus ſeculi mercedem reſpiciat. Atque hæc argumenta fuerunt, legem ex Dei obſequio ſervantibus, vitæ æternæ ejus obſervatione ſperandæ, qua nullum ejus promiſſum expreſſum eſt. Sane, ipſi etiamnum Judæi fatentur, de *precibus Deo* allegandis, deque *Benedictionibus*, quas quotidie ex lege frequentant, *Majorum* potius ſuorum, ac *Scribarum Traditione*, quam expreſſo legis præcepto conſtitutum; *Maimonides*, initio *Tituli de Oratione & Sacerdotum Benedictione*. Fatentur quidem, juſtam ipſis earum conſtituendarum cauſam fuiſſe legis ſententias, quæ *Deut.* VI. 13. VIII. 10. X. 20. leguntur. Sed cum, auctoritatem Majorum eis definiendis neceſſariam fuiſſe, agnoſcunt,non poſſunt expreſſo legis carnalis præcepto mandata videri, quorum præcipua eſt ad legem Spiritualem neceſſitas. Hinc etiam expedita eſt ratio, cur ſpem vitæ futuræ eis reliquam fuiſſe cenſendum ſit, qui ſub lege capite damnati, Sacrificium nullum Lege præſcriptum habebant, quo expiati capital patuerit. Cum enim terra promiſſa Paradiſi inſtar fuerit, cujus jus Lege reſtituendum non erat,omnino conſequens eſt, nullam peccati Lege capitalis expiationem lege conſtitui. Cum autem non auferret Lex vitæ ſpem, cujus ante legem ratio ex Fide conſtabat, omnino conſequens eſt, eis qui capite plectebantur ex lege, ſpem tamen ſalutis, pœnitentia ex Fide concepta, conſtare potuiſſe.

Duo tantum præceptorum Genera, Legi Moſaicæ propria.

Cum igitur poſitum ſit, Veteris populi ſtatum, Lege Moyſi conſtitutum, populi Chriſtiani, & Eccleſiæ Chriſti, ex Dei conſilio, rudimentum & imaginem fuiſſe; Animadvertendum eſt, duobus capitibus diſtincta eſſe præcepta, in quibus hujus imaginis ratio conſiſtat; quorum alterum, rituum divini cultus, alterum, civilis ejus populi vitæ præcepta continet. Nam tertium genus præceptorum *moralium*; ſive ea *naturalis*, ſive perpetui juris appellare placet; certum eſſe debet inter Chriſtianos, quibus certa eſſe oportet quæ præmiſimus, non eſſe Legis Moſaicæ propria. Cum enim certum ſit, eandem ſalutem, quæ, ſive ſub lege, licet non vi legis, ſive ante legem Patribus, eorumque morigeris diſcipulis contingebat, eadem ratione ſub lege contigiſſe; tum eam, non niſi legis naturalis, propter Deum ſervandis præceptis, potuiſſe contingere; manifeſtum eſt, hæc præcepta, ex lege naturæ, quæ ante Legem Moyſi ſub Patribus valuerat, in legem Moyſi tranſumptitia eſse & tralatitia. *Legem* hic *Naturæ*, cum veteribus Eccleſiæ Scriptoribus, ſtatum eum appello, ſub quo, ante latam Moyſi legem, ſalutem pii homines aſsequebantur. Non quod *viribus naturæ*, aut Legis naturæ cognitione eam aſsequerentur; Nam id quidem, ſuo loco diſputandum jam ſepoſuimus; Sed quod præceptis lege Moyſi poſtea *poſitis* liber eſset, nec ad Dei obſequium, earum obſervationum jugo, Lege Moyſis introductarum exerceretur, quæ, ſi obſequium demas, per ſe ipſæ nihil ad ſalutem facerent. Diſtincto duplici præceptorum genere, legis Moyſi propriorum, quis non per ſe ipſe diſcrimen agnoſcat, tam in his quam in illis ad Evangelium referendis? Eſt enim omnibus Chriſtianis in conſpicuo, ritus cultus divini figuras fuiſse ejus obſequii, quo Patrem Meſſias, uſque ad mortem crucis, proſecuturus olim eſset: Tum ejus, quo populus Chriſtianus, à Chriſto edoctus, ac impulſus, exemplum ejus ſecuturus. Atqui, civilis vitæ inſtituta ejus populi propria, quantum ad ejus continendam ſocietatem, tantum ad exercendam erga Deum pietatem;

propter

propter quam ea ſocietas verum Deum, ingratiis reliquarum Gentium Idololatriam colentium, cultura erat, valebant. Itaque quoties, præcipientis Dei intuitu, ad ejus gloriam obſervatio ejuſmodi referebatur, Dei cultum, ac pietatis Chriſtianæ Officia continebant. Quod ſi ſolam populi pacem ſpectaret, ac eam fœlicitatem terræ promiſsæ, quæ omnibus, patriæ ſuæ ſalute conſtat; non eſt eam mirum, in hoc ſeculo mercedem habuiſse. Et tamen, qui Abrahami poſteritate gloriabantur, ii, ſi ſibi conſequentia, vel facerent vel dicerent, ſpem vitæ æternæ, ſub lege à Deo propoſitam, nuda legis obſervatione ſibi pollicebantur. Nam etiam moralium præceptorum obſervatio, niſi antiquiorem obſequendi Deo rationem ſequeretur, niſi celſiorem, ſæculari ſua ac populi ſui pace, finem ſpectaret, nullam ſalutis æternæ ſpem afferebat.

Unde Judæorum ſuperſtitio.

Cum autem omnium, ſive civilis vitæ, ſive cultus divini rituum commune ſit, ut emergant ſubinde quæſtiones, quæ, niſi auctoritate à Legiſlatore conſtituta finiantur, ac terminentur, ipſæ Leges inutiles futuræ ſint; Lege conſtituta eſt auctoritas, de omnibus hujuſmodi, ſub ultimo ſupplicio ſtatuendi; hoc enim ſibi vult Lex *Deut.* XVII. 8—12. Et tamen, qui vel Legis præceptis, vel earum ſic editis determinationibus obſervandis, colere ſe Deum poſtulabant, iis, *inanem ſui cultum ex humanorum præceptorum* obſervatione, Dominus in Evangelio, ex *Eſaiæ* Prophetia objicit *Mat.* XV. 8. *Marci* VII. 6. *Eſ.* XXIX. 13. Ac, ſi verum amamus, hæc illa eſt, Ἐθελοθρησκεία, ἐθελοπερισσοθρησκεία, ἐθελοδικαιοσύνη, quam Judaiſmo, ſive Dominus ejuſque Apoſtoli, ſive Eccleſiaſtici Scriptores imputant. Neque aliud continet univerſum δευτερώσεων Judaicarum, ac eiſdem inædificatorum decretorum ac Traditionum corpus, quam harum ſuperſtitionum ſarcinam, ſecundum quidem traditionem *Phariſæorum*; Nam eorum traditio qui Karraim ſe, ſive *Scripturarios* appellant; quod ore traditam Legem illam non agnoſcant, in quam reliquam Gentem ſubegerunt, qui ſe

רבניים; id eſt *Magiſtrarios* appellant; eandem quidem ſuperſtitionem, etſi à ſuorum Majorum vel ratione, vel auctoritate derivat; quod edita à viris doctis ejus ſpecimina oſtendunt. Tenendum igitur eſt univerſim, ſenſum eſſe Legis Moſaicæ *carnalem* & literarium, qui civilem hanc & carnalem Legis obſervationem pariat; *myſticum* autem, qui ſpiritualem. Nam ſi qua præcepta Moſaicis interſperſa occurrunt, quæ per *ſymbolicam analogiam*, mores Chriſtianos Evangelio declaratos ſignificent; (quorum exemplum eſto, *oris bovi trituranti obligandi* interdictum, à S. *Paulo*, ad aſtruendum miniſterii Evangelici honorem allegatum, 1 ad *Cor*. IX. 9. *Deut*. XXV. 4.) ea neque ad propoſitam analogiam enarrari quicquam vetat, neque tamen propterea, inſtitutum Legis, eandem rationem in omnibus Legis præceptis obtinere, quicquam poſtulat.

CAPUT. IV.

Quatenus, in eis quæ ante Legem, quæque ſub Lege, Scripturis conſignata ſunt, propoſita Analogia locum habere cenſenda ſit. De ſenſu Myſtico plura.

Quæ ante Legem, quatenus Myſtica.

SED hæc Legis propria ſunt: Populus autem, qui ſub Lege, Legis ſecundum ſpiritualem ſenſum obſervatione ſalutem aſſequebatur,idem eandem ſpem ante Legem ſecutus eſt. Ab ingreſſo in mundum, defectione protoplaſtorum, peccato, non eſt dubium,de eodem remedio generi humano proſpectum,quo, & ſub Lege fideles, & ſub Chriſto, ſalvos fieri, communis fides credi poſtulat. Nam & ante ingreſſum peccatum, idem Dei conſilio deſignatum oſtendit Apoſtolus. Agnoſcente enim *Adamo* uxorem ſibi à Deo nuptam, his verbis; *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea*; Item, *propterea deſeret homo patrem & matrem, ut uxori adhæreat*: *Eruntque in carnem unam*;

unam; *Gen.* II. 23, 24. *Myſterium hoc magnum eſt*, inquit S. *Paulus* verba hæc tractans; *Eph.* V. 31. *dico autem de Chriſto & Eccleſia.* Ubi, myſterium Chriſti & Eccleſiæ conjugio primorum parentum prædictum oſtendit. Quin, etiamſi non ſolum in dubium vocari poſſit, utrum tota ἑξαήμερος δημιουργία, in figuram reparati per Chriſtum generis humani accipienda ſit, verum etiam obſcurum ſit, quomodo pertexi poſſit, hiſtoriæ a Moyſe deſcriptæ, juxta præſcriptos huic analogiæ terminos enarratio; Tamen, ut hoc fieri poſſe non dubito, ſi quis extra limites, propoſitæ comparationi, ab origine ejus & ratione, fixos, evagari nolit; Ita, neque, ſenſum hujuſmodi collatione redditum, ad verum ſacræ Scripturæ intellectum ac mentem pertinere. *Eſaias* enim Propheta, populi ſui a captivitate; id eſt, generis humani à peccati labe inſtaurationem, *Cælorum novorum ac terræ novæ creatione* deſcribit *Eſ.* LI. 16. LXV. 17. Et eum ſecutus, ut videtur, S. *Paulus* ad *Eph.* II. 10. Αὐτοῦ γάρ ἐσμεν ποίημα, inquit, κτισθέντες ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ ἐπὶ ἀγαθοῖς ἔργοις. *Ipſius enim opificium ſumus, ab eo per Jeſum Chriſtum creati ad bona opera.* Et Eccleſiæ inſtaurationem S. *Joannes Apoc.* XXI. 1. *Cælum novum ac terram novam* appellat. Tum S. *Paulus*, cum illud *Pſalm.* XIX. 3. *in univerſum orbem exivit vox eorum, & ad ultimas uſque terras verba eorum*; de Apoſtolis intelligit *Rom.* X. 18; Eccleſiam in *Cælis* intelligit, reliquum genus humanum *terrarum* nomine intelligendum relinquit. Itaque cum apud *Davidem* ſequitur; *In eis Soli tabernaculum poſuit*; Dominum Chriſtum in Eccleſia, Solis locum in Cœlis obtinere intelligendum erit. Nam, indicatum in Novo Teſtamento ſenſum alicujus particulæ veteris Scripturæ, non eſſe eodem filo in reliquo ejuſdem loci textu pertexendum putare, nihil aliud mihi videtur, quam Scripturas Chriſtianorum ludibrio Judæorum exponere. Et hæc quidem, prout mihi vera videntur, ita poſui. Cæterum, ſi cui hoc coactum videatur, de eo quod ad aſſerendum Chriſtianiſmum neceſſarium non eſt, non puto

mihi

Digitized by Google

mihi laborandum. Recte enim ſibi conſtabit ratio, ſecundum quam, Veteris Teſtamenti *hiſtoria*, *myſterio* quod Evangelio declaratur, reſpondet; etiamſi eam ad mundi creationem, tanquam Eccleſiæ Chriſti reſpondentem, extendendam non putemus.

Hexaemeri Myſtico ſenſu enarrandi ratio.

Videtur autem iniri poſſe Hexaemeri ad myſticum ſenſum enarrandi ratio, ſi duas S. *Auguſtini Civitates* adhibeamus; quas ille, permixtas eſſe inter ſe ab initio ad finem ſeculi, cum ſcribit, rationem quam nos ſequimur, duplicis Veteris Scripturæ ſenſus exponit. Ita autem adhibeamus, ut in inferiori mundo ſiſtamus; cœleſtem autem, ſoli cœleſti Civitati, in terris peregrinanti ſignificandæ reſervemus. Nam cum *Cælos* diſcipulos eſſe Domini, ab initio quidem ſeculi, conſtitutum ſit, *Stellas* Apoſtolos eſſe oportet, & ſanctorum præcipuos, *Lunam* Eccleſiam ex bonis ac malis conflatam, *Solem* Chriſtum hominem; Ac perinde, quæ in Cœlis omnia figuram gerere Eccleſiæ, qualis in Cœlis futura eſt. Itaque, quicquid ad ſublunarem regionem pertinet, ad ſignificandam hujus ſeculi Eccleſiam pertinebit; cum ſeculo quidem conflictantem. Nam, ut habent in ſe Dei opera, quod & gratiæ divinæ, & malitiæ humanæ ſignificandæ aptum ſit; perinde adhibendæ erunt proprietates ſenſibus ſubditæ, in quibus hæc ſita eſt aptitudo, non ſolum ad Hexaemeri *Moſaicæ* enarrationem, ſed & ad univerſam Scripturam, quoties ad Eccleſiæ caſus ſignificandos transferuntur creaturæ proprietates. *Firmamentum* imprimis aptiſſime Fidei reſpondet, *aquas ſuperiores*, quæ gratiam Dei ſignificant, ab *inferioribus*, quæ doctrinas vel humanas vel perverſas, diſtinguens. Itaque etſi *mare* huic ſeculo ſignificando aptiſſimum ſit, in quo ludunt *cete* illa *ingentia*, ſeculi hujus Principi reſpondentia; Tamen, poſtquam ſeculi Principes nomen Chriſto dederunt, quid prohibet animalia, quæ natura de venandis minoribus victum quærunt, doctrinæ fluminibus perceptis, quæ Cœleſtem originem habuit, ad peccatum ſolum abolendum vires ſuas adhibere intelligi,

telligi, ut virtute magnos ſignificent? Itaque expedita erit & *fluminum*, & *piſcium* ſignificatio. Perinde autem & *pluviæ*, & *roris*, & *gelu*, *niviſque & grandinis* & ſimilium. Nam & ad plagas divinitus incutiendas miniſterium præſtant, & ad fovendam vitam hominis. Ac proinde & beneficia Cœleſtia, quibus ad obſequium Deo præſtandum vocamur; & caſtigationes pœnaſque ſignificant, quibus ut a peccando arcemur, ita expetitur pœna de ſceleribus, & ultio divina exercetur. Quid *lucem* dicam & *tenebras*, quid *noctem diemque?* In quibus manifeſta eſt, ut ignorantiæ ac ſcientiæ, ita lætitiæ juſtitiæque ſignificatio. Tum *fulgura fulminaque* ac *turbines*, etſi gratiis cœleſtibus ſignificandis non videantur idonea, tamen & *Elias* igneo curru ſublatus eſt, & *Moyſi* Judæi baſio a Deo ereptam animam ſcribunt, cum fulmen intelligunt; Quo minus mirum ſit, beneficiorum Dei ſignificationem creaturis ineſſe, quæ de cœleſtibus veniunt. Itaque *ignem* & amoris Cœleſtis, & ſecularis perſecutionis, utrumque Scripturis genuinum eſſe. *Frigus* autem, & quæ a frigore oriuntur, cum non minus ad fovendum calorem corporibus cœlitus inditum faciat, quam ad vitam extinguendam, neceſſario eandem habet ſignificandi diverſitatem. Eadem in *fontibus* eſt, inque terra naſcentibus. Nam cum ſint πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μεμίγμένα, πολλὰ δὲ λυγρά, neceſſariam habent, tum ad Dei gratiam tum ad hominis peccatum, relationem. De *montibus*, deque *campis* eadem eſt ratio; Nam & virtutibus excelſi ſemper fuerunt, ut ſemper Fideles, & ſuperbia, ab eis diverſi: Tum, ut humilitate quidam, ita alii terreſtrium amore æquabiles. *Volucres Cœli*, non eſt novum, ut in *Abrahami* ſacrificio, ſic in orationibus Fidelium, dæmonia intelligi a quibus diripiuntur; Quid autem proclivius, quam animas Cœleſtium contemplationi addictas eis ſignificari? *Jumenta & belluas pecudeſque* alia ad ſignificandas curas, quibus aluntur fideles Dei verbo, alia ad hujus vitæ neceſſaria ſuppeditanda pertinere, *Gregorius* Romanus in *Jobi* initium non male conjeciſſe videtur. Et certe

facile

Digitized by Google

facile eſſet hunc locum eis interpretationibus amplificare, quas exhibent Patrum Commentaria, quæ ad hanc rationem congruentia paſſim leguntur. Mihi ſatis ſit, Hexaemeri enarrationem, ſic generaliter indicaſſe, ut ſicubi opus ſit, quæ ad Eccleſiam, & Eccleſiæ hoſtes pertinere docet Scripturæ textus, oratio autem, figuris mutuo ſumptis a mundi creaturis enunciat, ad rationem in Scripturis fundatam enarrari poſſe.

De Paradiſi hiſtoria, reliquiſque ante Legem.

Illud manifeſtum eſt, inter *Paradiſum* & Chriſti Eccleſiam, neceſſariam eſſe, & intelligi debere analogiam. Exactum enim Paradiſo *Adamum*, & romphææ verſatilis terrore arboris vitæ fructu prohibitum, per Eccleſiam Paradiſo reſtitui certum eſt; non minus, quam veteri etiam populo conſtabat, fœlicitatis Cœleſtis ſtatum *Paradiſi* vocabulo ſignificari. Nam interea loci, dum interim peregrinamur, apud omnes, qui in ſtatu gratiæ jus ad ſtatum gloriæ agnoſcunt, Eccleſiam Paradiſum eſſe oportet, quæ ſuos Paradiſo Cœleſti reſtituat. Itaque cum *tranſlatum Enochum* legimus, propterea *quod Deo placuiſſet*, dum in vivis eſſet, occurrit ſtatim, Paradiſo reſtitutum, quo primi Parentes exciderant. *Noe* autem *juſtitiæ præco*, cum Arcæ cum ſuis incluſus, diluvium aquarum evaſit, quod orbem terrarum inundavit, exponitur ab Apoſtolo 1 *Pet.* III, 21. in figuram eorum, qui per aquas baptiſmi, in Eccleſiæ communione, morti ſecundæ eripiuntur. Certe in duorum *Adami* filiorum poſteris, *filiorum Dei atque hominum* nominibus, ab initio ſtatim a *Moyſe* diſcretis, dedicatur Eccleſiæ, ab impugnante eam reliqui generis humani colluvione diſcrepantia. Ab *Abrahami* vocatione, illuſtrius extat profeſſionis Chriſtianæ exemplar, in ejus ac poſterorum ejus peregrinatione. Nam & Eccleſiam in terris ſignificabat terra in qua peregrinabantur, & promiſſio ejus in hæreditatem, Eccleſiam in Cœlis. Jam ſervitus Ægyptiaca, & redemptus inde per *Moyſem* populus, quid opus eſt dicere, quam apte redemptioni per Chriſtum reſpondeat; cum *baptizatos in Moyſem* S. *Paulus* Iſraelitas

Iſraelitas propterea fuiſſe dicat, quod Legem ipſi veterem; ut Chriſtiani Novam, per baptiſmum, ſuſceperint? Peregrinatio autem deſerti, hujus ſeculi curſum, quo ad Cœleſtem Patriam anhelamus, ita repræſentat,ut *David* tamen, poſt adeptam terræ promiſſæ requiem, *peregrinum ſe inſtar patrum ſuorum* affirmet; *Pſalmo* XXXIX. 13. ut conſtet, ad aliam *requiem*, quæ *populum Dei maneret*, terræ promiſſæ hæreditatem, ſecundum Apoſtolum, ad *Hebræos* IV. 9. referri. Itaque & in Lege; id eſt,in inſtituto vivendi, quæ via erat veteris populi; & in toto peregrinandi itinere,figura eſt vitæ Chriſtianæ.

Prophetarum Officium, non niſi ſtante veteri populo obtinere debebat; Nam & ante Chriſti adventum deſitum eſt. Verum, Domini Chriſti & ejus diſcipulorum prædictionem, ac figuram continebat. Quod cum non minus de Regio Domini noſtri munere, deque Sacerdotali, ex Lege ac ſub Lege dicendum; ſeorſim tamen de Prophetico dici meretur, a quo, reliqua veteris Teſtamenti Scriptura profecta eſt. Mihi quidem, non prorſus inepte, hodierni Judæi Prophetas *priores* a *poſterioribus* videntur ita diſtinguere, ut Scripturæ,ad ejus populi hiſtoriam pertinentes, priorum Prophetarum nomine comprehendant. Non quæro quam recte,ab eodem nomine, Paralipomena,*Eſdram* & *Nehemiam*, cum *Eſtheræ* libro rejiciant. Illud dico, qui non ſolum a Prophetis, ſed de Prophetis plurimum; id eſt, de dictis factiſque eorum; ſcripti ſunt, Prophetarum libros non immerito appellari. Neque hoc inſtituto Chriſtianiſmi diſconvenit, ut in unam, cum ſequentium Prophetarum ſcriptis oraculis,ſeriem, populi veteris res redigantur.Nam, poſita ſemel Lege, & in Regio, Sacerdotali, ac Prophetico munere, poſito ejus populi ſtatu; non poterat, vel populus antiquus populi Chriſtiani, vel Lex Evangelii rudimentum & adumbrationem continere, niſi ut univerſi ejus populi tum Reges, tum Sacerdotes ac Prophetæ,primo loco Chriſti Domini, deinde, propter profeſſam Chriſtianiſmo imitationem

Prophetarum ſenſus duplex.

onem Chriſti, Chriſtianorum & Eccleſiæ Chriſtianæ typus ſint ac figura. Quare,ſive rerum geſtarum narrationes,ſive gerendarum vaticinia, ſive ipſum Dei populum ſpectent, ſive vicinas Gentes, ipſius, Dei nomine, adverſarios; univerſam hujus Scripturæ ſeriem Evangelii figuram eſſe, & eorum quæ populo Chriſtiano vel agenda ſunt, vel experiunda, omnibus Novæ Scripturæ adverſus Judæos tuendæ ſtudioſis aſſerendum eſt. At hoc conceſſo,de Legalis ſenſus ac literarii a myſtico ac ſpirituali, in toto hoc genere Scripturæ diſcrimine, dubitari nequit. Quin, ſi ad hoc tuendum neceſſarium fuerit aſſerere,Cyrum ipſum,Gentium Idololatriæ deditarum, ſed tamen populi etiam Dei Principem, idque Dei nutu, quique *omnium Gentium Dominum Domino Deo Cæleſti* acceptum refert *Ezræ* I. 2. (quo nomine, verum Iſraelis Deum intelligi neceſſe eſt) ſi hunc,inquam, in typum Chriſti accipiendum eſſe aſſerendum ſit, ut ſibi conſtet hujus diſcriminis ratio; non dubitem hoc ita faciendum eſſe, ut, qui ad Idolorum cultum perſecuti ſint Dei populum, Gentium principes, ipſorum Domini, ii figuram gerant poteſtatum populo Dei adverſantium. Quod cum neceſſario conſequens ſit ejus rationis,unde oritur hæc differentia; non eſt dubitandum,quæ de *Nabuchodonoſoro* apud *Eſaiam*, de Tyri principe apud *Ezechielem* ita dicuntur, ut ad lapſum Angelorum apoſtatarum pertinere debeant, ſi ad reliquarum Prophetiarum rationem, harum etiam pertexenda ſit enarratio; recte a Patribus Eccleſiæ in hunc ſenſum expoſita eſſe. Ego quidem fateor, S. *Hieronymum*, in Prophetis exponendis, propterea à me magni fieri, quod idem interpretandi filum per totum ejus operis corpus ſecutus fuerit; quo tamen, neque S. *Chryſoſtomus*, inter Græcos, neque inter Latinos S. *Auguſtinus* videtur perveniſſe. Nam profeſſi hoſtes Dei populi, & Gentium eum perſequentium Principes, cum poteſtatum nobis adverſantium imaginem gerant; recte & conſequenter, *apoſtatæ* a Dei cultu,Hieroſolymis inſtituto,decem *tribus*,& qui ſimulatione pietatis

Digitized by Google

pietatis occultum ad Idola defectionem velabant, inter Judæos, hæreticorum & Schiſmaticorum, Eccleſiæ rebellium figuram habebunt; Cujus rei obſervatio interpretationis Hieronymianæ Canon eſt ac linea.

Scio me olim, tuendæ hujus differentiæ cauſæ, *Eſaiæ* luculentiſſimum de Chriſti cruce oraculum, capite ejus Prophetiarum LIII. poſitum, de *Jeremia*, ſenſu primum obvio, & interpretandum eſſe putaſſe, &, viros doctos hac in re ſecutum, interpretatum eſſe. Neque etiamnum mihi videor, eo facto, vel fidem læſiſſe, vel ejus aſſerendæ fundamenta ſubruiſſe. Nam neque ad debilitandam aſſerendi Chriſtianiſmi rationem facit, neceſſarium hoc ſenſuum Veteris Scripturæ diſcrimen videri, etiam ubi neceſſarium non eſt; Neque, ſi *Jeremias* populum Dei ſua morte non redemerit; quod Chriſtum feciſſe, hujus oraculi auctoritate ut aſſeratur, Chriſtianiſmi intereſt; (Hoc enim nemo negat) idcirco hoc Chriſtus non fecerit, ſi in utroque impleta ſit eadem Prophetia. Nam ſi mortis *Jeremiæ* fructus fructui mortis Chriſti ſubordinatus intelligatur; quid prohibet utrumque, etſi inæſtimabilis efficaciæ diſcrimine conceſſo, uno eodemque oraculo intelligi? Sed tamen, quoniam cauſæ Chriſtianæ adverſus Judaiſmum intereſt, quam pauciſſima ad hujus differentiæ aſſertionem requiri, etſi plura ſint quæ ipſi conſiſtere poſſint; Propterea, non reticebo hoc loco rationem, ab *Origene*, ut opinor, in *Philocalia* mihi ſuggeſtam, propter quam, nonnullæ Prophetiarum partes ab hac univerſalitate excipiendæ ſint. Sic enim *Origenes*, Philocaliæ capite I. Ἀλλ᾽ ἐπεὶ εἰσί τινες γραφαὶ τὸ σωματικὸν οὐδαμῶς ἔχουσαι, ὡς ἐν τοῖς ἑξῆς δείξομεν· ἔστιν ὅπου οἱονεὶ τὴν ψυχὴν καὶ τὸ πνεῦμα τῆς γραφῆς μόνα δεῖ ζητεῖν. *Sed quoniam Scripturæ quædam ſunt quæ nihil habent corporeum, ut deinceps oſtendemus; In aliquibus ſola velut anima & Spiritus quærendus eſt.* Quod eleganter *Origenes* in Scriptura Spiritum ab anima & carne diſtinguit, prout in homine Apoſtolus 1 ad *Theſſal.* V. 23. id mihi neque aſſerere neceſſe eſt, nec refellere. Quod

De Capite LIII. Eſaiæ.

Digitized by Google

hammediſmi fœcunditate, nulli momenti ſit) qui aliter impletum non concedant. Equidem haud invitus facio, ut, quæ Judæis, poſt reditum a captivitate, magna & glorioſa promiſſa ſint, cœpiſſe quidem impleri fatear ſub *Maccabæis*, liberoque, ex poſtliminio, ejus populi ſtatu. Et tamen, ſi, quæ *de Proſelytis aggregandis*, deque *Idolis deſtruendis* ibi prædicuntur, ſub Evangelio impleta non fuiſſent, non ſolum nihili facienda, ſed ne vera quidem fuiſſent. Itaque hactenus conſtat ſibi ratio, Chriſtianiſmi, ex veteribus Scripturis, adverſus Judaiſmum aſſerendi.

Prophetis *Pſalmi* accenſeri poſſunt. Eſt enim in eis, ſub perſona *Davidis*, vel ſubinde *Salomonis*, vel Gentis Iſraeliticæ, perpetua Chriſti Domini, & eorum quæ in carne vel geſſit, vel paſſus eſt; tum, ſive Eccleſiæ univerſæ, ſive animæ cujuſvis Chriſtianæ, & Spiritualis ejus erga Deum ſtatus, perpetua adumbratio; Neque hoc Donatiſta *Tychonio*; cui, quantumvis Eccleſiæ adverſario, hanc regulam debere voluit S. *Auguſtinus*; ſed affirmata hactenus ratione auctore. Nam ſi qui ſint prorſus didactici, eos nominatim excipi opus non fuerit; Cum Prophetarum munus & doctrinam, etſi ad Legem ſtabiliendam & obſervandam pertineret; cujus propter Deum obſervatio vitam futuram, tum temporis, poſt ſe trahebat, ut dictum eſt; præcipuo tamen Dei conſilio, Spirituale erga Deum obſequium, quod erat in Lege πάρεργον, & ex Naturæ Lege tralatitium, explicabat, & inculcabat. Illud in *Pſalmis* obtinet, quod de Prophetis excepimus; *Non* eſſe mirum ſi reperiantur, qui nec de *Davide*, nec omnino de veteri populo intelligi poſſunt. Exemplo eſſe ſolet *Pſ.* XVI. 8, 9, 10, 11. qui, de adverſis quæ paſſus eſt *David* intelligi non poſſe putatur, propterea quod SS. *Petrus* & *Paulus* Act. II. 25—32. XIII. 35, 36, 37. *Davidem* Hieroſolymis & mortuum & ſepultum, propterea aſtruunt, ut hanc Scripturam in Chriſti reſurrectione impletam contendant. Quibus ego tamen cedere non poſſum; adeo manifeſte ejuſdem *Pſalmi* ſuperiora ad *Davidem* pertinent. Neque enim

De Pſalmorũ *Libro.*

enim oſtendi poteſt, in textu *Pſalmi* extantibus notis, ubi, quomodo, qui de *Davide* inſtitutus fuerat ſermo, ad Chriſtum delapſus intelligi debeat. Atqui veriſſimum eſt, *Davidem*; quem *ab inferis ereptum* intelligere debemus, cum de tot periculis evaſit; non tamen mortem peccati pœnam evaſiſſe, ſed ei manere obnoxium, Domino Chriſto reſurgente, & vim mortis antiquante; de quo propterea, præcipuo in loco, dicta hæc intelligenda ſint. De *Pſalmo* CX. idem dicere nolim. Neque enim laborandum puto in eo, ut de alio quam Chriſto dictus intelligatur; quem de Chriſto dictum Judæi ipſi, ut ex Epiſtola ad *Hebræos* manifeſtum eſt V. 10, 11. VI. 20. VII. 1—25. pro rato habebant. De XXII. *Pſalmo* ſentiat quiſque quod lubet, utrum ad ſolum Chriſtum pertineat, an de *Davide* etiam exponendus ſit. Stantibus enim quæ dicta ſunt, ad ſummam cauſæ quam agimus, quid ſtatuas, parum aut nihil intererit.

De Jobi *&* Salomonis *Scripturis.*

Eccleſiaſtis & *Jobi* libros unius ejuſdemque ordinis facio; quod ad hoc quidem quod agimus pertinet. Eſt enim ſatis manifeſtum, cum, nullum eſſe diſcrimen bonorum ac malorum, in eis quæ bonis & malis in hoc ſeculo accidunt, ſtudioſe adeo oſtendit *Eccleſiaſtes*, conſilium ejus eſſe, non poſſe eorum rationem reddi, ex eis quæ hujus ſeculi propria ſunt. Sic enim innuere voluit, & futurum ſeculum expectandum, & cuique eam ejus partem obventuram, quæ geſtis hujus vitæ reſpondeat, ſub Deo, cui omnia nota ſunt, Judice. Atqui *Jobi* liber, quantum quidem ejus continent cum tribus amicis diſputationes, niſi hoc ſibi velit, quid tandem ſibi velit, ego me fatebor prorſus ignorare. Nam reprehenſus *Job*, ſive ab *Elihu*, ſpontaneo arbitro, ſive à Deo Judice, tanquam ſtudio contentionis elatus ad ſuam cauſam univerſim adverſus Deum aſserendam; quod non niſi eatenus fieri debuerat, ut eorum quæ bonis & malis in hoc ſeculo accidunt rationem, ex eorum rebus geſtis reddi nullam poſse conſtaret; recte prorſus atque ordine, futuri ſeculi judicium expectandum eſse innuit. Atqui futurum ſe-

culum

Digitized by Google

culum hujus ſeculi moderatione innui, & per myſterium ſignificari fundamentum eſt differentiæ,Spiritualis in Veteri Scriptura ſenſus a literali; quem in hujus vitæ ſtatu occupari dictum eſt. Neque quicquam præterea reſtat, ad hanc ſtatuendam differentiam neceſsarium, niſi ut intelligatur, Deum,aſsequendi futuri ſeculi Legem, Domini Chriſti miniſterio, diſerte proponendam reſervaſse. Itaque, qui hujus ſeculi δημιεργίαν figuram inſtaurandi per Chriſtum generis humani continere ſtatuerim, non debeo negare, quæ ad *Jobum* conſternandum, & ſubjiciendum Deo, vel *Elihu*, vel *Deo* ipſo loquente, ab ejus creaturis, earumque viribus & magnitudine adducuntur, poſse de regno peccati, deque ejus rectoribus poteſtatibus tenebrarum intelligi, ut à vetuſtis Eccleſiæ Scriptoribus intellecta ſunt; Niſi potius ab ipſis, ad intelligenda ea aſpiratum eſse, dicendum ſit. *Proverbiorum* liber duplicis Scripturæ ſenſus characterem, per diverſas, non, ut reliqua, per eaſdem ſententias ſpargit. Sunt enim ejus præcepta quædam civilis vitæ propria, alia autem, quorum obſervatio ad Dei ſolius judicium ſpectat. Nam etiam hujus vitæ officia, utrum a Dei voluntate tanquam carceribus,ad Dei gloriam tanquam metam proficiſcantur, ad eam rationem pertinet, geſtorum hujus ſeculi, quam Deo debemus. Scio multas eſse *Proverbiorum Solomonis* ſententias, per *allegoriam*, *Symbolicamque* ſignificationem elatas; cujuſmodi ſunt de *Patris matriſque obſervanda inſtitutione*, de cavendis *mulieris peregrinæ* tentationibus, deque *ſtrenuæ mulieris* laudibus, quæ in fine poſita ſunt. Hæc atque hujuſmodi inſtar ſunt eorum Legis præceptorum, quæ per *allegoriam* ſibi *peculiarem*; nempe, in ipſarum vocum ſignificatione poſitam; elata diximus. Interpretanda ſunt tamen ad ſenſum & mentem *generalis* ejus *allegoriæ*, ſecundum quam Vetus Teſtamentum Novo reſpondet; Secundum quam ſcilicet, vita veteris populi in hoc ſeculo exterior, & ſenſibus ſubdita, vitæ populi Chriſtiani, ſecundum interiorem hominem Deo ſoli notum,reſpondet. Hoc enim poſtu-

lat,

lat, tranſitus à Lege ad Evangelium, à Deo inſtituta ab initio, quam diximus,ratio. De *Cantico Solomonis* non eſt quod aliquid dicam,propter ea quæ dicta ſunt. Niſi ad *myſterium*, quod *magnum* vocat S. *Paulus*, *Chriſti & Eccleſiæ* referatur, non eſt quod Chriſtianis Deo dignum, & ejus Spiritu, videri debeat.Cæterum non eſt opus propterea fateri,eis,quibus hoc myſterium ante adventum Chriſti explicitum non fuit, nihil ſignificaſſe,nullum ſenſum temporibus veteris populi congruum tuliſſe. Non omnino infœliciter Judæi ejus ænigmata, de veteris ſtatu populi interpretari videntur. Quod cum ad ſtabiliendum eum ſenſum pertineat, quem eis tribuere debet Chriſtianiſmus; generali nimirum ejus analogiæ ratione, qua Vetus Teſtamentum novo reſpondet; nimis moroſi ſimus,ſi ſenſum ejus ſecundum Legem,qui nos in ſtatuendo ejus ſenſu ſecundum Evangelium juvet, recuſandum potius quam adjuvandum putemus.

Futurum ſeculum, quatenus à Prophetis promiſſum.

Non eſt hic omittenda obſervatio, non ſolum vera, ſed ad totam Scripturam Propheticam pertinens; quia, ad affirmanda quæ dicta ſunt, plurimum facit. Nimirum,Reſurrectio carnis, ad futuri ſeculi Fidem neceſſaria, quod nemo negat, Lege non promiſſa, Propheticis Scripturis adumbrari potius cœpta eſt,quam ſanciri; Tum, Spiritualis Legis obſervatio, pro eadem ratione, iiſdem Scripturis clarius ſemper clariuſque & commendari cœpta,& inculcari. *Eſaiæ* XXVI. 19. ſic legimus; *Vivent mortui tui, reſurgent cadavera mea, expergiſcimini & jubilate qui pulverem incolitis*; *Ros enim tuus ros eſt herbarum, & ejiciet terra Gigantes.* Poſita hæc in *Cantico*, quo Propheta exultare vult Dei populum,poſtquam ad pulverem terræ deductus ab *Aſſyrio*, ut opinor, divinitus ſibi redditus eſſet. Atqui, quid eſt corporis mortalis ad immortalitatem reformatio? Quid aliud,quod *Ezekieli* capite XXXIII. reſtitutum iri populum ſuum pollicetur Deus, viſo *ſiccorum oſſium*,quibus cum carne & ſanguine,vitam redditam oſtendit? merito certe *Reſurrectionis Prophetam Ezekielem* prædicat S. *Hilarius*, etſi, ad inſtaurationem captivi populi

Digitized by Google

populi pertinere ejus Prophetiam, primo loco, manifeſtum eſt. Neque alia ratio eſt *Dan.* XII. 1, 2. quamvis ejus diſputandæ ſententiæ alium locum ſervemus. Cum enim præmiſiſſet; *Evadet hoc tempore populus tuus, quiſquis ſcriptus fuerit in libro vitæ*; (Quod tempus, perſecutionem eſſe Antiochi Epiphanis, palam eſt) ſubdit ſtatim; *Et multi eorum, qui in pulvere terræ dormiunt, expergiſcentur, hi ad vitam illam, illi ad ignominiam æternam, & opprobrium. Splendebunt autem Doctores firmamenti ſplendore, & qui multos juſtificant ſtellarum inſtar, in ſeculum & ſeculum.* Quorum quæ ratio reddi poteſt, ſuperioribus nullo medio medio contextorum, niſi primo loco, ad memorias eorum pertineant, qui Deo & Lege Fidem præſtiterant, vel ſecus, eorumque vel *gloriam* vel *ignominiam*; Quamvis ad Reſurrectionis Fidem, gradibus ſuis declarandam, pertineant? Diſputationem habent S. *Jobi* verba XIX. 25. *Scio Redemptorem meum vivere, & in terra demum ſtaturum, & poſt foratam hanc pellem meam, Deum me ex carne viſurum.* Sane, quem dixiſſe legimus capite XLII. 5. *auditu auris de te acceperam, nunc autem videt te oculus meus*; quidni is dicat, tanquam Propheta, ſcilicet; *Scio redemptorem meum vivere,* & quæ ſequuntur;. ut intelligatur, ſibi, ſtatu priſtino inſtaurato, præſenti præſentis Dei colloquium polliceri. Quæ tamen à Propheta *Jobo*, etſi inter Gentes, quæ, nondum recepta Idololatria adhuc Gentes non erant, dicta, quid prohibet Reſurrectionem prædicere, quam à Chriſto, omnium Prophetarum ſcopo, expectamus Fideles? Specta nunc Prophetarum loca, quibus providentiam Dei in dubium vocari fatentur, eo quod bonis male, malis bene ſit, in hoc ſeculo? *Pſalmo* LXXII. 2—20. *Jer.* XII. 1, 2. *Malac.* III. 13—18. Sive perſonam vulgi in ſe aſſumunt Prophetæ, cum turbari ſe hac difficultate ferunt; ſive κατ' οἰκονομίαν, ita loquuntur, quomodo maxime probare ſe populo poſse putabant; certum eſt, neminem eſse Fidelem, cui in promptu non ſit ejus ſolutio, ex Fide futuri ſeculi. Quo magis probanda eſt ratio, propter quam, *Joanne ma-*

jorem dici *minimum in regno Cœlorum*, jam dictum eſt. Tum, eandem οἰκονομίαν ſequi S. *Jobi* & *Eccleſiaſtæ Salomonis* diſputationes. Eadem ratione, quod *juſtum per Fidem victurum* Propheta pollicetur *Habak*. II. 3—14 non ſolum ad æternam vitam pertinere aſſerendum eſt, ſed & ad inſtaurationem Dei populi, perditis eorum hoſtibus Chaldæis. Sic *Pſalmus* XVI. 11. *Notam mihi facies viam vitæ, ſatias deliciarum in conſpectu tuo, & ad dextram tuam volupiæ in ſeculum*; Nonne eandem veritatem habebit, quam illa *Hezekiæ Eſ*. XXXVII. 10, 21. Primo enim, negat ſe *Deum ultra viſurum in terra viventium*; Sed accepto per Prophetam oraculo, quærit; *quodnam eſt ſignum, quod aſcendam in domum Domini*? Itaque hoc erat *videre Deum in terra viventium*, hæ illæ *in Dei conſpectu deliciæ*. Sic enim etiam *Pſalmo* XVII. 15; *Ego autem videbo faciem tuam in juſtitia, ſatiabor, cum expergiſcor, imagine tua*; Eſt enim hæc Dei ſive *forma*, ſive *ſpecies*, ſive *imago*, quam intuebantur, qui Dei gloriam arcæ fœderis inſidentem adorabant. *Expergiſcuntur* autem, qui ex rebus adverſis evadunt. Quanquam quis neget, hæc ad Deum in Cœlis viſum pertinere? Quid enim in *Pſalmorum* libro clarius? CXXVI. 5, 6. *qui ſeminant cum lacrymis, cum gaudio metent. Qui nunc plorans vadit, & bonum fert ſemen, ſine dubio redibit gaudens, & manipulos inferet*; ſive à captivitate, de qua in initio *Pſalmi*, ſive ab hac vita.

Spiritualis Dei cultus, quatenus præceptus.

Sed quis neget, eandem rationem ſequi Prophetarum Scripturas, in declarandis *cultus* Dei *in Spiritu & veritate* Officiis? Poſita erat Lex Fœderis *Moſaici*, primo loco, in unius agnitione & cultu Dei; quem cultum, ſtante Lege, in omnibus ejus obſervandis propter Deum præceptis cerni, dictum eſt. Nemo neſcit, quam proni ferebantur ad Idololatriam, ante captivitatem *Babylonicam*, qui hanc Legem ſuſceperant; Quod à captivitate nunquam accidiſſe, indubium auctorem habemus *Juditta* VIII. 18. *neque enim ſurrexit temporibus noſtris, neque extat hodierno die tribus, familia, vel populus, civitaſve noſtri generis, qui manufactos Deos colant,*

ſicut

Digitized by Google

ſicut priſtinis temporibus factum eſt. Nimirum hoc debuerunt Prophetarum *Eſaiæ*, *Jeremiæ*, *Ezekielis*, aliorum concionibus, quibus Idololatriæ ſtupor depingitur; hoc oculis ſuis, quibus earum veritatem uſurpabant; hoc adverſis patriæ ſuæ rebus, ut ad bonam mentem exules redirent, cui patriæ compotes nuncium mittebant. Sed cum Idololatriæ contemptu ſuccrevit ſuperbia Spiritualis, quæ Patrum Deo charorum poſteris, nuda præceptorum, quoad opus externum, obſervatione, vitam æternam, ſatis clare Lege & Prophetis ſignificatam, deſpondebat. Hoc eſt, quod in Scribis & Phariſæis reprehendit Dominus, vitam ſibi æternam, obſervandis Traditionibus Patrum, quibus definiebatur præceptorum obſervatio, pollicentibus; Nimirum ſolvendis ſcrupuloſe decimis *Matt.* XXIII. 23. *Lucæ* XI. 42. XVIII. 12. manibus vaſiſque ex inſtituto lavandis, *Marci* VII. 4, 8. *Matt.* XXIII. 25, 26. *Lucæ* XI.39. Sabbato præciſe ſervando *Matt.* XII. 1, 12. *Marci* II. 23, 28. *Lucæ* VII. 1, 9. XIII. 10, 16. XIV. 1, 5. *Joan.* V. 8, 9, 10. Phylacteriis fimbriiſque proferendis *Matt.* XXIII. 5. aliis quæ paſſim in Evangeliis occurrunt. Non eſt putandum, tantum invaluiſſe hunc morbum Domini Chriſti tempore, niſi ut initia ejus ac veſtigia ſub Prophetis extiterint; reprehendente Domino Scribas & Phariſæos, hac de cauſa, teſtimonio Prophetæ *Eſaiæ* XXIX. 13. *Matt.* XV. 9. *Marci* VII. 7. Quin, magnam partem muneris Prophetici, in revocandis eis, à Fiducia gratiæ Divinæ, ex ſacrificiis & externis Legis operibus, concipienda, ad Officia Dei in Spiritu & veritate colendi, non minus quam ab Idolis colendis, poſitam fuiſſe, res ipſa docet. Hoc docent, de ſacrificiis, de Feſtis, de jejuniis *David Pſalmo* XL. 7, 12. L. 8, 13. *Samuel*, 1 *Sam.* XV. 22. *Eſaias* I. 11, 20. LVIII. 3, 10. *Jeremias* VII. 21, 22, 23. *Hoſeas* XIV. 2. *Michæas* VI. 6, 7, 8. *Zacharias* VII. 3, 10. VIII. 16, 19. Atqui fieri hoc non potuit, niſi ut ſubſtituerent eorum Officiorum commendationem, quorum eſt humanitati connata bonitas; Quod pleriſque harum concionum expreſſum

 reperiet,

Digitized by Google

reperiet, qui rem tantam ad curam ſuam revocabit. Neque enim ſingula perſequi integrum eſt, quibus hunc locum inculcant Scripturæ Propheticæ. *Jobi* certe liber, quem ad hunc cenſum revocari poſſe dictum eſt, ſi diſputationem cum amicis ſpectemus, à capite II. aduſque finitum XXVII. cum reprehenſum à Deo Prophetam in fine Libri oſtendat, gravius autem reprehenſos amicos; quibus expiandis Prophetam Deus elegit XLII. 7, 8, 9. non eſt quod eorum argumentis Deum inſcribamus auctorem, niſi quatenus, eorum probatam fuiſſe ſententiam, conſtare poſſit. Et tamen recte S. *Chryſoſtomus*, aliique Eccleſiæ ſcriptores, quem eis ſe probaſſe Deo conſtat, quæ primoribus duobus capitibus referuntur, eum Chriſtianiſmi ſe exemplum cap. XXXI. deſcribere putant, cujus Fidem, ſapientiæ laude, cap. XXVII. commendet. Neque enim aliud ſapientiæ laudibus agere *Proverbia Salomonis*, argumento eſt veterum Eccleſiæ Scriptorum conſenſus, ad Dominum Chriſtum, Chriſtique Fidem pertinere, quæ de ſapientiæ laudibus Cap. I. VII. VIII. IX. poſita leguntur. Itaque non eſt mirum, ejus libri præcepta, multa quidem civilem prudentiam, ſenſu primum obvio inſtruere, ad ſpiritualis obſequii officia, ea quam diximus ratione transferenda: Alia ſtatim, & nullo medio, in eis præcipiendis officiis occupari. Idem ſpectare *Salomonis Eccleſiaſtem*, finis ipſe libri argumento eſt; *Finem totius rei audiamus; time Deum, & mandata ejus ſerva; Hoc enim totum eſt hominis. Quia omne opus in judicium adducit Deus, ſimul cum ſecretis omnibus, ſive bonis ſive malis.* En pietatis Chriſtianæ & ſummam & rationem, eo libro expreſſam, qui ſeculi inanitatem videtur aduſque mortis ſtatum producere, ut, ex ſeculi officiis aliud ſperari non poſſe, oſtendat. Sed omnium copioſiſſime hoc agit Pſalterium, in quo rara extant legalis vitæ argumenta, præut crebra ſunt & frequentia ſpiritualium Officiorum præcepta. Si ſolus extaret *Pſalmus* CXIX. ſolus Dei Legem commendaret, & ejus intellectum, ejus obſervandæ vires à Deo eis precibus peteret,

Digitized by Google

ret,quas paſſim legimus, merito pudefaceret *Judæos*; ſi quid ſit,cujus eorum cæcitatem obſtinationemque pudere poſſit; qui Legis ſtudium, quod tanto ardore profiteri Prophetam legimus,in *muliebrium menſium inſpectione, in embryonum abortorum* diſſectione, in exacto munditiæ legalis judicio comparando, collocatum fuiſſe,ſuis perſuadent. S. *Hieronymus* ad *Algaſiam* quæſt. X, *Præpoſitos habent Synagogis ſapientiſſimos quoſque fœdo operi delegatos, ut ſanguinem virginis, ſive menſtruatæ, mundum, vel immundum, ſi oculis diſcernere non potuerint, guſtu prælibent.* Cui convenit quod in capite primo *de Benedictionibus* Magiſtri *Davidem* introducunt cum Deo expoſtulantem, num ipſi non videatur *Pius*; quomodo ſe ipſe appellat, *Pſal.* LXXXVI. 2. *Ecce*, inquit, *Reges Orientis & Occidentis ſedent ordinibus comitatus ſui glorioſi, Ego autem ſedeo manibus inquinatis ſanguine menſtruo, Embryonibus, ſecundinis, ut pura ſit uxor viro.* Qui ea ad examen revocaverit, quæ hactenus diſputavimus, non dubitabit hoc eſſe quod diximus *ſecretum Legis*, cui diſcernendo *aperiri* ſibi *oculos*, crebris ejus *Pſalmi* precibus a Deo contendit. Tum, propter ſenſum ſpiritualem, ita Legem laudari *Pſalmo* XIX. 7, 8, 9. ut eam *animam revocare, ſimplicem ſapientem reddere, cordi lætitiam, oculis lucem præſtare,integram,rectam, puram,mundam,undiquaque juſtam,in æternum durare* prædicet; Quæ de Lege carnali nunquam dicta fuiſſent. Itaque quod idem, *Dei metuentes in via quæ Deo grata ſit inſtitutum iri*, quod *ſecretum Domini apud ejus metuentes* futurum, quod *fœdus ejus ipſis manifeſtatum iri* pollicetur, *Pſalmo* XXV. 12, 14. quid aliud ſibi velle dici poteſt,quam ejus Fœderis Legem,quo vitæ æternæ ſpem Patribus conſtitiſſe dictum eſt? Cujus intellectum, pro eo rerum ſtatu, exercendis pietatis operibus, majorem indies contigiſſe, non minus Prophetæ verba, quam noſtræ rationes oſtendunt.

Irenæus, loco ſupra citato,*contra Hæreſes* V. 35. Hæreticorum eſſe ait, (eorum nimirum, contra quos ſcribebat) *Quatenus hoc in N. Teſt. locum habeat.*

facere

facere cœleſtia typos aliorum cœleſtium; Quos ſic redarguit cap 69. *Rurſus autem, paſſionem Domini Typum eſſe dicentes extenſionis Chriſti ſuperioris, quam extenſus Horus formavit eorum matrem, in reliquis arguuntur, jam non habentes ſimilitudinem typum oſtendere. Ubi enim rurſus Chriſtus aceto & felle potatus eſt? Aut ubi diviſa ſunt veſtimenta ejus? Aut ubi punctus eſt, & exivit ſanguis & aqua? Aut ubi guttas ſanguinis ſudavit, & reliqua, de quibus dixerunt Prophetæ?* Arguit Hæreticos *Iræneus*, quod Paſſionem Domini Typum eſſe myſteriorum ſuorum vellent, quibus tamen ſingula, quæ in paſſione ejus acciderant, non congruebant. Itaque antea II.40. *Si enim, quæ a Domino facta ſunt, Typos eſſe dicunt eorum quæ ſunt in Pleromate, Typus in omnibus debet ſervari.* Idem eiſdem objicit *Origenes* in Expoſitione Evangelii S. *Joannis*. Sed hæc ratio Legem imponit myſtico Scripturæ ſenſui quem Eccleſia agnoſcit, ut ubique & obtineat, & ſibi conſtet; Quam minus recte intellexiſſe videtur *Origenes*, cum univerſam Scripturam, non minus recondito ac ſpirituali, quam obvio verborum ſenſu interpretandum eſſe, ac ipſe interpretari contendit. Alii his temporibus, quod idem ſibi perſuaſum haberent, ſenſus autem reconditos ab Origene, & eum fere ſecutis ſcriptoribus Eccleſiaſticis, ex Scripturis erutos, manifeſte coactos, & textui Scripturæ adverſos eſſe; novas rationes commenti ſunt, ſecundum quas, myſticus ſenſus literali reſpondeat. Mihi videtur, ad reddendam Chriſtianiſmi rationem, poſito Legem a Deo datam; hoc eſt, ad vetus Teſtamentum Novo conciliandum, & Chriſtianiſmum ex Lege probandum, aſserendumque adverſus *Judæos*; prorſus neceſsariam eſse hanc duplicis ſenſus differentiam; Sed quæ non ultra rationem ac baſim cui inſiſtit, locum habeat. Itaque ſpiritualem ſenſum in Novo Teſtamento alium quæri, quam quem ſimplex Evangelii ratio præ ſe fert, literalem alium, quam quem allata ex vetere Teſtamento loca poſtulant, ut ſenſus veteris proprius ſenſui proprio novi reſpondeat; idem eſse puto,

ac

Digitized by Google

acſi Geometra contra hypotheſim faciat. Cæterum, neque hypotheſim ipſam in omnibus veteris Teſtamenti partibus aliter exigendam, ac ſingularum inſtituta ac ratio poſtulant. Scio S. *Hieronymum*, in Præfatione ad *Jonam*, & primi capitis Commentario, negare *eundem tropologiæ ordinem quem & hiſtoriæ*, ſervari poſse, in eo quem typum Domini geſſiſse Evangelium affirmat. Itaque de Petra ſtatim, quam Chriſtum fuiſſe ſcribit Apoſtolus, 1 ad Cor, X. 4. *Num univerſam loci hujus hiſtoriam, per hanc occaſionem cogemus ſub Leges Allegoriæ? Et non potius unuſquiſque locus, ſecundum hiſtoriæ diverſitatem, diverſum recipiet intelligentiam ſpiritualem?* Sed uſque adeo religioſe dubitat S. *Hieronymus*, ut veritatem innuat. Nam & Chriſti typus *Jonas*, & Propheta Synagogæ, ut Chriſti typus eſſe poſſet. Quare & pœnitentiam prædicare debuit *Ninevitis*, quod Gentibus univerſis facturus erat Chriſtus, & invitus prædicare; ut Synagogæ formam gereret, aſpernaturæ ſalutem futuram Gentibus communem. Utramque rationem qui ſpectet, non video, cur *Jonæ* hiſtoriam allegoriæ non congruere putet. Sane ſic, & *unuſquiſque locus hiſtoriæ*, ſive de Petra Chriſto, ſive de *Jona* Chriſto, ſecundum ejus diverſitatem *diverſam recipiet intelligentiam ſpiritualem*; nec quicquam prohibebit, *eundem tropologiæ ordinem* dici, *quem & hiſtoriæ*. Quod autem negare videtur, quod *Adamum* & *Evam*, Chriſtum & Eccleſiam ſignificaſſe aſſerit Apoſtolus; id ad totam hexaemeri hiſtoriam produci poſſe; de eo reſponderi poteſt ex eis quæ dicta ſunt. Exempli loco dictum ſit, ſpiritualis ſenſus hiſtorico aptandi, quatenus communis ratio in ſingulis locum habet. Hactenus igitur, operæ pretium viſum eſt, de diverſis partium Scripturæ inter ſe inſtitutis ac rationibus, quod quidem ad inſtitutam diſputationem attinet, minutiora hæc commentari; Non tam ad rejiciendas objectiunculas, quas ad auctoritatem novæ Scripturæ infirmandam Judæi afferre poſſint; & ad aſſerendam Fidem Apoſtolorum, in allegandis, juxta mentem Sancti Spiritus, veteris Scripturæ

teſti-

teſtimoniis; Nam hæc, etſi ſummi momenti, hujus tamen inſtituti non ſunt. Sed ad conſtituendam ſemel rationem ac fundamentum, cui Novi Teſtamenti fides, poſito primum vetus à Deo eſſe, inſiſtat. Quod, niſi hoc poſito, nullus dubito firmum eſſe non poſſe.

Unus potius quàm plures ſenſus myſtici.

Quod autem poſteriores Scripturarum interpretes, ſenſum earum myſticum, in *allegoricum, tropologicum*, & *anagogicum* diſpeſcere voluerunt; Non videtur negandum, extitiſſe aliquam rationem, in eis rerum, Scripturis traditarum, generibus, eorumque inter ſe diverſitate, propter quam voces ipſæ, ad hoc potius quam illud ſignificandum reſtringi poſſent; Etiamſi apud veteres Eccleſiæ Patres, indifferentiorem eſſe earum uſum afferendum ſit. Ἀλληγορίαν quidem S. *Paulus* appellat, ſecundum quam, *montem Sinai eis quæ tunc fuerunt Ieroſolymis*; hoc eſt, Synagogæ non Eccleſiæ; συστοιχεῖν affirmat, ad *Gal.* IV. 24, 25. Nec eſt cur ejuſdem generis omnia, in quibus, ſcilicet, veteris populi vel leges vel geſta, ad novi populi ſtatum ſignificandum referuntur, eodem nomine cenſeri non poſſint. Nec tamen generalis hic intelligenda eſt ἀλληγορίας ſignificatio; ſed ad eam rationem reſtringenda, ſecundum quam, Novum Teſtamentum veteri reſpondere, diſputatum eſt. Non enim metaphoræ continuationem hic ἀλληγορίαν intelligimus tantum, ſed ejus metaphoræ, ſecundum quam Deus ipſe, Paradiſo, & terra promiſſa, Eccleſiam, ſive militantem ſive triumphantem; Regno, Prophetia, Sacerdotio Veteris Teſtamenti, Regnum, Prophetiam, Sacerdotium, ſive Chriſti ſive Chriſtianorum ſignificari voluit; Et reliqua ſecundum eandem analogiam. Quare neque *Philonis Hebræi* ἀλληγορίαι Chriſtianis agnoſcendæ ſunt, niſi huic rationi coincidant; Cujus in ἀλληγορίᾳ tabernaculi illuſtre extat exemplum, cum ἅγιον κοσμικὸν ab Apoſtolo appellatur *Heb.* IX. I. cumque partes ejus in hujus mundi imaginem exponit. Nam *Joſephus*, *Antiq.* III. 5, 9. tres Tabernaculi regiones triplicis Cœli imaginem eſſe vult; Non aliter atque Pontificem maximum,

cum

cum ejus adytum, tertio Cœlo reſpondens, ingreditur, figuram Chriſti geſſiſſe Apoſtolus exponit, in ſummo Cœlo ad dextram Patris reſidentis. Sed *Philo* hoc amplius, quod Sacerdotalium veſtium ἀλληγορίαν ſic concludit, libro *de Vita Moſis* III. ἀναγκαῖον γὰρ ἦν τὸν ἱερώμενον τῷ τοῦ κόσμου πατρὶ, παρακλήτῳ χρῆσθαι τελειοτάτῳ τὴν ἀρετὴν υἱῷ, πρός τε ἀμνηστίαν ἁμαρτημάτων καὶ χορηγίαν ἀφθονωτάτων ἀγαθῶν. *Neceſſe enim erat, eum qui Patri Univerſi ſacra faceret advocato uti virtute perfectiſſimo Filio, ad abolendam peccatorum memoriam,* & omnis generis *bonorum largitatem conciliandam.* Debebat enim Chriſtum, non Mundum, Dei Filium poſuiſſe, ut ad Apoſtoli mentem enarraret. Sed, quod *Philo,* ad mentem *Moyſi, Deut.* XXVIII. 42, 43. interpretandam adducit, id *Origenes,* plus ſemel, ad ſtabiliendum Chriſtianiſmum; non poſſe intelligi *Proſelytum,* qui Judæo ſuperior futurus ſit; quod *Philo* diſerte prædictum a Moyſe contendit; alium a populo Chriſtiano. Nam *Proſelytum* propterea *ſuperiorem futurum Iſraele Philo* exponit, quod ad Deum verum ſe recipiens, ad ſortem in cœlis ineffabilem evectus ſit; degenere *Iſraelita,* neglecta Dei Lege, ad imas Tartari tenebras *ſubſidente. Proſelytus* autem qui veram Dei Legem ſequatur, poſt Fidem a Domino Chriſto proditam, ſolus intelligi poteſt Chriſtianus. Vide *Philonem* libro de *Maledictionibus Legis*; Tum de *Monarchia,* & de *Sacrificantibus*; Ubi *Proſelytos* Idololatriæ transfugas deſcribit, *Iſraelitarum* πολιτείαν propterea amplexos, quos *Syriaca* Legis Verſio recte ܡܬܩܪܒܐ reddit; id eſt, ad verum Deum *converſos.* Sane *Philo,* cum ante repudiatum a Judæis Evangelium; fortaſſis autem, ante Evangelium ubique terrarum promulgatum; vixerit, cauſæ nihil eſt, quo minus, vel in Judaiſmo ad ſalutem pertinere, vel promulgato Evangelio, Judæus idem ac Chriſtianus cenſeri poſſit; Quo commendatiores Chriſtianis ejus lucubrationes eſſe debent. Sed ut ad harum vocum diſtinctionem redeam; Cum quæ a Prophetis, veteri populo a captivitate reverſo fœliciter eventura prædicuntur,

in ſtatu populi Chriſtiani fœlicius impleta fuiſſe credendum ſit; Quanto magis, quæ Eccleſiæ militanti in terris præſtita vidimus, pro arrabone eorum accipienda ſunt, quæ triumphanti in Cœlis a Deo promiſſa leguntur? Ad hanc igitur ſignificandam rationem, quæ per ſe ipſa magni momenti eſt, quid obſtat, quo minus ἀναγωγῆς nomen reſtringatur; Quamvis univerſim, ad tranſlationem *a Veteri ad Novum Teſtamentum* exprimendam; in qua, reductionis ab inferioribus ad ſuperiora, (id eſt, a terreſtribus ad cœleſtia) ineſt quædam ſignificatio; ab Eccleſiæ Patribus uſurpatam, manifeſtum ſit? Denique *tropologiam* vulgo vocant, morum, ac pietatis Evangelicæ ex Veteris Teſtamenti figuris erutum argumentum; Cujus exemplum eſt, *Bovi trituranti oris non obſtringendi*, expoſitum à S. *Paulo* Legis præceptum. Atqui apud *Hieronymum* haud infrequenter, Tropologiæ generalis eſt ſignificatio, de ejus converſionis enarratione, qua Veteris Teſtamenti carnalia ad Novi Teſtamenti ſpiritualia transferuntur. Ponam hoc loco ejus verba, ad *Hedybiam* quæſt. XII. in quibus Tropologiam moralis loci enarrationem eſſe vult; *Triplex in corde noſtro deſcriptio & regula Scripturarum eſt. Prima, ut intelligamus eas juxta hiſtoriam; ſecunda, juxta Tropologiam; tertia, juxta intelligentiam ſpiritualem. In hiſtoria, eorum quæ ſcripta ſunt ordo ſervatur. In Tropologia, de litera ad majora conſurgimus; Et quicquid in priori populo carnaliter factum eſt juxta moralem interpretamur locum, & ad animæ noſtræ emolumenta convertimus. In ſpirituali Θεωρίᾳ ad ſublimiora tranſimus; terrena dimittimus, de futurorum beatitudine & cœleſtibus diſputamus; ut præſentis vitæ meditatio umbra futuræ beatitudinis ſit.* Idem ſcribit, in *Ezek.* caput XVI. libro V. Sequitur autem *Origenem Hieronymus*, loco *Philocaliæ* ſupra laudato, ubi ſecundum Apoſtolum, 1 ad *Theſſal.* V. 23. ut *integer Spiritus veſter, & anima & corpus ſervetur*; *Spiritum* ab *anima* diſtinguens, perinde diſtinguendum Scripturæ ſenſum myſticum innuit. Sed nihil eſt neceſſe. Cum enim Chriſtianiſmum partim in fide tenendis, partim

Digitized by Google

partim in opere agendis ſitum eſſe, neceſſe ſit, moralis locus eorum proprius erit, quæ opere agenda ex literali Veteris Scripturæ ſenſu oſtendi poſſit. Itaque magis proprie idem *Hieronymus* adv. *Ruff.* l. 6. *Quando dico Tropicum; doceo, verum non eſſe quod dicitur, ſed allegoriæ nubilo figuratum.* Generalem hanc ſignificationem uſurpat in caput I. *Jonæ*, & *Nahum* Prophetam.

Sed hæc ſi vera ſunt, omnino conſequens erit, non minus à *myſtico Veteris Teſtamenti ſenſu*, quam a literali Novi, argumentum, ad veritatem eorum quæ de Chriſtianiſmo quæruntur aperiendam, duci poſſe. Verum eſt, multos multa in ſacram Scripturam commentos eſſe, quæ propterea pro ſenſu Scripturæ ſeſe venditent; a quibus argumentari inane eſſet; Utpote quæ laſcivientium ingeniorum luſus ſint potius, quam ad ſenſum Scripturæ pertineant. Ut autem verum ſit, quod vero Scripturæ ſenſui conſequens non eſt, ſtante Scripturæ veritate, ſtare non poteſt. Quare ſi Dei Spiritum, ſenſum Veteris Teſtamenti ſpiritualem tanto magis ſibi voluiſſe neceſſe eſt, quanto majoris momenti Evangelium apud Deum fuit, quam Lex; etiam quando obſcuriſſima ejus erant in Lege indicia; (quod non eſt hominis Chriſtiani negare) non eſt negandum, myſticum veteris Teſtamenti ſenſum efficacem eſſe, ad probandum quicquid de Evangelio, ex Legis cum eo conſenſu confici poſſit. Quin, argumentationis Apoſtolicæ filum, adverſus eos qui *ex Lege* non minus quam *ex Fide* juſtitiam ſperabant, huic uni fundamento inſiſtere, recenſenti Epiſtolas eorum conſtabit. Sed non eſt propterea putandum, novum aliquid, & in Chriſtianiſmo inauditum, recepto hoc dogmate, ex ſenſu myſtico Vet. Teſt. elicitum iri; qui ab Eccleſiaſticis ſcriptoribus ſemper uſurpatus, nihil unquam in eorum ſcriptis oſtendit, a communis Chriſtianiſmi dogmate diverſum. Nam ſemel conſtituta ratione, propter quam, literalem Evangelii ſenſum eundem ſpiritualem eſſe Legis ſenſum neceſſe ſit, non poteſt latere quare; Ac propterea,

Myſticum ſenſum ad argumentandum valere.

nec quatenus; myſticus veteris Teſtamenti ſenſus ad Novi literalem probandum adhiberi poſſit. Cum autem manifeſtum ſit,quæ clariſſime omnium in Evangelio promulgata ſunt, in Lege figurarum ambagibus & velamentis induta fuiſſe; ac propterea ſummatim propoſita; Non poteſt in dubium venire, quæ ſub Evangelio in quæſtionem venire poſſunt, ea argumentis ex Lege ductis confici non poſſe; Niſi partium ſtudio, aut ejus cauſis, (quæ, ſubinde, apud Chriſtianos quantam vim habeant, nimis manifeſtum eſt) ad illud, quod omnibus manifeſtum eſſe & debebat & poterat, in quæſtionem adducendum deveniatur.

CAPUT. V.

Certam eſſe Fidem Scripturis,quæque in Deum non in homines deſinat, conſenſiente Fidelium Teſtimonio, non auctoritate decernentis Eccleſiæ. Nullam edere rationem cur credant, qui aliam viam inſiſtunt.

Unde certa Fides Scripturæ.

NUNC, qui idoneam credendi rationem a nobis expoſitam fateatur, videtur tamen adhuc quærere poſſe, unde veram eſſe fidem conſtet, quæ in rebus conſiſtit, tanto à nobis locorum ac temporum intervallo geſtis. Scilicet, extitiſſe eis temporibus, quibus extitiſſe fertur Jeſum quendam Nazarenum, qui, gentis ſuæ odio,quod Legem *Moyſi* ab eo evacuari crederent, crucifixus, miſſis XII. Apoſtolis,per totam qua patet οἰκουμένην, Chriſtianam Fidem diſſeminaverit; majus quiddam videtur, quam in quo famæ credendum ſit ei, qui teſtibus oculis auribuſque ſuis credere non poſſit. Sed facile eſt reſpondere, imperiti eſſe hominis, ejus rei fidem famæ imputare, in qua, conſenſui generis humani, tam fallere quam falli neſcio, fidem habemus. Quis enim credat, ullum unquam hominem Gentilem,homini Judæo de Chri-

ſto

ſto referenti crediturum fuiſſe, niſi prius explorato, Judæos ipſos, qui Chriſtianiſmo obſtarent, veritati rerum Domini Chriſti obſtare non potuiſſe? Quis, illos Judæos, qui de Domino Chriſto Gentibus teſtimonium perhibebant, Judæis ſuis, rerum ejus veritatem omni ſtudio opprimentibus, tam periculoſum dicendum teſtimonium ſuſcepturos, niſi rebus *ipſis* conſtitiſſet, vere geſta, propter quæ ipſi fidem ſuſcipiendam putarent, Gentis ſuæ proceres non putarent? Nam, in quorum arbitrio erat, utrum Chriſtiani eſſent necne, in eorum arbitrio non erat, rerum Chriſti veritatem ſupprimere; quarum memoriam mortè ejus oppreſſam volebant. Cum igitur, fama earum proximas ſubinde regiones occupante, quibus hujus famæ veritatem explorandi facultas erat; quod ſemper quibuſdam præ aliis accidebat; Subinde ad Chriſtianiſmum ſeſe applicarent, ac eos, quos ad ſui inſtar eſſe volebant, de eadem certiores facerent; factum eſt, ut in una *Jeroſolymorum* civitate crucifixus Chriſtus, per totum Orbem terrarum; ſaltem qui commercio pateret, crucifixus cognoſceretur; Nec majori dubio, ab eis qui fama hæc primum acceperant, quam qui Cruci ipſius adfuerant. Sunt enim pleraque in rebus humanis, communi hominum ſenſu ac ratione non minus certa, quam quæ oculis ipſis aut auribus uſurpamus. Neque ullum unquam aut levius aut gravius ſuſciperetur negotium, niſi perinde certa crederentur, quæ locorum ac temporum intervallis diſſita, ac quæ ſenſibus ſubdita ſunt. Itaque, qui, ab Imperio *Romano* ad fidem converſo, ad hæc uſque tempora Chriſtiani ſumus, non minus exploratam rerum fidei veritatem habemus, quam qui Domino Chriſto & Apoſtolis ipſius, miracula patrantibus, propter quæ Chriſtiani facti ſunt, aſtiterunt. Nam eorum pauci admodum pleriſque, plerique paucis admodum ejuſmodi operibus gerendis interfuerunt; de pleriſque exploratæ famæ crediderunt; Non magis de eis dubii, in quibus famæ ſic exploratæ, quam in eis, de quibus ſenſibus ſuis crediderant. Itaque toto Orbe Chriſtianiſmum profeſſo,

Digitized by Google

profeſſo, totius Orbis teſtimonio deinceps credunt,qui deinceps Chriſtiani fiunt. Nam præcipuam Orbis partem totius nomine appellare licet, ubi non amplius, an vera ſit ratio credendi dubitatur, ſed an idonea. Qua in cauſa cum eſſent ab initio Judæi, factum eſt, teſtimonio Apoſtolorum Chriſti & Diſcipulorum, ut in eadem eſſet totus Orbis terrarum.

Fidem divinam facit Spiritus Dei, ſenſu præeunte.

Atque hæc ſi recipiantur, valde opinione ſua falſus erit, quicunque Fidem illam *humanam* tantum putet, quæ teſtimonio hominum nitatur. Nam, qui miraculis Domini Chriſti & Apoſtolorum ejus præſens affuerit, eiſque motus Chriſtianiſmum amplexus fuerit, non puto *humanam* ejus Fidem videri poſſe, quod non niſi oculorum interventu concepta fuerit. Quod autem ille oculis ſuis debet, id ſi ego alienis debeam, ad fidei divinitatem, inde conceptæ, tantundem intererit. Atqui, cum ex humani generis teſtimonio ad fidem acceditur, communis hominum ſenſus, ex teſtimonio αὐτοπτῶν natus, non minus affirmat id de quo omnibus convenit, quam oculorum teſtimonium id quod oculis ſubeſt. Itaque ad ſalutem proficere illam fidem nihil prohibet, cujus rationem generis humani conſenſus affirmat. Sunt qui putent, eum qui in Sacræ Scripturæ codicem primum incidat, ignarus omnium quæ in eo leguntur, temporum, locorum, hominum, reum fore ſpretæ fidei ac ſalutis æternæ, niſi ad fidem ſic vocatus accedat. Reputarent hi ſaltem apud ſe, damnari à Deo ſpretæ fidei, ſalva juſtitiæ ratione non poſſe, niſi qui idoneam rationem neglexerit, propter quam credendum ſit. Neque enim aliter Spiritus Sanctus; cujus efficaciam ad credendum neceſſariam, ſupponi hoc loco poſſe, etſi non probari, dictum eſt; ad ſalutarem fidem efficax fuerit, niſi per idoneam rationem, propter quam credendum ſit. Atqui, quæ, in Scripturis poſita reperiet, qui in ſacrum codicem primum inciderit, locorum, temporum, hominum nomina ac notæ, quomodo aliquid ſignificare, quomodo verum ſignificare judicabit,

qui

qui voces tantum intelligat, rationem ac conſilium narrantis, ac quibus modis fidem ſibi faciat, nullus intelligat? Quantum hoc ab eorum imaginatione diſtat, qui Scripturas pro Dei verbo, Spiritu Dei, ante omnem credendi rationem inſpirante ac revelante,recipi volunt? Quaſi charta ac literæ, non rerum ipſis ſignificatarum mens & ratio, Spiritus Dei in hominibus Chriſto conciliandis idoneum inſtrumentum eſſent. Deus quidem, ſi hoc ad rem ſit, homines ſibi providit, Verbo Evangelico Judæis ac Gentibus affirmando, idoneis dotibus inſtructos, qui veterem Scripturam, prædicationi ſuæ conſentaneam, afferrent ſecum, & ſi opus eſſet, allegarent; Nam eorum prædicationem Novi Teſtamenti Scripturis antiquiorem eſſe conſtat. Et hoc illud eſt, cujus cauſa, alii cum S. *Auguſtino* Eccleſiæ Scriptores *Judæos capſarios noſtros* appellant; Inſtar ſervorum,ſcilicet, qui Dominorum ſuorum capſis præpoſiti, præſto ſemper habere debebant, inſtrumenta & Scripturas, quæ ad fidem titulis Dominicis faciendam pertinebant. Cum enim ab initio prædicaretur Fides Gentibus, alleganda erat veteris Scripturæ Fides, teſte Synagoga; in quo teſtimonio deſinere neceſſe erat totum probandi proceſſum. Itaque cum ad fidem Novis Scripturis faciendam aggredimur, neceſſe eſt, totam probandi viam ac methodum,in totius Chriſtianiſmi conſenſum deſinere. Neque enim difficile erat, rationes credendi, ſive Veteribus ſive Novis Scripturis comprehenſas, auditorum judicio admovere; non ſolum quam idoneæ ad faciendam Fidem, ſed etiam quam veræ haberi deberent, judicandas. Neque aliter ſpretæ Fidei ac ſalutis rei erant, quam ſpretis idoneis credendi rationibus, idoneæ rationi propoſitis.

Quibus conſtitutis, facile eſt videre, Scripturas ex Scripturis probari poſſe; nec tamen inde ſequi, vel Eccleſiam vel Scripturas Eccleſiæ teſtimonio aſſeri poſſe.Cum enim Scriptura duobus præcipue elementis conſtet, quarum unum rationes credendi continet, alterum Fidei materiam; alterum

Scripturas teſtibus Scripturis,non Eccleſiâ teſte Eccleſiam aſſeri.

Digitized by Google

alterum eo pertinet, ut ſcias, cur Chriſtianus eſſe debeas, alterum ut, Chriſtianum eſse, quid ſit; manifeſtum eſt, ex rationibus credendi quæ Scripturis referuntur, de omnibus, in quibus poſitus eſt Chriſtianiſmus, ex Scripturis conſtare, quod divinitus revelata ſint. Sed tamen, quatenus rationes credendi aſserere ipſæ veritatem ſuam, quamvis Scripturis propoſitæ, non poſsunt, niſi explorata, ex conſenſu fidelium, earum veritate; non eſt dubium, vere dici poſse, ab authoritate Eccleſiæ pendere Scripturarum fidem, quod à Deo profectæ ſint. Cum enim, Apoſtolorum de Chriſto teſtimonium, *conſenſus Fidelium* exploratum reddat, ex fidelibus autem conſtet Eccleſia; manifeſtum eſt, auctore Eccleſia, ideoque *Eccleſiæ auctoritate*, Scripturas pro Dei Verbo recipi. Neque ad rem pertinet, de verbis contendere; niſi quod exigua, ſignificationis verborum, initio non animadverſa varietas, ingentem in progreſsu errorem ſtruat. Nam etſi verum ſit quod dixi, nihil tamen ad eorum cauſam facit, qui Scripturarum fidem ab *ea Eccleſiæ auctoritate* ſuſpendunt, qua *controverſias* in Eccleſia ſubnatas *terminari* volunt. Auctoritas enim, quæ de dubiis decernat, Eccleſiam corpus eſse ſupponit, ac hominum ſocietatem; etſi non ad civilis vitæ, ſed Chriſtianæ commercium; cujus nomine qui auctoritatem obtineant, penes eos ſit, ut ei pacem præſtent, de controverſis pronunciare. Atqui hoc quare, niſi probatum, recipi non poſſit, dictum eſt: Tum, probari non poſſe, niſi, qua ratione Scripturas pro Dei verbo recipiamus, expeditum fuerit; Tantum abeſt, ut ad faciendam Scripturæ fidem ſupponi debeat. Neque eſt hoc, quibuſdam animadverſis quæ dicta ſunt, obſcurum. Etenim, Veteris Teſtamenti fidem conſenſu Synagogæ, non minus niti, quam Novi fidem conſenſu Eccleſiæ, hujus diſputationis progreſſus indicat. Atqui, auctoritatem in Eccleſiam Synagogæ eſſe, abſurdum fuerit; niſi eam teſtandi auctoritatem intelligas, propter quam teſtibus fidem habemus. Nam ejus Gentis conſenſus, in eis colendis Legibus, quas,

cultu

Digitized by Google

cultu ſuo, divinitus acceptas teſtantur, non minorem fidem Veteri inſtrumento conciliat, quam populi Chriſtiani conſenſus Novo. Itaque non damus hoc teſtium fidei, ut propter eam, fidem nos divinitus accepiſſe credamus; ſed communi hominum rationi, generis humani conſenſum teſtimonio ſenſuum ſubſtituentis, in eis, quæ ſub eorum ſenſum, ad quos pertinent, cadere non poſſint. Præterea, cum dictum ſit, teſtimonium Apoſtolorum, de Chriſto nunciantium, generis humani conſenſu exploratum eſſe; propterea quod, nec Judæi, nec Gentiles rejicere rationes credendi potuerint, tanquam falſas, quibus, tanquam minime idoneis, obtemperare noluerint; manifeſtum eſt, eam Eccleſiæ auctoritatem, quæ ad fidem Scripturæ faciendam pertineat, univerſitatis eſſe Chriſtianorum, tanquam communi hominum ſenſu præditorum, non rectoribus Eccleſiæ, ad ejus terminanda diſcidia, divinitus conſtitutam.

Exponitur Auguſtinus, *teſte Eccleſia, Scripturis fidem habens.*

Neque his inconvenit celebris ille S. *Aug.* locus, *adverſus Epiſt. Fund.* cap. V. quem, ut diſcuti poſſit, prolixius allegabo. *Si ergo invenires aliquem qui Evangelio nondum credit*; ait *Auguſtinus* Manichæo; *quid faceres dicenti; non credo? Ego vero Evangelio non crederem, niſi me Eccleſiæ Catholicæ moveret auctoritas. Quibus ergo obtemperavi dicentibus; credite Evangelio; cur eis non obtemperem, dicentibus mihi; noli credere Manichæo? Elige quid velis. Si dixeris; Crede Catholicis; ipſi me monent ut nullam fidem accommodem vobis. Quapropter non poſſum, illis credens, niſi tibi non credere. Si dixeris; Noli credere Catholicis; Non recte facies, per Evangelium me cogere ad Manichæi fidem; quia ipſe Evangelio, Catholicis prædicantibus credidi. Si autem dixeris; recte credidiſti Catholicis laudantibus Evangelium, ſed non recte credidiſti illis vituperantibus Manichæum; uſque adeo me ſtultum putas, ut, nulla reddita ratione, quod vis credam, quod non vis non credam? Multo quippe juſtius & cautius facio, ſi, Catholicis quoniam ſemel credidi, ad te non tranſeo; niſi me, non credere juſſeris, ſed manifeſtiſſime ac apertiſſime ſcire me aliquid feceris. Quocirca, ſi mihi rationem*

redditurus es, dimitte Evangelium; ſi ad Evangelium te tenes, ego ad eos me teneam, quibus præcipientibus Evangelio credidi; Et his jubentibus, tibi omnino non credam. Quod ſi forte in Evangelio aliquid apertiſſimum de Manichæi Apoſtolatu invenire poteris; infirmabis mihi Catholicorum auctoritatem, qui jubent, ut tibi non credam; Qua infirmata, jam nec Evangelio credere potero, quia per eos illi credideram. Ita, nihil apud me valebit quicquid inde protuleris. Quapropter, ſi nihil manifeſtum de Manichæi Apoſtolatu in Evangelio reperitur, Catholicis potius credam, quam tibi. Si autem inde aliquid manifeſtum de Manichæo protuleris, nec illis nec tibi: Illis, quia de te mihi mentiti ſunt; Tibi autem, quia eam Scripturam mihi profers, cui per illos credideram, qui mihi mentiti ſunt. Sciendum eſt Manichæum, ut & Gnoſticos; qui veritatem aliam, ab ea quæ Scripturis continetur, ſibi revelatam ferebant; cum Chriſtiani, niſi nomine non eſſent, Scripturas nec agnoviſſe, ultra quod commentis ſuis expediret, nec eiſdem rationibus, quibus Chriſtiani, agnoſcere potuiſſe. Itaque neceſſe fuit *Auguſtino* Catholicos Manichæis opponere; Quod nomen Chriſtianum ſibi ipſi vindicarent, Catholicum non item. Quod ſi cum eis Hæreticis res ipſi fuiſſet, qui totam Scripturam agnoſcebant, propterea quod eadem illam, qua Catholici, ratione agnoſcerent, non opus fuiſſet *nomen Catholicum* in hanc quæſtionem vocare. Itaque ad rem non pertinet; quod erudite tamen animadverſum eſt; *crederem* pro *crediſſem* ab *Auguſtino* poſitum eſſe. Id enim verum eſſe, multis Africanorum Scriptorum productis locis probarunt; Quod Africani ſtyli proprium eſſe volunt, mihi non videtur. Nam cum *Hieronymi, Sidonii*, aliorum quam Africanorum, *Auguſtiniani* ſeculi Scriptorum uſu tritum oſtendi poſſit, peſſum eunti tum potius Latinitati videtur imputandum. Ponatur igitur, *Auguſtinum* nondum Chriſtianum, Scripturis ſe crediturum, ſepoſita Eccleſiæ Catholicæ auctoritate, negare. Eadem enim ratione Manichæo, qua Gentili, agnoſcenda eſt Scripturæ Fides. Quæro, cum præcipientibus Catholicis Evangelio credidiſſe ſe dicit; num

num affirmantibus ſua fide, Evangelium Dei Verbum eſſe credidit, an rationes proponentibus, ita credendum eſſe. Argumento ſint quæ *cap.* IV. leguntur; *Ut ergo hanc omittam ſapientiam, quam in Eccleſia Catholica eſſe non creditis, multa ſunt alia quæ in ejus gremio me juſtiſſime teneant. Tenet conſenſio populorum atque Gentium, tenet auctoritas, miraculis inchoata, ſpe nutrita, charitate aucta, vetuſtate firmata; Tenet ab ipſa ſede* Petri *Apoſtoli; cui paſcendas oves ſuas poſt reſurrectionem Dominus commendavit; uſque ad præſentem Epiſcopatum ſucceſſio Sacerdotum: Tenet proſtremo, ipſum Catholicæ nomen; quod non ſine cauſa, inter tam multas Hæreſes, ſic iſta Eccleſia ſola obtinuit, ut, cum omnes Hæretici dici ſe Catholicos velint, quærenti tamen peregrino alicui, ubi ad Catholicam conveniatur, nullus Hæreticorum vel* Baſilicam *ſuam, vel domum audeat oſtendere.*. Hic locum habet,quod jam obſervatum eſt. Cum idoneam credendi rationem, ei, quam minime idoneam ſequebantur Manichæi, oppoſitam, *Auguſtinus* Eccleſiæ Catholicæ tribuere vellet; rationes permiſcuit, quæ Catholicæ Eccleſiæ communionem, non minus contra eas Hæreſes aſſererent, quæ Scripturas eiſdem de cauſis recipiebant, quibus Catholici, quam adverſus Manichæos, qui diverſis. Nam adverſus *Novatianos*, *Montaniſtas*, *Donatiſtas* faciebat ſucceſſio Sedis Romanæ, & quod *Catholicum nomen*,cum affectarent, obtinere non poſsent. Et tamen Scripturas non minus integras recipiebant, quam Catholici. Cæterum,cum conſenſum, auctoritatem, miracula, vetuſtatem allegat pro eo Chriſtianiſmo, quem Manichæis oppoſitum tenebat, ea ipſa allegat, quibus rationem credendi, ſive idoneam, ſive veram probavi. Atque hæc in *libro de utilitate credendi* prope extremo, adhuc manifeſtius ipſe poſuit *Cap.* XIV. *Sine paululum mecum ipſe conſiderem; quoniam Chriſtum ipſum, quomodo apparere hominibus voluit, qui iſtis etiam vulgaribus oculis viſus eſſe prædicatur, ego non vidi; quibus de illo crediderim, ut ad te, jam tali præſtructus fide accedam. Nullis me video crediſſe, niſi populorum atque Gentium confirmatæ opinioni, ac famæ admodum*

 celeberrimæ.

celeberrimæ. Hos autem populos, Eccleſiæ Catholicæ myſteria uſquequaque occupaſſe. Mox, *Hoc ergo credidi, ut dixi, famæ, celebritate, conſenſione, vetuſtate roboratæ.* Et paulo poſt; *Ergo ille, afferens medicinam, quæ corruptiſſimos mores ſanatura eſſet, miraculis conciliavit auctoritatem, auctoritate meruit fidem, fide contraxit multitudinem, multitudine obtinuit vetuſtatem, vetuſtate roboravit religionem; quam non ſolum Hæreticorum ineptiſſima novitas, fraudibus agens, ſed nec Gentium quidem veternoſus* (l. veternus) *violenter adverſans, aliqua ex parte convelleret.* Cap. autem XVII. *Hoc factum eſt divina providentia, per Prophetarum vaticinia, per humanitatem doctrinamque Chriſti, per Apoſtolorum itinera, per Martyrum contumelias, cruces, ſanguinem, mortes, per ſanctorum prædicabilem vitam, atque in his univerſis, digna rebus tantis atque virtutibus, pro temporum opportunitate miracula.* Quibus inter ſe collatis, manifeſtum erit, *Auguſtinum*, etſi, quæ rationem credendi idoneam, ab eis non diſtinguat, quæ veram oſtendunt; quod mihi facere neceſſe eſt; eandem tamen mecum rationem, propter quam Chriſtiani ſumus, allegare; Auctoritatem autem Eccleſiæ, eam quæ in terminandis controverſis cernitur, ad eam rationem nunquam ſupponere.

Idem probatur ex Tertulliano *&* Irenæo.

Eadem eſt ratio eorum, quæ, adverſus vetuſtiores Manichæis Hæreticos diſputat, poſt *Irenæum, Tertullianus.* Nam & eadem cauſa eſt; Quatenus quidem Apoſtolos & prædicaſſe agnoſcebant utrique, & ſcripſiſſe. Quos tamen hi, vel non omnia ſciviſſe volebant; ac propterea diverſa prædicaſſe; vel ſecretiora quædam, non omnes quidem, ſed auctores ſuarum Sectarum docuiſſe; vel Eccleſias ſuo vitio aliter accepiſſe, quam Apoſtoli proferebant; *de præſcript. Hæret. cap.* XXII. XXV. XXVII. Et ſane eandem eſſe cauſam neceſſe eſt, non ſolum *Muhammedis* & Alcorani ejus; Qui cum *Moſen*, Apoſtolos, Dominum Jeſum Prophetas agnoſcant, divinituſque editas eorum Scripturas, tamen hoc, non niſi quatenus Muhammedi, ad utriuſque Legem exterminandam, ſuamque ſubſtituendam viſum eſt; Sed etiam

Enthuſi-

Enthuſiaſtarum omnium & Fanaticorum, ſi qui hodie, alia ſibi intus dictare Dei Spiritum volunt, quam quæ ex Verbo Eccleſiæ tradito hauriri poſſint. Horum anteſignanum, quem nuper Tyrannum experti ſumus, multis indiciis agnoſcere licet; Præſertim quod *revelari nunc Sanctis*, non quidem Scriptis *adverſa*, ſed *alia* tamen, palam profeſſus eſt. Neque eſt alia cauſa *Tertulliani* ipſius, poſtquam Montani Prophetiam divinitus inſpiratam agnovit, quam Eccleſia damnaverat. Nam etſi, ipſe quidem nihil aliud, tanquam docente Paracleto, ſuſceperit, quam quibus teſtimonium ferre Scripturam putabat; Tamen, τὸς κατὰ φρύγας Montani ſectarios, graviora poſtmodum erraſse, negari non poteſt. Et qui eam in credendo auctoritatem ſequatur, quæ à Scripturis non pendeat; quamque perinde divinam credi oportet, ac Scripturas divinitus proditas credimus; Quid eſt, cur non poſſit Scripturarum verba in eum ſenſum ſubigere, quem ſibi dictare Dei Spiritum ſomniat? Recte igitur omnino *Tertullianus*, negat jus eſse Hæreticis, ex Scripturis agendi; Eccleſiæ jus eſse aſserit, Hæreticos, omni ex Scripturis actione ſummovendi; Eos nimirum, qui alium Fidei auctorem præter auctores divinæ Scripturæ ederent. Sed rationem Scripturarum pro divinis recipiendarum, num auctoritatem decernentis Eccleſiæ, & pronunciantis eſse vult, an teſtimonium ferentis fidem & conſenſum? Hunc certe Fidei Catholicæ ſtatum Hæreticis opponit, cap. XX. *Chriſtus Jeſus Dominus noſter, homo & Deus, cujuſcunque Fidei præceptor, cujuſcunque mercedis repromiſſor, quid eſſet, quid fuiſſet, quam Patris voluntatem adminiſtraret, quid homini agendum determinaret, quamdiu in terris agebat, ipſe pronunciabat, ſive populo palam, ſive diſcipulis ſeorſim; Ex quibus* XII. *præcipuos lateri ſuo adlegerat, deſtinatos Nationibus magiſtros. Itaque uno eorum decuſſo, reliquos* XI. *digrediens ad Patrem poſt reſurrectionem, juſſit ire & docere Nationes, intinguendas in Patrem, & in Filium, & in Sp. Sanctum. Statim igitur Apoſtoli, conſecuti promiſſam vim Sp. Sancti, ad virtutes & eloquium, primo per Judæam conteſtata ſide*

Digitized by Google

fide in Jeſum Chriſtum, & Eccleſiis inſtitutis, dehinc in orbem profecti, eandem doctrinam ejuſdem Fidei Nationibus promulgaverunt, & proinde Eccleſias apud unamquamque civitatem condiderunt, a quibus traducem fidei, & ſemina doctrinæ, cæteræ exinde Eccleſiæ mutuatæ ſunt, & quotidie mutuantur, ut Eccleſiæ fiant; Ac per hoc & ipſæ Apoſtolicæ deputantur, ut ſoboles Apoſtolicarum Eccleſiarum. De ratione agnoſcendi Domini & Apoſtolorum, *Moſis* ac Prophetarum, quæſtio erat nulla cum eis, qui omnes à Deo miſſos agnoſcebant. Eccleſiæ auctoritatem Fidei fundamento inſiſtere, antiquiori utique, & Rationis ordine priori, ipſe oſtendit, qui poſteriores Eccleſias ab Apoſtolicis traducem Fidei mutuari ſcribit, ut Eccleſiæ fiant. Scripturas eatenus recipiebant Hæreſes *Tertulliani*, quatenus ſibi expediret; Mutilatas, interpolatas pro arbitrio, ab Eccleſia adulteratas querebantur cap. XXXVIII. Quæ hic nota, quod argumentum ſinceritatis integritatiſque, ſive Fidei, ſive Fidei inſtrumentorum? Ea ſane, quam recte, ab Eccleſiis acceptæ Traditionis Apoſtolicæ notam, ipſe ediderat cap. XXVIII. *Ecquid veriſimile eſt, ut tot ac tantæ in unam Fidem erraverint? Nullus inter multos eventus unus eſt. Exitus variaſſe debuerat error doctrinæ Eccleſiarum. Cæterum quod inter multos unum invenitur, non eſt erratum, ſed traditum.* Itaque de origine unitatis cap. XXXI. *Cæterum ſi quæ audent interſerere ſe ætati Apoſtolicæ, ut ideo videantur ab Apoſtolis traditæ, quia ſub Apoſtolis fuerunt; poſſumus dicere: Edant ergo origines Eccleſiarum ſuarum, evolvant ordinem Epiſcoporum ſuorum, ita per ſucceſſiones ab initio decurrentem, ut primus ille Epiſcopus aliquem ex Apoſtolis, vel Apoſtolicis viris, qui tum cum Apoſtolis perſeveraverit, habuerit auctorem & anteceſſorem.* De univerſalitate autem veritatis cap. XXX. Age jam *qui voles curioſitatem melius exercere in negotio ſalutis tuæ, percurre Eccleſias Apoſtolicas, apud quas ipſæ adhuc Cathedræ Apoſtolorum ſuis locis præſident, apud quas ipſæ authenticæ literæ eorum recitantur, ſonantes vocem, & repræſentantes faciem uniuſcujuſque.* Niſi alia nunc, alia tum ſalutis aſſequendæ ratio,

hæc

Digitized by Google

hæc omnia nobis proficiunt; Nec poteſt alia reddi ratio, cur recipienda ſit Fides, agnoſcendæ Scripturæ, quam quæ miſſos à Deo probat eos, à quibus Fidem, à quibus Scripturas accepimus. Nec tamen de ejus rationis veritate aliter conſtare poteſt, quam auctoritate Eccleſiæ; non quam habere debet erga Fideles, qui ejus auctoritatem in decernendo ſequi debeant; ſed quam in ferendo teſtimonio ejus conſenſus habet, erga eos qui nondum credunt, ut Fideles fiant. *Irenæus* autem, cum *Tertulliano*, eiſdem rationibus inſiſtit; cui ſcilicet materiam tantum dedolavit, quam, homo juris Romani peritus, ad arcendas jure nominis Chriſtiani ſui temporis Hæreſes, ex recepta jure agendi ratione perpoliret. Non valere autem *Tertulliani præſcriptionem*, inter partes quarum controverſias finimus, facile conſtat; Inter quas, nullam aliam eſſe Fidei originem conſtat, à divinis Scripturis earumque ſcriptoribus.

Non poſſe dubiam videri Fidem Codicum.

Ex eis quæ dicta ſunt conſtare poteſt, de Scripturarum Fide nullam inde controverſiam eſſe poſſe, quaſi temporum injuria interciderint, neque amplius extent indubitata earum exemplaria; Quanquam quibuſdam viſum fuerit, elevandæ earum auctoritati, in terminandis hujus ſeculi controverſiis, opportunum, eandem auctoritatem, quatenus adverſus Atheos, Gentiles, Judæos, Hæreticos valere poſſit, in dubium vocare. Affertur in hanc rem, quod in codice *Bibliorum Vulgatæ Editionis*, ex mandato *Sixti* V. P. M. recognoſcendo, experiendo cognitum fertur. Collatis enim C. exemplaribus, inventos eſſe errores lectionis bis mille. Hinc reputare jubemur, quot errores diligentiſſimus exſcriptorum in ſuum apographum illaturus ſit. Tum, quot exemplaria, diffuſo undiquaque Chriſtianiſmo, propagata fuerint. Hoc enim qui faciat, ſi, quod eveniſſe conſtat, manente eadem ratione eventurum fateatur, nullam earum partem, tanquam extra erroris aleam poſitam, aſſerere poſſe. Hæc qui diſputant, ſi de *Homero* vel *Virgilio*, de *Platone* vel *Ariſtotele*, de *Demoſthene* vel *Cicerone*, de *Hippocrate* vel *Galeno* quæſtio

Digitized by Google

quæſtio eſſet, ſint ne eorum ſcripta quæ terimus, non ſine pudore, de eo ſibi conſtare negarent, cui ſtudium ſuum & tempus omnes impenderent. Nam quod plura Scripturarum, quam cujuſvis præterea auctoris exemplaria propagantur, etſi neceſſario, plures in eorum exemplaria errores infert, quam quibus diverſi generis literæ obnoxiæ ſint; tanto tamen difficilius eſt, ut eorum aliquis obtineat, quanto plures ſunt ex quibus corrigatur, quod, cum caſu incidat, non niſi in unum aut alterum incidere poſſit. Nihil adhuc dico de *Religione*, propter quam, & propagantur exemplaria, & teruntur. Cum enim perpetuus ſit, permultorum ejuſdem Scripturæ per omnes linguas exemplarium, uſus, qua privatim qua publice; cum, qui Chriſtianiſmum animo vel colat, vel profiteatur, monumentorum ejus corruptelam æquo animo ferre non poſſit; manifeſtum eſt, vitia caſu illata conſilio ſublatum iri: Et adverſus ſtudium hoc agentium, temeritatem caſus non valere. Quod ſi, memoriam rerum à Domino Chriſto, & Apoſtolis geſtarum, Traditione propagatam, indubitatæ veritatis rationem eſſe ad credendum, probatum ſit; Quanto magis, cum proferuntur literæ; quibus conſignatæ ſunt? Quis enim dubitat; ſaltem qui videat, quid facere ſoleant, qui *hæreditatum titulos* liquidos ſervare volunt; quanto magis ad fidem valeant, quæ literis, quam quæ memoriæ tradita creduntur? Cum autem dictum ſit, Scripturas rationibus ad credendum impellentibus partim, partim rebus quibus credendum ſit conſtare; Quod ad aſſerendam credendi rationem valeat, propter quam Chriſtiani ſumus, ad aſſerenda ea quibus credendum ſit, ut Chriſtiani ſimus, valebit; quæ niſi teneantur, vere Chriſtiani non ſimus. Unde manifeſtum eſt, quam vim habeat partium ſtudium, apud eos, quos non vereri videmus, communis Fidei rationes labefactare; quas ſcriptas firmiores eſſe conſtat, quam memoriæ tantum mandatas; & à communis Fidei hoſtibus gratiam inire; quos multo empturos conſtat, in Novis Scripturis nihil certum eſſe; (de

veteribus

veteribus enim ſoliciti non ſunt) modo in eis non valeant, de quibus diſcidium conflatum eſt. Atqui *Tertullianus*, quid opponit Hæreticis, adulteratas ab Eccleſia Scripturas damnantibus, quas ipſi interpolabant, niſi Eccleſiarum conſenſum; hoc eſt, nominis Chriſtiani; Fidei ſuæ & ſalutis titulos & inſtrumenta, perpetuo ſuo omnium uſu aſſerentium? Nam eaſdem à nobis tractari Scripturas, quas *Tertullianus* ſui temporis Eccleſiæ aſſerebat, ex quibus omnia omnium Eccleſiæ Scriptorum monumenta conſtant & contexuntur, non eſt humani pudoris negare.

Ex dictis denique conſtare poteſt, diſcrimen ejus quod *ſeipſo*, ſive *natura*, ab eo quod *nobis prius ac notius eſt*, non perinde in aſſerenda ſive Fidei, ſive Scripturarum veritate obtinere, ac in rerum cauſis inveſtigandis. Cum enim ab effectis, ſenſibus ſubditis, in quos ſingula quæque incurrunt, ad indagandam cauſam univerſorum, ad eandem ſpeciem vel genus pertinentium, progreſſio fit; manifeſtum eſt, ab eis quæ *nobis prius nota* ſunt, ad ea quæ *ſeipſis ac rationi rectæ notiora*, progreſſionem fieri. Nam qui adeptum multi temporis, ac ſtudii, & inſpectionis ſingulorum experimentis, ſcientiam, obſcurius quidem, ſed multis partibus compendioſius tradere vult; ab univerſorum rationibus initium ſumens, ne idem de ſingulis inculcare cogatur; recte tamen *a notioribus* initium ſumit. Neque enim quicquam aut doceri aut diſci poteſt, niſi a notiori, ad id quod minus notum eſt progrediaris. Sed quod in hac methodo *natura notius* & eſt & dicitur, *nobis ignotius* & eſt, & dici debet; quorum omnis ſcientia a ſenſu ſingulorum incipit. Quod ſi res geſtæ Domini Chriſti & Apoſtolorum ratio ſint credendi, ut dictum eſt, erunt illæ *ſimul nobis notiores*; quas ſenſibus ſubditas fuiſſe oportuit; *ſimul rationi*, quia nemo aliam rationem reddat, propter quam Chriſtianus ſit. Nam in eis quæ fide tenentur, quare *vera* ſint quæ ad fidem ſolam pertinent, quærendum non eſt; Quare *fide tenenda* ſint, niſi rationem teneas, fruſtra a Deo, quæ credentibus promiſſa

Idem eſſe, hac in re, nobis & natura notius.

ſunt expectes. Cum igitur ratio credendi in opera ſenſibus ſubdita refundenda ſit; manifeſtum eſt, nullum eſſe, ab operibus ſenſui ſubditis,propter quæ credimus,ad rationem credendi, quam ipſa continent, progreſſum. Itaque fruſtra in hac quæſtione diſputatur; Scripturarum quidem auctoritatem *natura priorem* eſſe, & *ſeipſa notiorem*, Eccleſiæ autem auctoritatem *nobis & priorem,& notiorem*; Niſi hoc ſibi velit, quod dictum eſt; conſenſu fidelium, de veritate operum Scripturis proditorum conſtare,propter quam credimus. Nam ſi quis Eccleſiæ nomine Chriſtianos tantum intelligat, quibus conſtat Eccleſia; ſunt ii quidem nobis ad credendum auctores, qui, cum ipſis fides habetur, rebus veris, non impoſturæ hominum fidem haberi,certiores nos reddunt. Sed qui Eccleſiæ auctoritatem,quæ in terminandis controverſis cernitur, in credendo ſequendam contendunt, non poſſunt rationem reddere, quare Eccleſiæ hanc auctoritatem aſſignent. Neque enim ex Scripturis reddi poteſt ab iis, qui, non niſi propter hanc Eccleſiæ auctoritatem, Scripturis fidem haberi contendunt. Nemo mirum aliquid à me dici hac in re putabit, qui cogitet, idem in Geometria, idem in Mathematicis univerſim demonſtrationibus obtinere; Idque ratione manifeſta, cui contradici non poſſit. Cum enim *notius ſenſui* ab eo quod *notius eſt rationi* eo diverſum ſit, quod inductione ſingulorum fides facienda ſit ei quod univerſim enunciatur; Manifeſtum eſt, Geometriæ, & artium Mathematicarum principia non habere opus ſingulorum inductione, ut ſe univerſim vera eſſe probent. Ponente enim *Euclide*; *Quæ tertio æqualia ſunt ſibi ipſis æqualia eſſe*; *Totum majus eſſe parte*; quis non verum dici concedat, nulla ſingulorum præmiſſa inductione? Atqui *Ariſtoteles* non credit receptum iri pro manifeſtis, quæ ſibi ad conſtituendam virtutis definitionem ſumenda cenſet, ſecundo ἠθικῶν νικομαχείων, niſi in diſcipulos incidant, morum uſu ad bona malis ſecernenda ſubactos. Itaque in primo ejuſdem operis, adoleſcentem, quem Geometriæ

capacem

capacem affirmat, *idoneum moralis Philoſophiæ auditorem* eſſe negat; Multo potius de naturali Philoſophia idem dicturus, ſi ſequioris temporis experimentis convulſa vidiſſet, quæ a ſe recte conſtituta putabat. Sane, ſi, in naturæ ac morum cognitione errare, quam poſſit eſſe perniciosum, & ipſis & Reipublicæ, ſpectaretur, cohiberentur Legibus adoleſcentes a ſtudio Gentilis Philoſophiæ; Hactenus quidem, ne ſententias a Fidei Religione alienas, niſi Fidei Religione firmati audirent. Fruſtra autem hæc eſſe jubent eorum epichirema, qui ab Eccleſiæ auctoritate, tanquam *nobis notiori*, ad aſſerendam Scripturæ veritatem, tanquam *natura notiorem* inſtitui methodum volunt; quomodo, ab effectu cauſam κατὰ τὸ ὅτι, demonſtrari, in poſterioribus analyticis oſtendit *Ariſtoteles*; Ab auctoritate autem Scripturæ veritatem Eccleſiæ, regreſſu facto, tanquam a cauſa effectum, κατὰ τὸ διότι. Fruſtra hæc inquam. Eſt enim neceſſe, ut de veritate prædicationis Evangelicæ; Atque adeo Scripturæ, in quam conjecta eſt; prius conſtet, quam eſſe Eccleſiam, quæ a Deo inſtituta, auctoritatem a Deo habeat, conſtare poſſit. Itaque manifeſtum eſt, non eſſe *nobis notiorem* Eccleſiæ auctoritatem veritate Scripturæ; eam ſcilicet, quæ de controverſis pronunciat. Nam Fidelium conſenſus, quibus conſtat Eccleſia, ſi quo modo *Eccleſiæ auctoritas* dici poſſit, etiam *natura notior* eſt veritate Scripturæ; Quæ ſcilicet ratio eſt, propter quam, vera eſſe credimus, quæ a Deo, ad conciliandam prædicationi Evangelicæ Fidem, facta narrantur.

Hæc igitur qui recipiat, facile probet, principia ſua habere Chriſtianorum Theologiam, quibus repugnari non poſſit ab eo, qui Fidem agnoſcat; Qui non recipiat, eum neceſſe eſſe *in Circulum diſputare*, ſive Eccleſiæ auctoritate; hoc eſt Spiritus Sancti, eis dictantis, quibus Eccleſiæ Fidem conſtituendi jus ſit; Sive Spiritus Sancti, ſuo ſibi intus ſpiritui dictantis auctoritate; Fidei vel Scripturæ veritatem divinitus teſtatam agnoſcat, ac profiteatur. In Circu- *In Circulum diſputare eos, qui Scripturas auctoritate Eccleſiæ aſſerunt.*

lum diſputare hoc ſibi vult; Aſſumere aliquid tanquam prius ac notius, ad illud demonſtrandum, quod ſtatim adhibeas, tanquam prius ac notius, ad illud ipſum demonſtrandum quod prius aſsumpſeras; Nimirum, in quibus non eſt τοῦ ὅτι atque διότι reciprocatio ea quam excluſimus. Cujus nullum eſſe poteſt exemplum clarius, quam illud eſt quod tractamus. Nam qui auctore Eccleſia Scripturas pro Dei Verbo habendas contendit, is, ſi rogatus, Scripturis hanc auctoritatem Eccleſia auctore aſſerat, quid aliud quam idem ſeipſo probet? Ideo ſcilicet veras Scripturas, quod hoc pronunciat Eccleſia; Ideo pronunciare Eccleſiam, quod Scripturis proditum ſit. Ac propterea, ideo veras Scripturas, quod veræ ſint; à primo ſcilicet ad ultimum. Sic, qui propterea Scripturas Dei eſſe Verbum agnoſcat, quod hoc dictare ſibi Dei Spiritum dicat, ideo autem Dei eſſe Spiritum ſe ſcire, quod ex Scripturis, id eſt Dei Verbo hoc dictet; Quid aliud, quam Scripturas Dei Verbum eſſe dicat, propterea quod Verbum Dei ſint? Clariſſima hinc evadit ſententia quam ponimus. Vera enim eſſe, quibus ab initio moti, primum *Iſraelitæ* Veteris Teſtamenti, tum Chriſtiani Novi Scripturas ſuſceperunt, conſenſui Synagogæ primum, poſt Eccleſiæ, id eſt, *Judæorum* Chriſtianorumque univerſitati credimus; Cui cum ſubeſſe falſum non contingat, ut dictum eſt, neceſſario *divina* erit fides, quæ fundamento divinitus prodito inſiſtit. Eccleſiæ autem auctoritas, jacto fidei fundamento, ea erit, quæ huic fundamento inſiſtit; Hoc eſt, quam Scripturis; in verum ſenſum ea ratione expoſitis, quam ſolam controverſis definiendis neceſſariam quærimus; conſtitutam, oſtendi poſſit. Sunt qui aliter ſe hinc evadere poſſe putent, ſi id potius agi excipiant; auctoritate Eccleſiæ teneri, quæ ad fidem pertinentia auctoritate Eccleſiæ conſtitui ac definiri neceſſe ſit, quam univerſim Fidem, ſive Scripturas, Eccleſiæ auctoritate teneri; Cum tamen eadem ratione, quæ ad Fidem pertinent ſingula teneri, qua Fidem univerſam, manifeſta

manifeſta ratio ſit. Sed, huic rationi quia ſuus futurus eſt locus, cum ad Eccleſiæ auctoritatem ſuis limitibus definiendam ventum fuerit, merito eam ſuo loco retractandam relinquimus. Neque enim, ſuſceptam de Eccleſiæ Scripturæque auctoritate quæſtionem finitam contendo, priuſquam Eccleſiæ auctoritas ea definita ſit, quam in ſeipſam, tanquam jure divino, hoc eſt Dei voluntate inſtituta Societas, habeat; Nimirum, quam illi habeant, quibus, Eccleſiæ nomine ſtatuendi jus eſſe, oſtendi poſſit. Interea loci ſatis ſit, eam Eccleſiæ, tanquam *Teſtis*, non tanquam *Judicis* auctoritatem, quam communis hominum ſenſus univerſitati Fidelium; tanquam hominibus communi ſenſu præditis, non tanquam ad ſalutem divinitus vocatis aſſerit; hanc inquam auctoritatem, nec aliam ullam, tanquam priorem veritate Fidei, quam non ſupponat, tanquam notiorem, quam probet, ad aſſerendam Scripturæ pro Verbo Dei auctoritatem aſſumi poſſe. His enim definitis, poſitum eſt, ſuos eſſe limites, ſententiæ Veterum Scripturarum ex novis definiendæ, quos veritas Fidei, auctoritate Eccleſiæ antiquior, poſtulat. Tum, poſita eſt ratio, rerum de Fide controverſarum, ex veteribus Scripturis, quatenus quidem hoc fieri poſſit, affirmandarum, ipſa etiam antiquior Eccleſiæ auctoritate.

CAP.

CAP. VI.

Scripturas non eſſe ſeipſis perſpicuas, omnibus quorum ſalutis intereſt, probatur inductione Scripturæ Legalis, Propheticæ, Evangelicæ, Apoſtolicæ.

De ſenſu Scripturæ, & de Traditione, quærendum.

CUM igitur, Scripturas Dei Verbum eſſe, inter partes conveniat, quarum controverſias tractamus; manifeſtum eſt, ſi de ſenſu Scripturarum inter partes conſtaret, nullam eis inter ſe ex Scripturis controverſiam exstituram. Quid igitur ſupereſt, niſi ut quæramus, quibus modis definiri poſſit earum ſententia, quam Eccleſia, id eſt, Chriſtianorum univerſitas; amplecti vel poſſit, vel debeat? Niſi tamen præterea quærendum ſit, ſitne aliquid non ſcriptum, quod ab Apoſtolis acceptum, Traditione Eccleſiæ ad nos devenerit, pari, cum eis quæ ſcripta ſunt, religione tenendum. Quod etſi manifeſtum eſt, quærendum nobis eſſe; quia manifeſtum eſt, controverſa quædam Traditione tenenda pertendi, etiamſi Scripturis præcepta, ſatis clare oſtendi non poſſint; Tamen, utrum de ſenſu Scripturarum ex ſolis Scripturis conſtare poſſit, non eſt dubium, primo loco ſtatuendum. Neque enim conſtat, Eccleſiæ Traditio, num definiendæ tantum Scripturarum ſententiæ neceſſaria ſit, an etiam ſupplendis eis, quæ, licet non ſcripta, tenenda tamen ſint. Atqui, ultra Scripturas quid tenendum ſit, conſtare non poteſt, priuſquam, quid Scripturis contineatur, conſtare poſſit.

Scripturam eſſe omnibus perſpicuam, non conſtat ex poſitis.

Quo initio, quatenus Scripturæ definiendis de fide controverſis ſufficiant, quatenus ſeipſis perſpicuæ ſint, nec præter ſe quicquam ad ſententiam ſuam definiendam requirant, diſputari cœptum eſt, ſuo loco diximus; ambigui, ſiquid ego judico, ſenſus themate. *Perſpicuum* enim, ſive *clarum*, reſpectu ejus dicitur, *cui perſpicuum vel clarum* dicitur.

Digitized by Google

citur. Itaque quod oculis valenti clarum eſt, caliganti oculorum aciei obſcurum eſt. Neque unquam ſatis certus erit ac definitus controverſi thematis ſenſus, niſi, quibus perſpicuæ ſint Scripturæ, diſerte expreſſum ſit; Num ſcilicet, omnibus quorum intereſt, an potius, ſic vel ſic ſe habentibus. Et ſane merito videri poteſt, nimis præfractum viſum fuiſſe, etiam Scripturarum perſpicuitatem aſſerentibus, omnibus Chriſtianis perſpicuas aſſerere; Etſi omnium interſit eas perſpicuas eſſe. Cœptum eſt enim, ad ea quæ *neceſſaria ad ſalutem* tenenda ſint, earum perſpicuitatem reſtringere; Id quod ego contendo, ab hoc ſaltem initio, nec diſputari poſſe, nec definiri. Quod enim ad ſalutem neceſſarium eſt, id verum primo eſſe debet; quia aliter ad ſalutem tenendum non ſit; tum eo amplius. Itaque quod verum decerni non poſſit, procul abeſt ut ad ſalutem neceſſarium ſtatui poſſit. Neque ulla ratio iniri poteſt, ſtatuendi ex Scripturis, quid ad ſalutem neceſſario tenendum ſit, niſi ratione prius inita, verum à falſo in Scripturæ ſenſu diſcernendi. Sane, qui rem apud ſe recte reputaverit, facile comperiet, nihil eſſe in tota *Chriſtianiſmi ratione*, quam *Theologiam* appellamus Chriſtiani, arduum magis ac difficile, quam, quid ad ſalutem neceſſarium, quid non, pronunciare. Ego quidem bene mecum actum putabo, ſi, deſignatis tantum finibus & notis quibuſdam, intra quos conſiſtere oporteat, quicquid eſt ad ſalutem neceſſarium; de controverſis ſolis, quid ad ſalutem neceſſario tenendum ſit, pronunciando, quod ſuſcepi exoluere poſſim. Hoc ut ſuo loco facere poſſim, hoc primum initio, ex eis quæ in Scripturis maniſeſtiſſima ſunt; nimirum, quæ ad aſſerendam adverſus *Judæos* Chriſtianiſmum neceſſaria eſſe conſtitit; cauſam dicam ſummatim, καὶ ὡς ἐν τύπῳ, quatenus omnibus maniſeſta in Scripturis eſſe non poſſint, quæ tamen ad ſalutem neceſſario tenenda concedendum ſit; Nimirum, non eſſe omnibus quorum intereſt, hoc eſt, omni Chriſtianorum ordini, perſpicua in Scripturis, quæ ad omnium ſalutem

neceſsaria ſint. Neque enim præmiſſis hactenus & poſitis contradicat; veritati, ſcilicet, Scripturarum, ejuſque demonſtrandæ rationi, quam edidimus; qui, omnibus tamen Chriſtianorum ordinibus, etiam in neceſsariis ad ſalutem, perſpicuas & pervias neget. Quod ſi quis contendat, *Dei Spiritu præditis* perſpicuas eſse, & hoc verbis eis, quibus concipiendus eſt controverſiæ ſtatus,addendum pertendat, Sciat hoc ab initio excluſum, cum omne præjudicium, ſicut hinc hæreſis, & veræ Eccleſiæ, ita illinc, hominis Dei Spiritu præditi, aut ab eo alieni,deponendum eſse conſtitit, ut ad veritatem diſputando perveniri poſſit. Nam ſi neque Eccleſiæ auctoritate, neque Spiritus Sancti dictamine,tenendum univerſim Chriſtianiſmum conſtat, neque ſenſum Scripturæ, in controverſo quovis capitulo, vel Eccleſiæ pronunciantis auctoritate, vel Spiritus Sancti revelantis impulſu præjudicandum eſse conſtabit; Sed expectandas rationes, quibus verum à falſo in Scripturis diſcernendum eſse probabimus.

Neque ex Scripturis univerſim.

Reputemus nunc,quod ab Antonio Marinario Carmelita in Concilio Tridentino diſputatum accepimus; Niſi quæ ad ſalutem creditu neceſsaria ſunt omnia Scripturis contineri fateamur, reddi non poſse rationem, quare hæc quidem ſcripta ſunt, minime autem illa. Qui enim dicat; quædam eſse quæ Deus ſcribi voluerit, alia quæ noluerit; ei in reddenda differentiæ ratione, neceſse eſse aquam hærere. Tum, à ſucceſsoribus Apoſtolorum, ſine dubio, ſcripta eſse, quæ ad ſalutem neceſsaria ſunt. Cur autem ab eorum ſucceſsoribus ſcribi voluerit Deus, quæ ab eis ſcribi noluerit, rationem nullam reddi poſse. Nam, qui non Dei conſilio ac voluntate, ſed caſu accidiſse velit, ut hæc quidem ſcripta ſint, non autem illa, in Deum contumelioſus ſit; cujus impellente Spiritu ad ſcribendum Apoſtoli acceſſerint. Hæc eo valere fatendum eſt,ne Scripturis contineri, quorum fides omnibus ad ſalutem ſufficiat, negemus. Cæterum, ſi quis aſserat, clara eſse in Scripturis quæ ad ſalutem

Digitized by Google

lutem neceſſaria ſunt, omnibus quorum ſalutis intereſſe poſſit; ne nulla reddi poſſit diſcriminis ratio, quare, ad ſalutem æque neceſſariorum, clarius alia, alia obſcurius ſcripta ſint; ei aſſerendum fuerit; quo magis ad ſalutem pertineant, eo omnia clarius ſcripta eſſe; Quod, quam à vero alienum ſit, per ſe manifeſtum eſt. Neque eſt omnino præſcribendum, quod, cum rationi noſtræ blandiri videatur, Dei tamen conſilium ac voluntatem expreſſam Scripturis non habeat. Jam, manifeſtum eſt quidem Deum, & univerſim voluntatem ſuam ſcribi voluiſſe: Et ſigillatim, à ſingulis Prophetis atque Apoſtolis ſuis, eam quam, inſtituta, ac conſilia, ac tituli ſingularum ſcriptionum continent. Atqui ſingularum ſacræ Scripturæ partium tituli *hoc* Dei conſilium ſcripto proditum non continent; Deum *illis* omnia, quæ ad omnium Chriſtianorum ſalutem neceſſaria ſunt, tradi voluiſſe. Univerſorum autem in unum corpus, quod nunc tractamus, coagmentatio, nullum Dei conſilium præfert, quod eis rationibus, propter quas Chriſtiani ſumus, afferi poſſit. Cum enim gratuitæ Dei voluntatis fuerit, ad ſalutem hominum pertinentia ſcripto declarare; conſilio ſcribendi declarato, adhuc penes ipſum erat, quatenus hoc fieri vellet. Itaque, ad recte judicandum de hac re tota, nihil fieri poſſe puto accommodatius, quam, ut præcipuarum Scripturæ partium; Legis viz., Prophetarum, Evangeliorum, Scripturarum Apoſtolicarum, inſtituta, ac propoſitum ipſis ſcopum diſpiciamus; unde judicari poſſit, quatenus, vel ſingulis, vel univerſis, quæ ad omnium ſalutem pertinent, Deus omnibus, ex eis clara eſſe voluerit.

Neque ex Lege Moyſi & Prophetis.

Jam primo loco, Lex Moyſi; tantum abeſt, ut omnia ad ſalutem hominis Chriſtiani neceſſaria, declarare voluerit; utrum aliquid de vita æterna declarare voluerit, non eſt omnibus manifeſtum. Quid autem eſſe poteſt manifeſtius, quam omnia ad ſalutem neceſſaria, Lege adipiſcendæ vitæ æternæ, quæ nondum manifeſtato Chriſto obtinebat con-

tineri? Cum igitur Legem aſſequendæ vitæ æternæ obſcure ſcribi debuiſſe in Lege *Moyſi*, ex Dei conſilio, ad aſſerendam adverſus *Judæos* Fidem neceſſarium eſſe conſtiterit; neceſſaria ſaluti Fidelium Lege clara eſſe affirmare, idem eſt, ac *novum Teſtamentum Veteri velatum* fuiſſe negare. Itaque, etſi conceſſum fuerit, mortis ejus quæ hanc vitam aufert, editam in primum hominem ob peccatum ſententiam, ad futurum ſeculum pertinuiſſe; Tum, ſpem gratiæ divinæ, ipſis ſtatim à lapſu factam, in hujus ſeculi bonis exitum non habuiſſe; Tamen, qua ratione Lex *Moſis* ad inſtaurandam *originariam Paradiſi Legem*, lapſu primorum hominum initam, ex conſilio Dei pertinuerit; Chriſtianis omnibus in Lege *Moſis* manifeſtum eſſe; Ac proinde neceſſaria ad ſalutem eis in Lege manifeſta eſse, non fuerit ſani hominis exiſtimare. Neque alia ratio eſt Prophetarum, & univerſi Scripturæ Propheticæ inſtrumenti; hoc eſt, reliquæ, à Lege, Veteris Teſtamenti Scripturæ. Manifeſtum quidem eſt; neque ulla re magis manifeſtum, quam *Judæorum*, accepta a Patribus, & ad hunc uſque diem propagata *Traditione*, propter quam *Meſſiam* expectant; ita eum Prophetas expectaſse, ut adventum ejus,& legem quam daturus erat, adumbrando, quemadmodum ante dictum eſt, prædicerent. Atque hæc expectatio ad piorum ſub Lege ſalutem faciebat. Erat enim ejus libertatis expectatio,quæ ipſis, *Dei in Spiritu & veritate colendi* facultatem præſtabat, *Zachariæ* Cantico teſtante *Lucæ* I. 74, 75. Cæterum qui, quid Domini Chriſti diſcipuli de *Meſſiæ* regno ſententiæ habebant, Evangeliorum lectione intelligimus, qui *Reges,& Prophetas, & juſtos quamplurimos, quæ diſcipuli ejus videbant*, *ſummo ſtudio videre cupiviſſe*, aſserenti Domino credimus *Matt.* XIII. 17. *Lucæ* X. 24. non poſsumus putare, vel Evangelium *majoribus* pariter & *minoribus*, pariter Prophetis ac piorum vulgo cognitum fuiſse ſub Lege; vel Prophetis ipſis,pariter ac Chriſtianorum vulgo,poſt adventum Chriſti compertum eſt. Neque enim adhuc alia de cauſa Dominus,

Digitized by Google

nus, *minimum in regno Cœlorum Joanni* Baptiſtæ, *Matt.* XI. 11. quem Prophetis antepoſuerat, præponit, niſi quod tanto clarius Chriſtiani, quam *Joannis* Diſcipuli, quanto ipſi clarius, quam antiqui Prophetæ, conſilium Dei, de humani generis ſecundum Evangelium ſalute, intelligebant? Scio aliud his verbis intelligi ab *Origene*, & ſecuto *Origenem* S. *Hilario* inter alios; nimirum, τὸν μικρότερον ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν Dominum eſſe Chriſtum, qui *Joanne* minor regnum Cœlorum prædicet. Sed mihi tam dilutum videtur, majorem *Joanne* Dominum à ſe ferri, tam durum, *minorem Domino Joannem in regno Cœlorum*; qui ad regnum Cœlorum proprie non pertineat, cui viam tantum ſtruxit; ut non poſſit me poſitæ interpretationis pœnitere. Majoris ſane *gratiæ*, vel *Joannem* vel Prophetas, apud Deum fuiſſe, quam vulgus Fidelium, nihil prohibet; qui obſcurius cognitam ſalutis Legem clarioribus operibus executi fuerint. Obſcurius cognitam habere potuiſſe, quæ revelato Chriſto, ex eorum Scripturis probanda erat Fidelibus, quid prohibet? Quæ ſi vera ſint, quæ ad ſalutem hominis Chriſtiani neceſſario tenenda ſunt, omnibus quorum ſalutis intereſt, ut clara ſint, ex Prophetarum Scriptis clara eſſe poſſe, hominis fuerit, à communi hominum ſenſu alieni exiſtimare.

Occurritur Objectioni.

Itaque neque juvabit, ſi dicatur; Etſi non ſint perſpicue poſita in Lege & Prophetis, quæ ad Fidelium poſt Chriſtum ſalutem cognitu neceſsaria ſunt; perſpicue tamen poſitum eſse, quicquid ad ſalutem teneri neceſse eſt, ad eorum, quibus, ante Legem & ſub Lege per Fidem contigiſse ſalutem, Apoſtolorum diſputationes oſtendunt. Neque hoc inquam juvabit quemquam, qui Vetus Teſtamentum Novo revelari, non aliter ac Novum Vetere velatum fuiſse concedat; Quod omnibus concedendum eſt, quicunque rationem Fidei communis reddendam *Judæis* ſuſcipiunt. Niſi tamen perſpicue poſitum dici poſſit, quod velatum eſse ipſe fatearis. Neque enim conſilium cepiſse, velandi Veteris Fœderis Lege Novi Fœderis Legem, dici Deus poteſt,

quem omnia ad Novi Fœderis Legem neceſſaria Veteris Teſtamenti Scripturis perſpicue expreſſiſſe contendas. Itaque fatendum erit, Traditione Patrum acceptam Novi Fœderis Legem, ſive qui ante Legem, ſive qui ſub Lege vixerunt, lata Lege nullo modo vacaſſe. Patres autem, ita ante Legem, Novi Fœderis Lege Dei amicitiam adeptos, ut poſt latam Legem, ejus eandem amicitiam eadem Lege retinuerint habuerintque. Neque hoc melius conſtare poteſt, quam ex Traditione venturi Meſſiæ. Nam poſt repudiatos à *Samaritis* Prophetis, cum ex *Judaiſmo* ſolam Legem retinerent, expectaſſe tamen Meſſiam pariter ipſos cum *Judæis*, ex Evangelio ſecundum *Joannem* intelligimus IV. 25, 29. Ad ſalutis autem Legem, venturi Chriſti Fidem pertinuiſſe, jam dictum eſt. Quæ cum ex ſolis Prophetiis, ſive in Lege ſive poſt Legem ſcriptis habeatur, niſi perſpicue poſita dicamus, quæ per Prophetiam prædicta, neceſſe eſt obſcure poſita eſſe; quia omnem ſemper Prophetiam obſcuram eſſe oportuit; neceſſe eſt, venturi Chriſti Fidem, ad ſalutem neceſſariam, obſcure Veteris Teſtamenti Scripturis expreſſam videri. Quod ſi contendat pertinacia, ſaltem Venturi Chriſti Fidem, Prophetiis vel ante Legem vel ſub Lege editis perſpicue expreſſam; quod tamen ad ſalutem ſatis ſit, non eſſe perſpicue expreſſam, perſpicuum eſt. Nam cum futuri ſeculi ſalus venturi Chriſti promiſſo diſerte promiſſa non ſit; Quam non eſſe Lege & Prophetis diſerte promiſſam, eis quæ præmiſſa ſunt ſatis probatum habemus; Non poteſt, claro venturi Meſſiæ promiſſo, quod ad ſalutem ſatis ſit contineri. Sane, Spiritualium Veteris Teſtamenti præceptorum implendorum duplicem eſſe poſſe rationem, dictum eſt. Quid enim prohibet, quibus terræ promiſſæ fœlicitatem, ex Fœderis Lege, ſperare datum erat, eos Lege præcepta, ejus fœlicitatis intuitu, quæ per juſtitiam Lege expreſſam contingit, implere? Quibus autem, nullo Veteris Teſtamenti pacto futuri ſeculi ſpes conſtabat, eis, Dei voluntatem pro ratione, Dei gloriam pro fine omnium quæ

agebant

Digitized by Google

agebant ſequendi ratio, non erat idonea ratio Scripturis expreſsa, quæ pacti Legem nullam continebant. Quod ſi quis eandem eſse, ut ſalutis Legem Fidem, ita, ſub Evangelio qui ſub Lege eundem Fidei modum non dubitet; is, ſi Fidei modum ad ſalutem hominis Chriſtiani neceſsarium clare, vel Legis libris, vel etiam Prophetiarum expreſsum contendat, quod hominis ſani non eſt faciat. Denique, quod ſub Lege Naturæ per Fidem conſtitiſse Patribus ſalutis ſpem dictum eſt, id habere hanc vim dictum etiam eſt, ut obſervanda naturæ Lege, quomodo unius veri Dei fides, & ſpes promiſsorum divinitus editorum poſtulat, conſtaret. Itaque neque aliud exiſtet, etiamſi *Judæorum* Traditioni cedamus, ſex ſeptem præcepta Noachidis a Deo poſita; quorum Lege participes bonorum terræ promiſsæ ita eſse poſſent, ut etiam ſalutis ſpem haberent apud nos, Lege ſcilicet Fidei. Nec repugnandum, ſi quid *Adamo* præceptum a Deo tradunt; Quando ſemper, Fidei Lege ſalutis ſpem ipſis conſtitiſse, integrum nobis ſit aſserere.

Neque minus clarum eſt, quæ omnibus ad ſalutem tenenda ſunt, non eſse omnia quatuor Evangeliis; hoc eſt, eis Domini rebus, quæ ab ipſis referuntur; clare expoſita. Neque enim niſi *Lege Fidei* ſalvantur Chriſtiani. Atqui, neque *Fides*, neque *Baptiſmus in Fidem Patris, & Filii, & Spiritus Sancti* prius a Domino in ſalutis Legem conſtitutus eſt, quam Domino ipſi ſeculo decedendum eſset. Baptiſmus *Joannis in nomine venturi* miniſtrabatur; id eſt, in *Fide Meſſiæ*, quem olim venturum qui crederent, præſentem adeſse *Joanni* credere jubebantur. Affirmat enim S. *Paulus Joannem, aqua in pœnitentiam baptizantem*, populo præcepiſse, *ut in eum qui poſt ſe venturus erat, Jeſum ſcilicet Chriſtum, crederent. Act.* XIX. 4. Baptiſmum autem Diſcipulorum Chriſti, de quo *Joan.* III. 26. IV. 1, 2. *in nomine Domini Jeſu*, tanquam magiſtri ſui, a diſcipulis miniſtratum credi par eſt. Tum, Meſſiam ſe Dominus etiam palam, ac ſæpe profeſsus eſt: *Filium* autem *Dei*, qualem nunc credimus Chriſtiani,

Neque ex Evangeliis.

Digitized by Google

Chriſtiani, apud eos, in quorum ſalutem miracula edebat, à quibus haud infrequenter *pro Deo adoratus eſt*, *Matt.* II. 11. VIII. 2. IX. 18. XIV. 33. XV. 25. XXVIII. 9, 17. Et tamen, neque eum ſe Meſſiam ſemper palam tuliſſe, manifeſtum eſt; *Judæis* ab eo poſtulantibus, *ne ſe amplius ſuſpenſos teneat, ſed palam dicat, utrum ſe Meſſiam ferat necne*, *Joan.* X. 24. Et hoc ſtudioſe a ſe & conſulto factum, ipſe Dominus oſtendit, cum Apoſtolis mandat, *Matt.* X. 27. *Quod in tenebris vobis dico, in luce dicite. Et quod in aurem dictum accipitis, in tectis prædicate.* Filium autem Dei, cum offenſos videret *Judæos* quod ſe tuliſſet, nonne palam vim verborum ſuorum, argumento a majori emollit; *ſi David eos recte Deos dicat*, *de quibus Pſalmo* LXXXI. 6. *ſermo eſt*, *quanto minus blaſphemiam cenſendam, quod a Deo ſanctificatus, & in mundum miſſus, Deum ſe dicat?* Quo facto, nec a dicti ſui vi ac proprietate recedit, nec ipſum tamen aſſerit, ſed aſſerendum ſibi potius ſuo tempore ſervat. Qui expoſitionem S. *Joannis Chryſoſtomi* in SS. *Matthæum* & *Joannem* legerit, quot locis οἰκονομίαν Domini; hoc eſt, ut ego interpretari velim, in declaranda veritate quam prædicabat *parſimoniam*; præſtantiſſimus Scripturæ Interpres obſervaverit, non poteſt non meminiſſe. Quod autem ad Sp. Sanctum attinet; cujus donum, non prius promiſſum fuerit, quam diſceſſus de ſeculo Domini appropinquaret; quod nemini Evangelium S. *Joannis* legenti obſcurum eſſe poteſt, VII. 39. XIV. 16, 17, 26. XVI. 7, 15. in ejus nomen, ab initio prædicationis Dominicæ, baptizari non potuit.

Etiã quod ad vitam ac mores Fidelium attinet.

Quod autem ad converſationem vitæ Chriſtianæ attinet; cujus ſummam, *ſermone Domini in monte* ſecundum *Matthæum* propoſitam videmus; eam, non eſt dubium, ab initio palam a Domino prædicatam fuiſſe. Nam, Legem regni ſui aſſequendi, *in ſuſcipienda cruce ſua*; quam *baptiſmus*, ex inſtituto diſcedentis Domini, palam in poſterum celebrat; ab initio a ſe poſitam, ſæpius profitetur *Matt.* X. 32, 33, 38. XVI. 24. *Lucæ* XII. 8, 9. IX. 23. XIV. 26, 27. *Marci* VIII. 34.

X. 21.

Digitized by Google

X. 21. Sed ita tamen poſita eſt, ut regnum Domini ſui, ipſi Chriſti Diſcipuli, hujus ſeculi futurum putarent, & primas ejus partes pro ſe quiſque ambirent. Quare omnino videntur crucem Chriſti eo animo ſuſcepiſſe, ut, poſtquam eam ſubiiſſent, regnaturos ſe cum eo in hoc ſeculo, ſperarent. Eſt igitur omnino ſumendum, prædicationis Dominicæ tempus,ac proinde rerum ejus hiſtoriam, ab Evangeliſtis expoſitam, ad Vetus Teſtamentum pertinere; Novum ab ejus Aſcenſione initium ſumere, poſt legem ſalutis Apoſtolorum legatione promulgatam, dicente Domino; *Matt.* XXVIII. 19, 20. *Agite, Diſcipulos facite omnes Gentes, baptizantes eos in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: docentes eos obſervare quæcunque præcepi vobis. Et ecce ego vobis adſum ad finem uſque ſeculi.* Sane,quicquid a Domino factum eſt, jure Prophetis Lege *Moyſi* conſtituto actum conſtat; Cujus abolendæ Legis conſilium,non erat ipſi palam ferendum, quamdiu expectabatur conſenſus *Judæorum* in Evangelium; qui ſi ſecutus fuiſſet, nunquam ipſi abolitam legem cauſati fuiſſent. Itaque non eſt mirum, ſi Eccleſiam ſuam; id eſt, regnum gratiæ ſuæ; Dominus, parabolis ſibi adumbrandum putaverit: Et duplicem Veteris Teſtamenti ſenſum, in ſermones ſuos Evangelicos intulerit. Nam & populus Chriſtianus Spiritualis *Iſraelis* nomine cenſendus erat: & ſinguli Chriſtiani,fœlicitatem terræ promiſſæ,ea ſpe futuri ſeculi,& nato ex ea ſpe gaudio cœptam, in animis ſuis inchoari ſentiunt,quam in futuro ſeculo impletum iri non dubitant. Itaque non eſt mirum, ſi vel ſe ipſum Dominus, *Lucæ* IV. 21. vel Dominum Evangeliſta, *Matt.* VIII. 17. proponat, tanquam in quo Prophetiæ *Eſaiæ* LIII. 4. LXI. 1. impletæ ſint. Quis enim dubitet, vel *Filii prodigi parabolam Lucæ* XV. vel ejus *qui in latrones incidit* in itinere *Lucæ* X. ad generis humani ſalutem per Chriſtum pertinere? Quis acclamationes turbarum, Dominum ultimo *Jeroſolyma* ingredientem ſequentium *Matt.* XXI. ad ſalutem, tum Patrum, tum noſtram,per eundem Chriſtum?

Illud

Digitized by Google

Illud difficilius, quod, quæ apertiſſimo ſenſu, in veteri populo impleta fuiſſe, manifeſtum eſt, ea Evangeliſtarum auctoritas, in eis quæ Domino Chriſto in terris agenti acciderunt, impleta credere cogit. Exemplo ſit *Hoſ.* XI. 1. quod de *Iſraele* dictum, *Ægyptum* egreſſo, de Domino inde reverſo *Matt.* II. 15. intelligendum oſtenditur; *Ex Ægypto vocavi filium meum.* Sic *Jer.* XXXI. 15. quæ ſcripta leguntur, idem ibidem de *Infanticidio Herodis* intelligit. De *Pſalmis* dictum eſt; In quibus, aperte in *Davide* impleta ſunt multa, quæ de Domino prædicta Evangeliſtæ affirmant XLI. 9. LXIX. 9, 21. VIII. 2. CIX. 8. *Joan.* XIII. 18. II. 17. *Matt.* XXI. 16. *Act.* I. 20. Sed hæc apprime ſupradictis conveniunt. Nam, ſi populus *Iſraeliticus* populo Chriſtiano, ſi Reges ejus, Prophetæ, ac Sacerdotes, Domino primum Chriſto, tum, ſingulis Chriſtianis ea ratione reſpondent, cui nititur myſtici ſenſus a literali diſcrimen; non poteſt mirum videri, de Chriſto dicta ab Evangeliſtis exponi, quæ, niſi expoſitis eis, quæ Chriſto ipſi accidiſſe narrant, non poterant videri de Chriſto dicta eſſe. Sed hæc eo dicta ſint, ut ſenſus myſtici ab hiſtorico diſcrimen, quatenus locum habeat in Evangeliſtis, definiri poſſit. Nunc, quod hoc loco propoſitum eſt; ſi hoc diſcrimen in Evangeliis obtinere debuit, ſi Lex ſalutis, in fide Baptiſmi, in ea vitæ converſatione, quæ Chriſtiano regnum Dei deſpondet, non fuit prædicatione Domini Chriſti, quam commemorant Evangeliſtæ, clare exponenda; manifeſtum eſt, quæ ad omnium ſalutem tenenda ſunt, non poſſe clare Evangeliis contineri.

De eis quæ in Evangeliis impleta *dicuntur.*

Quæri hoc loco poteſt, cum Apoſtolorum, adverſus *Judæos*, & *Judaizantes* Chriſtianos diſputationes, Epiſtolis eorum conſignatæ, una ſint continua, a myſtico Veteris Scripturæ ſenſu argumentatio; quam vim habeant, adverſus *Judæos*, interpretationes myſtici Veteris Scripturæ ſenſus, quas, a Domino & Evangeliſtis, Evangeliorum commentariis proditas diximus. Scilicet *clamantibus pueris*; *Hoſanna Filio David*, cum ſilentium a Domino imponi vellent

lent Sacerdotes ac Scribæ, reſpondet; *nunquamne legiſtis* (quod *Pſalmo* VIII. 2. ſcriptum eſt) *ex ore Infantium & lactentium perfeciſti laudem?* Quod apud *Davidem*, omnino de veteri populo intelligendum videtur; per quem, vicinarum circumcirca *Gentium* odio propter diverſitatem Legum expoſitum, omnibuſque humanarum opum præſidiis, ex ſuis Legibus, deſtitutum, ut ſoli Deo fidendum ſibi ſciret, tanquam lactantium puerorum inſtar imbellem, multa gloriæ ſuæ ſpecimina Deus ediderat. Qui autem conſilium Domini, de ſubigendis in obſequium Fidei, per Apoſtolorum ac diſcipulorum miniſterium, *Gentibus*, effectum fuiſſe ſortitum videmus, multo clarius eorum victoriæ convenire hanc vocem videmus. Interea loci, non poſtulabat à *Judæis* Dominus, ut crederent, propter puerorum voces, ipſum celebrantium, ſuo tempore hoc eventurum. Sed, qui parvulorum ſimplicitatem, mirandis quæ patrabat operibus commotam, ſuo conſilio in has voces prorumpere agnoſcebant, volebat eis ſignificare, mirabilem prædictionis Apoſtolicæ eventum, non niſi ſuo conſilio deſignatum. Quo facto, idoneum nobis reliquit, convincendæ ſecuturorum *Judæorum* pertinaciæ, argumentum. Evangeliſtas autem, non opus eſt dicere, cum, verbi gratia, revocatum ex *Ægypto* Dominum legimus, ut *impleretur, quod ſcriptum eſt apud Prophetam*; *ex Ægypto vocavi filium meum*; *Judæos*, hujus Scripturæ argumento, ad fidem vocare, quaſi ejus nullus fuiſſet ſenſus idoneus, niſi de Chriſto intelligatur. Fidelibus enim ſcribebant Evangeliſtæ, non *Judæis*; Nec opus habebant aſtruere fidem Evangelio, eis, quibus Fideles, de recondito Scripturæ veteris conſilio, inſtruebant. Satis Apoſtolicæ prædicationis fidei conſultum erat, cum, ex hypotheſi Legis Evangelio, terræ promiſſæ regno Cœlorum, veteris populi Eccleſiæ Chriſti reſpondentis; Quam hypotheſim, omnibus veteris populi ætatibus, etiam Domino in terris agente, & ſecutis ipſum ſeculis receptum, ex ipſis veteribus Scripturis, prædicatio Domini & miracula, pro

Digitized by Google

ſundamento novi Fœderis, commendabant; Apoſtolicarum diſputationum argumentis reſiſti non poſſe, à *Judæis*, compertum eſt. Itaque, cum in eis quæ Domino accidebant, impletas veteres Prophetias notant, de recondito Dei conſilio certiores Fideles reddunt; Sed tamen, in quo ſemper ſalva ſit poſitæ ſemel analogiæ ratio. Nam ut *Pſalmos* in *Davide* primum, inde in Chriſto, tum in populo Chriſtiano impleri dictum eſt; Perinde, quæ de eis dicuntur in veteribus Scripturis; quibus reſpondere debere vel Chriſtum, vel Chriſti *myſticum corpus*, ex analogiæ poſitæ ratione diximus; in Novo Teſtamento, ex inſtituto Fidei fundamento exponenda erunt. Itaque non eſt mirum, ſi *Iſrael, Dei Filius*, ex *Ægypto evocatus*, argumento ſit revocati ex *Ægypto* Domini Chriſti; Præſertim, cum ad firmandos Fideles faciat, ex hujus ſeculi *Ægypto*, per Evangelicæ prædicationis gratiam, Gentes revocatum iri. Ad eundem modum, quod de cœſis *Ramæ*, ad *Benjamini* Tribum, *Rachele* orti, pertinente, dictum eſt *Jer*. XXXI. 15,16,17. ad Infantium *Bethlemiticorum* cœdem pertinebit, & ad *Rachelem Bethlemi* ſepultam; Præſertim ad conſolationem Fidelium, quicunque ex Evangelici Fœderis Lege, mortem, vel crucem Chriſti quomodocumque ſubeunt, pertinens. Neque illud omnium difficillimum; qnod *ſeceſſiſſe Nazarethan Joſephum* legimus *Matt.* II. 23. *Ut impleretur quod ſcriptum eſt in Prophetis, &* *Nazarenus vocabitur*; ab eadem ratione abludet; Nimirum, ſi *Nazarethæ* urbis Etymologiam ad *Eſaiæ* Prophetiam exigamus XXI. 2. quæ Dominum Chriſtum נצר appellat, ex trunco Jeſſe; quæ eſt S. *Hieronymi* in *Eſaiæ* locum ſcribentis interpretatio, proxime omnium, ut videtur, ad veritatem accedens. Ad eandem rationem ſi exponantur, quæ ex *Zachariæ* Prophetiis IX. 9. XI. 12, 13. XII. 10. adducunt Evangeliſtæ, ut, in eis quæ Domino acciderunt, impleta affirment *Matt.* XXI. 5. *Joann.* XII. 15. *Matt.* XXVI. 15. XXVII. 9, 10. *Joann.* XIX. 34, 37. *Apoc.* I. 7. non erit quod *Judæi* cujuſquam calumniam Fidelis quiſquam reformidet.

Itaque,

Itaque, etſi quæ geſta narrantur ab Evangeliſtis,vel omnino accidiſſe, ut *implerentur,* quæ veteribus Scripturis prædicta fuerant, *Spiritus Sancti chariſmate prævio* enarrari ab ipſis intelligantur; Tamen, cum interpretationibus ipſorum analogiæ ejus ratio conſtet, ſecundum quam Vetus Teſtamentum Novo, ex Dei conſilio reſpondet; Facile eſt, hoſtium Fidei cavillationes contemnere, eum ſenſum Scripturæ repudiantium, quem, niſi enarrante Spiritu Sancto, intelligi non potuiſſe, videtur. Cœterum, cum rerum Domini ſignificationem, obſcuris adeo indiciis, rebus Veteris Teſtamenti inſerere Deo viſum fuerit, quibus aperiendis, Spiritus Sancti donis opus fuerit; Quid mirum eſt, ſi ſalutis Legem, cui ſanciendæ miſſum Dominum credimus, prædicante ipſo, tam parce publicandam putaverit, ut ex dictis ejus & factis, Evangeliſtarum narratione commemoratis, haberi non poſſit, quod ad omnium ſalutem,quorum intereſt, ſatis ſit?

Verum hæ rationes,cum de Apoſtolorum ſcriptis ſermo eſt, locum non habent. Tradita enim Fide; hoc eſt, Tradito Baptiſmo in Fidem Trinitatis; quid cauſæ eſt, quo minus, quæ ad omnium ſalutem tenenda ſunt, palam docerentur? De *Apocalypſi* non loquor; quæ cum Prophetia ſit, obſcuritatem omnibus Prophetiis communem habere debet; Ita tamen,ut nihil obſtet,quo minus,quæ ad ſalutem pertinent, clarius ſubinde explicet,quam alibi expreſſa ſint. Hac ſepoſita, quæ ad cœtus Chriſtianorum, ex *idiotis* magis quam *doctis* conſtantes ſcripta ſunt, niſi clara fuerint eis quibus ſcripta ſunt, quomodo ipſis conſultum ab Apoſtolis dicemus? Hic tamen diligenter tenendum, quæ ad Chriſtianorum cœtus ſcripta ſunt *Chriſtianiſmum* ſupponere, id eſt *Baptiſmum*; Baptiſmum autem, *Catechiſmum:* Id eſt, in credendi rationibus, in eis quæ ad ſubſtantiam fidei; hoc eſt, in eis quæ ad ſalutem omnium neceſſario tenenda ſunt; inſtitutionem. Hanc enim inſtitutionem Baptiſmo ab Apoſtolis præmiſſam, tam multa ſunt in eorum ſcriptis quæ

Epiſtolæ Apoſtolorum ſupponunt Catechiſmum.

Digitized by Google

fidem faciant, ut ab homine, cui hæc curæ ſint, in Chriſto, parvi fieri non poſſint. *Deo gratias*, ait S. *Paulus*, ad *Rom.* VI. 17. *quod quondam ſervi peccati, obſecuti eſtis ex animo ei formæ doctrinæ, quæ tradita eſt vobis.* Sic *Arabica* verſio, rectius quam vel *Latina* vel *Syriaca.* Nam παρεδόθητε ita poſitum eſt, ut in Evangelio οἱ πτωχοὶ εὐαγγελίζονται; Fidem ſuſcipiunt qui Baptizantur, ut Evangelium pauperes. Neque aliter Verſio *Æthiopica. Forma doctrinæ*, ſumma eſt Chriſtianiſmi, quæ Baptizandis tradebatur. 2 *Petri* II. 21. *Melius ipſis fuerat veritatis viam non agnoviſſe, quam, cum agnoviſſent, à tradito ſancto mandato receſſiſſe. Sanctum mandatum*, quod *traditum* receperunt, id eſt, quod S. *Judas*, in eadem re, *fidem ſemel traditam Sanctis* appellat *Judæ* 3. S. *Paulus*, *Fidem* ſine additione, ac *depoſitum* 1 ad *Tim.* VI. 20. *Depoſitum tibi creditum cuſtodi, profanas vocum novitates devitans, & ſcientiæ falſo dictæ contradictiones.* Hæc enim omnia *Traditionem Fidei* commendant, quam tum Gnoſtici adulterabant. Eodem ſpectant quæ legimus, 1 *Joan.* II. 20, 24, 27. *Habetis*, inquit, *à Sancto Chriſma, & omnia noſtis. Non ſcribo vobis, quod veritatem ignoretis, ſed quod eam cognoſcatis: Et quod nullum mendacium à veritate proficiſcatur. Itaque, quod ab initio accepiſtis in vobis maneat. Si quod ab initio accepiſtis in vobis maneat, vos etiam in Filio ac Patre manebitis.* Et rurſus; *Chriſma quod ab eo accepiſtis in vobis manet: Neque opus habetis ut vos doceat quis; Sed quemadmodum Chriſma illud de omnibus vos docet, ac veritas ſe habet, non autem mendacium, perinde in illo manete.* Nam de quibus loquatur, ipſe teſtis eſt; *Egreſſi ſunt*, inquit, *de nobis, quia ex nobis non erant; Nam ſi ex nobis fuiſſent, manſiſſent utique nobiſcum.* Gnoſticos enim Chriſtianiſmum ſimulaſſe, *Judas* Apoſtolus clariſſime nos docet, cum eos παρεισδυῆναι ait, & *maculas eſſe in Agapis Chriſtianorum*, à quibus, poſtquam ſeduxerint quos potuerint, diſceſſionem faciant, *Judæ* 4, 12, 19. Et hoc eorum poſteros ſemper feciſſe, omnes *Eccleſiaſtici* Scriptores, *Dionyſius* præſertim *Alexandrinus*, apud *Euſebium* in Hiſtoriis, VII. 7. teſtes

ſunt.

ſunt. Ibi, deceſſorem *Heraclam* hanc formam in recipiendis eis qui ab his Hæreſibus redirent tenuiſſe, & ſibi prodidiſſe ſcribit, ut, non niſi proditis eorum ſecretis diſciplinis communionem indulgeret. Ac propterea laudat *Irenæum Tertullianus*, ut *curioſiſſimum omnium doctrinarum exploratorem*; quod, ob producta in lucem Hæreſium arcana, non minus ipſi debeat Eccleſia, quam ob additam refutationem. Quod igitur ab initio acceperant, id *Unctionem* vocat S. *Joannes*; quod acceptum, Spiritus Sancti dotem, ſincere Baptizatis promiſſum, ſecum ferret. Hanc, *omnia* ipſos *docere* ait, de quibus nempe ſermo eſt; Et quæ ad fidei formulam & ſalutem pertineant; de quibus poſtea, 1 *Joan.* III. 9. *Qui de Deo natus eſt non peccat; Semen enim ejus in eo manet.* Semen enim hoc eſt, ex quo natus eſt. Hoc in ſecunda Catholica 6, 7, 9. cum S. *Paulo*, *mandatum quod ab initio acceperant*; appellat, & *Chriſti doctrinam*; contra quam qui tum facerent, eos *Antichriſtos* appellat. Et S. *Petrus*, cum Baptiſmum ſalutem afferre, *non propter immunditiæ Carnis depoſitionem, ſed propter interrogationem, cui ex ſincera conſcientia reſpondeatur*, affirmat 1 *Pet.* III. 20. illud innuit, cui Baptizandi ſe obligabant, cum Chriſtianiſmum ideo ſuſcipiebant, ut Baptizari poſſent. Sed omnium clariſſime S. *Paulus* 2 ad *Tim.* II. 13, 14. *Formam tene ſanorum verborum, quæ a me audiſti, per fidem & dilectionem in Chriſto Jeſu.* Eam ſanæ doctrinæ rudem delineationem, quam à ſe acceperat, fide ac dilectione retinendam ſignificat. Itaque ſequitur; *Bonum depoſitum cuſtodi, per Sp. S. in nobis habitantem.* & II. 2. *& quæ a me, multis teſtibus accepiſti, concrede fidis hominibus, qui alios etiam docere poſſint.* Nam *docendi* erant, qui alios docerent, quæ ad conſequendum Baptiſmum profitenda erant; *Profeſſio* enim Baptiſmo præibat, ut profeſſioni *Catechiſmus*. Itaque non ſolum fide tenendis, ſed etiam agendis conſtabat; in utriſque enim ſimul poſitus eſt Chriſtianiſmus. Quare S. *Paulus*, non ſolum a ſe tradita, ſed a ſuis recepta commemorat. Nec ſolum officio, ſed *pacti Fœderis vinculo* eos

ſtringit

ſtringit, 1 ad *Theſſ.* IV.1,2,11. 2 ad *Theſſ.* III. 6. Idem *Timotheum profeſſionis* admonet, quam Baptizandus *multis teſtibus* ediderat: Eamque, exemplo *profeſſionis a Domino ſub Pilato*, de regno ſuo ſpirituali editæ, ſine *macula cuſtodiendam* inculcat, 1 ad *Tim.* VI.12,13,14.

Et habent ſuas cauſas obſcuritatis.

Et hæc quidem, quatenus omnibus clara ſunt in ſcriptis Apoſtolorum, quæ ad omnium ſalutem tenenda ſunt, ſatis oſtendunt; Nimirum, quos in eis inſtitutos ſupponimus, eos, quatenus tradita cuſtodirent, ab eis quæ ad ſalutem tenenda ſunt in Apoſtolorum ſcriptis, abduci non poſſe. Quod ſi de his quæri contingat, inter eos præſertim, quorum dotes, propter ſortem eorum non vulgarem, vulgus Eccleſiæ ſuperare par eſt; Quis dicat, veri à falſo diſcrimen, omnibus quorum ſalutis interſit, in Scripturis clarius extare, quam ut pravorum ingeniorum artibus obſcurari poſſit? Neque enim ulla nota in Scripturis poſita eſt, quæ neceſſaria ad ſalutem a non neceſſariis diſtinguat. Cœterum, quæ omnibus veterum ſcriptis tenebras offundunt, ea nec Apoſtolorum ſcripta; ac proinde, nec reliquas Scripturas; omnibus claras eſſe patiuntur. Quantæ eruditionis ſit, in veterum ſcriptis, cuicuimodi ſint, interpretandis, ſine labe verſari, omnibus qui literas deguſtaverint, manifeſtum eſt; Neque vel leviſſimos ſcriptores, ſuæ ætatis vetuſtate, ab hujus ſeculi uſu moribuſque remotos, niſi collatione eorum, qui, temporis ac rerum ſubjectarum cognatione, proxime ad eos accedunt, intelligi. Ad Scripturas autem intelligendas, non ſolum *linguarum*, quibus editæ ſunt, cognitionem; non ſolum *contextus*, id eſt, præcedentium ac ſequentium accuratum examen; non ſolum inſtituti ſermoni *ſcopum*, ejuſque ex Hiſtoriæ ac rationis rectæ dictamine indaginem, etiam qui maxime perſpicuam Scripturam volunt, ad ejus claritatem requirunt; Sed qui paulo plus in literis profecerunt, *hiſtoriæ* temporum, ac *antiquitatis*, tum *Hebraicæ* tum *Chriſtianæ* exactam ſcientiam, omnino neceſſariam contendunt; Quæ, ut reliquam Scripturam, ſic etiam Apoſtolicam,

licam, in omnibus, hoc eſt, ſine limitatione, perſpicuam perhiberi non patiuntur. Tum, quod totius Novi Teſtamenti eſt, in eis præcipue apparet. Eſt enim univerſum ipſorum ratiocinium nihil aliud, quam, a carnali ac literali veteris Scripturæ ſenſu, ad ſpiritualem novæ, ab hiſtorico ad myſticum, a *Judaico* ac legali ad Chriſtianum & Evangelicum *argumentatio.* Scilicet diſcedens Dominus, cum Sp. S. ſuis inſpiraret *Joan.* XX. 2. *aperuit etiam ipſis corda*, *intelligendis Scripturis*, *Lucæ* XXIV. 32,45. quibus ipſe *corda* eis interpretandis *accendiſſet.* Itaque inter *gratias Spiritus Sancti*, ab aſcenſu Chriſti in Eccleſiam effuſas, numeranda eſt, eiſque accenſenda hæc *Scripturæ interpretatio*; quæ ad *Scripturarum ſcrutinium*, a Domino præceptum *Joan.* V. 39. manifeſto pertinebat; quod ſine ea, non ſalutem æternam, ſed hujus ſeculi fœlicitatem Legales Scripturæ præſtarent. Et ſane merito *Juſtinus M. dial. cum Typhone*, plus ſemel, ut dictum eſt, ſibi, id eſt Chriſtianis; hanc gratiam aſſerit; Non quidem immediato Spiritus Sancti inſtinctu; (Neque enim aſſerendæ ſunt Scripturæ ab ipſo poſitæ interpretationes, pro divinis, ut dictum eſt) ſed ſtudio humano adjiciente eis, quæ Sp.S. inſtinctu ſcriptis Apoſtolorum prodita ſunt. Quæ ſi vera ſunt, manifeſtum eſt, non poſſe clara eſſe omnibus, quæ, niſi impulſu Sp. S. Apoſtolis Domini inſpirata fuiſſent, rationis humanæ uſu, ex Veteri Teſtamento intelligi non potuiſſent. Ac, ſi perſpicuas Scripturas eſſe velimus, quod omnibus ſalutem quærentibus ſatis ſit, his finibus contentos nos eſſe debere; ut in eis quæ ad ſalutem tenenda ſint, eis ſolis perſpicuæ ſint, qui *ſummam Chriſtianiſmi*, ab Apoſtolis *traditam*, ad earum interpretationem afferunt. Abſolute autem, & in omnibus, non niſi eis perſpicuæ ſint, qui linguarum primum, artiumque ac literarum humaniorum ſupellectilem idoneam nacti, hypotheſim ejus analogiæ, qua Nova Scriptura Veteri reſpondet, ad interpretationem eorum, quæ ab Apoſtolis ex veteri diſputantur, adhibeant. Nam cum *perfectum* ſit omne *inſtrumentum*, (Scriptura autem

Vetus

Digitized by Google

Vetus ac Nova, trahente eruditæ verbi proprietatem ad Legem Fidei *Tertulliano*, Vetus eſt ac Novum *inſtrumentum*) quod, ad id quod ſpectat, inſtitutum idoneum eſt; Inſtitutum autem Dei Scripturas inſpirantis, ex manifeſtis, in Scripturis ipſis quas produximus, colligendum ſit, non ex præjudicata hominis cujuſquam ſententia præſumendum; manifeſtum eſt, Scripturam aliter claram & perfectam velle, quam Deum voluiſſe conſtet, ad Dei, & ad Scripturæ divinæ contumeliam pertinere. Scio multa proferri ex Scripturis, quæ diverſum arguere videantur. Sed ea cum clariſſime ſolvantur, poſtquam, quomodo Eccleſiæ à Deo conſultum ſit, definitum fuerit, omnia ei loco reſervamus, in quo ipſis occurri poſſit.

CAP. VII.

Eccleſiæ unitatem in Communione poſitam eſſe; Cui indulgendæ inſtituta a Domino poteſtas clavium Societatem Eccleſiæ contineat.

Communionem in cultu Dei, Eccleſiæ Unitatem ſibi velle.

NUNC illud diſputandum eſt, quod initio propoſui; Unitatem illam Eccleſiæ, quam inſtituit Chriſtus, quam profitentur Chriſtiani, non eſſe ſpiritualem tantum, quæ animam ſolam afficiat, ſed ſenſibus ſubditam; non in fidei ſola unitate ſitam, & charitatis conjunctione, ſed in eorundem *cultus divini officiorum Communione*, propter quam & conventus ſacri, & conventuum tum loca, tum tempora, tum reliquus omnis Ordo inſtitutus ſit; Itaque Eccleſiam *Corpus* eſſe, & hominum *Societatem*, ac πολιτείαν quandam, non quidem civilis vitæ cauſa, aut artis cujuſvis ad civilem vitam pertinentis, ſed Dei in integritate Chriſtianiſmi colendi, inſtitutam. Nimirum, ſolent ſummæ poteſtates & Reſpublicæ, Legibus quibuſdam,

quibuſdam, & exemptionibus à communi civium jure; redigere in communitatem quandam, quos de patria bene merituros, ea in re, cujus intuitu, à reliquis ſegregati inter ſe uniuntur, ſpes eſt. Hæ omnes, conſtitutionis ſuæ jure, *Reſpublicæ* quædam ſunt, poteſtate quadam in ſuos prædita, quam inſtitutionis ſuæ leges definiunt; Quas leges, niſi *producere* ipſis, & *reſtringere*, niſi *interpretari*, niſi *exequi* cum effectu conceſſum ſit, fruſtra inſtituuntur. Ea enim eſt rerum humanarum lex, ut ex eventuris, quid ad ſocietatis cujuſvis ſcopum ac finem, vel utile futurum ſit vel neceſſarium, non ſit humanæ prudentiæ ab initio proſpicere: Sed hæ omnes, finibus ejus Reipub. continentur, cujus jure ac arbitrio inſtitutæ ſunt. *Ariſtoteles* alicubi σύμπλοιαν nominat, eorum ſocietatem ac communionem, qui eidem ſe, ſive navi ſive claſſi, credunt, ut ad eundem portum perveniant. Et in hodiernis Orientalium moribus; qui niſi in ſocietatem coeant, itinera tuta a *Latronibus* non habent; *Caravannæ* nominantur; quas אורחות *Hebræi* appellant, quas ineunt ſocietates. Utriſque jure Gentium, ut munera quædam, ſic jura communia ſunt. Cum igitur & *civili jure*, ab ejuſdem Reipub., & *Gentium*, a diverſarum civibus, ſocietates quaſdam & communiones coiri tralatitium ſit; Eccleſiam, divino Chriſtianiſmi jure, Rempub. quandam ſacram eſſe debere, cujus legibus, omnes omninò Chriſtiani ſecum invicem, in Deo, ex integra Chriſtianiſmi profeſſione colendo, communicare poſſint, ſi facultas ſit; deinceps probandum ſuſcipio. Neque enim hoc ex Dei promiſſo, a recepto Chriſtianiſmo ad finem ſeculi, vel futurum, vel non futurum, hoc loco in me recipio; A Deo inſtitutum, non, niſi eorum *crimine* qui *unitati* obſtant, fruſtra eſſe poſſe contendo.

Quibus argumentis demonſtrandum hoc ſit.

Et tamen, expreſſam hujus inſtituti mentionem nullam ex Scripturis Novi Teſtamenti proferri poſſe; quamvis magnopere, tum ad ſalutem Chriſtianorum, tum ad veritatem Chriſtianiſmi pertinentis; non eo inficias. Sed cur hoc factum non ſit, rationem mihi videor neceſſariam pro-

ferre, quæ in oculos incurrat. Cum enim Eccleſiæ inſtitutionem, ita ſuis Apoſtolis Deus crediderit, ut, ſucceſſum eos latere, qui ad Eccleſiam aggregaturi ſeſe eſſent, ad eorum ſalutem pertineret; merito, non ſolum conſilium ſententiæ ſuæ, ſed etiam voluntatis præceptum, ea diſcipulorum ſuorum auctoritate, ea Chriſtianorum inter ſe charitate, quibus hujus unitatis & ratio & fines continebantur, involutam, proponere ſatis habuit. Nam, *ſi oportet hæreſes eſſe, ut manifeſti fiant quos Deus probat*; quod docet Apoſtolus 1 ad *Cor.* XI. 19. merito eos, qui charitatis Chriſtianæ intuitu, unitatem Eccleſiæ, jure ab Apoſtolis derivato, etſi minus (ut ipſis videtur) ad Dei voluntatem, conſtitutam, opinioni ſuæ antehabeant, difficili à Deo tentamento probatos accipimus. Sed tamen idoneis argumentis nequaquam nos Deus deſtituit, quibus, ſecundum ea quæ hactenus conſtituta ſunt, inſtitutam a ſe Eccleſiam manifeſtum fiat; Accedente nimirum, ad Scripturæ authoritatem, omnium ab initio Chriſtianorum, ad Dei interpretandum conſilium, & verbi Dei ſenſum, conſenſu. Nam eorum, in hac cauſa, qui propter eam in partes diviſi, veritatem ejus, tuendis ſuis utrinque inſtitutis, ultra lineam trahere merito cenſeri poſſunt; eorum inquam, in hac diſputatione rationem nullam ducimus.

A nominis uſurpatione apud Apoſtolos.

Nomen Eccleſiæ, primo loco, ejuſque, per ea quæ adjecta leguntur, vel limitatio ad certam partem Eccleſiæ ſignificandam, vel extenſio ad totam, argumento erit; quod nemo dubitare poſſit, ſingulas Eccleſias corpora quædam eſſe, legibus quibuſdam regiminis ſui, hominum ſenſibus ſubdita, id de tota dubitandum non eſſe. *Eccleſias Judææ, Samariæ, & Galilææ Act.* IX. 31. legimus. Et *Epiſtolam* ad *Ebræos*; tum SS. *Petri & Jacobi Catholicas*, ad *Eccleſias Ebræorum* ſcriptas intelligimus. *Eccleſias Gentium*, quas S. *Paulus* ad *Rom.* XVI. 4 commemorat, *Eccleſias* eſſe *Aſiæ, Galatiæ, Macedoniæ*, de quibus in 1 ad *Cor.* XVI. 1, 9. *Apoc.* I. 2. 2 ad *Cor.* VIII. 1. facile intelligimus. Rurſus, pollicente

Domino,

Digitized by Google

Domino, *ſuper hanc Petram fundabo Eccleſiam meam, Matt.* XVI. 18. jubente Domino, *ad Eccleſiam* eum deferre, qui ſub teſtibus monitus officium non recognoſcat *Matt.* XVIII. 17. quis aliud quam totam intelligat; etſi adiri non poſſit tota, niſi per partem; quia nihil agat qui partem adeat, niſi partis ſententiam tota ratam habeat? Apoſtolus ad *Col.* I. 24, 25. *miniſtrum ſe Eccleſiæ* conſtitutum refert, *quæ corpus ſit Chriſti.* Atqui non hujus, non illius Eccleſiæ, ſed univerſæ. Neque enim Apoſtoli munus ullam partem Eccleſiæ, ſed totam reſpicit. Itaque tota eſt Eccleſia, in qua *conſtitutos a Domino Apoſtolos, Evangeliſtas, ac Prophetas,* apud S. *Paulum* legimus 1 ad *Cor.* XII. 28. ad *Eph.* IV. 11. neque enim munera eorum parte quavis Eccleſiæ definiri poſſunt. Itaque unitas Eccleſiæ, quam ibi multis magnifice prædicat Apoſtolus, non poteſt ad *Epheſinam*, cui ſcribit, reſtringi; Non poteſt non ad *Totam* pertinere. Quamdiu quidem Chriſtianiſmus omnis Eccleſia erat *Jeroſolymitana*; quid refert, utrum *Eccleſiæ* nomen ad Eccleſiam *Jeroſolymitanam*, an ad totam referamus *Act.* II. 47. V. 11. VIII. 1, 3.? nam etſi illud tantum ſignificet, quod oculis uſurpabant; Eccleſiam ſcilicet *Jeroſolymitanam*; tamen vi juris, diſcipulis ſuis a Domino tributi, id erat tunc una Eccleſia quod tota; quod ejus regendæ jus & auctoritas penes eos eſſet, penes quos futura eſſet univerſæ regendæ jus & auctoritas. Neque enim ampliorem poteſtatem vel habere, vel uſurpare unquam poterat univerſa Eccleſia, quam ab Apoſtolis & Diſcipulis Domini, qui tum omnes ad *Jeroſolymitanam* pertinebant, acciperet. Commemorandum eſt hoc loco *ellogium* quod Eccleſiæ tribuit Apoſtolus, ut *columna ſit & ſuſtentaculum veritatis*; 1 ad *Tim.* III. 25. quamvis video viros doctos, interpunctione mutata, trahere illud ad id de quo ſequitur, apud Apoſtolum, *pietatis myſterium*; Ut hoc velit dicere, ex eorum ſententia, Apoſtolus; *columnam eſſe & baſin veritatis, & ſine dubio ingens pietatis myſterium*, quod in ſequentibus exponit. Nam hoc etſi obtineat, ſtabit tamen

ſemper, quod Eccleſiam *domum Dei vivi* appellat Apoſtolus; Quod, ad aſtruendam ejus unitatem ſenſibus ſubdiſtam, tantundem facit. Si enim, non minus tota, quam *Epheſina*; in qua, *quomodo verſari debeat*, docetur *Timotheus*; *Domus Dei ſit*, non minus corpus erit ſenſibus ſubditum tota, quam *Epheſina*; Neque minus poteſtas erit ejus regendæ, penes eos, qui per cœteras Eccleſias id ſint quod *Epheſi Timotheus*, quam ſi *baſis* dicta eſſet & *columna veritatis*.

Quod idem conſtet ex nomine Synagogæ.

Ex comparatione *Synagogæ* vim habet hoc argumentum; Non quod ullum ſit in vi vocum diſcrimen, propter quod *Synagogam* veteris populi, Novi autem *Eccleſiam* dicere debeamus; Sed quod diverſa eſſe *Corpora* debeant, quorum unum Circumciſis ſolis, alterum Baptizatis conſtet. Itaque recte omnino, ac ſapienter, veteres Eccleſiæ Scriptores nominibus diſtinguunt, ab *Eccleſia Synagogam*; quorum neglecta diſtinctio tenebras Scripturis intelligendis affundit. Itaque mirum eſt; ſi præjudicium, & partium ſtudi um, aliquid omnino in intelligendis Scripturis mirum eſſe ſineret; exiſtere potuiſſe viros etiam doctos, qui Dominum, quem *ad Eccleſiam* deferri jubet, *Matt.* XVIII. 17. ad Synagogam amandare putarent. Nam qui *fundaturum* ſe *Eccleſiam* promiſerat *Matt.* XVI. 17. quid aliud intelligeret, quam quod fundabat? Synagogam veteris populi ſuper eo Fœdere conſtitutam vidimus, cujus Lege, Dominus jus ipſi terræ promiſſæ tribuerat. Itaque cum liber, & ſui juris factus ſit, quamdiu Legem ſervaret, eadem Lege, poteſtatem eam in ſe, quæ in omnibus Rebuſpub. ſuprema, populos civitatibus ſuis diſtinguit, acceperit. Hujus Reipub. ſinu fovebatur, ſi quid tunc eſſet, quod *Eccleſiæ* nomine cenſeri poſſet; numerus ille nimirum, piorum & fidelium, quem ſemper fuiſſe dictum eſt, non tamen diſtinctum ab eis, quos palam vitam futuram negaſſe, non minus *Davidis*, quam Novi Teſtamenti lectione manifeſtum eſt. Nimirum, quod, non vitæ æternæ, ſed terræ promiſſæ conſequendæ Lege, in unam civitatem coiiſſent. Itaque *Babylone* reverſi, ac per

Ægyptum,

Ægyptum, *Syriam*, *Meſopotamiam*, *Aſiam*, ac totum fere Imperium *Romanum* diſperſi, cum, etſi *Gentibus* ſubditi, αὐτονομίαν tamen quandam, præſertim quod ad Religionem attinet, indultu principum ſuorum obtinerent; eiſdem *poteſtatibus*, vel potius *Majoribus* ac *proceribus*, qui Religionem moderabantur, in eis etiam legibus ſubditi erant, quarum uſum, quod ad civilis poteſtatis ſummam non pertinerent, principum ſuorum indulgentiæ debebant. Nam & à *Moſe* ſtatim, principes ipſorum ac Reges omnium Legum, non minus ad Religionem, quam ad publicam rem ſpectantium, moderamen ad ſe trahebant. Itaque cum non minus diſperſiones ipſorum, quam qui terram promiſſam incolerent, a ſuis regerentur; poterant, pariter ac hodie, ea corpora *Synagogæ* dici, vel *Aſiæ*, vel *Syriæ*, vel *Meſopotamiæ*, vel *Ægypti*. Nam & *Libertinorum*, (id eſt, *Romanenſium Judæorum*; quos *Philo*, *libro in Flaccum*, a *Pompeio*, ad quatuor millia, Romæ manumiſſos habitaſſe refert) *& Cyrenenſium*, *Aſiaticorum*, *Cilicum & Alexandrinorum Synagogas* S. *Lucas* in *Actis* VI. 9. commemorat. Nimirum, quod Synagogas *Jeroſolymis* haberent ſingula corpora, ad quas ſe, quotidiano Dei cultui, aggregabant. Et tamen eodem ſenſu *Synagogam* univerſum populum appellare cœptum eſt, cum liberi ac ſui juris non eſſent amplius; Sed tamen, propter Religionem, ad idem corpus pertinere noſcebantur; Etſi ſub diverſis Principibus. Neque enim obſcurum eſt, ſub Seleucidis & Lagidis, ſub *Romanorum* ſimul ac *Parthorum Perſarum*que vixiſſe imperio, quos, quod ejuſdem Gentis eſſent & Religionis, uno *Synagogæ* nomine veteres Eccleſiæ ſcriptores appellant. Quo exemplo manifeſtum eſſe debet, omnes Eccleſias ad unum Eccleſiæ corpus pertinere, etſi ſupremis ſeculi poteſtatibus aliis atque aliis ſubditas; quod, ob ejuſdem Chriſtianiſmi profeſſionem, ad eandem cultus divini communionem ſe aggregarent. Quod cum facerent, non ſolum animi ac *Spiritus*, ſed etiam *communionis externæ* vinculum aliquod agnitum ab illis oportuit; Leges, ſcilicet, quibus inter ſe communicabant.

Sed

Digitized by Google

De Poteſtate Clavium.

Sed priuſquam hinc diſcedam, notanda eſt Eccleſiæ propria *poteſtas Clavium*, in qua, recte dici poteſt fundata à Domino. Petro primum Dominus *Matt.*XVI.19. *Tibi dabo claves regni Cœlorum: Et quod in terra ligaveris ligatum erit in Cœlis, quod ſolueris in terra ſolutum erit in Cœlis.* Tum diſcipulis ſuis, id eſt, univerſæ Eccleſiæ; *Matt.* XVIII. 17, 18. *Si te non audierit, dic Eccleſiæ: Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi inſtar Ethnici & Publicani. Amen dico vobis, ſiquid ſolueritis,*— ut *Petro.* Denique,ſuſcitatus a mortuis,cum in XII. inſufflaſſet, *Accipite*, inquit, *Sp. Sanctum. Cujus peccata remiſeritis, remiſſa erunt; cujus tenueritis ligata ſunt. Joan.* XX. 22, 23. Dominus in *Apocalypſi* III. 7. dicitur habere *clavem Davidis*; id eſt, domus *Davidis*: Sic enim ad *Eliakim Helkiæ* filium *Eſ.* XXII. 23. *dabo tibi*, inquit, *claves domus Davidis*; quem ſe aulæ Regis *Ezekiæ* præfecturum ſignificat. Itaque cum Eccleſia *domus* ſit *Domini*; id eſt, *Davidis*, ut dictum eſt; manifeſto, quibus claves ejus credit, eis jus ac poteſtatem in Eccleſiam recipiendi, Eccleſia excludendi aſſignat. Repetantur hic quæ ſupra dicta ſunt; Traditam ab initio Eccleſiæ, ab Apoſtolis, ſummam quandam *Fidei*; id eſt, ut ego interpretor,Chriſtianiſmi, (neque enim minus eam ad agenda quam ad credenda pertinuiſſe, cautum eſt) quam ita initiandos docerent, ut ejus profeſſionem ab eis exigerent; Scilicet,ut non ſolum profitendam fidem, ſed & agendam vitam hominis Chriſtiani in ſe ſuſciperent. Tum, recolatur, Sacramentorum *Baptiſmi & Euchariſtiæ*, ab ipſo Domino, in terris quidem agente, ſed tamen mox diſceſſuro, edita inſtitutio. Hæc enim cui ob oculos erunt, ei Eccleſiæ clavium munus ac Officium obſcurum eſſe non poterit; Nimirum, ut ab eis, quibus creditæ ſunt, per Baptiſmi Sacramentum,admittantur ad communicandum Eccleſiæ in Sacramento Euchariſtiæ, qui profeſſionem ab Apoſtolis requiſitam videatur ſincere ediſſe. Nam hoc, niſi excluſis qui aliter fecerint, omnino non conſtat.

Hæc

Digitized by Google

Hæc ſi vera ſint; quæ ſi vera non ſint, nullus eſſe poterit Chriſtianiſmus; non opus erit multis ad eorum hæſitationem tollendam, qui *Legem Evangelicam* eo ſenſu dici nolunt, in quo, *Legi Naturæ ac Moyſi* reſpondeat. Nam, ſive *Fædus Baptiſmi* appellari placet, quo in ſe Chriſtianiſmum ſuſcipiunt, qui vitam æternam, ſuſceptum præſtantibus; Spiritus autem Dei auxilium ad præſtandum, ſerio ac ſincere eum ſuſcipientibus promiſſum credunt; Sive *votum Baptiſmi*, quo ſe Deo in eandem Chriſtianiſmi Legem conſecrant; Neceſſe eſt, ut ſuſcipiendo Baptiſmo, inter Chriſtianum & Eccleſiam, Dei fidem obligantem, contractum ſit. Atqui omnis contractus Legis vim habet. Neque enim contractus eſſet ſed donatio, quæ vitam in futuro ſeculo, in hoc, Spiritus Sancti auxilium, nulla ſuſcepta Lege ſponderet. Cum igitur *Baptiſmus*, cum *Euchariſtia*, cum *poteſtas clavium Eccleſiæ*, cum univerſim *Chriſtianiſmus Lex* ſit ſalutis per Spiritum Dei obtinendæ, omnino Lex eſt Evangelium, quo hæc conſtituta ſunt; Lex ſcilicet, vitæ futuri ſeculi, ut Lex *Moyſi* terræ promiſſæ obtinendæ. Neque deſunt clariſſima Scripturæ Apoſtolicæ teſtimonia, quæ hoc affirment. S. *Paulus*, ad *Rom.* III. 27. *Ubi igitur gloriatio? Excluſa eſt. Per quam Legem? Operum? Minime, ſed per Legem fidei?* Quid clarius? Fide non Lege juſtificari Fideles contendit Apoſtolus. *Legis* vocabulum, a Lege *Moyſi* occupatum, ſine additamento poſitum, Legi *Moſis* deberi ſciebat; Et tamen *Lege Fidei* ſalutem Evangelio prædicari. Itaque qui Evangelium prædicabat, quo Fidei Legem Fidelium ſaluti dicebat, *Legem operum* ei oppoſitam Legem eſſe vult *Moſis*; qua quæ contingeret ſalus, imputaretur ſalvatis in gloriæ materiam, quam Fides, Evangelicæ gratiæ Lex excludit. Rurſus ad *Rom.* VIII. 2, 3, 4. *Lex enim Spiritus vitæ per Chriſtum Jeſum liberavit me a Lege peccati & mortis. Legis enim infirmitas in quo invalida erat, per carnem, Deus, miſſo filio ſuo in ſimili peccatrici carne, & pro peccato, damnavit peccatum in carne, ut juſtificatio Legis impleatur in nobis, non ſe-*

Legem eſſe quandam Chriſtianiſmi.

cundum

Digitized by Google

cundum carnem, ſed ſecundum Spiritum ambulantibus. Rurſus Legis nomen, ſine additamento, in *Moſis* Lege reſidet. *Lex* autem *peccati*, per abuſionem, vis eſt concupiſcentiæ, quæ reipſa, licet nullo jure, Legis effectum præſtat; quamvis jure ipſo mortis Lex ſit. *Lex* autem *Spiritus vitæ* quid eſt niſi Fides Baptiſmo ſuſcepta, quæ Spiritus Sancti dotem promiſſo annexam habet? Idem dicit IX. 31. Iſrael, *Legem juſtitiæ proſequens, Legem juſtitiæ aſſecutus non eſt.* Certe, *Legem* eſſe *juſtitiæ* oportet ſub Evangelio; cum aſſecuti non ſint juſtitiam *Judæi*, quam præſtat Evangelium, quod *Legem ejus*, nimirum *Fidem*, repudiaverint; Lege *Moyſi* juſtitiam ſibi, quam prædicat Evangelium, polliciti. Rurſus 1 ad *Cor*. IX. 2. *Factus ſum Legi minime ſubditis tanquam ipſe minime ſubditus Legi; Qui tamen, quoad Deum, non eſſem alienus a Lege, ſed quoad Chriſtum Legi ſubditus; ut lucriſacerem alienos a Lege.* Eleganter, ſed clare. Quaſi *minime ſubditus Dei Legi*; cui, quatenus *Moyſi* Lex erat, minime ſubditum ferebat ſeſe; & tamen *eidem Legi Dei ſubditus*, quatenus, prædicatione Chriſti, fidelium ſaluti eadem, ſenſu ſpirituali, Lex dicta eſt. *Jacobi* Catholica I. 25. *Qui autem, in Legem libertatis perfectam proſpiciens, in ea permanet, is, cum auditor non ſit qui oblivione capiatur, ſed operis effector, beatus erit eo quod facit:* Et rurſus II. 12. *Sic loquimini, ſic agite, tanquam per Legem libertatis judicandi.* Utrobique *Legem Fidei* intelligit, ex qua aſſerimur ex ſervitute peccati in libertatem filiorum Dei. Eſt autem invicta hujus rei demonſtratio, ex præmiſſis, inviolabili conſecutione deducenda; quibus duplicem Legis *Moſaicæ* ſenſum fuiſſe; hoc eſt, duplicem *Legis tempore Legem*; tanquam ad aſſerendam adverſus *Judæos* communem Fidem neceſſarium, conſtitutum eſt. Nam ſi, ut Lege *Moyſi*; id eſt, Veteri Teſtamento; conſtabat *Iſraeli* ſecundum carnem jus terræ promiſſæ, ita *Iſraeli* ſecundum Spiritum; id eſt, Patribus, Prophetis, ac omnino piis ſub Veteri Teſtamento; jus vitæ æternæ, ex *Novo Teſtamento*, quod Veteri velabatur, ut dictum eſt; quis

nege

Digitized by Google

neget Evangelium, quo revelatur eadem vitæ æternæ Lex, quam ſub Lege *Moyſi* velari oportuit, Legem ipſam eſſe, quæ vitam æternam, Legem Fidei Baptiſmo ſuſceptam implentibus offerat?

Quod ſi cui novum videatur, poteſtatem Clavium Baptiſmo conferendo exerceri; is S. *Paulum* cogitet, quantumvis ſe Apoſtolum aſſerat, *miſſum ſe tamen ad Baptizandum* negare, 1 ad *Cor.* I. 17. Nam qui hoc mandato Domini, quo, ad Baptizandas Gentes miſſos Apoſtolos novimus *Matt.* XXVIII. 18. congruere velit, is ab auctoritate miniſterium diſtinguat; & à *Paulo* paucos admodum, quos ibi memorat, quod ad miniſterium corporis attinet, Baptizatos *Corinthi* credat; quod autem ad auctoritatem, omnes, qui eo agente Chriſtiani facti, ejus juſſu Baptiſmum acceperunt. Nam cum conferendi Baptiſmi auctoritas ſupremos muneris Apoſtolici effectus pariat; *Eccleſiæ* nimirum *Communionem*, quæ ſalutis, ac Spiritus Sancti jus ac privilegium annexum habet; neceſſe eſt, ut qui *Spiritus Sancti afflatum* ideo acceperint, *ut peccata vel remitterent, vel retinerent*, Baptiſmo vel conceſſo, vel negato, remittendi vel retinendi peccati, dandi vel negandi Sp. Sancti jus ac poteſtatem exercere cenſeantur.

Poteſtatem Clavium cerni in conferendo Baptiſmo.

Sane hoc *Eccleſiæ* tum dogmatibus, tum moribus imprimis conſentaneum eſt. Itaque S. *Cyprianus* Epiſt. LXXIII. *Manifeſtum eſt autem, ubi per quos remiſſa peccatorum detur, quæ per Baptiſmum, ſcilicet, datur.* Et cum, quid *Petro* Dominus, quid poſt Reſurrectionem Apoſtolis contulerit, ſubjeciſſet, ſequitur ac dicit; *Unde intelligimus, non niſi in Eccleſia præpoſitis, ac in Evangelica Lege, & Dominica Ordinatione fundatis licere Baptizare, & remiſſam peccatorum dare. Remiſſam peccatorum* clavibus *Petro* collatis, ut poteſtati Apoſtolis afflatu Sp. S. communicatæ, etiam in Baptiſmo, aſſignat. Nam quod hinc, vacare Baptiſmum ab Hæreticis datum, contendit *Cyprianus*; qui *Eccleſiam* non habent, ac proinde neque *claves Eccleſiæ*; Satis eſt, quod ad ſalutem non valet; id eſt,

Ex moribus univerſæ Eccleſiæ.

S erga

Digitized by Google

erga Deum; ſine clavium poteſtate collatus. Quod erga Eccleſiam id valet, ne irritus ſit; Poteſtate Clavium valet, hanc Legem Eccleſiæ ferentium; Niſi potius eo jure, quo ipſa ſtat Clavium poteſtas. Sed non erravit cum *Cypriano* S. *Hieronymus*; Et is tamen, fine III. adverſus *Pelagianos*, cum de Baptizandis infantibus quæſiviſſet; *Quiſquamne ſolvitur, non ligatus?* reſpondet ſibi ipſe ſubinde; *Qui parvulus eſt, parentis in Baptiſmo vinculo ſolvitur. Qui ejus ætatis eſt, quæ poteſt ſapere, & alieno & ſuo, Chriſti ſanguine liberatur.* Idem ad *Hedibiam*, quæſt.IX. *Prima igitur die Reſurrectionis ejus acceperunt Spiritus Sancti gratiam, qua peccata dimitterent, & Baptizarent, & ſpiritum adoptionis credentibus largirentur*; Nam in remittendis peccatis Clavium officium verſari, ipſi Domino credimus. Et S. *Cyrillus*, in *Joannem* XII. Ἀφιᾶσι γεμὴν ἁμαρτίας, ἤτοι κατέχουσιν οἱ πνευματοφόροι· καλοῦσι γὰρ ἐπὶ τὸ Βάπτισμα, τοὺς οἷς ἂν ἤδη τοῦτο τυχεῖν ὠφείλετο, διὰ τὴν τοῦ βίου σεμνότητα, καὶ τὸ δεδοκιμασμένον εἰς πίστιν· ἢ διακωλύουσί τινας, καὶ τῆς θείας χάριτος ἐξείργουσιν, ἔτι οὔπω τέως γεγονότας ἀξίους. *Remittunt ergo vel retinent peccata Spiritu afflati homines: — dignos enim ad Baptiſmum vocant; vitæ nimirum gravitate & conſtantia Fidei jam probatos homines; prohibent, & a gratia divina eos arcent, qui nondum digni ſunt.* Sed nihil eſt in hac re clarius, quam *Tertulliani adverſus Eccleſiam*, non eſſe Mæchiæ, Idololatriæ, Homicidio concedendam Pœnitentiam, diſputatio, *in Libro de Pudicitia*. Nam qui clavium poteſtatem, in minoribus peccatis, ad pœnitentiam concedendam agnoſcit, in his autem, ad Baptiſmum reſtringit; quod ex cap. VII. ejus libri manifeſtum eſt; is hoc jus in Baptizando ſitum, non ex ſua tantum ſententia, ſed ex *Hæreſis & Eccleſiæ* conſenſu oſtendit. Quod ſi perſonale eſſe *Petri* privilegium, poteſtatem clavium, ejuſdem libri cap. XXII. contendat; tamen, *eandem remittendorum peccatorum poteſtatem*, quam nos Eccleſiæ clavibus tribuendam diſputamus, in Baptiſmo verſari, idoneus teſtis eſt. Sed & clariſſimum eſt quod contendo, ex eis Veteris

Eccleſiæ

Digitized by Google

Eccleſiæ inſtitutis, quibus, qui ad fidem accederent, ſi ea vitæ inſtituta ſequerentur, quæ laudabat Paganiſmus, Chriſtianiſmus autem damnabat, non prius Baptiſmi participabant, quam eis renunciaſſent. Puta me eos dicere, qui, *Theatro*, vel *Circo*, vel *Amphitheatro* operas locabant, *Augures*, *Aruſpices*, *Concubinarios*, *qui lenocinium facerent*, & his conſimiles; quos Baptiſmo prohibitos, Conſtitutiones Apoſtolorum VIII.32. *Epiphanius* in ἀνακεφαλαιώσει, aliique multi teſtantur; Præ cæteris S. *Auguſtinus*, *in Libro de Fide & operibus*, ad eos ſcripto, quibus, quod repudiatis uxoribus alias duxerant, negabatur Baptiſmus. Cum enim, Baptiſmi Legem ſuſceptum eſſe Chriſtianiſmum, ad caput uſque XIV. diſputaſſet; mirari ſe dicit eos, qui cum *quotidie prohiberi Baptiſmo* viderent, quos diximus; quos *Chriſtianiſmus adulteros* pronunciat, eis negari Baptiſmum graviter ferrent, donec ab eo recederent. Quinimo, quicquid in tota antiquitatis Eccleſiaſticæ memoria ſtatum Catechumenorum ſpectat hoc ipſum clariſſime evincit; *Clementis Alexandrini Pædagogus* imprimis, vitam converſi ad Fidem informans, ab Ethnicorum moribus, ad ſchema Chriſtianum transformandam: Et transformatam Eccleſiæ præſentem ſiſtens, ad percipiendum Baptiſmum; In hoc enim deſinit: Unde hoc etiam diſcimus III. 11. ut & ab Apoſtolicis Conſtitutionibus VII. 40. ad Eccleſiam accedentes qui crediderant, *Impoſitione manuum* ſolitos fieri Catecumenos. *Quid eſt autem impoſitio manuum niſi Oratio ſuper hominem*, ait S. *Auguſtinus?* Quod clariſſime docet Verſio *Græca* τῶν ό, *Deut*. X. 8. quando quod *Moyſes* dicit, ſepoſitam Tribum *Levi*, ut *miniſtraret*, *& benediceret in nomine Domini*; λειτουργεῖν καὶ ἐπεύχεσθαι reddendum putavit. Hoc enim eſt, *in hominem fundere orationem*. Itaque quid eſt Impoſitio manuum ſuper Catechumenum, niſi oratio ut ad Chriſtianiſmum proficiat? Quod, quid aliud eſt, niſi idoneum futurum qui profecerit, non autem qui non profecerit? Ac fortaſſe hoc illud eſt, quod Apoſtolus *doctrinam Baptiſmorum*,

& manuum Impoſitionis appellat ad *Ebr.* VI.2. ne cui mirum videatur, *Impoſitionis manuum doctrinam, fundamento* Fidei ab Apoſtolo accenſeri. Nam, quod ſingulorum eſſet hæc inſtitutio, propterea proprie βαπτισμῶν διδαχὴν eam appellaverit Apoſtolus. Itaque hoc eſt quod de *Conſtantino*, *Euſebius de Vita ipſius* IV.61. Τοῦτό τοι διανοηθεὶς, γόνυ κλίνας ἐπ' ἐδάφους, ἱκέτης ἐγίγνετο τοῦ Θεοῦ, ἐν αὐτῷ τῷ μαρτυρίῳ ἐξομολογούμενος· ἔνθα δὴ καὶ πρῶτον τῆς διὰ χειροθεσίας εὐχῶν ἠξιοῦτο. *Hæc cum apud ſe reputaſſet, genu flexo humi procumbens, veniam a Deo ſupplex popoſcit, peccata ſua confitens in ipſo Martyrio; Quo in loco manuum Impoſitionem, cum ſolenni præcatione primum meruit accipere.* Recte omnino viri docti, non fuiſſe ante hoc tempus factum Catechumenum *Conſtantinum*, ex hoc loco contendunt; Quamvis longe antea in Fide inſtitutum, quod II. 32. narrat *Euſebius*; & ex inde Fidem profeſſum. Sane qui *Clementis Pædagogum*, ab initio ſtatim, cum eis contendet, quibus in fine III. 12. ad Eccleſiam adductum Magiſtro tradit Diſcipulum, facile intelliget, Catechumenos ad Eccleſiæ jus pertinuiſſe, cujus ſeſe magiſterio, agnita clavium poteſtate permiſiſſent, ut ejus communionem lucriſacerent. Itaque non eſt neceſſe *Conſtantinum* factum Catechumenum intelligi, quod diſcipulatum Fidei longe antea profeſſus ſit; Qui nunc primum, ſolvendis peccatis, aperiendæque Eccleſiæ, poteſtati ſe clavium permiſerit. Sane, Catechumenos Eccleſiæ Canonibus obnoxios vixiſſe, *Eliberitani Canones* IV. XI. XLV. LXVII. LXVIII. oſtendunt; Quod ad poteſtatem Clavium, quæ in Catechumenis faciendis cernebatur, referendum eſt. Eſt autem obſervandum, duplicem fuiſſe Catechiſmum apud Veterem Eccleſiam; Alterum qui *Catechumenos* faciebat, alterum qui *Competentibus* adhibebatur, ut evaderent, per Baptiſmum, *Fideles*. Priorem inſtruit S. *Auguſtini Liber de Catechizandis Rudibus*; In quo Fidei rationes, quomodo ab initio Veterum Scripturarum, repetendæ ſint à Catechiſta, exponit. Nam quod *Impoſitione manuum cum precatione ſolenni*

lemni fiebat Catechumenus, ad eam Benedictionem pertinet; cujus meminit *Clemens*, cum *Pædagogus* ad Eccleſiam adducit, quem Catechumenum fieri vult. Poſteriorem exhibent *Catecheſes* Cyrilli,& S.Grægorii Nyſſeni *Catecheticus*, quo,vir non minus doctus quam diſertus,ad ſaniorem Theologiam videri poteſt viam ſtraviſſe.Cum autem diſputatio loci poſiti apud Apoſtolum eo pertineat, ne ob perſecutiones *Judæorum* renunciandum Fidei putarent *Ebræi*, ad quos ſcribit, quod per Baptiſmum inſtaurari ſe non poſſe ſcirent; Omnino fatendum videtur, quod dixi; de Benedictione quæ Catechumenos faciebat agere hoc loco Apoſtolum. Si quis dicat, *ter mille uno die Eccleſiæ additos Act.* II. 41. quos ante Baptiſmum Catechiſmum percepiſſe, nemo credat; Etſi *Eccleſiæ additi* cenſeri poſſunt,qui Chriſtianiſmum profeſſi, nondum perceperant Baptiſmum; tamen tenendum eſt, non ſolum ob mortis periculum, ſed etiam ob fervorem in ſuſcipienda fide manifeſtum, ſemper à formula diſceſſum eſſe. Itaque in conferendo Baptiſmo, nuſquam deeſſe poteſtatis clavium Eccleſiæ veſtigia. Cum autem his omnibus manifeſtum ſit, Legem percipiendi Baptiſmi; ac propterea Euchariſtiæ communicandi; profeſſionem eſſe fidei, non fidem in animo, aut quicquid ultra fidem, ultra animi mentem ſe extrinſecus non efferat; manifeſtum eſſe debet, Eccleſiam *Corpus eſſe ac ſocietatem ſenſibus ſubditam*, cujus *Communio*,in *Viſibilium Sacramentorum* perceptione ſita, ſine edita fidei profeſſione obtineri non debeat.

Claves non eſſe ſitas in Evangelio prædicando.

Qui hujus argumenti vim evadere velit,dicendum eſt ei, quod unus ex illis dixit,qui apud nos,nudo capite,nullam à Deo inſtitutam Catholicam Eccleſiam defendunt;Qui fide ſe juſtificatum noverit,ei liberum eſſe,ad eum ſe Eccleſiæ cœtum aggregare, cujus communione optime ſe ſaluti ſuæ conſulturum putet. Nam cœtus ſic conſtitutos, (quos non minus *Eccleſias* apud Deum futuras, quam quæ poteſtati clavium, Apoſtolis à Domino conceſſæ, inſtitutionem ſuam aſſerunt) poſſe eodem jure, quo ſeipſos conſtituunt,

Digitized by Google

vel per ſe ſtare, vel ad aliorum cœtuum communionem ſeſe aggregare, eis tamen vinculis, quæ nullum commune placitum univerſitati imponant, ultra ea, quæ communi ſaluti expedire, omnibus viſum fuerit. Hæc ſententia poteſtati clavium nullam aliam vim reliquam facit, quam ut Evangelium Dei eſſe verbum oſtendat,&,neminem niſi per Chriſtianiſmum ſalvum eſſe poſse evincat. Itaque eorum ſententiæ prorſus convenit, qui *in Evangelio prædicando* ejus effectum conſiſtere volunt. Atqui, licet, niſi prædicato Evangelio, explicari non poſſit poteſtas clavium; quod in eos non valeat, qui Evangelium repudiant; tamen, ſi nihil eſset ultra quod ageret, quid opus fuiſset Dominum; qui Evangelium orbi terrarum prædicari, ut Chriſtianus eſse poſset, & juſſerat & diſpoſuerat; amplexis Chriſtianiſmum, id eſt ſuis, poteſtatem clavium Eccleſiæ, idem prorſus valentem, inſtituere? Bene S. *Hieronymus*, in *Iſaiæ* XVIII. *Libro* VI. *Funibus enim peccatorum ſuorum unuſquiſque conſtringitur. Quos funes atque vincula ſolvunt & Apoſtoli, imitantes Magiſtrum ſuum, qui eis dixerat; Quæcunque ſolveritis ſuper terram erunt ſoluta & in Cælo. Solvunt autem eos Apoſtoli ſermone Dei, & teſtimoniis Scripturarum, & exhortatione virtutum.* Nam quibus Legė Fidei ſalutem prædicabant, atteſtantibus Scripturis, eos in Legem Fidei Baptizatos cum peccatis ſolverent, *ſermone Dei ſolvebant, & teſtimoniis Scripturarum, & exhortatione virtutum*; Quos tamen, niſi ſuſcepta per Baptiſmum Lege Fidei, peccatis ſolutum non iri conſtabat.

CAP.

CAP. VIII.

Profeſſionem Fidei, quam celebrat Baptiſmus, ad ſalutis Legem pertinere. Regulam eſſe quandam Fidei, Eccleſia antiquiorem, quæ & ad ſalutis, & ad communionis Legem pertineat.

Profeſſionem Fidei ad ſalutem requiri.

NImirum, aperte ipſe ab initio, neminem per Evangelium ſervatum iri edixerat, ea fide quæ intra ipſum maneat. Videant Chriſtiani quid *Fidem* eſſe velint, qua ſola juſtificari Chriſtianos Apoſtolus aſſerit; nunquam efficient, ut ulla animi diſpoſitio ad ſalutem valeat; id eſt, ad juſtificationem; quæ intra animum maneat, nec *profeſſione* ſeipſam oſtendat. Non habeo neceſſe, hoc loco, in diſputationem ſatis perplexam me immergere; Relinquendus ei ſuus eſt locus. Hoc, ipſo initio, tanquam ab ipſo Domino edictum, tanquam ad veritatem ſententiæ Sancti Apoſtoli tenendum præſcribo; non poſſe quenquam, *ſine profeſſione Fidei*; id eſt Chriſtianiſmi; ſalutem per Chriſtum adipiſci. Hoc eis Domini ſermonibus tenendum eſt, quibus *Crucis ſuæ tollendæ* mandatum, pro Lege ſalutis aſſequendæ proponit, *Lucæ* XIV. 26,27. *qui ad me accedit, nec Patrem ac Matrem, Uxorem ac Liberos, Fratres ac Sorores, etiam ſeipſum odio habet, non poteſt meus eſſe Diſcipulus. Ac qui me ſublata Cruce non ſequitur, non poteſt meus eſſe Diſcipulus.* En Legem Evangelii, ut *Chriſtum ſequaris*; id eſt, ad ejus Diſcipulos te aggreges, idque *ſublata Cruce*; id eſt, ut non deſerturum te eos, etſi Crux tibi eo nomine ſubeunda ſit, palam feras. In eandem ſententiam *Marci* VIII. 34. X. 21. *Matt.* X. 38. XVI. 24. *Lucæ* IX. 23. Fuerunt Apoſtolorum tempore, qui Gnoſticorum Sectæ initium fecerunt, dogma clam inter ſe muſſitantes; non ſolum diſſimulandam pro loco fidem, ſed etiam negandam, ſi aliter perſecutio vitari non poſſet. Contra hos

eſt

eſt *Scorpiace Tertulliani*, & Scriptorum Eccleſiaſticorum multa Teſtimonia, quæ hoc loco nihil refert reponere. Illud huc facit, hunc illum eſſe errorem, quam Apoſtoli 1 *Petri* II.15. *Judæ* 11. *Apoc*.II.14,15,20. notant *Balaami* nomine, *qui ſcandalum* Iſraelitis *objecerat, ut de Idolothytis epularentur*. Hæc enim erat, eis temporibus, Ethniciſmi profeſſio. Itaque S. *Joannes* etiam *Jezabelem* appellat *mulierem*, cui eandem doctrinam tribuit. Similis erat eorum, contra quos, *Galatis* ſcribit S. *Paulus*; quos *Circumciſionem prædicaſſe* palam eſt, *ne eſſet cur perſequerentur eos Judæi*, ad *Gal*. V. 11. VI. 12, 14. Hæc cum ſaluti obſtare clariſſime doceant Apoſtoli, nonne profeſſionem Chriſtianiſmi ad ſalutem neceſſariam oſtendunt? Nam eis qui, quoad exteriorem hominem, hanc ἀδιαφορίαν colerent, nihil obſtabat, ne ſecundum interiorem hominem, eis quæ Idolorum cultu agebantur repugnarent, ſi, fidem atque animum hominis Chriſtiani in occulto retinere, ad ſalutem valeret. Hoc igitur eſt, cur *profeſſio fidei* ad ſalutem neceſſaria ſit, nec poſſit fides eſſe ſalutaris, quæ in ſe profeſſionem; id eſt, exteriorem fidei actum non contineat. Audiamus Dominum *Matt*. X. 32; 33. *Lucæ* XII. 8, 9. *Qui mihi coram hominibus renunciaverit, ei ego, coram Patre qui in Cælis eſt, renunciabo. Qui me coram hominibus agnoverit, eum ego, coram Patre qui in Cælis eſt, agnoſcam.* Et S. *Paulus*, ad *Rom*. X. 9,10. *Si Jeſum Dominum ore profitearis, corde credens Deum a mortuis ipſum excitaſſe, ſalvus eris. Corde enim creditur ad juſtitiam, ore fit profeſſio ad ſalutem.*

Profeſſionem Baptiſmo celebrari.

Sed hæc quo ſpectent, clariſſime docet Apoſtolus 1 *Pet*. III. 21. *Cujus antitypus nunc ſervat nos Baptiſmus, non depoſitio ſordium corporis, ſed bonæ erga Deum conſcientiæ interrogatio, per Reſurrectionem Jeſu Chriſti.* Quis doctor Scholaſticus exactius diſtinguat? Duo ſunt in Baptiſmo: Lavacrum corporis, & oris profeſſio, qua Chriſtianiſmum ſuſcipimus. Reſpondendo enim interrogatis, profeſſionem etiam tum edebant, qui Baptizabantur. Itaque addit Apoſtolus, *bonam*

erga

erga Deum conſcientiam ; Nequis putet profeſſionem valere, non ea mente editam , ut nec mortis metu deſerenda ſit ; quaſi ſine ea ſalus eſſe poſſit. Nam Baptiſmum *profeſſionem* eſſe *crucis Chriſti* ſuſcipiendæ, quam Legem in Evangelio , Dominus ſaluti ſuorum dixerat, clariſſime docet Apoſtolus ad *Rom.* VI. 3,4,5. Quo etiam ſpectat *Reſurrectionis Domini* apud *Petrum* commemoratio ; propter reſurgendi ſpem , (ut hic à peccato, ſic à morte in ſeculo futuro ;) Reſurrectione Domini conſtitutam. Itaque *ſepultos in Baptiſmo cum Chriſto* Chriſtianos Apoſtolus prædicat , ad *Coloſ.* II. 12. *Sed in quo cum eo reſurrexerint, per fidem energiæ Dei, qui ipſum a mortuis excitarit.* Hæc igitur ratio eſt , cur Baptiſmus ad ſalutem neceſſarius ſit ; Nequis putet, concepto ſincero intra animum Chriſtianiſmo, ſalute tamen excidi poſſe,propter exteriorem Sacramenti ceremoniam, qua, aliqua rerum humanarum περιστάσει, prohiberi poſſit vere fidelis. Cum igitur, ſine profeſſione fidem ad ſalutem non valere, à Domino conſtitutum ſit ; Cumque, eam profeſſionem ad ſalutem valere non poſſe , manifeſtum ſit, quæ diverſæ fidei ſit, ab ea quam Dominus tradidit ; manifeſtum eſt, quo pacto ſana profeſſio à dubia diſcerni poſſet ab omnibus, quibus Evangelium prædicandum erat , inſtitutione Domini providendum fuiſſe. Itaque Baptiſmi Sacramentum huic fini inſtitutum eſt ; Non quod non poſſit ejus ceremonia vitiari, & ad ſignificandam ſalutem, quam profeſſioni pravæ fidei polliceantur falſi doctores , traduci ; Sed quod, quibus claves Eccleſiæ ſuæ per Baptiſmum aperiendæ Dominus credidit, eos, qua ratione, uſque ad finem ſeculi dignoſci poſſent,idoneis rationibus inſtruendo, omnibus in ſe credituris conſuluerit.

Hinc vis Baptiſmi in Scripturis.

Hinc ea oriuntur *Baptiſmi Chriſtianorum* in Apoſtolorum ſcriptis *ellogia*,quibus, cum fronte hominis veritatem amantis, reſiſti non poteſt, Baptiſmum ad ſalutem neceſſarium aſſerentibus. Sic enim *Judæis Petrus*, de crucifixo Chriſto *corde compunctis*, *Act.* II. 37, 38. *Pœnitentiam agite, & Baptizamini*

tizamini unſquiſque veſtrum, in remiſſionem peccatorum, & accipietis donum Spiritus Sancti. Et ad S. *Paulum Ananias Act.* XXII. 16. *Surge, Baptizare, & ablue peccata tua, invocato nomine Domini.* Itaque *Paulus* ipſe, *induiſſe Chriſtum* affirmat, *quotquot in Chriſtum Baptizati fuerint*, ad *Gal.* III. 27. & in Chriſtum Baptizatos *in mortem Chriſti Baptizatos eſſe*, ad *Rom.* VI. 4. id eſt, veterem in eis hominem, inſtar Chriſti morte affectum, modò ſinceram in Baptiſmo profeſſionem ediderint. Rurſus ad *Eph.* V. 25, 26. *Chriſtus ſeipſum pro Eccleſia dedit, ut ſanctificaret eam, purgans lavacro aquæ per Verbum.* Et ad *Titum* III. 5, 6. *non per opera juſtitiæ quæ feceramus, ſed ſecundum miſericordiam ſuam ſalvos nos fecit, per lavacrum regenerationis, & renovationem Spiritus Sancti, quem in nos copioſe effudit, per Servatorem noſtrum Jeſum Chriſtum.* Et ad *Hebr.* X. 22, 23. *Accedamus vero corde, in plenitudine Fidei, aſperſi corda a conſcientia mala; & abluti corpus aqua munda, retineamus profeſſionem Fidei immotam.* Nimirum ſupponamus hic, quod ſuo loco probandum eſt; ſine motu & agitatione Spiritus Sancti, neminem vere Chriſtianum fieri; operatio Spiritus Sancti agitantis ipſum & impellentis, *gratia* eſt *Dei*, ſed non ex Fœderis, nondum initi, Lege. Poſtquam autem factus eſt Chriſtianus, tum vero Spiritum Dei, tanquam *Dei donum*, tanquam ſuam *dotem* obtinet. Hinc *Petrus*, Baptizatis Spiritus Sancti promiſſum deberi ſupra dixit. Et Apoſtolus ad *Hebr.* VI. 6. *impoſſibile eſt eis, qui ſemel illuminati fuerint, & donum cæleſte guſtaverint, & participes facti ſint Sp. S.*—. Φωτισμὸν *Baptiſmum* Apoſtolus ipſe X. 32. interpretatur; Quod, ſi Veteris Scripturæ ἑλληνισμὸν reſpiciamus, ad Catechiſmum referendum eſt; ſic enim ſcriptum eſt 2 *Reg.* XII. 3. πάσας τὰς ἡμέρας ἃς ἐφώτισεν αὐτὸν Ἰωδαέ. Ubi nihil aliud eſt φωτίζειν quam κατηχίζειν. Vide etiam 2 *Reg.* XVII. 27, 28. Hic autem, accepto Baptiſmo Sp. Sanctum accipi auctor eſt. Sane à *Philippo* Baptizati *Samaritæ*, non antequam deſcenderent *Ieroſolymis* Apoſtoli, dona Spiritus viſibilia acceperant. Erat enim demonſtrandum, ab aucto-

ritate

Digitized by Google

ſitate dandi Baptiſmi; penes quam erat de profeſſione fidei judicare; donum Spiritus Sancti pendere. Veruntamen, cum confirmato & ratihabito; Apoſtolorum benedictione, quam manuum impoſitio celebrat; *Samaritarum* Baptiſmo, deſcenderit Sp. Sanctus, nihilo minus Baptiſmo imputandus eſt, quam ſi ſtatim à Baptiſmo deſcendiſſet. Præterea; *Sicut Reſurrectio Domini Chriſti Spiritui S.* tribuitur, *ipſum ſine menſura inhabitanti*, ad *Rom.* I. 4 *Joan.* III. 34. Ita Reſurrectio mortuæ carnis *Spiritui Chriſti*, *vivam incolentis*, tribuitur, ad *Rom.* VIII. 10, 11. Atqui Reſurrectioni ex aquis Baptiſmi aſcribitur carnis Reſurrectio ab Apoſtolo; cum mortem & ſepulturam veteris *Adami*, deſcenſui in Baptiſmum aſcribit, ad *Rom.* VI. 4. Itaque Baptiſmo imputandum eſt Sp. Sancti donum, cujus auxilio, ſuſcepti Chriſtianiſmi Legem impleant, qui eam ſuis viribus nullo modo implere ſe poſſe agnoſcunt. Quare illud Domini ad *Nicodemum*, *Joan.* III. 5. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Sp. S. non poteſt intrare in regnum Cælorum*; omnino de Baptiſmi Sacramento intelligendum eſt. Non quod vel in *nomen Trinitatis*, vel in *ſpem accipendi Spiritus Sancti*, inſtitui tum temporis Baptiſmus potuerit, quando nondum editum fuerat dandi Spiritus Sancti promiſſum, quod exaltationi Domini reſervabatur; ſicut diſertis verbis ſupra *Petrus* affirmat; Sed quod inſtituendum prædici opus erat, priuſquam inſtitueretur. Sic enim etiam *Euchariſtiæ Sacramentum*, concione Domini ad *Judæos*, *de manducanda carne bibendoque ſanguine ſuo*, quæ *Joannis* VI. refertur, inſtituendum prædicitur; quod, ante noctem qua traditus eſt Dominus, inſtitutum non fuiſſe, manifeſtum eſt. Nam quod *Diſcipuli* ſuperſtite Domino *Baptizarunt*, *Joan.* III. 22. IV. 2. etſi non dubium eſt, quin ad ſalutem medio tempore valuerit; quæ etiam, obtinente tum Lege, obtineri poterat; tamen, *cum Spiritus Sancti donum nondum eſſet, quod Chriſtus nondum glorificatus eſſet*, *Joan.* VII. 39. in *Chriſti* potius quam Trinitatis nomine, datum cenſeri debet. Sic etiam S. *Petrus Act.* II. 32. *dextra igitur*

Digitized by Google

Dei evectus, accepto Spiritus Sancti promiſſo, effudit quod nunc videtis & auditis. Et S. *Paulus* ad *Eph.* IV. 8, 12. ex *Pſal.* LXVIII. 18. dona Spiritus Sancti in Eccleſiam collata *donativum* eſſe docet, quod Dominus Chriſtus, à victoria crucis, triumphantis more in Cœlum profectus, militibus currum ſuum triumphalem ſequentibus largitus ſit. Quibus expoſitis, manifeſtum eſt, univerſum Scripturæ Apoſtolicæ & Evangelicæ concentum, hoc uno contineri, ut profeſſioni Chriſtianiſmi ſalus, & Spiritus Sancti donum, ad aſſequendam ſalutem aſcribatur; Baptiſmo autem, propter profeſſionem Chriſtianiſmi: Neque ullam animi diſpoſitionem *Fidei* nomine appellari poſſe, quæ ſine externo fidei actu, quem in profeſſione ejus collocare ſolent; ad ſalutem valeat. Spectentur Epiſtolæ Apoſtolicæ; quibus tota fere continetur Scriptura Apoſtolica; unde accipi oportet quicquid ad Legem ſalutis pertinet, ante Domini Aſcenſionem non promulgandam. Mentiar niſi ad Eccleſias Fidelium, initiatorum Baptiſmo omnium, ſcriptæ ſint omnes. Scio eſſe qui de Catholica S. *Jacobi* excipiant; Quam ad *Judæos* non minus quam ad Fideles ex *Judæis* ſcriptam volunt. Modico errore, me judice. Neque enim niſi Fideles alloquitur, qui vetat *Fidem Chriſti, Domini noſtri, & gloriæ Domini, cum perſonarum reſpectu colere Jac.* II. 1. tum qui ad laborantes, *Eccleſiæ Presbyteros* arceſſi jubet, *Jac.* V. 14. Sed, qui pugnas etiam Fidelium, & rixas damnat *Jac.* IV. 1. qui *dominari eis divites* ſcribit, & *eos trahere ad tribunalia*; nimirum Gentilium; II. 6. is Fideles ex *Judæis* Infidelibus *Judæis* mixtos vixiſſe innuit, a quibus hæc patiantur; Quibus proinde luctum indicit, ut Fidelibus patientiam *Jac.* V. 1, 7. Eadem eſt ratio, cur primam Catholicam S. *Petrus* electis inquilinis ex diſperſionibus inſcribit 1 *Pet.* I. 1. intelligit enim Fideles ex *Judæis*; quod eis mixti viverent, qui nondum Fidem amplexi fuerant. De reliquis, nihil eſt, quod excipi poſſit. Eſt autem frequens in eis argumentum à Baptiſmi profeſſione, ſive ad officia Fidelium, ſive ad ſpem eorum

quæ

Digitized by Google

quæ Fidelibus promiſſa ſunt, ad *Rom.* IV. 4, 17. 1 ad *Cor.* VI. 11. ad *Gal.* III. 26,27. ad *Hebr.* VI. 2, 4. X. 23,32. quibus adde quæ ſupra poſita ſunt, ut conſtaret Epiſtolas Apoſtolorum ſupponere Catechiſmum. Pariter enim conſtare debet, ſupponi ab eis etiam Baptiſmum. Itaque, Fidem quam intelligunt Apoſtoli, aliter accipi non poſſe, niſi ut Baptiſmum ſupponat; Perinde quidem ac ſcriptores Eccleſiaſtici Fidem accipiunt, cum *Fideles* a *Chriſtianis* Baptiſmo diſtinguunt. Quod ſi *poteſtas clavium*, ſive remittendorum peccatorum, fidei profeſſionem extrinſecus editam fundum habeat, Eccleſiæ autem communionem effectum; Non erit Eccleſiæ communio, fidei ac charitatis, ſpiritualis & inviſibilis, ſed officiorum cultus divini viſibilis communio: Et Eccleſia ipſa ſocietas, quæ hujuſmodi communionem colat.

De Fidei Lege, communione Eccleſiæ antiquiori.

Hæc igitur eſt *Fœderis Evangelici* ratio, quæ ſaluti Fidelium *Fidei Legem* dicit; hoc eſt Crucem Chriſti, Baptiſmi profeſſione ſuſceptam; ea Lege, ut remiſſionem peccati, jus ſalutis æternæ, dotem Spiritus Sancti ſibi ſpondere debeant, qui, ad eam ſincere ſe accedere, ſibi conſcii ſunt. Eſt autem Evangelicis Scripturis prius poſitis manifeſtum, non fuiſſe hanc dictam Legem, ac ne dici quidem potuiſſe, niſi poſt excitatum Dominum à morte Crucis, & in Cœlos profecturum. Itaque ſummatim eam *Apoſtolorum Legatione* contineri, qua, *Baptizare* jubentur *in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, quoſcunque Diſcipulos facerent*, *ex omnibus Gentibus:* Tum, *docere eoſdem, quæcunque præceperat Dominus, ſervare*, *Matt.* XXVIII. 18, 19, 20. Scilicet, Diſcipuli ſunt Domini, qui Crucem ejus exemplo laturos ſe profitentur, potius quam vel à Fide ſacroſanctæ Trinitatis deſciſcant, vel a prædicationis Dominicæ præceptis. Quæ autem ſint, quæ ad hanc Fidem, ad hæc præcepta ita pertineant, ut eis cognitione non perceptis, ſalus ſperanda non ſit, pariter manifeſtum eſt, Scripturis, neque Apoſtolicas præcedentibus exponi potuiſſe, neque Apoſtolicis ita expoſitum eſſe,

ut

Digitized by Google

ut diſtincta ſit ejus nota, quod ad ſalutem percipiendum ſit, ab eo quod non ſit. Apoſtolicas igitur Scripturas non niſi ad eos ſcriptas, qui Baptiſmi participes erant, huic loco præmittendum erat; probandumque non ſolum eis locis, in quibus expreſſa eſt Baptiſmi mentio, ſed etiam eis, quibus præmiſſum Catechiſmum oſtendimus; quem propterea præmiſſum ratio docet, ut ſequeretur Baptiſmus. Sed, de eo ſolicitum eſſe de quo nemo dubitat, reprehenſioni obnoxium videri poteſt, tanquam ſupervacuum. Illud potius contendendum, neceſſe eſſe Baptiſmi habitam rationem in omnibus videri, quæ non niſi ad Baptiſmi compotes ſcribi potuerunt; ſive ad ſuſceptum ab eis officium, ſive ad editas ipſis promiſſiones pertinentia. Abſolute quidem ad ſalutem neceſſariam, ſolam eſſe *Chriſti Fidem* manifeſtum eſt; Quæ ſcilicet ita ſe Chriſto in diſcipulatum permittat, ut certa ſit, quicquid ille docuerit, Lege ſalutis aſſequendæ ſubire. Hac enim Lege ſalutem adeptum in Cruce latronem videmus. Et, qui morte occupati hoc ſolum facere poſſunt, ut Baptiſmum hoc animo petant, eos omnes in eadem eſſe cauſa neceſſe eſt. Sed quia *modus* eſt quidam *Fidei* agnoſcendæ, cujus edita profeſſione debeatur Baptiſmus, ab eis, penes quos depoſitum eſt conferendi Baptiſmi ſive jus, ſive Officium; hunc modum, Dominicæ Legationis Lege ſignificari, abſolutum eſt. Extitiſſe hunc modum, apud omnes Apoſtolos ac Diſcipulos Domini eundem, tum eorum Diſcipulos, miniſtros, & ſucceſſores, docent Apoſtolicarum Scripturarum quæ producta ſunt teſtimonia; earundem, quibus nullam earum contineri formulam contendimus. Nemo itaque dicat, extare in Scripturis, quæ cognita ad ſalutem abunde ſint; in quibus tam multa ſint, ad omnium ſalutem cognitu non neceſſaria; a me negari, cum nullam notam extare contendo, qua, quod hujuſmodi eſt, ab eo quod ad hunc modum non pertineat, diſcerni poſſit. Et tamen, ſi quis ſciſſæ Eccleſiæ malis mecum ingemiſcit, facile intelligit, nihil magis ad juſtam reconciliandæ pacis

Legem facere, quam ut hoc fieri poſſit, quod ſolis Scripturis fieri poſſe nulla ratio ferat. Quæ autem, cum ad juſtam pacis reconciliandæ Legem neceſſaria ſint, ad ſalutem tamen omnium cognitu minime neceſſaria ſint, ea multo obſcurius in Scripturis poſita eſſe oportet, quam quæ neceſſaria ſunt. Itaque, ut maneret inconcuſſa, in Scripturis recte intellectis, Lex aſſequendæ ſalutis, nemini cujus intererat obſcura, oportebat ad Eccleſiam depoſitam illud propagari, quod, Scripturis inter partes agnitis, ſecundum Eccleſiam intellectis, nec obſcurum nec inconcuſſum manſiſſe, res docet. Unde etiam manifeſtum eſt, Legem ſalutis, quæ in Fidei ſinceritate cernitur, ad Eccleſiæ ſtatum ſupponi, tanquam fundamentum cui inſiſtat; Ac proinde, priorem eſſe omni ejus auctoritate, & antiquiorem, naturæ ordine ac rationis. Nec mirum eſt, ad hanc *ſalutis Legem* pertinere *inſtitutæ divinitus Eccleſiæ Fidem, ejuſque colendæ Unitatis Officium*; etiamſi, quicquid ad ſalutis Legem cognitu neceſſarium eſt, Eccleſiæ auctoritate antiquius ſit. Equidem, cum ad ſe Fideles, Diſcipuli Domini ac Apoſtoli primum agregarent, procul abfuit ut eos ad *Eccleſiæ Catholicæ* agnoſcendam Unitatem, ac ſuſcipiendam ſub Lege ſalutis, proponerent; Quæ nulla tum extaret, cum eadem extaret Lex ſalutis quæ nunc extat. Conſtituta ſemel Eccleſia, auctoritas ejus hac Fide conſtat; Nimirum, ad ſalutis Legem pertinere, inſtitutam a Deo Catholicæ Eccleſiæ Unitatem credere, cujus colendæ Officio Fidelibus ſalutis ſpes conſtet.

De Baptiſmo Joannis, & *Diſcipulorum Domini.*

Sed ſi hanc ſalutis Legem, aſcenſuro demum in Cœlos Domino primum proditam, recte poſitum eſt, demonſtratum eſt ſimul, quod prius attigimus; *Joannis* Baptiſmum a Baptiſmo Chriſti diverſum eſſe; qui inſtitutio eſſet, tantum ad agnoſcendum Chriſtum, quem tollendi peccati; cujus profeſſionem edebant qui Baptizabantur a *Joanne*; Legem proditurum venire prædicabat *Joannes.* Itaque, non erit quod vis fiat claris Scripturis, Baptizatos a S. *Paulo* qui

Joannis

Joannis Baptiſmum obtinuerant referentibus. Neque enim, *Baptiſmum in Pœnitentiam*, eorum qui ad exorituri mox Chriſti Diſcipulatum ablegabantur, nihil ad eorum ſalutem interea loci feciſſe, conſequens erit, quos, ſuſcepto *Joannis* Baptiſmo, Crucis Dominicæ Evangelio occupari, neceſſe non erat; Ut eorum exemplo conſtat, quos *in* Joannem *Baptizatos in Chriſtum* Paulus *Baptizavit*, *Act*.XIX.4,5,6. Si ſub Lege conſtabat ſalus, multo magis eis qui Domino Diſcipuli parabantur, ejus ſpes conſtabat. Sed ſi Legem ſalutis continere *Joannis* Baptiſmus non potuit; non ante Domini Aſcenſionem prodendam; quæ pertinacia eſt, eundem *Joannis* ac Domini Baptiſmum contendere? Non idem dicam de Baptiſmo Diſcipulorum Domini, quos *in Domini*, tanquam *Chriſti* nomen Baptizaſſe oportuit; Cum dictum ſit, eos qui Diſcipulatum in ſe Chriſti ſuſcipiunt, eo ipſo omnia ſuſcipere videri, quæ ad ſalutis adipiſcendæ Legem pertinere proditurus ſit, quem Chriſtum Dei agnoſcunt. Itaque, cum ab Aſcenſione Domini, in *nomine Domini Jeſu* Baptizatos in *Actis* Apoſtolorum legamus, quorum idem valuiſſe Baptiſmum, ac ſi in nomine S. *Trinitatis* datus eſſet, ex *Irenæo* dictum eſt; quid eſt, quo minus idem valeat Baptiſmus in nomine Jeſu Chriſti, ante proditam ab ipſo ſalutis Legem acceptus? Nam qui Chriſtum Dei agnoſcebant, omnibus ſe Dei per Chriſtum præceptis teneri, eis dubitandum non erat. Sed non eſt mirum, eos qui, *Sacramenta Veteris Legis* eandem vim habere credunt cum Baptiſmi *Sacramentis & Euchariſtiæ*, etſi obſcurius intellectam, eos, idem valere *Joannis* & Chriſti Baptiſmum ſomniare. Nam cum aurora eſſet *Joannes*, ſurgentis a Legis tenebris Evangelicæ lucis, majus aliquid valuiſſe oportet ejus Baptiſmum, quam *Sacramenta Legis*. Sed omnino errant omnes, qui in Lege *Moyſi* a ſpiritu literam non diſtinguunt. Neque enim eandem *literalem eſcam manducaſſe, aut potum bibiſſe cum Fidelibus Patres* affirmat Apoſtolus, ſed *Spiritualem*; neque *in Chriſtum*, ſed *in Moſem Baptizatos*, quos per *Moſem* in Chriſtum Baptizari

tizari potuiſſe dictum eſt. Quod cum ea ratione locum habere dictum eſt, qua Veteris Teſtamenti carnalia Novi Teſtamenti ſpiritualium figuræ ſunt; non aliter verum eſt, eadem eſſe Veteris ac Novi Teſtamenti Sacramenta, niſi quod eadem ratione, per Veteris Teſtamenti Sacramenta, bonorum terræ promiſſæ participes erant, qua nos, bonorum futuræ vitæ, per Novi Teſtamenti Sacramenta participes ſumus. Nam quod, qui ſub Vetere Novum Teſtamentum intelligentes, ejus Legi ſe ſubjiciebant, quatenus ſub Veteri valebat, bonorum Novi Teſtamenti participes erant, id non ejus *temporis* ſtatui, ſed *hominum* tribuendum eſt; Utpote, quod in eis ſolis locum haberet. Quæ ſi vera ſunt, recte omnino Eccleſiæ Patres, *Veteris Teſtamenti Sacramenta Sacramentorum Novi Teſtamenti figuras ac typos eſſe volunt*; minus recte propterea a recentioribus reprehenſi. Nam per quæ, promiſſæ terræ bonorum participes fiebant, quibus futuræ vitæ bona ſignificantur, recte illa figuræ eorum dicuntur, per quæ, futuræ vitæ bonorum participes evadimus, promiſſæ terræ bonis ſignificatorum. Et hæc harum difficultatum ſolutio, quibus nonnulli Controverſiarum numerum augent, diſcidii cauſam continentium, teſtimonium perhibet methodo quam inſtituimus, controverſæ veritatis intra ſuos fines cogendæ. Neque enim ullum clarius eſſe poteſt inventæ veritatis argumentum, auctore *Ariſtotele*, quam difficultatum ſolutio, à controverſa veritate pendentium. Itaque non fuerit operæ pretium, Veterum Eccleſiæ Patrum Interpretumque Scripturæ teſtimonia hoc loco afferre, quibus Lex aliqua Fidei, ſive Chriſtianiſmi; quibus *Joannis* Baptiſmus a Domini Baptiſmo diverſus; quibus Sacramenta Veteris Legis Novæ Legis Sacramentorum figuræ eſſe aſſeruntur. Satis eſt, propterea ſpiritualis Legis a carnali diſcrimen, ſtante *Moyſi* Lege, aſſerendam fuiſſe Eccleſiæ ſcriptorum auctoritate, ne aliam fidem aſſerere videamur, ab illa, quam ipſi, Apoſtolos ſecuti, adverſus *Judæos* hac ratione aſſeruerunt. Satis ſit S. *Hieronymum* adducere, qui rationes eas in-

U nuit,

nuit, de quibus nos contendimus. Sic ille *adv. Lucif. Iſte ergo talis tantuſque Spiritum Sanctum non dedit, quem* Cornelius *Centurio antequam Baptizaretur accepit? Reſponde, quæſo, cur non dederit? Ignoras? Audi quid Scripturæ doceant.* Joannis *Baptiſma non tam peccata dimiſit, quam Baptiſma pœnitentiæ fuit in peccatorum remiſſionem; id eſt, in futuram remiſſionem, quæ eſſet poſtea per ſanctificationem Chriſti ſubſecutura.* Et ſtatim; *Quorſum iſta tendit aſſertio? Videlicet, ut non tibi durum videatur, ſi ii, qui a* Joanne *fuerant Baptizati, poſtea per impoſitionem manus Apoſtolorum ſint Spiritum Sanctum conſecuti; cum conſtet eos, ne peccatorum quidem, ſine ſubſecutura fide remiſſionem conſecutos.* Idem inferius; *Neque enim centurio, aut illa mulier cula, quæ per duodecim annos fluxu ſanguinis tabeſcebat, in Trinitatis Sacramenta crediderant, quæ poſt Reſurrectionem Chriſti Apoſtolis manifeſtata ſunt.* Ut Lex ſit Chriſti, remiſſionem peccatorum, donum Spiritus Sancti, jus æternæ ſalutis Baptiſmo deberi, quem diſcedens Dominus tradidit; ut Lex *Moyſi* ejuſque Sacramenta Legi Chriſti perinde reſpondeant, ac promiſſis ejus terræ promiſſæ bona reſpondent; ut *Joannis* Baptiſmus ſalutem non attulerit, niſi recipiendi Chriſti Lege; una eademque ratio facit, quæ Jeſum eſſe Chriſtum ex veteribus Scripturis comprobat.

Univerſorum Fidelium conſenſus.

Ratio quam hactenus ex Scripturis ita deduximus, ut earum conſenſum, in omnibus ad eam quovis modo pertinentibus, exponeremus, eodem ſe Eccleſiæ teſtimonio commendat, quo communis Chriſtianiſmus; Nimirum, omnium Chriſtianorum conſenſu. Neque enim reperietur, qui integrum Chriſtianiſmum profeſſus, de *neceſſitate Baptiſmi ad ſalutem* dubitaverit. Nam de eis quorum dubius eſt Chriſtianiſmus, in ea me quæſtione ſolicitum non eſſe oportet, ubi de Eccleſia veri nominis diſputatur, ad quam, niſi per verum Chriſtianiſmum, accedi non poſſit. Quare nec de noſtri temporis ſententiis ſolicitus ſum, poſtquam ſciſſa eſt in partes Eccleſia, ad quarum inſtaurandam unitatem

Digitized by Google

tatem viam ſternimus. Nec *Socini* & *Sectariorum* ejus rationem duco; qui Baptiſmum, non niſi tempori Apoſtolico proviſum volunt; cum ab *Ethniciſmi* ſordibus, (vel etiam, ſi forte, *Judaiſmi*) qui ad Eccleſiam convertebantur, abluendi erant a corporis ſordibus, ut converſos ſe a pravis religionibus ad animi puritatem teſtari poſſent. Nec *Faniticorum* noſtrorum, quorum *Coryphæi* nonnulli, libro edito teſtati ſunt, erratum omnino ab Eccleſia, in aquæ Baptiſmo retinendo, quem *Joannis* Baptiſmi proprium eſſe Dominus voluerat; Scilicet, qui Baptiſmum Spiritus aquæ Baptiſmo, quem *Joanni* deputaverat, ſuccedaneum, attulerit. Nam quod ab Apoſtolis aquam uſurpatam, Scripturis teſtibus negare non poſſunt; id ſolum ejus temporis diſpenſationi deputant, quæ etiam *Moſaicæ* Legis inſtituta, *ad honorificam uſque Synagogæ ſepulturam*, retinebat. Ex eis Sectis, quæ ex Scripturis judicari poſtulant, haud temere alios ab his invenias, qui Baptiſmum ad ſalutem neceſſarium negent; Quamdiu quidem de adultis ſermo eſt. Nam de parvulorum Baptiſmo, nullam hoc loco quæſtionem eſſe volo; quod, adultorum Baptiſmum neceſſarium eſſe, ad Fidem Eccleſiæ ſocietati faciendam ſatis ſit. Sicut neque de eis, quibus, cum voluntas ſuſcipiendi Baptiſmi non defuerit, tamen, caſu aliquo, eorum quibus obnoxia eſt humanitas, ſuſcipiendi opportunitas inopina morte præcidi potuerit. Cujus rei illuſtria ſunt apud S. *Ambroſium Satyri fratris* exempla, & *Imp. Valentiniani minoris*. Hic enim, cum in *Galliis Paſcha acturus*, *Ambroſium Mediolani* Epiſcopum; ubi tum ſedes erat aulæ *Imperatoriæ*; ut ſe Baptizaret, arceſſiviſſet, conjuratione ſuorum, inopina morte oppreſſus occubuit. Nam quorum extant certa, de ſuſcipiendo Baptiſmo, voluntatis indicia, illi ſi morte occupati ſalute exciderent, tum vero, non *rectæ erga Deum conſcientiæ profeſſio*, ſed *depoſitio ſordium carnis in Baptiſmo* ſervaret; quod negat S. *Petrus*. Sed qui non intelligit, etiam divinas, de rebus hominum communione gerendis, Leges, non fru-

Digitized by Google

ſtrari gratiæ divinæ effectu, quoties, ejus cujus intereſt diſpoſitio idonea, propter caſus mortalitatis, operis externi effectum non attingit; is omnino, ut *juvenis Ethicorum Ariſtotelis*, hujus quam tractamus diſciplinæ idoneus auditor non eſt.

De receptis ſine Baptiſmo, quorum legitimus non erat Baptiſmus.

Ad eandem rationem pertinet illorum cauſa, qui, primis Eccleſiæ temporibus, ab eis *Hæreticis Baptizati*, *qui in Fidem* S. *Trinitatis non Baptizabant*, Eccleſiæ poſtmodum aggregabantur ſine Baptiſmo; ex eorum, nimirum, ſententia, qui redeuntes ab Hæreticis omnino non Baptizabant; Quos magnam partem fuiſſe Eccleſiæ conſtat. Ponimus hoc loco, id quod inter partes hodie convenit; Qui, cum tranſeuntes a partibus ad partes non rebaptizent, ſatis oſtendunt, ratum ſe Baptiſmum agnoſcere, qui in *Fidem* S. *Trinitatis* fiat; Ac proinde irritum habituros, ſi non fieret. Atqui S. *Cyprianus*, & qui ejus partes ſequebantur, parati erant colere cum eis Eccleſiis communionem, quæ non Baptizabant ab eis Hæreſibus redeuntes, quorum ipſi Baptiſmum irritum putabant. Sane qui *Irenæum* legat, quomodo Baptizarent Hæreſes adverſus quas ſcribit, enarrantem, I. 18. non facile credat eos, quorum Baptiſmum S. *Cyprianus Epiſt. ad Jubajanum* repudiat, *in nomine Trinitatis* Baptizaſſe. Ipſe quidem ſic eos recenſet, quos ſine Baptiſmo recipi queritur; *Si eundem Patrem, eundem Filium, eundem Spiritum Sanctum, eandem Eccleſiam confitentur nobiſcum* Patripaſſiani, Anthropiani, Valentiniani, Apelletiani, Ophitæ, Marcionitæ, *& cœteræ Hæreticorum peſtes, & gladiis ac venenis ſubvertentes veritatem; poteſt illic & Baptiſma unum eſſe, ſi eſt & fides una.* Et habemus exemplum, recepti in *Eccleſiam Alexandrinam* ſine Baptiſmo, apud *Euſebium Eccl. Hiſt.* VII. 9. qui cum videret, quid ageret Eccleſia cum Baptizaret, factus eſt de ſalute ſua ſolicitus, quod eundem Baptiſmum ſe non accepiſſe meminerat. S. quidem *Baſilius ad Amphil. Can.* I. à *Marcioniſtis & Manichæis* datum Baptiſmum pro irrito habet; Cum tamen, ab Hæreſibus redeuntes, generaliter, ſine diſcrimine,

diſcrimine, ſine Baptiſmo reciperet *Eccleſia Romana*, & qui ejus partes ſequebantur; teſte etiam S. *Hieronymo fine dialogi adverſus Luciferianos.* Verba S. *Hieronymi*; *Antequam* Ariminenſis Synodus *fieret, antequam* Lucifer *exularet*, Hilarius Romanæ *Eccleſiæ diaconus ab Hæreticis venientes, in eo quod prius acceperant Baptiſmate ſuſcipiebat.* Et ſtatim; *Diaconus eras, O* Hilari, *& a* Manichæis *Baptizatos recipiebas. Diaconus eras*, *&* Ebionis *Baptiſma comprobabas. Repente, poſtquam exortus eſt* Arius, *ſolus tibi diſplicere cœpiſti.* Mox; *Legat & ipſius* Hilarii *libellos, quos adverſus nos de Hæreticis rebaptizandis edidit*; *Et ibi reperiet ipſum* Hilarium *confiteri*, *a* Julio, Malcho, (ſ. Marco) Sylveſtro, *& cæteris veteribus Epiſcopis*, *ſimiliter in pœnitentiam omnes Hæreticos ſuſceptos.* Paulo ante alia Hæreticorum nomina recitat, quæ vivente etiam S. *Joanne* erupiſſe ait; Et tamen nullum eorum vel rebaptizatum legi, vel rebaptizandum eſſe contendit. Audi nunc *Gennadium*, poſt ſchiſma *Luciferi* minus centum annis; *Neque enim credendum eſt eos fuiſſe Baptizatos, qui non in nomine Patris & Filii & Sp. Sancti*, *juxta regulam a Domino poſitam, tincti ſunt*; *Ut ſunt* Pauliani, Procliani, Borboritæ, Siphori, *qui nunc vocantur* Bonoſiani, Photiniani, Montanitæ *qui &* Priſcilliani, *&* Manichæi, *variaque impietatis germina*; *Vel cæteræ iſtorum originis ſive ordinis peſtes, quæ duo principia ſibi ignota introducunt, ut* Cerdon *&* Marcion; *vel contraria ut* Manichæus; *vel tria & barbara, ut* Sethianus *&* Theodoſius; *vel multa ut* Valentinus; *Vel Chriſtum hominem fuiſſe abſque Deo, ut* Cerinthus, Ebion, Artemon, *&* Photinus. *Ex iſtis, inquam, ſi qui ad nos venerint, non requirendum ab iis utrum Baptizati ſint, an non, ſed hoc tantum, ſi credant Eccleſiæ fidem, & Baptizentur Eccleſiaſtico Baptiſmate. de dogm. Eccleſ. cap.* LII. Et *Gennadio* prior *Auguſtinus*, ut ratus ſit is ſolum Baptiſmus, qui in nomine Trinitatis fit, à Generali Concilio decretum ſæpe ſcribit. De Oriente hoc tantum hic; Ubi hanc Regulam non ſemper, ubique, ab initio eandem valuiſſe contendimus; S. *Baſilium, Epiſt. ad Amphil. Can.* I.

Baptiſmum

Baptiſmum *Montaniſtarum* ita improbare,ut magno *Dionyſio*; *Alexandrino* ſcilicet; ratum fuiſſe fateatur. Vide nunc quid his conſequens ſit; Nam qui de rato vel irrito Baptiſmo contendunt, propterea contendunt, quod Baptiſmum ad ſalutem neceſſarium omnes agnoſcunt; id eſt, *Eccleſia Univerſa*. Nam & partes, quarum controverſias tractamus, acquieſcunt receptæ olim hujus controverſiæ definitioni, ut dictum eſt. Tum qui in eo diſſidebant, utrum ratus apud Eccleſiam poſſet eſſe Baptiſmus, qui apud Deum efficax ad ſalutem non eſſet; in eo omnes conveniebant,propterea ad ſalutem efficacem non eſse, quod extra Eccleſiam ſalus nulla eſset. Et ſane, cum propterea ad Legem ſalutis Evangelio proditam pertinere Baptiſmum oporteat, propter Fidei profeſſionem; Profeſſio autem non ſanæ Fidei ad ſalutem pertinere non poſſit; merito ad ſalutem requiritur Eccleſiæ Catholicæ Communio, extra quam ſanæ Fidei profeſſio nulla eſt. Denique, conſtat ex dictis quod propoſitum eſt; Ad cauſam eorum, qui Fidem profeſſi, propter mortalitatis caſus ſine Baptiſmo decedunt, cauſam eorum pertinere, quorum cum dubius eſset Baptiſmus, receptos tamen ſine Baptiſmo, conſtare poſſit. Cum enim reciperent eos alii cum Baptiſmo ſuo, quos alii non Baptizatos fuiſse putabant, hoc ſaltem neceſse fuerit, viſos omnibus ſaluti idoneos, quorum Baptiſmum pars irritum putarent. Neque enim aliter conſtiterit ratio communionis inter Eccleſias, niſi pariter omnes omnibus ſalutis ſpem fecisſent, quibus communionem indulgerent. Cum igitur dubitari poſset de ſalute eorum, quorum cum ratus non eſset Baptiſmus, judicio totius Eccleſiæ, non tamen Baptizarentur ab eis Eccleſiis, quæ omnes ab Hæreſibus redeuntes ſine Baptiſmo recipiebant; Hoc dubium ſic tollit *Firmilianus Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopus, Epiſtola ad S.* Cyprianum, *inter Epiſtolas* Cypriani *numero* LXXV. *Quid ergo, inquiunt, fiet de his qui ab Hæreticis venientes ſine Eccleſiæ Baptiſmo admiſſi ſunt? Si de ſeculo exceſſerunt, in eorum numero, qui apud nos, Catechizati*

quidem

quidem ſunt, ſed priuſquam Baptizarentur obierunt, habendi ſunt; non modo dicunt, emolumentum (legendum, *non modico emolumento*) *veritatis & Fidei, ad quam relicto errore pervenerant, etſi conſummationem gratiæ conſecuti non ſunt, morte præventi.* Plus dicit quam S. *Cyprianus*, Epiſtolis ad *Jubajanum* & ad *Stephanum*, quas loco ſupra citato allegat S. *Hieronymus*; ubi paratum ſe oſtendit, colere cum eis Communionem, qui recipiebant redeuntes ab Hæreſi, cum Baptiſmo in Hæreſi ſuſcepto. Neque enim coli poteſt cum eis Communio, quibus ſpem ſalutis conſtare non poſſe putemus. Itaque, hujus ſpei rationem etiam reddit *Firmilianus*, à ſimili Catechumenorum cauſa, qui ſine Baptiſmo morte oppreſſi decederent. Ac merito quidem eos, qui auctoribus Eccleſiarum præpoſitis, cum irrito Baptiſmo deceſſerant, eis accenſet, qui mortalitatis caſibus occupati, ſine Baptiſmo decederent. Nec enim putandum eſt, quicquam eorum ſaluti obſtare potuiſſe, qui majorum ſuorum auctoritatem ſecuti, ratum Baptiſmum ſe habere putarent, qui revera irritus eſſet. Nimirum, integra erat *Fidei profeſſio*, ad Eccleſiam Catholicam redeuntium; Quam in Baptiſmo *ſervare* S. *Petrus* docebat. Si quid profeſſionis ſolemnitati deerat, obſtare non poterat ſaluti ejus, in cujus arbitrio non eſſet. Atqui hoc ideo locum habet, quod Deo auctore inſtituta Eccleſia, eorum quæ jure ſuo continentur; quale eſſe indulgendi Baptiſmi auctoritatem dictum eſt; idoneus ſuis auctor ſit. Idem de eis dicendum, quos *Socrates Eccleſ. Hiſt.* V. 22. ſine Baptiſmo ſæpe mori ſolitos in *Theſſalia* ſcribit; Propterea quod in *Paſchate* ſolo Baptizaretur. Nam Catechumenis, qui ſic moriebantur, longe liquidior eſſe videtur ſalutis ratio, majorum ſuorum auctoritatem ſecutis, propter unitatem Eccleſiæ; quam Rectoribus Eccleſiarum, diverſum a reliquis Eccleſiis morem ſervantibus; Quibus tamen ſimplicitatem ſuam apud Deum auxilio eſſe, quis dubitet? Sed quod de eis ſectis memini, quæ Scripturam judicem ferunt, propter *Gnoſticos*, *Manichæos*, & ſi quæ ejus

generis

generis ſectæ ſunt, dictum eſt; qui Scripturas ita agnoſcebant, ut præſtantius quiddam, eis quæ Scripturis continentur, aliunde ſibi notum, ad aſſequendam ſalutem profiterentur. Nam hoc qui facerent, ut Scripturas, ultra id quod ſecreta ſua eruditione continebatur, agnoſcerent, ab eis expectandum non erat. His itaque ſepoſitis Sectis, ſive Chriſtiani nomen præ ſe ferant, ſive minus, cum reſidui univerſi Chriſtianiſmi conſenſum auferat Baptiſmi neceſſitas, vere dixiſſe mihi videor, eadem ipſam vi ſtare, qua communis Chriſtianiſmus; id eſt, rationes ejus amplectendi; Scripturis ſcilicet, & Chriſtianorum conſenſu. Nam quod, qui *Legem Chriſtianam* amplexi ſunt ab initio univerſi, tanquam ad eam pertinens, amplexi ſunt, id, propter præmiſſam amplectendi Chriſtianiſmi rationem, retinendum eſt, etſi repugnantibus, qui vim ejus ac ſequelam non vident.

De Regula Fidei.

Hic locus eſt *Regulæ Fidei* commemorandæ, ſive *Traditionis Catholicæ*, cujus eſt frequens mentio, apud Scriptores Eccleſiaſticos proximorum Apoſtolis temporum; quamvis ad ea ſola extendi videatur ab ipſis, quæ fide tenenda ſunt. Sed hoc mihi videtur Eccleſiæ conſuetudini tribuendum, qua, primis ſtatim Fidei temporibus, Catechumenis tempus tributum eſt, quo ſe Eccleſiæ probarent; triennium quidem apud ſcriptorem τῶν διαταγῶν VIII. 32. quinquennium *Eliberitano Canone* V. in eorum cauſa, qui Sacerdotes Idolorum fuerant. Nam & in Conſtitutionibus ſubjicitur, non eſſe cur abbreviari non poſſit præſcriptum triennium, ſi cujus ſtudium erga fidem tam vehemens videatur, ut non ſit, cur de ejus ſinceritate dubitari debeat. Sed, cum ad *mores Fidelium*, à *Judæorum* & *Gentilium* moribus tum temporis diverſos, ſatis, uſu cœtuum ſacrorum, & converſationis Fidelium, formarentur *Catechumeni*; hoc ipſo quod probarentur, videri potuerunt, in eis quæ Fidelium operibus præſtanda ſunt inſtituti. *Traditionis* autem nomen, cum de rebus traditis intelligatur, non minus illud ſignificare poteſt quod Traditione prodimus, quam quod Traditione

accipimus.

accipimus. Hanc ſignificationem habet, cum de *Traditione Fidei* ſermo eſt, quam ab Apoſtolis Eccleſiæ, à Domino vel ejus Spiritu acceperunt Apoſtoli; Alteram illam, cum de moribus, ritibus, regulis, Legibus Eccleſiæ non ſcriptis ſermo eſt; quos, ejus auctoritate conſtitutos, per Traditionem poſteritas accipiebat. De his ſtatim ſermo erit. Regulæ autem Fidei Traditio, quam Eccleſiæ auctoritate antiquiorem diximus, ab *Origene, præf. Librorum* περὶ ἀρχῶν, ſic deſcribitur. *Cum multi ſint, qui ſentire ſe putent quæ Chriſti ſunt, & nonnulli eorum diverſa a prioribus ſentiant, ſervetur vero Eccleſiaſtica prædicatio, per ſucceſſionis ordinem ab Apoſtolis Tradita, uſque ad præſens in Eccleſiis permanens; illa ſola credenda eſt veritas, quæ in nullo ab Eccleſiaſtica diſcordat Traditione. Illud tamen ſcire oportet, quod SS. Apoſtoli, fidem Chriſti prædicantes, quæcunque neceſſaria crediderunt omnibus credentibus, etiam his qui erga inquiſitionem divinæ ſcientiæ pigriores videbantur, maniſeſtiſſime tradiderunt; Rationem ſcilicet aſſertionis eis relinquentes inquirendam, qui Spiritus dona excellentia, & præcipue ſermonis, ſapientiæ, & ſcientiæ, per ipſum Spiritum Sanctum percipere merebantur. De aliis vero, dixerunt quidem quia ſint, quomodo autem, aut unde ſint ſiluerunt; profecto, ut ſtudioſiores quoque* (l. quiq;) *ex poſteris ſuis, amatores ſapientiæ & ſcientiæ, exercitium habere poſſent, in quo ingenii ſui fructum oſtendere valerent; Hi videlicet, qui dignos ſe & capaces ſapientiæ præpararent. Species verò eorum quæ per prædicationem Apoſtolicam maniſeſte traduntur hæ ſunt*; quæ ponuntur deinceps. Colliguntur hæc in *Fidem S. Trinitatis* (in quam Baptizare juſſi ſunt à Domino Apoſtoli) à S. præſertim *Hilario*, initio *ſecundi Libri de Trinitate*; Ubi, hanc ſolam profeſſionem Fidelibus ſufficere debuiſſe, multis diſputat; Quod additum eſt, Hæreticorum excludendæ importunitati acceptum ferendum eſſe. In eandem ſententiam *Paſchaſius, Præf. ad Libros de Spiritu Sancto.* Neque eſt apud Eccleſiæ ſcriptores inuſitatum, Symbolum Fidei Trinitate comprehendi. Et ſane Symbolum *Nicenum* in Spiritus Sancti Fidem deſinebat;

priuſquam in Concilio ſecundo addita ſunt quæ ſequuntur. Sed non eſt propterea putandum, ad neceſſitatem ſalutaris Fidei non pertinere quicquam, præterquam S. Trinitatis confeſſionem. Sane S. *Irenæus contra Hær.* I. 2. poſtquam Eccleſiæ Fidem in S. Trinitatem recenſuiſſet,ſubdit ſecundum Chriſti adventum,Reſurrectionem carnis,& extremum judicium; quaſi ad incarnati Chriſti *οἰκονομίαν* pertinentia, quam Spiritus Sanctus per Prophetas prædicaverit. Negari autem non poteſt, præſentis ſeculi providentiam, futuri mercedem, ſemper, ante Chriſti adventum,ad ſalutem Fide tenendam fuiſſe. Qua ratione dici poſſet fortaſſe, Fidem Chriſtianorum propriam ſola S. Trinitatis confeſſione comprehendi; Propterea quod reliquorum Fides, etiam eis qui fuerunt ante Chriſtum Fidelibus communis fuerit. Sed non eſt cur neceſſe ſit credi, omnes ab initio Eccleſias eandem verborum formulam uſurpaſſe, in cujus profeſſionem omnes adigerent, à quibus Catholicæ Fidei profeſſionem exigebant, cum Baptizabantur. Nam neque ipſum Catholicæ Eccleſiæ vocabulum uſurpari potuiſſe, priuſquam, ad diſtinguendam ab Hæreſibus Eccleſiam neceſſarium factum eſſet, ex eis conſtat, quæ de ejus ratione diſputavimus. Sed cum inter partes, quibus, an ratus eſſet Hæreticorum Baptiſmus non conveniebat, ad ſalutem tamen non valuiſſe conveniret; id eſt,cum toti Eccleſiæ conveniret, in Catholica ſola ſalutis ſpem eſſe; neceſſe eſt ſpem ſalutis, ab ejuſdem Fidei profeſſione, omnium conſenſu Fidelium pependiſſe, qui ad eandem omnes ejuſdem Eccleſiæ Communionem pertinebant. Itaque & S. *Cyprianus, Epiſt.* LXX, & LXXVI. *Remiſſionem peccatorum per Eccleſiam Catholicam* in Symbolo locum habuiſſe oſtendit; & ante *Cyprianum Tertullianus de Bapt.* VI. Quod ſi Fides *Arii*,non quidem ſenſum noſtrum, ſed verba noſtra profeſſionemque continere videbatur, judicio *Ruffini Hiſt. Eccleſ.* I. 11. neceſſe eſt ſenſus ſui Eccleſiam idoneum teſtem eſſe. Et ſane, ut dictum eſt,in hanc Fidem Baptiſmus Lex eſt ſalutis. Quare obſervandum eſt,

quod

quod *Origenes* Traditionem eam appellat, quæ apud Eccleſias ſuo tempore maneret; Hoc eſt, in quo convenirent. Hoc enim eſt, quod illum, quem ego appello, univerſorum Fidelium conſenſum affirmat; Cum non poſſent veri Fideles haberi, qui ab Eccleſiarum ſuarum auctoritate diſſentirent. Itaque non eſt poſtulandum, ſingulos ſcriptores à nobis laudari, à quibus commemoretur *Traditio Fidei.* Cum Eccleſiarum conſenſum, eorum teſtimonio aſſerimus, conſilium inſtitutæ à Deo Eccleſiæ, Eccleſiarum unitate conſtantis, rerum ipſarum effectu affirmamus. Cœterum eadem eſt *Baptiſmi formula*, quam, ſive *Apoſtolorum Symbolum*, ſive *Eccleſiaſticum*, poſtea latius diducebat; In quo apertiſſima extat *Eccleſiaſticæ Fidei* affirmatio. Neque enim ullus eſt Eccleſiæ mos, vel origine vetuſtior, vel latius pertinens, quam quo Catechumeni, cum Baptiſmum peterent, (quo tempore *Competentes* appellabantur) inſtituebantur ad Eccleſiaſtici Symboli diſciplinam, per *Quadrageſimam*, ut eo memoriter reddito, Baptizati in *Vigilia Paſchatis*, in Paſchate Euchariſtiam perciperent. Hoc enim, ita Conſenſum Eccleſiæ, in ſummam Fidei & Regulam aſſerit, ut tamen de ejus ſenſu ac vi, ſuboriri poſſent, ad neceſſitatem Fidei pertinentes quæſtiones; in quibus, Eccleſiæ teſtimonio, continendus erat ſenſus Scripturarum finibus Apoſtolorum ſucceſſione acceptis. Eſt enim magnopere animadvertendum, cum definiendam, ex Traditione Eccleſiæ, Scripturæ ſententiam dico, non hoc me velle, quaſi teneri poſſit ſenſus Scripturæ Traditione. Quis enim putet, Scripturarum ſcientiam, omni literarum genere conſtantem, Traditione teneri poſſe? Sed quod recuſandum ſit, tanquam à vero Scripturæ ſenſu alienum, quicquid in Traditionem incurrit. Quod eſt dicere, intra fines Traditionis continendam eſſe interpretationem Scripturæ. Quod qui dicit, quò minus Traditione teneri dicat, eo plus interpretum Fidei relinquit. Hanc igitur Traditionem, *verbis Symboli* contineri non poſſe, *ſenſu Eccleſiæ* contineri neceſſe eſſe; *Ariana* ſive *Eunomiana*

nomiana Hæreſis teſtimonio eſt; tum *Pelagiana*. Nam niſi Eccleſiæ, ſemper *glorificatum cum Patre Filium & Sp. S.* conſtitiſſet, niſi ab initio ſemper *Baptizatos Infantes in remiſſionem peccatorum*, eludi potuiſſent non minus *Symboli Verba*, quam *Scripturæ*. Itaque quod *Origenis* Hæreſim inſtaurare pertendunt apud nos nonnulli, quod nullis *Symboli verbis* jugulетur, nimis ignorantes rerum eſſe volunt, quibus ſic fucum faciunt. Nam quid prohibet, illud in Symboli ſenſum, ad neceſſitatem ſalutis pertinentem, incurrere, quod aliam adventui Domini rationem, præter inſtaurandum primorum Parentum lapſum proponit? Neque vero non contineri *Scripturis Symbolum* putare poteſt, qui intra ejus fines continendum earum ſenſum audit. *Cyr. Cat.* V. οὐ γὰρ ὡς ἔδοξε τοῖς ἀνθρώποις συνετέθη τὰ τῆς πίστεως· ἀλλ' ἐκ πάσης γραφῆς συλλεχθέντα τὰ καιριώτατα μίαν ἀναπληροῖ τῆς πίστεως τὴν διδασκαλίαν. *Non enim, ut hominibus viſum eſt, compoſita eſt Fides; ſed ex tota Scriptura collecta maximi momenti quæque, unam complent Fidei doctrinam. Vincentii Lerinenſis* aureolum libellum hoc loco præterire non licet, quo hoc ſolum contendit quod agimus; juxta illud quod *ab omnibus*, *ubique*, *ſemper*, receptum eſt, omnem Scripturam interpretandam eſſe. Poſt *Epheſinum Concilium* ſcriptus eſt. Itaque cum *Irenæus*, *Tertullianus*, & omnino antiquiores Eccleſiarum conſenſum appellent, *Vincentius* decem Eccleſiæ ſcriptores profert, ejus Concilii Fidem affirmantes. Hoc ita valet, quod Eccleſiæ receptos conſtaret; quodque neminem Eccleſiæ receptum, qui ſecus doceret. Atqui hoc ſolum Eccleſiæ unitatem, quam ſupponit, oſtendit. Nam niſi *Lex* fuiſſet *Fidei*; cujus profeſſione conſtabat Eccleſia, omniſque in Eccleſiæ Communione docendi auctoritas; nunquam idem docuiſſent decem Doctores nemine contradicente. Certe non ſoli *Neſtorio* accidit, ut cum primum pro concione publicaret Hæreſim ſuam, turbaretur Fidelis populus, cujus auribus nova accidebat. Quo minus mirum videri debet, ſi in *Concilio Epheſino*, ipſumque ſecutis, ſecundum ſen-

tentias

tentias receptorum Eccleſiæ Doctorum pronunciatum eſt. Nimis ineptus ſit,qui hoc datum eorum auctoritati putet, ut propter eam,Fidei adverſaretur in poſterum, quod prius non adverſabatur. Datum eſt eorum teſtimonio, qui tantam docendi auctoritatem apud Eccleſiam adepti erant, ut, in eo quod ad Fidem pertineret, à Fide ſemel Eccleſiæ tradita nulla in re diſcedere eos poſſe crederetur.

Ab initio ſane *Regulam Fidei* apud Eccleſiam extitiſſe, oſtendit *Tertullianus*, in eis quæ de agnoſcendarum Scripturarum ratione producta ſunt. Cum enim,ſepoſitis Scripturis, tueri ſe poſſe adverſus Hæreſes ſui temporis Eccleſiam, clariſſimis rationibus demonſtrat, oſtendit, etiam ſepoſitis Scripturis, aliquid eſſe quod ab Hæreſibus Eccleſiam diſtinguat. Nam *cum credimus*, *hoc primum credimus*, *nihil eſſe quod ultra credere debeamus*. Firmiſſimum hoc Fidei fundamentum opponit Hæreticis *Tertullianus*, Fidei Scientiam Scripturas ſuperantis introducentibus, *de Præſcript. Cap.* VIII. Sic enim jugulatur omnis veritatis prætextus, alia ratione quam per Apoſtolorum Dominique prædicationem revelatæ. Quomodo autem jugularetur, niſi caput ac ſummam veritatis Scripturis revelatæ contineret id quicquid eſt, quo Gnoſticos, qui aliam a Domini & Apoſtolorum prædicatione Scientiam jactabant, omni ex Scripturis diſputatione ſummovet *Tertullianus?* Hoc enim eſt, quod eis rationibus probatur, propter quas Chriſtiani ſumus. Idem docet *Irenæus* III. 4. his verbis; *Quid autem ſi, neque Apoſtoli quidem Scripturas reliquiſſent nobis? Nonne oportebat ordinem ſequi Traditionis, quam tradiderunt iis, quibus committebant Eccleſias? Cui ordinationi aſſentiunt multæ gentes Barbarorum, eorum qui in Chriſtum credunt; ſine Charactere, vel atramento, ſcriptam habentes per Spiritum in cordibus ſuis ſalutem, & Veterem Traditionem diligenter cuſtodientes.* Sine Scripturis ſi conſtare poteſt ſalus; Gentibus nimirum, quæ litteras ignorabant; qua re conſtabit,niſi ſummæ *Fidei Traditione?* Unde conſtat quod diximus; non minus eam opere agendis,quam

Quæ de Regula Fidei Irenæus & Tertullianus.

fide

fide tenendis conſtitiſſe; Etſi *Fidei Regula* videtur de ſolis Fide tenendis intelligi. Itaque *Tertullianus*, apud quem crebra eſt *Regulæ Fidei* mentio, generalius *diſciplinæ* vocabulum frequentat,ad totum Chriſtianiſmum ſignificandum. Itaque & *Regulam Diſciplinæ* uſurpat,*Apologet.cap.* XLVI. & Prophetas ſuos aliquam *Fidei aut Spei Regulam* evertere negat, *de Jejuniis cap.* I. & omnino in *Diſciplinæ* appellatione multus eſt, ſive de toto Chriſtianiſmo, ſive de Parte ejus aliqua ſermo ſit. Sed non eſt omittendus inſignis *Irenæi* locus, quo *Fidei Regulam* affirmat, dum plus vel minus ab Eccleſiarum aliqua doceri negat, quam a reliquis; *Libri primi Capite tertio*, cujus eſt titulus; *Oſtenſio, neque plus neque minus, de ea quæ eſt Fide, poſſe quoſdam dicere. Hanc prædicationem cum acceperit*, inquit, *& hanc Fidem, quemadmodum prædiximus, Eccleſia, & quidem in univerſum mundum diſſeminata, diligenter cuſtodit, quaſi unam domum inhabitans; & ſimiliter credit iis, videlicet quaſi unam animam habens, & unum cor; & conſonanter hæc prædicat, & docet, & tradit, quaſi unum poſſidens os. Nam etſi in mundo loquelæ diſſimiles ſunt, ſed tamen virtus Traditionis una & eadem eſt; Et neque hæ quæ in* Germania *fundatæ ſunt Eccleſiæ aliter credunt, aut aliter tradunt, neque hæ quæ in* Iberis *ſunt, neque quæ in* Celtis,*neque hæ quæ in* Oriente, *neque hæ quæ in* Ægypto, *neque hæ quæ in* Lybia, *neque hæ quæ in medio mundi ſunt conſtitutæ. Sed ſicut Sol, creatura Dei, in univerſo mundo unus & idem eſt, ſic & lumen, prædicatio veritatis, ubique lucet, & illuminat omnes homines qui volunt ad cognitionem veritatis venire. Et neque qui valde prævalet in ſermone, ex iis qui præſunt Eccleſiis, alia quam hæc ſunt dicet; Nemo enim ſuper Magiſtrum eſt; neque infirmus in dicendo deminorabit Traditionem. Cum enim una & eadem Fides ſit, neque is qui multum de ea poteſt dicere, amplius, neque is qui minus, deminorat.* Cum igitur Eccleſiæ Dominus, domus ſuæ claves; quæ eadem eſt Eccleſia; ineundi ſuo nomine Fœderis Evangelici cauſa, Lege a ſe dicta indulſerit; manifeſtum eſt, ex diſcrimine eorum quibus claves credidit, ab eis quos

recipi

Digitized by Google

recipi voluerit, Societatem eſſe Eccleſiam inſtituto Dei, in qua aliæ ſint, atque aliæ partes, ad eandem Communionem pertinentium. Cum autem profeſſionem Fidei Baptiſmo celebrandam, eandem ad ſalutis æternæ, eandem ad Communionis Eccleſiaſticæ Legem pertinere voluerit; Quod in ipſo diſceſſu e ſeculo ſuo promulgari voluit; Cum Scripturis in hunc ſenſum expoſitis univerſa conſentiat Eccleſia, cum Hæreticorum Baptiſmum ſive ratum negat, ſive efficacem; cum, (ut alios ejus ritus ac mores taceam) ex *Traditionis Catholicæ Regulâ*, ab initio indulgeri *Baptiſmum* inſtitutum ſit; Manifeſtum eſt, Conſilium fuiſſe Dei, inſtituere *Eccleſiam*, cujus *Communionem*, quibus indulgendi jus credidit, eis, tuendi, ac propagandi *Legem* ſalutis, *Fidelibuſ*que reliquis communicandi Partes credidiſſe videri debet.

Cœterum in antiquæ Eccleſiæ moribus ac inſtitutis, egregia prorſus alia extant, & illuſtria, eorum quæ ex Scripturis deduximus, argumenta. Inprimis, univerſa Catechumenorum Diſciplina. Cum enim inſtitutum vidimus, ut qui credere ſe Evangelio profiterentur, non ſtatim ad Baptiſmum admitterentur, ſed, *triennio*, vel fortaſſe *quinquennio*, (prout ferret, opinor, vel ſtatus hominum, vel mos Eccleſiarum) accedentes ad Eccleſiæ ſacra, quatenus eis intereſſe dabatur, & Fidem Chriſtianorum & mores diſcerent: Tum vero, prout ſe probaſſent, prout Baptiſmum expeterent, perinde *jejuniis & Catechiſmis per Quadrageſimam* exercitati, in *Paſchate* Baptizarentur; Quid aliud agnoſcimus, quam Fidem Chriſtianorum brevem, (quam hodiernæ diſputationes infinitam faciunt) vitam autem longam? Cujus de effectu, qui profeſſioni reſpondeat, cum adeo anxia ſit inquiſitio, in eo univerſæ ſalutis cardinem verſari. Erant autem permulti; præſertim vigentibus perſecutionibus; qui in Chriſtum ſe credere profeſſi, Baptiſmum tamen, ad mortem, ſi forte, differebant, ut perſecutionem Chriſti nomine evaderent. Hos, quod in lecto ſæpenumero Baptizarentur; id eſt moribundi;

Ex inſtitutis Eccleſiæ.

moribundi; *clinicos* appellabant. Quamquam autem non erat Eccleſiæ, cuiquam, quandocunque petenti, Baptiſmum negare; Quod in alienum a ſe jus nullum haberet: Et quem adigere non poterat, ei Baptiſmum ſuadere ſatis habebat; Tamen,ut ſalutem in ſuſcipienda cruce Chriſti (quod profitendo fit, non credendo) collocare ſe oſtendat, nunquam ſe non ſolicitam de hujuſmodi hominum ſalute tulit. Idem ſignificabant *interrogationes Baptizandorum*, ut oris ſui profeſſione tenerentur; Idem *ſigni Crucis impreſſio*, Scripturas Apoſtolicas pulchre alludens 2 ad *Cor*. I. 21, 22. ad *Eph*. I. 13. IV. 30. nam publice impreſſum, etſi oculis non occurreret, memoriæ tamen Eccleſiæ obverſabatur; Idem *ſuſceptorum mos*; Idem denique *veſtes* a Baptiſmo *candidæ*; in quibus etiam pulchra erat, ad Apoſtolicas Scripturas, alluſio, ad *Rom*. XIII. 14. ad *Gal*. III. 27. IV. 22, 24. ad *Col*. III. 10. Ponamus, alium atque alium fuiſſe vel Catechiſmi, vel Baptiſmi morem, apud alias atque alias Eccleſias. Quamdiu Communionem inter ſe colebant Eccleſiæ, quæ alios atque alios mores uſurpabant, unius ejuſdemque ſalutis ſpem uno eodemque fundamento nixam proteſtabantur; Lege ſcilicet ſalutis, Apoſtolorum Dominique prædicatione oblatæ, quam cum ſingulis, in ſingulorum *Baptiſmo* inibat *Eccleſia*.

CAP.

Digitized by Google

CAP. IX.

Demonſtratur idipſum, a ſupremo jure in Eccleſiam, ab Apoſtolis ad Eccleſiam tranſmiſſo, ex Scripturis ad totius Eccleſiæ conſenſum exactis; Reſpondente etiam jure Synagogæ, ſecundum ejus analogiæ rationem, qua Synagogam Eccleſiæ reſpondere demonſtratum eſt. Ac primo, de jure ſubſtituendi Apoſtolis Rectores Eccleſiarum.

Jura quæ Societatem Eccleſiæ conſtituunt.

OMNES omnino Civitates, & Rerumpublicarum formæ, juris capitibus quibuſdam conſtant; in quibus, prout ea vel uni vel pluribus, vel plebi univerſæ tribuenda eſſe viſum fuerit, ſuprema in omnes poteſtas, & regiminis forma conſiſtit. Hæc ſunt, quæ docti quidam *Majeſtatis Jura* appellant; Jus primo loco *Gladii*; (id eſt, vitæ ac necis ſuprema poteſtas) quæ cui, vel quibus tributa ſit, in eis ſummam poteſtatem, ac ſecundum eam, regiminis formam conſtitutam eſſe, dubitandum non eſt. Nam quod Legum ſummam eſſe poteſtatem Græcorum *Philoſophi* voluerunt; animadvertendum eſt, omnes Leges ab hominibus ferri, poteſtate præditis ante eas latas. Itaque omnes Reſpub., ab initio, conſenſu quodam conſtare, penes quem vel quos, poteſtas ſit gladii. Nihil enim aliud eſt Lex Civilis quam hujus poteſtatis, ab initio infinitæ, terminus, ſibi ab ipſa præſcriptus. Quod ſi redituum publicorum fundum, & tributorum exigendorum jus adjeceris, videri poteris quatuor capita, ſummam poteſtatem præcipue continentia poſuiſſe; magiſtratuum ſcilicet ſubrogandorum, Vitæ ac necis, Legum ferendarum, diſpenſandarum facultatum publicarum jus, eis hominibus attributum, penes quos ſummam poteſtatem eſſe voluit ſtatus ipſe Reipub., miniſterio inferiorum ab ipſis conſtituendarum poteſtatum exercendam. Igitur ſi Eccleſia Reſpublica quædam ſit; hominum quidem Societas, licet non

Civilis; ſi Societas & Communio divinitus inſtitutorum cultus divini Officiorum divinitus inſtituta, omnino neceſſe eſt, in Eccleſiæ jure eſſe, Deo ſolo auctore, quod his ſupremæ poteſtatis partibus, eadem ratione, qua ipſa Reipub., prima impoſitione ſic proprie dictæ, reſpondeat. Ac ſane, ſi poteſtas Clavium ad ejus Communionem valet, ob depoſitam, penes ipſam, ſinceri Chriſtianiſmi profeſſionem; quæ ratio dubitet, eſſe jus Eccleſiæ, pellendi Communione ſua eum, qui editam a ſe profeſſionem violet? Atqui hoc, quid aliud eſt, quam vitæ ac necis poteſtas; quando illud tantum quæritur, an huic homini in Eccleſiæ Communione vivendum ſit necne? Cum autem dictum ſit, Eccleſiæ Societatem ita à Domino inſtitutam eſſe, ut eadem maneat, à primo ejus adventu ad ſecundum: Cumque in hunc finem depoſita ſit, apud Apoſtolos Domini & Diſcipulos, poteſtas Clavium Eccleſiæ; manifeſtum eſt, creditam ipſis poteſtatem, ſucceſſorum ſibi, per intermedios a ſe inſtitutos, ad finem uſque ſeculi ſubrogandorum. Igitur, cum penes quos jus ſit gladii in Eccleſia manifeſtum ſit, manifeſtum eſt, penes quos Legum Eccleſiæ ferendarum jus eſſe debeat; Nimirum eis in rebus, quas Eccleſiæ poteſtati ſubditas eſſe conſtabit. Denique fruſtra hæc omnia, niſi extet jus ærarii communis, ac tributorum, quibus publica Eccleſiæ onera ſuſtineantur. Quod ſi conſtare poterit, jura hæc & a Domino tributa, & Eccleſiæ ab initio uſurpata, completa erit demonſtratio inſtitutæ divinitus Eccleſiæ. Quorum de pleriſque, cum apud nos diſputatum ſit, inſtituti mei erit, quibus argumentis hoc doceri poſſit, experiri.

Omnem poteſtatem Eccleſiaſticam ab Apoſtolis inſtitutam; ex Scripturis.

Igitur non eſt dubium, Dominum Chriſtum, cum ad Patrem diſcederet, ſummam in ſuos poteſtatem, Apoſtolis ſuis ac Diſcipulis crediſſe. Itaque cum ab initio XII. elegiſſet, qui *ſecum eſſent*, quoſque *pro ſe legaret*, *Marci* III. 14. (Hoc enim valet Apoſtoli nomen, jure *Hebræorum*, ut, quod ab ipſo factum fuerit, eandem vim habeat, ac ſi egiſſet qui legavit;

legavit; שליח אדם כמותו aiunt ipſorum Magiſtri, *Apoſtolus tuus inſtar eſt tui*) manifeſtum eſt, ſummum jus eis delatum. Nec hoc unquam in diſputationem deducam, quod nemo nudo capite negat. Si cujus ſententia id per conſequentiam labefactat & evertit, cui ipſe expreſſis verbis contradicere non audet; Nihil eſt, quo minus ſumatur adverſus ipſum pro conceſſo. Cum autem LXX. alios ordinaret & legaret Dominus, putandus eſt omnino, ſecundi ordinis jus ac dignitatem ipſis tribuiſſe. Equidem, cum Apoſtolorum ſcripta legens ac relegens, cum antiquiſſimos Eccleſiæ ſcriptores recenſens, nihil ab eis geſtum reperiam, quod ſui Ordinis nomine valuerit; facile adducor ut credam, cum conderentur ab Aſcenſione Domini Eccleſiæ, eos ipſis locos, ordines, ac gradus, in eis Eccleſiis contigiſſe, quorum miniſteria ipſis maxime convenirent; non alios autem, quam qui in Eccleſia ad finem uſque ſeculi duraturi inſtituebantur. Itaque neque aliquos ipſorum, in illis *Presbyteris*, quos *Jeroſolymis* fuiſſe ab initio legimus *Act.* XI. 29. XV. 21, 23. XXI. 18. fuiſſe dubitem; Neque, vel prædicandi Evangelii, vel regendarum Eccleſiarum præcipuis muneribus præfectos. Sed ſi quid incideret, de quo communi conſilio ſtatuendum eſſet, in eo facile primas partes XII. Apoſtolorum fuiſſe. Atqui, *Timotheum* ac *Titum S. Pauli* diſcipulos ac comites ab initio fuiſſe, res eſt manifeſta; Ab eo autem, ſive Evangelio propagando, ſive conſtituendis ordinandiſque Eccleſiis legatos. Itaque *Evangeliſtas*, vel illos, vel antiquiores Domini diſcipulos ita haberi par eſt, ut ſi qui ſecundi ordinis *Apoſtoli* eſſent, (quod multa Apoſtolicæ Scripturæ loca videntur innuere) non ſatis manifeſtum ſit eorum ab invicem diſcrimen. Vide 2 ad *Cor.* XI. 5. XII. 11. Ubi τοὺς ὑπὲρ λίαν Ἀποστόλους quid prohibet, XII. primos à ſecundis diſtinctos intelligi? Certe ejuſdem Epiſtolæ XI. 13. Apoſtolorum Chriſti nomen ultra XII. extendi neceſſe eſt; ut & *Apoc.* II. 2. tum 1 ad *Cor.* XII. 28, 29. ad *Eph.* IV. 11. Sane *Jacobum* fratrem Domini ex numero τῶν ιβʹ fuiſſe qui non con-

ſentit, eam hoc accipere neceſſe eſt, 1 ad *Cor*.XV.7. ad *Gal.* I.19. Interea loci Apoſtolos, à quibus propagatum eſt Evangelium, conditæ ac ordinatæ Eccleſiæ, quoſcunque ipſis rectores præficerent, ſibi tamen earum curam primo loco reſervaſſe, & rerum indoles, & fides ipſorum poſtulat, & Epiſtolæ ad *Titum* & *Timotheum* ſcriptæ, tum reliquæ Apoſtolorum; quorum magna pars in ordinando Eccleſiarum regimine verſatur, ad quas ſcriptæ ſunt. Certe interpoſitam auctoritatem Apoſtolorum, quoties minus ſanus Eccleſiarum ſtatus poſtularet, ex ipſorum ſcriptis conſtat. Quæ quia manifeſta ſunt, manifeſtum eſt etiam, conſtitutos in Eccleſia *Apoſtolos & Evangeliſtas* argumento eſſe, unitatem Eccleſiæ eis conſtituendis inſtitutam; quod ſupra diſputatum eſt. Nam quorum poteſtas ad omnes Eccleſias pertinebat, eos ad eandem quam ipſi inter ſe colebant unitatem eas inſtituiſſe, non minus ſacrilegum quam ſtultum fuerit dubitare. Itaque ſi quid de *Presbyteris*, ſive per *Eccleſias*, ſive per *Civitates ordinatis*, & inſtituendis, ſive ab Apoſtolis, ſive à Legatis ipſorum, quibuſdam in locis expreſſum ſit, ut *Act.* XIV.28. ad *Titum* I.2. quis dubitet, quandocunque mentio fiat, vel de Eccleſiarum miniſteriis, vel de muneribus quocunque modo ad earum regimen pertinentibus, omnino & munera ipſa, & homines, una Apoſtolorum auctoritate definitos fuiſſe. Sane Apoſtolus ad *Hebr*. XIII. 7, 17. cum-primo memoriam eorum, qui, primi cum Evangelium attuliſſent, primi ipſis præfuerant, commendaſſet; mox eorum auctoritatem, qui ab ipſis inſtituti, tum ſtatim eorum auctoritatem obtinebant, ab ipſis agnoſci vult. Nam *Presbyterorum* ſive munus, ſive honorem, Apoſtoli præceptis ſuis & inſtituunt, & exigunt 1 ad *Theſſ.* V. 12, 13. *Jac.* V. 14. 1 *Pet.* V. 1, 5. ſicut Angelorum *Aſiaticorum Joannes*, *Apoc*. I. 20. II. III. Itaque auctoritatem Apoſtolorum Fides ab ipſis præſtanda reſpiciebat.

Eccleſiæ Univerſæ conſenſus.

Quod ſi quis dubitandum putet, potuiſſe alicubi exiſtere auctoritatem in Eccleſias, quæ ab uno fonte, auctoritatis à Domino

Domino Apoſtolis ac Diſcipulis ſuis indultæ derivari non poſſit, eis notis, quas legitima omnis omnino juris propagatio requirit, ut agnoſci poſſit; non multis cum illo agendum puto, in ea cauſa, cui omnia omnium Eccleſiarum monumenta teſtimonium perhibent. *Irenæus* & *Tertullianus* cum *Gnoſticis* reſiſtunt, ad omnium Eccleſiarum ſucceſſiones provocant; *adv. Hær.* III.3. *de præſcript.* cap. XXXII. Rectores ſuos, ab iis, qui ab Apoſtolis, eiſdem Sedibus quas ipſi primi occupaverant impoſiti, ſucceſſoribus eas tradiderant, directa ſerie derivantes. Sic igitur *Irenæus*; *Sed quoniam valde longum eſt, in hoc tali volumine, omnium Eccleſiarum enumerare ſucceſſiones; maximæ, & antiquiſſimæ, & omnibus cognitæ, a glorioſiſſimis duobus Apoſtolis* Petro *&* Paulo Romæ *fundatæ Eccleſiæ, eam quam habet ab Apoſtolis Traditionem, & annunciatam hominibus Fidem, per ſucceſſionem Epiſcoporum pervenientem uſque ad nos, indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquomodo, vel per ſui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, & malam ſententiam, præterquam oportet colligunt. Ad hanc enim Eccleſiam, propter potentiorem principalitatem, neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam; hoc eſt, eos qui ſunt undique Fideles.* Satis eſſe oſtendit, de ſucceſſione *Romanæ* Eccleſiæ Epiſcoporum contendere; quia cum *Romam* undique neceſſe eſſet convenire Fideles, neceſſe erat etiam eis Eccleſiæ Catholicæ communicare; non eis Eccleſiis, quæ *Romæ præterquam oportet colligebant*; Hoc eſt, ex perverſæ Fidei profeſſione cœtus agebant. Hoc autem facere non poterant, niſi ab Epiſcopis auctorati, quos Apoſtolis ſuccedere notum erat. Itaque cum Epiſcopos *Romanos*, ab Apoſtolis ad *Eleutherum* enumeraſſet; *Hac ordinatione*, inquit, *& ſucceſſione, ea quæ eſt ab Apoſtolis in Eccleſia Traditio, & præconizatio veritatis pervenit uſque ad nos. Tertullianus* latius, poſt ea quæ ſupra poſuimus, ex *præſcript. adv. Hæret.* cap. XXXI. *Hoc enim modo Eccleſiæ Apoſtolicæ cenſus ſuos deferunt, ſicut* Smyrnæorum *Eccleſia* Polycarpum *ab* Ioanne *conlocatum refert, ſicut* Romanorum, Clementem *a* Petro *ordinatum*

dinatum itidem; *Perinde utique & cæteræ exhibent, quos ab Apoſtolis in Epiſcopatum conſtitutos, Apoſtolici ſeminis traduces habeant.* Mox; *Ad hanc itaque formam probabuntur* (Hæretici) *ab illis Eccleſiis, quæ, licet nullum ex Apoſtolis, vel Apoſtolicis, auctorem proferunt, ut multo poſteriores; quæ denique quotidie inſtituuntur; tamen in eadem Fide conſpirantes, non minus Apoſtolicæ deputantur, pro conſanguinitate doctrinæ. Ita omnes Hæreſes, ad utramque formam a noſtris Eccleſiis provocatæ, probent ſe quaqua putant Apoſtolicas. Sed adeo nec ſunt, nec probare poſſunt quod non ſunt, nec recipiuntur in pacem & communicationem ab Eccleſiis quoquomodo Apoſtolicis*; Quod eis inter ſeſe ſolenne erat. Optatus *Libro* II. & *Auguſtinus Epiſt.* CLXV. ſeriem rectorum Eccleſiæ *Romanæ*, à *Petro* uſque Apoſtolo ad ſuum uſque ſeculum, hoc conſilio deducunt, ut ei Eccleſiæ; cui reliquæ tum omnes communione juncti eſſent; ſe quidem communicare, ac Donatiſtas non communicare, indicium eſſe oſtendant, ſe quidem ad Eccleſiam pertinere, illos non pertinere. Idem de omnium Eccleſiarum ſucceſſione dici poſſet, ſi omnia Eccleſiarum monimenta uno loco repreſentari poſſent. Quod *Euſebii* Hiſtoria de iis exponit, quarum ſtatum refert, idem in omnibus, omnium temporum ac regionum Eccleſiis obtinuiſſe, nemo dubitet, niſi qui Eccleſiarum ſucceſſionem prorſus ignoret.

Reformatis etiam agnitus. Si quis dicat, non poſſe à Reformatis agnoſci Eccleſiarum ſucceſſionem, ab Apoſtolis Domini auctoritate inſtitutam; præſertim eis, qui deſerunt, tanquam inſtitutionis Apoſtolicæ transfugas, quos ipſis perſonarum ſerie ſuccedere non negant; Is ſic habeat; Eos qui perſonarum ſucceſſionem non negent, fidei ſucceſſionem in dubium vocent, hoc tantum in medio relinquere, quatenus à fide diſceſſum ſit. Nam in eo conjicienda erit partium cauſa; num eatenus à Fide diſceſſum fuerit, ut à Chriſtianis agnoſcendi non fuerint, qui nullam inſtaurandæ Eccleſiæ rationem aut modum admittant. Itaque qui hic inſiſtunt, eos omnium luculentiſſime, quod nunc contendo, affirmare; cum id concedunt,

concedunt,quod maxime ipſorum intererat negare potuiſſe. Quod autem ſupereſt, quatenus a fide diſceſſum ſit, quantamque vim id habere debeat, ad Eccleſiam inſtaurandam, etiam ſine eis, qui tum ſtatim inſtitutas Apoſtolorum auctoritate Sedes obtinebant; id vero, tanquam inſtitutæ totius diſputationis ſcopum ac ſummam, eis judicandum relinquo, qui totam ſibi recognoſcendam putaverint. Sed hæc ſi vera ſint, tum vero manifeſtum erit, a Deo proditum inſtituendæ viſibilis Eccleſiæ conſilium; jure omnium regendarum Eccleſiarum; id eſt, Univerſæ ex omnibus conſtantis Eccleſiæ; a poteſtate Apoſtolis Chriſti & Diſcipulis collata, (quibus certe, in divini cultus officiis, inter ſe communicandum erat) propagato ad eorum Succeſſores.

De Regimine veteris populi.

Hæc tamen ita demum obtinebunt, ſi reſpondeat veteris populi ſtatus, quatenus quidem Synagogam Eccleſiæ reſpondere fas eſt. Nam ſupremum ejus populi Regimen penes *Moyſen* ab *Exodo* fuiſſe, ita manifeſtum eſt, ut Sacerdotium, eodem jure penes *Aaronem* fuiſſe, poſtquam in ipſum a *Moſe* collatum eſt, manifeſtum ſit. Non autem voluiſſe Deum ut Sacerdotes,ſed ut Judices *Moyſi* ſuccederent,manifeſtum eſse debet. Nam ut *Moyſes Rex* dicitur *Deut*.XXXIV.5. ita illud in Judicum libro toties repetitum XVII.6.XVIII.1. XIX. 1. XXI. 25. feciſse tum unumquemque *quod ſibi rectum videretur*, *quod tum Rex in* Iſraelem *nullus eſſet*; manifeſtum eſt de Judice intelligendum eſse, quem nullum tum Deus excitaſset. Nam ut Regem peterent, populo Lege permiſsum eſt, *Deut*. XVII. 14, 15. quod autem Lege permiſsum erat, in eo non peccaſse populus potuerat. Quod igitur θεοκρατίαν vocat *Joſephus* eam regiminis formam, quæ a *Moyſe* ad *Saulem* Regem obtinebat, hanc vim habet; ut, cum Judicem Deus non excitaſset, ipſe eis præeſset; id eſt, per *Urim* & *Thummim*, vel per Prophetas, eis agenda præciperet. Quod autem repudiatum ſe ab eis queritur, *Samuele* repudiato, 1 *Sam*. VIII. 7, 8. excitato ſemel a Deo *Samuele*, qui ipſi ſalutem ſuam adverſus *Ammonitas* non crederent,

derent, qui ob filiorum vitia adverſus ipſum ingrati fuiſſent, eos ſe rejeciſſe videri, jure Deum queri palam eſt. Nam quod *Joſuam* cum *Iſraele*, *ad verbum* Eleazari, *exiturum atque ingreſſurum* Lege conſtituitur, *Num.* XXVII. 21. nullum aliud *verbum* ſignificat, quam quod ejus miniſterio, per *Urim* & *Thummim*, Deus ederet. Quare cum *Gibeonitis* populus leges Fœderis, pro nuda deditione conceſſiſſet, ideo factum ſcribitur *Joſuæ* IX. 14. quod *Dominum non interrogaſſent*; per *Urim* ſcilicet & *Tummim*. Poſtquam autem petentibus, etſi in ſuam contumeliam, Deus Regem dediſſet, neque *Sauli*, niſi poſtquam à ſe defeciſſet, neque omnino *Davidi* voluntatem ſuam, vel per Prophetas, vel per *Urim* & *Thummim* requirenti, defuiſſe eum legimus. Vide 1 *Sam.* XXII.5,10. XXIII.6,9.12. XXVIII.6. Quod autem *Regale Sacerdotium* futurum populum ſuum Deus pollicetur, *Exod.* XIX. 6. id hoc ſibi vult; ſacrificiis eum, id eſt, Deo per ſacrificia colendo vacaturum, quæ Sacerdotes populi nomine offerebant. In Lege autem interpretanda; id eſt,in Jure ex Lege dicundo,quod jus Sacerdotio Lex tribuit; *Levit.* X. 8, 11. *Num.* V. 15. *Deut.* XXI. 5. XXIV. 8. id, ſi *Hebræos* audimus, ad genera & ſpecies Lege expreſſas reſtringendum, etiam apud Prophetam *Malach.* II. 7. & *Deut.* XXX. 10. Iidem auctores ſunt, ad Sacerdotum officium pertinere Legem de Vaccæ rufæ cineribus. Neque enim hoc definiunt, nequis eos niſi Sacerdos ſolus aſpergeret; quod Lex cuivis mundo aſſignat, *Num.* XIX. 17. Sed quod, ut a ſolo Sacerdote comburi poterat, ex Legis inſtituto, *Num.* XIX. 3. ſic ab omni, ex ipſorum inſtitutis, *Maimon.* de hoc Titulo I. 11, 12. Tum, quod pars cinerum Sacerdotibus aſpergenda reſervabatur, pars hominibus idiotis, ſecundum eundem III. 4. Prophetarum autem munus, in veteri populo, lege *Deut.* XVIII. 20, 21, 22. ſtare videtur, etſi primo loco ſucceſſores ipſius *Moyſi* deſignet; (nam, Judices, Prophetas ſui generis fuiſse, dubium non eſt)quo aptius Meſſiam prænunciet,ſecundum

SS.

SS. *Petri* & *Stephani* interpretationem *Act.* III. 22, 23. VII.37. Quare a Lege; id eſt a Deo, inſtituti, etiam Legi particulari derogabant; Quo jure *Elias* in monte *Carmelo*, vetante Lege, ſacrificat 1 *Reg.* XVIII. 19. *Levit.* XVII. 2,9. & Prophetæ Regibus in faciem obſiſtunt; *Achabo Elias*, 1 *Reg.* XVIII. 17. *Elizeus* Regi *Iſraelis* 2 *Reg.* VI. 33. *Herodi Joannes* Baptiſta, & Dominus Jeſus, *Matt.* XIV. 4. *Lucæ* XIII.32. Quod ita ad Prophetarum officium pertinebat, ut tamen, quoties vel Rex, vel populus eos à Deo miſſos non fuiſſe judicaret, toties eos, ut Dominum poſtea, & ejus Apoſtolos, perſequerentur. Hæc igitur munera a Deo inſtituta, cum Chriſtum figurent; qui, ſimul cum corpore ſuo, id eſt Eccleſia, veteris populi, terram promiſſam ſuo jure poſſidentis inſtar habet; non eſt quærendum in Eccleſiæ militantis ſtatu, quod veteris populi, vel Regi, vel ſummo ſive Sacerdoti, ſive Prophetæ, (quem Chriſtum fuiſse dictum eſt) reſpondeat, triumphante in Cœlis Chriſto. XII. autem Tribuum Principes, ab *Exodo* ſtatim in deſerto, militiæ *Iſraeliticæ* Principes novimus; Sub quibus, in *decadas* ſuas, *Hecatontadas*, & *Chiliadas*, diviſus populus, etiam poſtea ſub Regibus, a decadum illarum & *Chiliadum* Principibus regebatur. Et his, ex ſoceri conſilio, a *Moyſe*, Judiciaria poteſtas, Dei præcepto in deſerto tributa eſt. Cum autem poſtea, futuro populi ſtatui, lege *Deut.* XVII. 18. conſultum eſt, tribunalia in ſingulis Civitatibus erigente, putandum eſt, *Chiliadum* diſtributionem, & judiciariam poteſtatem ipſis præfectorum, fuiſse inde ad militares cauſas reſtrictam, de quibus nihil admodum Lege conſtitutum legimus. Quod autem LXX. viritim ex Tribubus electi, *Moyſi*, tanquam adjutores, in ſupremis cauſis ipſi reſervatis, a Deo aſſignati ſunt *Num.* XI.; omnino videtur *Judæis* concedendum, eos fuiſse, quibus poſtea ſedem juxta Arcam Dei Lex aſſignat; ut graviores cauſæ, ad ipſos, ſine provocatione judicandæ pertineant. Nam cum ad *Sacerdotes*, ſive *Judicem qui pro tempore fuerit*, Lex aſcendere jubet,

Digitized by Google

omnino decretis eorum ſupremam etiam poteſtatem includit, *Deut.*XVII. 8—12. id eſt, adverſus ſupremam poteſtatem valere, *Synedrii*, quamvis Lege conſtituti ſententiam non vult.

Quatenus Eccleſiæ regimen ei convenire debuerit.

Hæc cum ſit Regiminis forma, veteri populo divinitus inſtituta: Cumque Dominum XII. Apoſtolos, & LXX. inferioris ordinis Diſcipulos inſtituiſſe legamus; non poteſt ei eſſe dubium, qui veterem populum novi, Synagogam Eccleſiæ figuram geſſiſſe credat, ex eis quæ dicta ſunt, ſupremam eis in *Iſraelem* Spiritu novum poteſtatem à Domino conceſſam. Præſertim cum nihil, ipſos LXX, pro ejus ordinis jure, ab Aſcenſione Domini geſſiſſe legamus; ſed ſuccedentis novi populi ſtatui, quem per Apoſtolos tum Dominus inſtituebat, cedentes, in ejus ſe formam in futurum conjeciſſe. Facile autem conſtabit, Apoſtolos, eorumque quos diximus & adjutores, & miniſtros, & ſucceſſores, non Judicum veteris populi ſolum; ſive qui ad Arcam cum ſumma poteſtate, ſive qui in urbibus cum inferiore judicabant; Sed etiam Sacerdotum, etiam Prophetarum, & jura & perſonam geſſiſſe, & etiamnum gerere; quatenus nimirum Eccleſia habere debeat, quod eis reſpondeat. Neque enim mihi dubitandum videtur, Prophetarum Diſcipulos, de quibus in eorum Scripturis legimus, ad judiciarium munus, de quo nunc loquimur, & aſpiraſſe & perveniſſe; Utpote quos *Scribarum* nomine, Interpres *Chaldaicus* denotat, pluribus in locis, quibus, Scripturis Prophetæ appellantur: *Scribas* autem & *Phariſæos. Moyſis Cathedram* mero jure obtinuiſſe, ex Evangelio certum ſit, *Matt.* XXIII. 2. Sacerdotio autem, cum ſuccedi non potuerit ſub Evangelio, cujus ſacrificio aboletur, tamen ab ejus jure non repeteret jus Apoſtolorum Apoſtolus, (quod facit 1 ad *Cor.* IX. 13, 14.) non munus Apoſtolicum ab eorum munere, (quod facit ad *Rom.* XV. 15, 16. ad *Phil.* II. 17.) niſi in eorum & jus, & munus ſuccederent Eccleſiarum Rectores; quatenus quidem Legi ſucceditur ſub Evangelio.

Propheticum

Digitized by Google

Propheticum autem munus eorundem eſſe ſub Evangelio, non ſolum inde conſtat, quod ut Prophetæ ſub veteri, ita ipſi ſub Novo Teſtamento perſecutioni exponuntur à Domino, *Matt.* XXIII. 34, 35. Sed etiam quod omnium Prophetarum, quos in Eccleſiis initio Chriſtianiſmi Dominus excitabat; eorum inquam omnium *Spiritus* Apoſtolorum *Spiritibus ſubditi eſſe* jubentur 1 ad *Cor.* XIV. 26, 40. Ac proinde Eccleſiarum Magiſtris, ſucceſſoribus Apoſtolorum, gratiæ etiam eorum qui ſe Prophetas ferrent; Quod in Montano, ejuſque ſectariis & comitibus judicavit Eccleſia. Nam cur *Prophetarum Spiritibus ſubditi* eſſe debeant *Spiritus Prophetarum*, hanc rationem reddit Apoſtolus; *Non enim turbarum Deus eſt Deus, ſed pacis*; *ut in omnibus Eccleſiis Sanctorum.* Unde manifeſtum eſt, de auctoritate qua pax conſtat ſermonem eſſe. Sic enim ſequitur; *Num a vobis egreſſum eſt Verbum Dei? num ad vos ſolos pervenit? Si quis videtur Propheta eſſe, vel Spiritu præditus, agnoſcat quæ vobis ſcribo mandata eſſe Dei*; Jure, ſcilicet, Apoſtoli, Spiritus Prophetarum Apoſtolico Spiritui ſubjicientis. Hac ratione nituntur omnes omnino ſcriptorum Eccleſiaſticorum argumentationes, quibus præfectorum Eccleſiis vel jura, vel officia, ab eis repetunt, quæ a Prophetis, ſive docendis ſive reprehendendis veteris populi ducibus, ſcripta leguntur. De quo ſi quis dubitet, legat in *Eſaiæ* Caput III. quæ ſcribit S. *Baſilius*. Sed SS. *Hieronymi* & *Cyrilli* in Prophetas Commentarii, quos ob ſervatum myſticæ interpretationis filum laudavimus, nihil aliud fere exponunt, quandocunque ad veteris populi Rectores ſermo Prophetarum dirigitur.

Errores eorum qui jus Eccleſiæ ab Apoſtolis non deducunt.

Sententiæ ejus Anteſignanus, quæ apud nos, Eccleſiæ jus univerſum hujus ſeculi poteſtatibus, ſaltem Chriſtianis tranſcribit, S. *Paulum* Apoſtolum, *Presbyterum* a *Gamaliele* Ordinatum, eodem jure ipſum Eccleſiis *Presbyteros* ordinaſſe vult, de quibus *Act.* XIV. 28. Bene, quod de reliquis Apoſtolis Domini ac Diſcipulis, quibus *Eccleſiæ Claves*, quibus *ſolvendi* jus *ac ligandi* creditum legimus, dici non potuit;

Quos *idiotas* Scriptura Apoſtolica appellat, *Act.* IV. 13. Nam qui S. *Paulo*, idem reliquis, nihil aliud, niſi ejus auctoritatis propagandæ per ordinationem, quam à Synagoga acceperant, jus conceſſiſſet. Sane, & ipſum *ligandi ſolvendique* jus nihil aliud eſſe vult, quam quod faciebant *Presbyteri Judæorum* Synagogæ auctoritate, cum de *licitis* ex Lege & *illicitis* pronunciabant; Hæc enim Magiſtrorum ſermone, *ſoluta ac ligata* cum intelligantur, nihil aliud, ligandi ſolvendique poteſtate, ſive S. *Petro*, ſive Eccleſiæ data *Matt.* XVI. 19. XVIII. 18. intelligi. Quamvis idem, cum mores Chriſtianorum, ſtante Synagoga, cujus communionem colendam ſibi ſciebant, à conſenſu cœtuum ipſorum deducit; utrum hunc conſenſum auctoritati eorum qui præerant cœtibus, jure accepto à Synagoga, an cœtibus ipſis; id eſt, plebibus ipſarum; aſcribat, incertum relinquit. Nam utrumvis dicas, idem ad illud refert quod ipſe ſpectat; Ut jus conſenſu ipſorum conſtitutum, Poteſtatibus ſeculi, Fidem profeſſis, integrum ſit; quibus, ex civibus ſuis conflati cœtus ſubditi eſſe debeant. Quamvis haud paulo liquidius, qui ab altero extremo huic ſententiæ adverſi, ſummum Eccleſiæ jus ſingulis cœtibus, arbitrio proprio conſtitutis aſcribunt, tanquam Divinitus acceptum jus vindicant, Apoſtolicarum præſertim Scripturarum teſtimonio, quæ delatum hoc jus cœtibus Fidelium ab ipſis Apoſtolis referunt. Hoc enim eſſe volunt, quod ad cœtum Fidelium refertur de eligendo ſive Apoſtolo, ſive VII. viris, *Act.* I. 21. VI. 3. Quod de Baptizatis *Gentilibus* rationem *Plebi* S. *Petrus* reddit, *Act.* XI. 4. Quod Synodica Apoſtolica ſcribitur ex conſenſu Eccleſiæ *Act.* XV. 22, 23. Quod decernente S. *Paulo*, traditur *Satanæ* inceſtus, a cœtu Fidelium 1 ad *Cor.* VI. 4, 5. Quod monendus fuit ab ipſis *Archippus*, præpoſitus ipſis, eodem S. *Paulo* inſtituente, ad *Col.* IV. 17. Alia multa fortaſſe adducuntur, quæ eandem omnia difficultatem continent. Quod ita verum eſſe conſtat, ut negari nec poſſit nec debeat, rationem plebis haberi

beri

Digitized by Google

beri ſolitam fuiſſe, in Eccleſiarum rebus ordinandis, ab initio ejus Eccleſiæ, cujus unitatem, ejuſdem juris auctoritate cuſtodiendam,& conſervandam contendimus. Sed non vident, qui hæc diſputant, quanto Sacrilegio, Apoſtolicarum Scripturarum auctoritate Apoſtolorum ipſorum auctoritatem deſtruunt; Quæ auctoritatem habere nullam potuiſſent, niſi Apoſtolis Dominus, ſalva Fide, quam ipſis propagandam conſervandamque credidit, omnem in Eccleſiam poteſtatem credidiſſet. Ecce enim, quicquid juris Fideli plebi aſſeritur, iis rebus aſſeritur, quæ Apoſtolorum auctoritate geſtæ referuntur,vel geri jubentur. Itaque nullam juris ſpeciem faciunt, adverſus ſupremum jus Apoſtolorum; Proinde, neque adverſus Eccleſiæ jus; quod idem eſſe oportet in ſucceſſoribus Apoſtolorum, atque in ipſis fuit,ſi rationem conſervandæ Fidei Dominum ad ſecundum ſuum adventum propagaſſe velimus. Nam cum, edito Apoſtolis propagandæ Fidei mandato, ſubjicit ſtatim promiſsum; *Et ecce ego vobis ſemper præſens adſum uſque ad finem ſeculi, Matt.* XXVIII.20. de Apoſtolis ac Diſcipulis quibus loquebatur intelligi non poteſt; Ad finem ſeculi non ſuperfuturis. Ad Fideles ſuperfuturos non loquebatur, ut eis aſseri poſſit,quod ſtatim Apoſtolis promittebat. Itaque neceſse eſt Eccleſiæ hujus promiſſi jus eſse, quatenus ab auctoritate Apoſtolorum, indeque propagata unitate non deſciſcit. Revocandum eſt ad mentem reſponſum Domini, contendentibus de majoritate Apoſtolis editum; *Reges Gentium dominantur ipſis, & qui præſunt poteſtatem in ipſos exercent; Vos autem non ſic; Sed,qui maximus veſtrum eſſe vult, eum ſe humiliorem cæteris præſtare oportet: Ac qui omnibus præeſſe,omnibus eum ſervire, Matt.* XX. 25. Ubi, quantumvis diſſimulent qui verum videre nolunt, manifeſtum eſt,ſupponi primatum inter Diſcipulos Domini,ſanciri modum exercendi primatus. Itaque non eſt mirum hoc tenuiſse Apoſtolos, hoc tenendum ſucceſsoribus ſuis inſtituiſse; quos hoc ipſum tenuiſse, quamdiu ſine legibus ſummarum poteſtatum teneri

teneri Fides potuit, S. *Cypriani* ſcripta oſtendunt; tum *Euſebii* Hiſtoriæ; in quibus frequentes Eccleſiarum, ſive præpoſitorum Eccleſiis, ad Eccleſias; quæ ſine plebibus Fidelibus nullæ ſunt, de rebus Eccleſiaſticis Epiſtolæ; ejuſdem prorſus formæ ac Apoſtolicæ. Tum, quicquid de primis Eccleſiæ rebus ſcriptum legitur. Sed poſtquam, ingreſſis in Eccleſiam *Gentibus*, non potuit cum unitate teneri puritas Fidei, niſi ſeculi brachium auxilio eſſet; pro ſumma Lege colenda eſt auctoritas Eccleſiæ; (poſt Legem quidem Fidei) ſine qua hoc præſtari non poteſt. Plebis autem Fidelis jura legibus eis conſervanda, quarum ut tutela ad ſummas Poteſtates, ita condendi jus; ad Apoſtolos primum, jure divinitus conſtituto pertinens; ab eis ad ſucceſſores ipſorum devenit. Sic enim apud S. *Cyprianum*, cum de lapſis recipiendis inſtabant quidam; agendam in cœtu Eccleſiæ rem conceditur; ſed aliarum ad quas res pertinebat Eccleſiarum conſenſu terminandam. Vide ejus *Epiſt.* IX, XI, XIII, XIV, XVI. Neque hoc minus ratio jubet, ſi quis Scripturis credit, quam omnium Chriſtianiſmi ſeculorum conſenſus. Nam poſt traditam ab Apoſtolis Fidem, & acceptam ipſis auctoribus Legem ſalutis, factos ab ipſis Fideles, Leges ipſis propagandæ Fidei imponere, potius quam ab ipſis accipere, neſcio utrum ridiculum magis, an fœdum videri debeat. Sed adhuc largius peccant, qui datum Apoſtolis à Domino remittendorum retinendorumq; peccatorum ſive jus ſive munus nihil aliud eſſe volunt, quam quod faciebant *Presbyteri* ac majores *Judæorum*, cum de *licitis* ex Lege, & *illicitis* pronunciabant. Hæc enim *ſoluta* ac *ligata* Magiſtris *Judæorum* dici, ſatis probant. Peccatur enim in ipſum Evangelicæ Legis veritatem; cujus Titulus ſtatum non habet, ſi ullius remiſſio peccati ex Lege *Moyſi* contingat; ſive jure Synagogæ Lege conſtituto, ſive Doctorum auctoritate Synagogæ jure accepta; ſi omnium peccatorum remiſſio Evangelii Lege non contingat. Nam ad Apoſtolos Dominus, cum eos eadem Lege mitteret, qua ipſum Pater

Joan.

Joan. XX. 21 — cumque in eos inſufflaſſet; *Accipite*, inquit, *Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata remiſſa ſunt eis, quorum retinueritis retenta ſunt.* Manifeſta autem eſt totius Scripturæ Apoſtolicæ ſententia, non Lege ſed Fide remiſſionem peccatorum contingere. Itaque publicanda Fide remittebant eis peccata, qui Legem Fidei ab ipſis acciperent; Quam ſuſcipiendo Baptiſmo accipi, ſatis dictum eſt. Atque his receptis ſolvitur nodus, cujus ſolvendi ratio alia nulla conſtat. Eſt enim totius Eccleſiæ conſenſu decretum, Hæreticorum & Schiſmaticorum Baptiſmum, ſi quando ratus ſit, ad ſalutem tamen non valere; Baptiſmum eorum, qui ipſi Spiritum Sanctum habere non poterant, valere. Nimirum, quod, cum inſufflaret Spiritum Sanctum Apoſtolis Dominus, ipſis & ſucceſſoribus ipſorum; id eſt, miniſterio ab ipſis auctorato remittendi peccati dotem pollicebatur; non expectandam ab eis, qui ab ipſorum auctoritate deſciſcunt. Quid autem agat auctoritas Eccleſiæ, in remittendo poſt Baptiſmum peccato, de eo locus erit dicendi ſuus. Quod ad hunc locum attinet, recolendum eſt ex præmiſſis, cum auctoritate Synagogæ *licitum* ab *illicito* diſtinguebatur, non ultra valuiſſe quod agebatur, quam ut integrum eſſet jus terræ promiſſæ iis qui ex Lege vivebant. Cum auctoritate Eccleſiæ ſolvitur ac ligatur peccator, id hactenus valet, ut integrum ei ſit jus vitæ æternæ, qui peccato ſolvitur jure Eccleſiæ, Apoſtolis auctoribus accepto. Itaque flagitium faciunt, qui mores Synagogæ, Eccleſiarum ſponte, & arbitrio proprio, Apoſtolis uſurpatos volunt; ut Eccleſiæ jura in ſummas Poteſtates tranſcribant, quæ tuendam Fidem ſuſcipiunt. Nimirum, conſervandæ & propagandæ Fidei munus Apoſtolis creditum ſeculi Poteſtatibus imponunt, à quibus rationem conſervatæ & propagatæ Fidei repeti in Dei Judicio, gravius ſit, quam ut ferri poſſit. Sed idem faciunt, qui ab extremo adverſi, mandati Dominici Apoſtolis editi rationem Fidelibus plebibus reddendam judicant; quibus, ſtatuendi de rebus Eccleſiæ, ex eo

Scripturæ

Scripturæ Apoſtolicæ ſenſu, quem ſib commenti fuerint, jus tribuunt.

Scripturas de Apoſtolorum, non de Synagogæ jure intelligendas.

Itaque ut in Eccleſia, *Presbyterorum* nomen, quod *Jeroſolymis* ſubjungi Apoſtolis ſolet, ipſis etiam ſupremo jure aſcribi poteſt: (quod ſibi ſcilicet S. *Petrus* aſcribit 1 *Pet.* V. 1.) Ita in veteri populo, cum Principibus ejus ac Proceribus ſola Legum cuſtodia incubuit; quod poſt Captivitatem *Babylonicam*, ſublata αὐτονομίᾳ contigit; merito, poſt ſummam ejus populi poteſtatem, quam Chriſtum repreſentare dictum eſt, proximo loco *Presbyteri* ejus *populi* recenſentur. Sane à Captivitate remiſſa, non videtur mihi dubium quod *Joſephus* ſcribit, quatenus à præfecto *Perſarum* non regerentur (quem *Perſico*, vel *Chaldaico* potius vocabulo פחה appellare videntur Scripturæ, *Dan.* III. 2, 3, 27. VI. 8. *Eſdræ* V. 3. VI. 7. VIII. 36. *Nehem.* VII. 7, 9. *Eſth.* VIII. 9. IX. 3.) eatenus Pontificibus ſummo jure veterem populum paruiſſe. Nam propterea, ſub *Haſmonæis* ſummam in ſe poteſtatem adepti, ut eorum majeſtatem in futurum agnoſcerent, videntur in ipſos Pontificis jus tranſcripſiſſe: Et in idem conſentiunt, quæcunq; vel in Apoſtolicis Scripturis, vel interjectis inter Apoſtolorum tempora, & reditum à Captivitate, de ejus populi ſtatu leguntur. Cum igitur ſtatim a *Pontificibus* recenſentur in Apoſtolorum ſcriptis *Presbyteri*, non eſt dubium ipſos, cum *Scribis populi* (id eſt, quorum munus ac jus ad totum populum pertineret) jus illud in veterem Dei populum, in quod ſuccedunt Apoſtolis Eccleſiarum Rectores, ſupremo loco tenuiſſe. Equidem neminem mihi repugnaturum puto, cum *Presbyteros populi* eos accipio, qui ad univerſi populi regimen pertinebant; qui, ſcilicet, in ſummo quod diximus *Synedrio* locum haberent; ſive in Veteris, ſive in Novi Teſtamenti Scripturis; Etſi *Presbyteri* nomen, ſine hoc additamento, latius pertineret. Manifeſta eſt diſcriminis ratio in Lege, *Deut.* XXI. 2, 3. ubi *Presbyteris* populi (hi enim ſunt *Presbyteri tui*) junguntur *Presbyteri Civitatis* ei loco *proximæ*, ubi inventus fuerit

fuerit occiſus. Eodem igitur diſcrimine in Evangeliis, intelligendi erunt *Scribæ populi*, vel *Scribæ tui* à Scribis ſine hoc additamento poſitis diſtincti. Qui autem putet Eccleſiæ *Presbyteros* jure Synagogæ à Domino inſtitutos,ut in jus *Presbyterorum* Synagogæ ſuccederent, is eadem opera neget Dominum inſtituendæ Eccleſiæ, affirmet inſtaurandæ Synagogæ veniſſe. Nam & illi VII. quos, ut menſis miniſtrarent electos, ab Apoſtolis, *manuum impoſitione* inſtitutos legimus, *Act.* VI. non propterea in locum *Presbyterorum* inſtitutos concedam, quod in veteri populo *Presbyteros* manuum impoſitione creatos concedam. Cum enim manuum impoſitio, non authoritate Synagogæ, ſed Apoſtolorum, in Eccleſia obtineat, non eſt ſpectandum, cui rei ſignificandæ in Synagogam inducta, ſed cui rei ſignificandæ ab Apoſtolis in Eccleſiæ imitationem traducta ſit. Certe,cum a *Moyſe* creandis *Presbyteris* adhibita eſt, præſentem Synagogæ Dei Spiritum in eos incubuiſſe demonſtrabat, quos ipſe impoſitione manuum inumbrabat. Itaque non aliter in eos deſcendere Dei Spiritum ſignificabat, quibus *Paulus* manus imponebat, quam, ut deſerta Synagoga, Eccleſiæ præſens adeſſe intelligendus fuerit. Itaque cum *Presbyteros Eccleſiis* a *Paulo* & *Barnaba ordinatos*, *Act.* XIV. 23. eodem jure quo ipſe a *Gamaliele* ordinatus ſit, aſſeritur; Si ratio habeatur differentiæ Synagogam inter & Eccleſiam conſtitutæ, de eo neque ipſe, ut dictum eſt, contendam. Quid enim prohibet jus ei reſpondens, quod *Gamalieli* ex Lege in *Judæos* fuerit, S. *Paulo*, ex Evangelio, in Fideles contigiſſe fateri? At, qui S. *Paulum*, accepta a *Gamaliele* poteſtate, Eccleſiis *Presbyteros* ordinaſſe contendat; is primo Synagogam ſeipſam deſtruendi poteſtatem *Paulo* dediſſe aſſerat; (Neque enim dubium eſt,inſtituta Eccleſia corruiſſe Synagogam) Tum, *Paulo* auctoritatem ædificandi Eccleſiam, *Judaiſmi* jure, quem Chriſtianiſmus deſtruxerat, vindicet. Tantundem valet, quod, tanquam huc pertinens in rationem adducitur, ex auctoritate Magiſtrorum; *Presbyteros* extra terram pro-

Digitized by Google

miſſam Synagogæ jure ordinari non potuiſſe. Neque enim eo valet,ne credamus Eccleſiæ *Presbyteros Corinthi* judicaſſe; ipſo Apoſtolo 1 ad *Cor*. V. 12. *Nonne vos eos qui intus ſunt judicatis?* diſertis verbis enunciante. Nam ſi Synagogæ Legibus interpretandus ſit Apoſtolus, poteſtate Synagogæ conſtitutas ab eo Eccleſias, tenendum erit. Non pœnitet me eorum rationem habuiſſe, quæ adverſus munus Rectorum Eccleſiæ, ac jus, ex inſtitutis Synagogæ, ab eis objecta ſunt, qui nullam Eccleſiam a Domino inſtitutam volebant; Qui, quantumvis docti, ſi Veteris Teſtimenti a Novo diſcrimen, unde totius Scripturæ pendet interpretatio,in Concilium adhibuiſsent, nunquam tam gravem errorem tam levibus de cauſis fovendum putaſsent. Nam cum, ex ſucceſſione Magiſtrorum, quorum nunc penes Synagogam viget auctoritas, ab eis qui a *Moyſe* primum ordinati ſunt, (de quo, dubium nullum eſſe apud *Judæos*, affirmanti *Maimonidi* credimus) Synagogam eundem populum eſſe manifeſtum ſit, cum eo qui Legem ſub *Moyſe* acceperit; manifeſtum erit Eccleſiam, ſi ea ratione .quam conſtituimus Synagogæ reſponſura ſit, unam & eandem eſſe debere cum ea, quæ ex omnium ab Apoſtolis inſtitutarum Eccleſiarum Communione prima extitit. *Maimonidis* locum ex Mſ. ſuo reſtituit *Seldinus*, de *Synedriis* l. 14. p. 552.

CAP.

Digitized by Google

CAP. X.

De jure ferendi Leges Eccleſiæ; Supplendis Legibus latis ab Apoſtolis.

LEGES Eccleſiæ duobus modis intelligimus; vel quas accipit, vel quas dat. Quanquam quas acceptas, vel à Domino vel ab Apoſtolis, ſuis tradit, ipſius Leges videri poſſunt; quod eos quidem ſpectat, quibus tradit. Regulam Fidei, ſive potius ſummam Chriſtianiſmi (ne quis, in eis tantum quæ Fide tenenda ſunt, ſitum Chriſtianiſmum putet) acceptam ab Apoſtolis, præcipuo quodam jure Legem fuiſſe, quam à Baptizandis Eccleſiâ exigebat, docent quæ dicta ſunt; Crucis ſcilicet profeſſio, Lex communionis cum Eccleſia; cujus profeſſionis ſinceritas, regni Cœleſtis aſſequendi Lex ſit. Nec poteſt quicquam ad ejus demonſtrationem tam manifeſtum eſſe, quam dandi Baptiſmi ritus; per omnes ab initio Eccleſias celebratus. Baptiſmi & Euchariſtiæ Sacramenta, a Domino ipſo ſuis tradita, ejuſdem cenſus ſunt. Nam neque reliqua divini cultus officia, ſive in celebrandis Dei laudibus poſita, ſive in Scripturis vel recitandis, vel interpretandis, ſive in precibus Deo allegandis, eodem cenſu eximi poſſunt; Etſi non inſtituta ſub Novo Teſtamento, ſed a Veteri mutuo ſumpta, tanquam utriuſque communia. Denique, jura illa Eccleſiæ, quæ ipſi hoc loco, tanquam ad ejus conſtituendam unitatem inſtituta aſſerimus, Leges quaſdam fidelibus traditas intelligimus, quibus obſervandis communionem ejus obtinent. Sed ſane, cum poteſtatem Legum ferendarum Eccleſiæ aſſerimus, videmur eam jam conſtitutam intelligere; ac proinde, ea omnia ſupponere, quæ ad conſtituendam neceſſaria ſunt. Itaque cum eam, ad pietatem in Deum, ex Fidei veritate, in unitate colendam inſtitutam eſſe conſtet; poteſtatem quam ei aſſerimus,

Eccleſiæ jus in Legibus Eccleſiæ ferendis; ex Scripturis.

Legum condendarum, in eis verſari oportet, quorum definitio, cum ſeipſis definita non ſint, ad tantum bonum obtinendum neceſſaria evadit. Hujuſmodi ſunt, quæ perſonarum, locorum, temporum circumſtantias, quæ omnem agendorum ordinem, ſive miniſtrandum, ſive ſuſcipiendum complectuntur, omnemque hominum ſtatus, ac juris varietatem, quam hæc officiorum varietas diſtinguit; Omnia denique, in quibus, donec conſenſus Legem faciat, unitatem Eccleſiæ, ac proinde pietatem Deo debitam, turbari contingit. Hanc ab Apoſtolis Eccleſiæ conceſſam, illuſtris eſt teſtis S. *Paulus* 1 ad *Cor*. XI. 2,3,16,20,24. Cum enim eos laudaſſet, quod a ſe acceptas Traditiones obſervarent, ac pluribus, fœminas in ſacris velatis eſſe capitibus debere, viros nudis, diſſeruiſſet; *Si quis adhuc* (ut in rebus humanis, quæ ſine fine in utramque partem diſputari poſſunt) *contendendum ſibi putaret*; *talem* inquit, *conſuetudinem non habemus, neque Eccleſiæ Dei*; Quo contentos ipſos eſſe debere oſtendit. Cumque ipſos reprehendiſſet, quod Cœnam Domini; id eſt, epulum commune, in quo Euchariſtia ſimul univerſis communicanda erat; non celebrarent: Eoſque ad inſtitutum a ſe ordinem vocaſſet; *Cætera* inquit, *cum venero ordinabo*. Sic 2 ad *Theſſ*. II. 25. *ſtate igitur fratres, & retinete Traditiones, quas vel ſermone noſtro, vel literis didiciſtis*. Neque opus eſt pluribus; Cum nihil ſit omnino Apoſtolorum ſcriptis commemoratum, ad communionem Eccleſiæ in unitate, cum Chriſtianiſmi puritate continendam pertinens, quin hujus juris fidem faciat. Certe quicquid Apoſtolorum Epiſtolis vel decernitur, vel commemoratur, ad regiminis Eccleſiaſtici, vel ſacrorum cœtuum εὐταξίαν, ad aliquam denique ejus juris partem pertinens, cujus uſu conſtare Communionem Eccleſiæ contendimus, id totum ad hunc locum pertinet. Atqui hujuſmodi eſſe non pauca, non ſolum in Epiſtolis ad *Timotheum* & *Titum* poſita, quarum inſtitutum huc fere ſpectat; Sed & in aliis quibuſdam *Paulinis*, ſed & in Catholicis, vel ea quæ hic diſputamus manifeſtum

Digitized by Google

nifeſtum faciunt. Certè, qui, Apoſtolis ſummam inſtituendæ ordinandæque Eccleſiæ poteſtatem à Domino creditam, eis credit quæ ſuperiore capite præmiſſa ſunt; Quod imperiti eſt non videre, negare inſani; is aliud agat, ſi, quicquid vim Legis apud Eccleſiam habuiſse putet, aliunde, quam ab inſtituta auctoribus Apoſtolis in Eccleſia poteſtate profectum diſputet.

Nam qui cum Apoſtolis ceſſaſſe id juris contendat, is Chriſtianorum conſenſum; ſine quo, rationem quare Chriſtianus ſit reddere ipſe Infideli idoneam non poſſit; propterea revereatur, quod ſi Chriſtianum nomen univerſum, Legibus Eccleſiæ ſubdi potuerit, quarum ipſa condendarum nullum jus à Deo acceperit, eadem ratione, Dei injuſſu, Chriſtianiſmo ſubdi potuerit. Sufficiat unius aut alterius ſcriptoris Eccleſiaſtici verba hoc loco produxiſſe, quæ, quid ageret univerſa Eccleſia, teſtatum faciunt. *Tertullianus de Corona* cap. III. *Plane negabimus* (traditionem) *recipiendam, ſi nulla exempla præjudicent aliarum obſervationum, quas, ſine ullius Scripturæ inſtrumento, ſolius Traditionis titulo, & exinde conſuetudinis patrocinio vindicamus. Denique, ut a Baptiſmate ingrediar; Aquam adituri, ibidem, ſed & prius in Eccleſia, ſub Antiſtitis manu, conteſtamur, nos renunciare Diabolo, & pompæ, & Angelis ejus. Dehinc ter mergitamur, amplius aliquid reſpondentes, quam Dominus in Evangelio determinavit. Inde ſuſcepti, lactis & mellis concordiam prægustamus: Exque ea die lavacro quotidiano, per totam hebdomadam abſtinemus. Euchariſtiæ Sacramentum, & in tempore victus, & omnibus mandatum a Domino, etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu quam præſidentium ſumimus. Oblationes pro defunctis, pro natalitiis, annua die facimus. Die Dominico jejunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare. Eadem immunitate, a die Paſchæ ad Pentecoſten uſque gaudemus. Calicis, aut panis etiam noſtri aliquid in terram decuti, anxie patimur. Ad omnem progreſſum, atque promotum, ad omnem aditum & exitum, ad veſtitum, ad calceatum, ad lavacra, ad menſas, ad lumina, ad cubilia,*

Poſt Apoſtolos obtinuit, ex conſenſu Eccleſiæ.

Digitized by Google

bilia, ad ſedilia, quæcunque nos converſatio exercet, frontem Crucis ſignaculo terimus. S. Baſilius *de Sp. Sancto.* cap. XXVII. Τῶν ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ πεφυλαγμένων δογμάτων καὶ κηρυγμάτων, τὰ μὲν ἐκ τῆς ἐγγράφου διδασκαλίας ἔχομεν, τὰ δὲ ἐκ τῆς τῶν Ἀποστόλων παραδόσεως διαδοθέντα ἡμῖν, ἐν μυστηρίῳ παρεδεξάμεθα· ἅπερ ἀμφότερα τὴν αὐτὴν ἰσχὺν ἔχει πρὸς τὴν εὐσέβειαν. Καὶ τούτοις οὐκ ἀντερεῖ ὅςις κατὰ μικρὸν γοῦν θεσμῶν Ἐκκλησιαστικῶν πεπείραται. Εἰ γὰρ ἐπιχειρήσομεν τὰ ἄγραφα τῶν ἐθῶν, ὡς οὐ μεγάλην τὴν δύναμιν ἔχοντα παραιτεῖσθαι, λάθοιμεν ἂν εἰς τὰ καίρια ζημιοῦντες τὸ Εὐαγγέλιον, μᾶλλον δὲ εἰς ὄνομα ψιλὸν περιιστῶντες τὸ κήρυγμα· οἷον, ἵνα τοῦ πρώτου καὶ κοινοτάτου πρῶτον μνησθῶ· τὸ τύπῳ τοῦ σταυροῦ τοὺς εἰς τὸ ὄνομα τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ἠλπικότας κατασημαίνεσθαι, τίς ὁ διὰ γραμμάτων διδάξας; τὸ πρὸς ἀνατολὴν τετράφθαι κατὰ τὴν προσευχὴν, ποῖον ἐδίδαξεν ἡμᾶς γράμμα; τὰ τῆς ἐπικλήσεως ῥήματα, ἐπὶ τῇ ἀναδείξει τοῦ ἄρτου τῆς Εὐχαριστίας, καὶ τοῦ ποτηρίου τῆς εὐλογίας, τίς τῶν ἁγίων ἐγγράφως ἡμῖν καταλέλοιπεν; οὐ γὰρ τούτοις ἀρκούμεθα, ὧν Ἀπόστολοι ἢ τὸ Εὐαγγέλιον ἐπεμνήσθη· ἀλλὰ δὲ προλέγομεν καὶ ἐπιλέγομεν ἕτερα, ὡς μεγάλην ἔχοντα πρὸς τὸ μυστήριον τὴν ἰσχὺν, ἐκ τῆς ἀγράφου διδασκαλίας παραλαβόντες. Εὐλογοῦμεν δὲ καὶ τὸ ὕδωρ τοῦ Βαπτίσματος, καὶ τὸ ἔλαιον τῆς χρίσεως, καὶ προσέτι αὐτὸν τὸν Βαπτιζόμενον, ἀπὸ ποίων ἐγγράφων; οὐκ ἀπὸ τῆς σεσιωπημένης καὶ μυστικῆς παραδόσεως; τί δέ; αὐτὴν τοῦ ἐλαίου τὴν χρῖσιν τίς λόγος γεγραμμένος ἐδίδαξε; τὸ δὲ τρὶς Βαπτίζεσθαι τὸν ἄνθρωπον, πόθεν; ἀλλὰ δὲ ὅσα περὶ τὸ Βάπτισμα, ἀποτάσσεσθαι τῷ Σατανᾷ, καὶ τοῖς Ἀγγέλοις αὐτοῦ, ἐκ ποίας ἐστὶ γραφῆς, οὐκ ἐξ ἀδημοσιεύτου ταύτης διδασκαλίας; *Quæ in Eccleſia obſervantur placita, & prædicantur, partim ex doctrina ſcripta habemus, partim ex Apoſtolorum Traditione nobis in occulto Tradita accepimus; quorum utraque parem vim habent ad pietatem, nec eis quiſquam contradicit, qui quidem Eccleſiæ ritus vel leviter experiendo cognoverit. Nam ſi conſuetudines quæ ſcripto proditæ non ſunt, tanquam non multum habentes momenti, rejicere conemur, ignari Evangelium lethali damno afficiemus; imo ipſam*

ſam Fidei prædicationem ad nudum nomen redigemus. Quod genus eſt; ut quod primum & communiſſimum eſt primo loco commemorem; Quis ſcripto docuit Crucis forma ſignare eos, qui in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti ſpem ſuam collocarunt? Ad Orientem verſos precari, quæ Scriptura docuit? Invocationis verba, cum conficitur panis Euchariſtiæ, & poculum benedictionis, quis Sanctorum ſcripto nobis reliquit? Neque enim eis contenti ſumus, quorum Apoſtoli vel Evangelium meminerunt; Sed alia & præmittimus, & ſubjicimus, tanquam magnam vim ad myſterium habentia, ex doctrina non ſcripta accepta. Quin & aquam Baptiſmatis, & chriſmatis oleum benedicimus, tum ipſum qui Baptizatur; ex quibus ſcriptis? Nonne a ſecreta & tacita Traditione? Ipſam porro olei inunctionem, quis ſermo ſcripto proditus docuit? Jam, ter immergi hominem, unde hauſtum? Tum, quæ in Baptiſmo fiunt, ut renuncietur Satanæ & Angelis ejus, ex qua Scriptura, ac non ex hac minime publicata doctrina habetur? De Juliano *S. Gregorius Nazianzenus, in Jul. Orat.* I. Διδασκαλεῖα μὲν ἱδρύσασθαι κατὰ πᾶσαν πόλιν ἕτοιμος ἦν, βήματά τε, καὶ προεδρείας, καὶ ὑφεδρείας, ἑλληνικῶν δογμάτων ἀναγνώσεις, καὶ ἀναπτύξεις, ὅσαι τε ἤθη ῥυθμίζουσι, καὶ ὅσαι τῆς ἐπικρύψεως. εὐχῶν τε τύπον ἐν μέρει, καὶ τὰ τῆς τῶν ἁμαρτανόντων κατὰ μέρος ἐπιτιμήσεως· προτελείων τε καὶ τελειώσεως, καὶ ὅσα τῆς ἡμετέρας σαφῶς ἐστιν εὐταξίας. Ἔτι δὲ καταγώγια πήξασθαι, καὶ ξενῶνας, ἁγνευτήριά τε καὶ παρθενῶνας, καὶ φροντιστήρια, καὶ τὴν εἰς τοὺς δεομένους φιλανθρωπίαν, τήν τε ἄλλην (τάξιν) ὁπόση ἐστὶν, καὶ τὴν ἐν τοῖς ἐπιστολιμαίοις συνθήμασιν, οἷς ἡμεῖς ἐξ ἔθνους εἰς ἔθνος τοὺς χρήζοντας παραπέμπομεν. *Auditoria quidem condere per civitates ſingulas inſtituebat, Gradusque & ſedes ſuperiores inferioreſque, placitorum Ethniciſmi recitationes, & tractatus, tum quæ mores formant, tum quæ occulta ſunt: Tum formam precum ex parte, & peccatorum pro menſura caſtigandorum; Inſtituendi etiam, ac perficiendi, & quæ reliqua ad noſtram eutaxiam manifeſtum eſt pertinere. Præterea diverſoria condere, quæ hoſpites ſuſciperent, & virgines caſtitatem profeſſas, & phrontiſteria, & erga egenos humanitatem, quæque reliqua ſunt inſtituta noſtra;*

& notas Epiſtolarum, quibus noſtros, de Gente in Gentem, quibus peregrinandum eſt, proſequimur. Fuerit *Tertullianus* Montano addictus cum hæc ſcripſit. Non mentitur de Eccleſia, qui a ſuis eadem omnia obſervari teſtatur, quæ obſervare Eccleſiam ſciebant Catholici. Sit difficile *Baſilio*, ab Apoſtolis inſtituta probare, quæcunque ipſis aſcribit; ſit illud difficilius, idem momentum ad Chriſtianiſmum ſola Traditione accepta, ac ſcripta habere. Non præſtamus hoc loco hominis ſententiam, quamvis præſtantiſſimi. Morum Eccleſiæ, non minus idoneus teſtis eſt *Julianus*, quam *Baſilius*. Et tamen, cujus ſententiam hoc loco non præſtamus, ejus auctoritatem non defugimus. Nam, ſi in utroque rerum genere, dogmatum & rituum, ſcripta non ſcriptis conferamus, non eſt cur mirum videatur, eandem utriſque vim ad pietatem aſſignari. Qui autem, divinitus inſtitutam auctoritatem unde proficiſcuntur, non putet, is, humanitus inſtitutum Chriſtianiſmum, cui propagando ſerviunt, cum *Juliano* exiſtimet.

Eum in Canonibus Eccleſiæ ſcriptum extare.

Sed quid nobis opus eſt verbis, qui res ipſas manibus tenemus? Non dico *Canones & Conſtitutiones Apoſtolorum*, qui feruntur, ab ipſis ſcriptos eſſe. Sed qui pro legibus, Eccleſiæ datis à Domini Apoſtolis, proponi Eccleſiæ potuiſſe putet, quas auctor vellet, niſi conſtitiſſet, Eccleſiam ab Apoſtolis legibus conſtitutam, is Orbem Chriſtianum humano ſenſu deſtitutum pronunciet. Fuerunt mores uſu Eccleſiæ recepti ab initio, priuſquam in jus Scriptum redigerentur. Et qui formulas a ſe ſcriptas Apoſtolorum nomine venditarunt, judicio ſuo uſi ſunt, quid ab Apoſtolis profectum cenſeri par fuerit. Nobis certe adjumento fuerunt; quotquot veritatem Apoſtolicam tanti facimus, quanti fieri debet; quod, quid Apoſtolicum, ſua ætate ſibi ſaltem, viſum fuerit, judicarunt. Interea temporis, Apoſtolorum *Canones* συναγωγὴν quandam eſse morum Eccleſiæ, ſcriptam in Eccleſiis Orientis, *Antiochenæ* ſubditis, quo tempore nulla extabat Canonum Collectio recepta in auctoritatem ab Eccleſia,

cleſia, merito rationibus credimus, quibus conjecturam ſuam viri docti affirmant. Vide *Petrum* de *Marca*, de Concordia 3. III. 2. Nam, tempore Concilii *Chalcedonenſis* extitiſſe Codicem Canonum, quem agnoverit Concilium; Qui proinde merito *Codex Canonum Eccleſiæ Univerſæ* audit; Tum *Codicem Canonum Eccleſiæ Africanæ*, paulo prius collectum, ac in auctoritatem receptum per *Africanas Eccleſias*; Denique ſuo tempore concluſum *Codicem Canonum Eccleſiæ Romanæ*, qui ad Collectionem, *Dionyſii Exigui* privato conſilio factam, (continentem, præter ea quæ jam dicta ſunt, capitula decretorum Sedis *Romanæ*, ad tempus uſque *Dionyſii*) addebat quæ inde ad *Gregorium Juniorem* recepta fuerunt; Hæc, inquam, qui vult, cognoſcet, ex Præfationibus, quas vir doctiſſimus *Chriſtophorus Juſtellus* ſingulis a ſe recognitis editiſque præfixit. Unde etiam intelliget, vel quatenus apud Occidentis Eccleſias in auctoritatem receptæ ſint, vel quænam fuerit antiquitus *Gallicanorum*, *Hiſpanicorum*, *Britannicorumve* Canonum moderatio, ſecundum quam olim valuerint. Quibus addere poterit *Græci* Codicis ejus inſpectionem, quem Commentariis ſuis *Zonaras* & *Balſamo* expoſuerunt. Ibi enim, præter *Trullanos Synodi* πενθέκτης, quos nunquam recepit Occidens; Unde initium Schiſmatis inter *Græcos* & *Latinos* recte repeti poteſt; præter Septimæ & Octavæ *Synodi* Canones, quorum auctoritatem nihilo magis agnoſcit; Capitula quædam, ab *Orientalibus* quibuſdam Epiſcopis conſtituta reperiet, quibus *Græcorum* conſenſus auctoritatem addidit. Atque hæc tantum hoc loco. Nam, de *Iſidori Mercatoris* Collectione, (in quam, præter ſupradictos, ſuppoſititias *Pontificum* ante *Syricium* decretales retulit) nihil hic dicam; Propterea quod neque hæc, neque tempore poſteriorum aliqua auctoritatem eo tempore habuerint, ad cujus normam inſtaurandam eſſe Eccleſiam, ſuo loco contendam. Conſtitutiones autem Apoſtolorum; de quibus ita mentio fit in *Canonibus Trullanis*, ut nullibi prius in auctoritatem receptæ, ibi palam improbentur; non poſ-

ſunt dici aliam unquam auctoritatem apud Eccleſiam habuiſſe,quam monumentorum antiquitatis Eccleſiaſticæ. Itaque, cum ante ſeculm quintum ſextumve ſcriptas fuiſſe conſtare non poſſit,neceſſe eſt,eorum auctoritatem in illuſtrandis difficilibus antiquitatis Eccleſiaſticæ locis ſitam eſſe; quibus illuſtratis,ad Originarias Eccleſiæ Leges cognoſcendas veniri poſſit. Neque refert, quod quibuſdam interpolatum videtur totum opus. Quid enim ad eam auctoritatem quam aſſerimus, ſive à poſteriori manu inſertum videatur, ſive à priori profectum, quod in quæſtionem venit? Tantundem, quod quibuſdam *Arianiſmum* ſapere videtur. Quod etiam mihi videretur, ſi poſſent, ante deſitum *Arianiſmum*; id eſt, ante ſecundum Concilium Oecumenicum; ſcriptæ videri. Sed quid mirum, qui Apoſtolorum perſonas aſſumere voluit, eum ita loqui de ſpectantibus ad *Arianiſmum*, quomodo locutos conſtat vetuſtiſſimos ab Apoſtolis Eccleſiæ ſcriptores; Quos tamen longe aliter intelligendos conſtat? Sane ſuppoſititia ſcripta, & Apocrypha, ſi tempus, ſi cauſam & conſilium ſupponendi deprehenſum nobis ſtatuamus, argumento eſſe poſſunt, non ſolum ad ſententias ſui temporis illuſtrandas, ſed & ad doctrinæ veritatem deprehendendam; quatenus ex ejus temporis ſententiis deprehendi poteſt. Conſtitutiones autem Apoſtolorum, cum Apoſtolorum Canones commendant; (quos propterea prius ſcriptos dictum eſt) *Trullanus Canon*. II. damnat, tanquam ab Hæreticis interpolatos; Probabile videtur à recentiori aliquo in hanc formam redactos,quam legimus; cum aliud eodem nomine ſcriptum antiquius Epiphanii tempore lectum conſtet. Vide *Jac. Uſſerii Armachani Prolegomena* ad *Ignatium*. Satis enim, eædem ab initio Leges,de quibus dictum eſt,eandem fuiſſe ab initio Eccleſiam teſtantur,cujus unitati continendæ,primo quidem paucis illis,poſt,tam multis conſultum fuerit. Nec eſt cur pluribus opus ſit, ut auctoritate Apoſtolorum conditum videatur,quicquid Legis vim apud Eccleſiam ab initio habuit; Quando, conſtituta eorum

ſuprema

ſuprema in Eccleſiam auctoritate, ſine ejus vi receptum aliquid ab Eccleſia videri, communis hominum ſenſus non fert. Nimirum, ut Leges Eccleſiæ, Canonibus Conciliorum ſcriptas, neceſſe eſt eorum auctoritate ſcriptas videri, qui Conciliis agendis interfuerunt; Ita mores non ſcriptos, in vim ac uſum eis auctoribus receptos, qui ipſos, tempore Apoſtolis propiori, præceſſerint. Neque hoc negant qui Reformationem profitentur. Regulam quidem Fidei Scripturis contineri excipiunt; quod mihi non eſt conſilium negare. Regulas autem, quæ Ordinem agendorum Eccleſiæ continerent, auctore *Tertulliano de Virginibus velandis* cap.I. non eo conſilio inſtitutas, ut eædem ſemper manerent. Neque mihi immutabiles videntur. Cœterum, ſi eadem Eccleſiæ auctoritate innovatæ ſunt, & inſtauratæ, pro locorum temporumque diſcrimine, qua Eccleſiæ primum auctoritate inſtitutæ ſunt, manebit Eccleſia una, (quam unam manſiſſe palam eſt, quia hoc factum conſtat) atque eadem, Legibus Eccleſiæ mutatis. Sed, niſi eadem auctoritate mutentur, qua inſtitutæ ſunt, cum periclitari unitatem Eccleſiæ neceſſe ſit; quibus Legibus ita mutari poſſint, ut unitas ſalva ſit, quam à Deo inſtitutam teſtantur, non hic locus eſt ſtatuendi; ubi, ex eis quæ facta eſse conſtat, inſtitutam a Deo Eccleſiam oſtendiſse, ſatis habeo. Non eſt omittendum hoc loco, alia eſse a *Canonibus Eccleſiæ*, quæ nomine *Legum Eccleſiæ* cenſeri hoc loco velimus. Nam propterea conſulto *Legum* appellationem uſurpamus, ne putentur Canonum ejus propria eſse quæ diſputamus. Ritus certe ſacri, & ceremoniæ, quibus Eccleſiæ Officiorum ſolemnitas conſtat, quicquid denique unam ubique ac ſemper obſervationis formam ac morem obtinet, illud *Legis* nomen; non quidem ſic nude elatum, ſed *Eccleſiaſticæ Legis*, cum additamento, proprietatem ſignificationis minuente; merito ſibi vindicat. Non contendimus hoc loco, quatenus hæc obſervatio Fideles ſingulos teneat. Sed quicquid ab initio, ubique, vel per totam Eccleſiam, vel ejus partem aliquam obſer-

Digitized by Google

vatum fuerit, id, ſive more tacito, ſive ſcripto Canone valuerit, ad Fidem de jure condendæ Legis Eccleſiæ credito faciendam pertinere. Nam Legis nomen, ſine additamento poſitum, ad eas pertinet, quas ſupremæ poteſtates Rebuſpublicis ferunt, quibus præſunt; quas vel more vel ſcripto conſtare, omnium commune eſt. Quicquid eam vim habet, ut eadem omnes eodem modo agere vel doceat, vel jubeat, ut vinctos denique teneat, id, additamento reſtringente auctum, nihil eſt, cur Legis Eccleſiaſticæ nomine intelligendum non ſit.

Poteſtas condendi Juris, Lege indulta Synagogæ.

Reſpondet his ſtatus Synagogæ, quatenus, ex præmiſſis rationibus, Evangelio Legem, Synagogam Eccleſiæ reſpondere oportet. Cum enim Lege conſtitutum ſit, cauſas, quas, ob difficultatem juris dicendi, ad eos quos Arcæ Fœderis aſſidere vult, deferri jubet, ab eis ſumma poteſtate; id eſt, ſub pœna capitis; judicari, *Deut.* XVII. 8—12. neceſſe eſt, non ſolum juris dicundi, ſed etiam condendi poteſtatem ipſis Lege tribui. Nam de interpretatione, limitatione, extenſione Legis *Moſaicæ*, intelligendæ ſunt omnes cauſæ extiſtere, de quibus Lex cavet. Non quod, quæ ad ejus populi Rempub. pertinerent, Legibus *Moyſi* omnia comprehenderentur. Nam quæ ad rem militarem pertinent, de eis pauca admodum Lege *Moyſi* conſtituta ſunt. Itaque, & quod a *Davide* conſtitutum memoratur, 1 *Sam.* XXX. 25. & quæ ad tributa & fiſcum pertinentia, ſive ærarium publicum, populo Regem petenti a *Samuele* proponuntur, 1 *Sam.* VIII. 10, 18. ea, cum ex Lege *Moyſi* non oriantur, ad poteſtatem, Lege, de qua loquimur, conſtitutam non pertinent. Neque dubium eſſe poteſt, Legis *Moſaicæ* continentiam animo reputanti, ſtante populo multa Lege conſtituenda fuiſſe, de multis Reipub. partibus, quibus, cum Lege *Moyſi* conſultum non eſſet, ad ejus interpretationem pertinere non poterant. Nam capitalem pœnam, de Legis interpretatione pertinaciter diſſidenti, idcirco propoſitam manifeſtum eſt, ne Religionis prætextu, (nam ad ejus populi Religionem,

tota

Digitized by Google

tota Lex, nimirum quam Deus dederat, pertinebat) cujus fines nulli ſunt,in partes ſcindi poſſet. Ac Servatoris tempore, ea quam Lege conſtitutam oſtendimus poteſtas, ſucceſſione legitima penes Scribas erat ac Phariſæos; quorum decretis, etiam a ſuis pareri vult. Quo tempore, manifeſtum eſt, introductas fuiſſe eas Legis interpretationes, à Traditione majorum, per *Moſem*, in vim receptas, in quibus poteſtatem condendi juris, hac Lege conſtitutam, cerni dixi; Quas Dominus eatenus ſalvas eſſe vult, quatenus Spiritualis Legis vim & effectum fruſtrari eas manifeſtum non eſſet, *Matt.* XXIII. 2. XV. 1, 9. Nam eaſdem fere Traditiones fuiſſe, quæ tum obtinebant, cum eis quæ hactenus in eorum δδίπεςώσεων extant; Niſi quatenus in minutioribus, innovatum ſemper ſucceſſione temporis aliquid,rerum humanarum conſtans inconſtantia poſtulat; comparatione eorum quorum mentio utrobique fit, manifeſtum eſt.

Valet ad idem jus Eccleſiæ aſſerendum.

Cum igitur, ad veterem populum in unitate continendum, inſtituta ſit Lege *Moyſi* poteſtas definiendi quicquid Lege *Moyſi* definitum non fuerat; Cumque hujus poteſtatis vi adhuc unitatem colant, ſi *Samaritarum* primo Schiſma excipiamus, tum *Karæorum*; (qui inſtituta ſua, etſi *Talmudicorum* inſtitutis non minus inania, videri volunt ex verbis Legis, non ex majorum Traditione haurire) Quid eſſe poteſt ex Veteri Teſtamento efficacius, ad probandam Eccleſiæ Societatem ſub Novo, Dei conſilio inſtitutam, ad unitatem in puritate Chriſtianiſmi tum conſervandam, tum propagandam? Hoc intereſt nimirum, quod in veteri populo, ad ſexcenta tredecim Legis præcepta, quæ *Judæi* numerant, & ad ea definienda, quæcunque, quoviſcunque eorum definita cum non eſſent, ad ejus populi conſervandam unitatem definiri neceſſe eſſet; ad ea inquam omnia definienda, poteſtas Lege hac conſtituta pertinebat. Sub Evangelio autem, ad ea tantum definienda, quæ de Legibus, quas ad Eccleſiam conſtituendam ſupponi dictum eſt, cum Lege Dei ſatis definita non ſint, tamen ad Eccleſiæ pacem

conſervandam

conſervandam neceſſe ſit definiri. Nam quod, quæcunque ad conventuum ſacrorum ordinem & circumſtantias pertinere poſſent, cum prædicatione Domini definita non ſint, relicta huic poteſtati definienda, dictum eſt, propterea factum indicio eſt, quod ad vim & effectum Chriſtianiſmi non multam faciant; in eis ſcilicet ſitam, quæ à Domino ipſo Apoſtolis tradita ſunt. Itaque, ſicut ſub *Moyſe*, eiſque qui *Moyſi*, ſive in jure dicundo, ſive in capiendo conſilio aderant, conſtituta eſt veteris populi Reſpublica, etiam ante latas Leges, quas Deus, prout ferret res, ipſis condebat; Ita, ſub Apoſtolis & Diſcipulis Domini, conſtituta eſt Eccleſia, per poteſtatem Legum Eccleſiæ ferendarum; cujus auctoritas non minor erat in illo cœtu, qui primo *Jeroſolymis* conveniebat, quam unquam fuerit, cum *Imperium Romanum*, una cum finitimis gentibus ad Fidem converſis, unam Eccleſiam faceret. Nam ſi quis dicat, vel receptos in Synagoga mores à primis Chriſtianis receptos, ordinandis ſacris ſuis; vel omnium Eccleſiarum ſponte in eaſdem Leges conſenſum; (Etenim vel omnibus eædem fuerunt, vel ita diverſæ, ut de diverſis non contenderent) is multum à ratione ab errabit. Neque enim, poſt repudiatum à *Judæis* Chriſtianiſmum, eorum mores a Chriſtianis ſua ſponte receptum iri, quos quotidie perſecutores experiebantur, ulla ratio eſt. Et eſt tanta animorum, ſtudiorum, ſententiarum inter homines, cum de rebus humanis agitur, differentia, ut in eas Leges, quas Eccleſiis receptas fuiſſe demonſtratum eſt, ſponte hominum, nullo Religionis vinculo ad conſentiendum áſtrictorum, conſenſum obtineri potuiſſe putare, idem ſit, ac hoc univerſum ex concurſu atomorum *Democriti* vel *Epicuri* exiſtere potuiſſe exiſtimare. Adeo a communi hominum ſenſu abhorret, quod, quantum a communi Chriſtianorum Fide abhorreat, ex eis quæ de jure Apoſtolatus præmiſimus, accipiendum eſt. Itaque, Eccleſiæ Leges ſpontaneo Chriſtianorum conſenſu obtinuiſſe, eatenus verum eſt, quatenus, eos ſua ſponte Chriſtianos fuiſſe, verum eſt.

Digitized by Google

eſt. Nam factis ſemel Chriſtianis, quibus Eccleſiæ communio colenda eſt; neceſſario agnoſcendæ ſunt Leges, quibus in dubium vocatis, neceſſe eſt Eccleſiæ communionem periclitari. Exemplo eſt quod refert *Plinius*, Libri X. Epiſt. XCVII. ad *Trajanum* de *Chriſtianis*; ſolitos *Sacramento ſe obſtringere, ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne Fidem fallerent, ne depoſitum negarent.* Hoc me olim de Euchariſtiæ Sacramento intellexiſſe non pœnitet; quod vinculi vim habere, ad univerſum obſervandum Chriſtianiſmum, non eſt obſcurum. Nec aliter videtur intellexiſse *Tertullianus Apologet.* cap. II. cum retuliſſe *Plinium* refert, *præter obſtinationem non ſacrificandi, nihil aliud ſe de Sacramentis* (ſic recte legit Heraldus) *eorum comperiſſe, quam cœtus antelucanos, ad canendum Chriſto ac Deo, & ad confœderandam diſciplinam, homicidium, adulterium, fraudem, perfidiam, & cætera ſcêlera prohibentes.* Καὶ βούλεται διαβαλεῖν τὴν χριστιανῶν καλουμένην ἀγάπην πρὸς ἀλλήλους, ὡς ἀπὸ κοινοῦ κινδύνου ὑφισταμένην, καὶ δυναμένην ὑπὲρ ὅρκια. Sic lego apud *Orig.* in *Celſum* II. agapas Chriſtianorum in calumniam conjurationis adverſus Rempub. trahentem; Hoc enim eſſet *Homericum* illud, ὑπὲρ ὅρκια δηλήσασθαι. Cœterum neque agapæ eorum, neque Euchariſtia, ipſorum conſenſu, ſed Domini & Apoſtolorum traditione conſtabat. Verum niſi in eis, quorum auctoritatem ſecuti Chriſtiani facti ſunt, Legum Eccleſiæ condendarum poteſtatem agnoviſſent Fideles, nunquam in eas Leges conſenſum fuiſſet, quas Eccleſiis agnitas fuiſſe oſtendimus. Igitur Apoſtoli Domini & Diſcipuli, cum *Judæi* ipſi, *Judæos* ad Fidem adducere vellent, nihil prius habuerunt, quam ut eorum inſtituta, eundem verum Deum colentium, ad Deum ex inſtitutis Chriſtianiſmi colendum traducerent. Quæ ut, eorum auctoritate, a quibus Eccleſiis tradita ſunt, apud Chriſtianos obtinuerunt, non eorum a quibus Synagogæ; Ita, poſtquam ad Eccleſiam Synagogam adducendi ſpes evanuit, neceſſe eſt, eorum mores parcius apud Chriſtianos obtinuiſſe. Sed

qui

Digitized by Google

qui Apoſtolorum jus in Eccleſiam ſupremum agnoſcit, inſanus ſit, ſi Eccleſiæ Leges aliunde quam ab Apoſtolis profectas credat. Ac proinde tempore ſequiores ab Apoſtolorum ſucceſſoribus.

Recepta à Judæis *Fide, quatenus eos Lex tenuiſſet.*

Quod autem quæſitum eſt, ſi Chriſtianiſmum recepiſſent *Judæi*; ac proinde ſi *Judæorum* ſtetiſſet Reſpub., quæ propter repudiatum Evangelium perdita eſt; quidni Legibus *Moſaïcis*, quod erat ejus populi jus civile, mores ejus, quamvis Chriſtianiſmum profitentis regerentur? Quod negare non poterit, qui agnoſcit, eandem eſſe rationem juris civilis aliarum Gentium Chriſtianiſmum profitentium; Reſpondendum eſt, non magis potuiſſe *Judæos*, agnito Evangelio, terram promiſſam veteris Fœderis jure obtinere, quam regnum Cœlorum expectare. Cum igitur pars ſit Chriſtianiſmi unius Eccleſiæ Communio; eodem jure Eccleſiaſtico, quo Eccleſiæ unitas continetur, non minus *Judæos* Chriſtianos factos, quam reliquos Chriſtianos victuros fuiſſe. Quod ſi Deo viſum fuiſſet, *Judæis* ad Fidem adductis, terram promiſſam (vel eo jure, quo ſub *Romanis* contenti vivebant, vel quo ſub Regibus olim ſuis eam obtinuerant) indulgere; Neque enim hoc facere ejus Fœderis Lege tenebatur, quæ portantibus Crucem Chriſti vitam æternam, pro terra promiſſa, ex obſervata *Moyſi* Lege, ſubſtituebat; Tum vero nihil aliud quærendum fuiſſet, quam quatenus *Judæis*, ad civilem vitam, obſervanda *Moyſi* Lex fuiſset; ad Eccleſiæ Leges & inſtituta obſervanda non aliter obligatis, quam reliqui Fideles, qui Legibus Patriis Civilem vitam tranſigunt.

CAP.

CAP. XI.

De jure pellendi Communione Eccleſiæ eos qui a Fidei Lege deſciſcunt.

De Excommunicandi Poteſtate, & Verbis Domini.

SI ratione ſuſceptæ Legis Chriſtianæ conceditur baptiſmus, & in eo concedendo cernitur clavium Eccleſiæ poteſtas; quoties manifeſtum eſt ſuſceptam Legem non impleri, ſed violari editam profeſſionem, in eis quæ ſinceritati ejus non conſiſtunt, quomodo claves Eccleſiæ habeant, quibus non liceat, quos ob editam profeſſionem receperint, ob violatam, Eccleſiæ Communione pellere? Et tamen de verbis, quibus hactenus viſus eſt Dominus hoc jus Eccleſiæ tribuiſſe, nunc magnæ lites ſunt. *Mat.* XVIII. 15—19. *Si peccaverit in te frater tuus, age, ſolus ſolum culpæ argue: Si te audiverit, lucrifeciſti fratrem tuum. Si te audire noluerit, ſume tecum unum aut alterum, ut in ore duorum aut trium teſtium firmum ſit omne verbum. Quod ſi ipſos audire neglexerit, dic rem Eccleſiæ. Si Eccleſiam etiam audire neglexerit, ſit tibi inſtar Ethnici & Publicani. Amen dico vobis; Quodcunque ligaveritis in terris, ligatum erit in cœlis, quodcunque autem ſolveritis in terris ſolutum erit in cœlis. Rurſus dico vobis; Si duo veſtrum conſenſerint in terris, de re quacunque petenda, præſtitum iri eam a Patre meo in cœlis. Ubi enim duo vel tres in meo nomine convenerint, ibi ſum ego in medio ipſorum.* Et ſane non eſt mirum, hoc rerum Chriſtianarum ſtatu quem videmus, omnes Chriſtianorum offenſas, & injurias, ſibi invicem factas, ab Eccleſia judicari, mirum videri. Nam, *ſi peccaverit in te frater tuus,* ad omnes ſe extendit. Aſſerendum tamen eſt, hoc eſſe quod Dominus his verbis inſtituit; Aſſerendum autem perſpicuo duorum Apoſtolorum teſtimonio. *Audet aliquis veſtrum,* ait S. Paulus 1. ad Cor. VI. 1. *adverſus alterum rem habens, ſub iniquis, non ſub Sanctis judicari?* Niſi Lex fuiſſet Chriſti-

Digitized by Google

anis poſita, ne lites ſuas ad tribunalia Ethnicorum deferrent, quæ audacia fuiſſet, injuriam jure publico revinci? Itaque, quanto copioſius hoc agit in ſequentibus Apoſtolus, tanto eſt manifeſtius, inſtitutos ad præceptum Domini fuiſſe, quos ob violatum Domini præceptum reprehendit. Jacobus autem, cum Eccleſias Judæorum Fidelium reprehendit, quod divites in cœtibus ſuis, honoratiore loco quam pauperes ſedere juberent II. 2. num rationem ejus loci, quem quiſque in ſeculo obtinet, in ſacris haberi vetat? Sane ad exiſtimationem Chriſtianiſmi non facit, hujus ſeculi ſtatum ab ea everti. Aliud videtur ipſum Συναγωγῆς vocabulum ſignificare. Nimirum, quod Judæis in uſu erat, in Synagogis jus dicere, idem Chriſtianos factos uſurpaſſe. Solitos Judæos flagrorum ſupplicium Lege *Deut.* XXV. 1, 2, 3. ſtatutum in Synagogis irrogare, *Mat.* X. 17. XXIII. 3, 4. *Marci* XIII. 9. *Act.* XXII. 19. XXVI. 11. legimus: ut & apud Epiphanium Hær. XXX. & Euſebium. Nimirum, ubi jus dicebatur. Maimonides enim de juramentis cap. IX. de vi juramenti in Synagoga editi loquitur; ſcilicet ſedente conſiſtorio. Tum in ſequentibus Apoſtolus; *Nonne*, inquit, *diſcrimen fit inter vos, & malarum cogitationum judices facti eſtis?* Et ſtatim; *ſi perſonas accipitis, peccatis, reprehendente vos Lege.* Scilicet Levit. XIX. 15. *perſonas accipere in judicio* vetante. Itaque divitem in cauſa ſua agenda ſedere, ſtare autem pauperem, diſerta Judæorum conſtitutione vetitum eſt, Maimonides de Synedrio, cap. XXI. & hoc eſt, quod initio capitis Apoſtolus, *fidem Chriſti cum perſonarum reſpectu habere* vocat. Quid maniſeſtius dici potuit, Chriſtianorum cauſas a Chriſtianis judicandas fuiſſe? Non eſt igitur laborandum, quod Excommunicationi ſubdatur à Domino, qui Eccleſiæ ſententiæ non ſtet. Neque enim pars fuerit Eccleſiæ, niſi obſervatis ejus Legibus: Neque eſt quo cogantur Chriſtiani Leges ejus obſervare, niſi negata Eccleſiæ communio. Neque non magnum peccatum fuerit, contumaciam ſuam Eccleſiæ ſaluti antehabuiſſe.

buiſſe. Illud tenendum eſt, ut excommunicationem pœnam ejus peccato aſſignaſſe Dominus videri debeat, qui Eccleſiæ judicio non obtemperet,ad Ethnicorum Tribunal Eidelem trahat; ſatis eſſe,tantum ejus ſcandalum eſſe poſſe, ut Eccleſiæ communione carere debeat. Eſt enim affirmativum excommunicandi præceptum; quod ita locum habet, ſi res poſtulet. Nam ſi valere poſſit, ad puritatem Fidei facit;quod non valet,adverſus Unitatem Eccleſiæ.Itaque ſatis eſt, nihil eſſe, cur ad ſeculares Fidelium inter ſe cauſas extendendus non ſit verborum Dominicorum ſenſus. Cum autem ſubdit Dominus, de conſenſu precantium, ejuſque apud Deum viribus, videtur tollendi peccati per Eccleſiam rationem innuere; quæ, ut pœnitudine peccatoris, ſic Eccleſiæ interceſſione conſtare putanda eſt. Nam etſi ſingulorum offenſas tantum meminit; tamen, de peccatis in Deum eo magis intelligendus eſt, quo manifeſtius eſt in eis vinculum, quo Dei fiunt debitores; cujus ſolvendi vinculi Eccleſiæ ſuæ poteſtatem indulget.

Ex Apoſtolis de tradendo, Satanæ, *& de* Anathemate.

Sed hæc ſi ita ſe habent, omnis pœnitentiæ in Apoſtolorum ſcriptis mentio, excommunicandi poteſtatem Eccleſiæ aſſeret. Apoſtolus, eum qui patris uxorem duxerat *tradi* jubet *Satanæ, in carnis interitum, ut Spiritus ſalvus ſit in die Domini,* 1 ad *Cor.* V. 5. tum, de vitandis excommunicatis permulta ſubjicit. *Tradi Satanæ* eum qui *Eccleſiæ* communione prohibetur, ſi à Deo eſt Chriſtianiſmus, dubitari non poteſt. Nam ſi Chriſtianorum cœtibus Deum præſentem intereſſe, etiam *Ethnici* diffiteri non poterant, 1 ad *Cor.* XIV. 24, 25. propter eam ſcilicet *Spiritus manifeſtationem*, quam Apoſtolus prædicat, 1. ad *Cor.* XII. 7. quamque ejus temporis gratiæ afferebant; Eccleſiæ alienos Satanæ ſubeſſe exploratum eſſe debet Chriſtianis. Itaque cum,Chriſtianos *de eis qui intus ſunt* judicare, ſubjicit Apoſtolus,manifeſtum eſt,quam pœnam Eccleſiæ judicium deſignet. Sane,qui minus ex inſtitutis Chriſtianiſmi viverent, eos *notari* vult Apoſtolus, ita ut abſtinerent alii eorum fa-

Digitized by Google

miliaritate, donec *pudeſierent*, 2 ad *Theſſ.* III. 6--14. *vitari* autem, qui ſcandala doctrinæ traditæ crearent, ad *Rom.* XVI. 17, 18. cum excommunicatis autem *ne cibum quidem ſumi* 1 ad *Cor.* V. 11. Leviori verbo, *Titum* III. 10. hæreticum hominem, *poſt unam & alteram admonitionem*, παραιτεῖσθαι jubet. Sane in Gloſſis Cyrilli, παραιτοῦμαι *excuſo, recuſo, evito.* Sed in vetere Gloſſario, *evito* φυλάττομαι, φρίττω. Gnoſtici, de quibus intelligendus eſt S. Judas, Chriſtianos ſe ferebant, ut ab Eccleſia Chriſtianos ad ſe traherent. Itaque 11, 12, *perire* eos *in contradictione Coræ*, *maculas eſſe in eorum Agapis, una convivantes, & ſine timore ſeipſos paſcentes.* Ut 2 *Pet.* II. 24. *ineſcari ab eis*, *carnis libidinibus, inſtabiles animas.* Cum autem Judæ v. 19. ἀποδιορίζοντες ἑαυτοὺς appellantur, manifeſtum eſt quid ſibi velit *contradiBiio Coræ.* Itaque *timore ſervari* quoſdam eorum jubet; ſanitatis ſcilicet capaces v. 23. ita tamen, ut etiam *veſtem carne inquinatam odio haberent*; demonſtrato ſcilicet, quanto eſsent Eccleſiæ odio eorum turpitudines. De eiſdem Johannes II. 10, 11. *Eum qui doctrinam traditam non profiteatur, nec in ea maneat, tecto recipere, ſalute impertire* vetat, ne *ſocii ſint operum ipſius.* Nam. v. 7. impoſtores memorat, qui *Jeſum Chriſtum in carne veniſſe* negarent; quod de Simonis & Cerinthi Hæreſibus, multo ante cæptis, verum eſſe novimus. Itaque cum eos qui *aliud Evangelium afferunt anathema* eſse jubet Apoſtolus ad *Gal.* I. 8, 9. cum eos qui *Dominum Jeſu Chriſtum odio habeant anathema* eſſe *maranatha*, 1 ad *Cor.* XVI. 22. manifeſtum eſt, quo loco haberi eos velit, ab eis quibus manifeſti fuerint. Non quod Dei vindictam eis imprecetur, aut imprecari Fideles velit. Sed quod, vitando eorum conſortio, haberi a ſe eos, tanquam Dei vindictæ obnoxios, oſtendere Chriſtianos velit. Alludit nimirum *Enochi* Prophetiam, quam S. Judas, de ſuis agens Gnoſticis, appellat; venientem nimirum ad judicium Dominum primo quovis tempore ipſis expectandum *Judæ* 14, 15. quod S. etiam Paulus,

de

Digitized by Google

de Deo ab *Eſaia* commemoratum XLV. 2, 3. de Chriſto interpretatur, ad Rom. XIV. 11. quia, Deum omne judicium Chriſto tradidiſse, docet Evangelium. Sed quod Apoſtolus inceſtum *Satanæ tradi* jubet, quod Hymenæum & Philetum à ſe *Satanæ traditos* memorat, *ut diſcerent non blaſphemare*, 1 ad *Tim.* I. 20. aliam atque aliam vim habet, prout reſipiſcere ipſos ponimus, vel non reſipiſcere. Nam niſi reſipiſcerent, quid mirum eſt, obnoxios fuiſſe corporalibus ſpirituum malorum incurſionibus; quibus, non minus quam ſanandorum morborum miraculis, Eccleſiæ conceſſis, demonſtrabatur Deus Eccleſiæ ſuæ præſens? Hoc igitur erit, *ut diſcant non blaſphemare*, hoc erit, *ad interitum carnis*; Nimirum, ſi non reſipiſcerent. Quod ſi reſipiſcerent, tum vero ſequebatur voluntaria corporis, agenda pœnitentia, afflictatio, quæ *ad interitum carnis*, ejus ſuperbiam caſtigando, ſpectabat & ipſa. Sed, ſive inflictis malorum ſpirituum incurſu plagis admonitus reſipiſceret, ſive reſipiſcens, carnem ſibi contundendam ſumeret; Utrobique locum habet *interitus carnis*, *ut ſpiritus ſalvus ſit in die Domini*. Itaque non obſtat ſententia veterum, quæ poſterius hoc ſequitur, recentiorum ſententiæ; qui, recte obſervata temporis Apoſtolici conſuetudine, perhibuiſſe tum Eccleſiæ ſuæ teſtimonium putant Deum, excommunicatis, corporalibus plagis caſtigandis. Nam pœnitentiam actam ab inceſto, clariſſime docet S. Pauli 2 ad *Cor.* VII. 5 -- 11. indulgentia; cum Tertullianum omnes rejiciant, de eodem agi negantem, propter expreſſa Apoſtoli verba; *ſcripſiſſe ſe ut ipſos probaret* teſtantis.

Nec minus clarum eſt, de reconciliando Eccleſiæ eo qui fidem negaverit, agi ab Apoſtolo, ad *Ebr.* VI. 1 -- 6. Mihi quidem multis abhinc annis viſum fuit, Apoſtolum, reditus ad Eccleſiam ſpem omnem illis præcidere; non quaſi non liceret, ſed quaſi non expediret Eccleſiæ, paratum ipſis reditum ad Eccleſiam per pœnitentiam declarare; Cum tamen interdum, periclitante unitate, Eccleſiæ expedire

Idem probant, quæ Pœnitentiam & veniam difficilem oſtendunt.

dire poſſet. Hoc enim intelligendum eſt in cauſa inceſti Corinthii extitiſſe; manifeſte docente Apoſtolo, cum,quod indulſerat, *ipſorum* quidem *cauſa*, *Chriſti autem reſpectu*, *indulſiſſe* ſe ſcribit, *ne lucro ſimus Satanæ*, *cujus techna*, inquit, *non ignoramus*. Neque enim huic obſtat, quod à deſperatione ipſum ſervatum velle ſe dicat; in quo etiam Satanæ artes verſari potuiſſe, manifeſtum eſt. Nam hæc deſperatio, quid aliud, quam unitatem Eccleſiæ, à deſperatis ejus partibus periclitaturam minatur? Unde, quos primo *inflatos*, *lugere* noluiſſe reprehendit, ut *tolleretur ex eis qui hoc fecerat* 1 ad *Cor*. V. 2. eos ſe *innocuos in hac re probaſſe* ſcribit 2 ad *Cor*. VII. 11. nimirum quod, prævalente meliori parte, ut prius deteriori,ejus factum utrobique Eccleſiæ imputandum eſſet. Atqui ἀνακαινισθῆναι εἰς μετάνοιαν, apud Apoſtolum ad Ebræos, merito viſum eſt id ſignificare quod XII. 17. *Eſauus* dicitur, *locum pœnitentiæ non inveniſſe*; ſtationem ſcilicet, & locum, reconciliando per pœnitentiam Eccleſiæ, debitum. *Et manere nullum amplius ei ſacrificium* X. 26. ſecundum inſtituta Hebræorum, apud Maimonidem *de parandis victimis* III. 3, 5. quæ pro Ethnicis ſacrificari jubebant, pro Apoſtatis vetabant. Nam quod & ædes ſacras, & diſtinctas ordinibus, in conventibus ſacris, ſedes habuiſſe tum temporis Fideles, cum hæc ſcripta ſunt ab Apoſtolo, præfracte viri docti negant; contradici non poteſt Apoſtolo, *idiotarum locum* memoranti diſertis verbis, ab Eccleſiæ Rectorum locis diſtinctum. Tum, qui Gentiles Fidelium cœtus ingredi ſolitos oſtendit, ſatis probat, ſtata illis fuiſſe loca ſacrorum cætuum. Vide 1 ad *Cor*, XIV. 16, 23. 24. Commentarius Ambroſianus; *Traditio eſt Synagogæ quam nos vult ſectari*, — *ut ſedentes diſputent*; *Seniores dignitate in Cathedris*, *ſequentes in ſubſelliis*, *noviſſimi in pavimento ſuper mattas*. De Synagogis vera hæc eſſe,multis oſtendi poſſet. Vide Maimonidem de *Oratione & Sacerdotum benedictione* XI. 4, 5. Sed hoc, niſi fuiſſent tum Eccleſiæ, locum apud Fideles non haberet. Verum enimvero, non occurrebat

bat tum temporis, quam multi graviſſimi Eccleſiæ ſcriptores hunc locum Apoſtoli, ad reconciliationem per iteratum baptiſmum reſtrinxerint; eamque ab Apoſtatis ſperari vetitam ab Apoſtolo, (ſed ejus loco laborioſam pœnitentiam ſubeundam) quæ baptizandorum conſcientiæ relinquebatur, quam ſeria eſset, quod de eis, qui adhuc extra Eccleſiam eſsent, non judicaret Eccleſia. Horum teſtimonia diligentia *Joannis Morini* ſub uno aſpectu poſuit, de Pœnitentia III. 7. ne neceſse mihi ſit actum agere. Et ſane, videtur omnino fatendum, ἀνακαινισθῆναι εἰς μετάνοιαν proprie de eis dictum iri, ſi qui ſecundo baptizarentur; ſicut ἐξκαινισθῆναι εἰς μετάνοιαν, de iis, quos primo, ſive *doceri* pœnitentiam agere, ſive *dicari* pœnitentiæ agendæ intelligas; quorum utrumque τὸ ἐγκαινισθῆναι ſignificat. Tum, qui ſecundo baptizarentur, in eis *ſecundo jactum iri fundamentum pœnitentiæ a mortuis operibus*; qualia ſunt, ſcilicet, opera infidelium; *fideique erga Deum*, & *doctrinæ baptiſmorum, impoſitioniſque manuum*; qua nempe, cum catechizarentur initiandi, cum benedictione per manuum impoſitionem dimittebantur; id eſt cum oratione, ut ſuo tempore idonei eſſent qui baptizarentur. Hujus etiam pœnitentiæ, id eſt, quam conſcientia ſua teſte agerent *competentes*, locum habebat Eccleſia: Et cum baptizatos ad Euchariſtiam vocaret, ſacrificium ſe putabat pro eis offerre; quod reliquum eſſe Apoſtatis negat Apoſtolus. Itaque omnino ſtatuendum videtur, recte probatos Eccleſiæ Patres reſpondere Novatianis, negare Apoſtolum reditum ad Eccleſiam Apoſtatis, per Baptiſmum. Nam & in XII. 16, 17. *Profanus inſtar Eſau, qui uno paſtu primogenituram ſuam vendit*; quis erit, niſi qui jus hæreditatis cœleſtis pane ſeculi vendat? Et quod *Pœnitentiæ locum non invenit*; non minus ad Competentium, quam ad Pœnitentium in Eccleſia *locum* referri poteſt. Sane, quod *ſpontaneum peccatum*, generali vocabulo appellat, X. 26. id & ibi reſtringit ad Apoſtaſiam, cum, *poſt agnitionem veritatis receptam*, locum ei tribuit; & v.29.

cum

Digitized by Google

cum *Filium Dei conculcare*, & *Sanguinem Teſtamenti, quo ſanctificatus eſt, pro communi habere, & Spiritum gratiæ contumelia afficere* ſcribit eum qui id faciat. Denique cum ipſos admonuiſſet, quantum etiam tum paſſi eſſent, ne à Fide diſcederent; Concludit, *non eſſe eos defectionis ad interitum, ſed Fidei, ad ſalutem.* Ac recte hac ratione *unum Baptiſmum* prædicaverit Apoſtolus ad *Epheſ.* IV. 6. eo ſenſu quem veteres Eccleſiæ ſcriptores intelligunt, cum Baptiſmum repeti nolunt; Nimirum rite datum. Sed hæc ita vera ſunt, ut redeundi ſpem ad Eccleſiam per laborioſam Pœnitentiam, non negaverit quidem Apoſtatis Apoſtolus, ſed nec indulſerit, neque indulgeri juſſerit; Nimirum, quod inde ortam Novatianorum Sectam conſtet: Et, diu poſtea laboraſſe hanc Epiſtolam de Fide Scripturæ divinitus inſpiratæ, apud Eccleſiam Romanam; Quod ſuo loco, multis S. Hieronymi teſtimoniis manifeſtum fiet. Huic ſententiæ teſtimonium reddit Apoſtolus, cum 1 *Jo.*V.16. *eſſe peccatum ad mortem* ſcribit, *pro quo orare ipſos non jubeat.* Neque enim poteſt de eo peccato intelligi, quod Eccleſiæ manifeſtum eſſe non poſſit; Scilicet, quo negetur veritas, quam, ſola conſcientia noverit contradicente conſcientia negari. Nam, quomodo judicet Eccleſia, quis hoc peccatum commiſerit? Itaque de Apoſtaſia loqui videtur etiam Joannes; quam Eccleſiæ precibus, per Pœnitentiam, Communioni reſtitui, *non jubeat* quidem, ſed *neque vetet.* Nam quod ejus verba; *ſi quis videat fratrem ad mortem peccare, petat a Deo*; ſingulorum precibus legem ponere videntur; Sane *Jacobus* etiam V. 16. *confitemini alterutri peccata veſtra*, inquit, *& orate pro alterutro, ut ſanemini*; Poſtquam *arceſſi ad laborantes, Presbyteros Eccleſiæ* juſſiſſet, *orarique pro eis, & oleo eos ungi*; addens, *ſanatum iri, & remiſſum ipſis iri peccata.* At, qui remiſſum iri peccata pollicetur, pro quibus orent Preſbyteri, nota fieri ſupponit, pro quibus orent. Et cum præterea, *confiteri etiam fratribus peccata jubet, ut orent pro eis*; ſive recuperata valetudine pœnitentiam agi jubeat, ſive in levioribus fra-

trum

trum conſilio contentos eſſe; manifeſto reconciliationem per Eccleſiæ claves aſtruit. Sane Apoſtolus idem ad *Gal.* VI. 1, 2. ſic ſcribit; *Fratres, ſi quis lapſu aliquo occupatus fuerit, qui ſpirituales eſtis inſtaurate hunc hominem, cum ſpiritu manſuetudinis; ſpectans teipſum, ne & ipſe tenteris.* Spiritualibus gratiis præditos ad inſtaurandorum lapſorum officium vocat. Neque mirum; quo tempore, etiam plebe conſcia geſta omnia per Eccleſias, ex Scripturis manifeſtum eſt. Quo minus mirum fuerit, ſi ad fratres referre jubeant Apoſtoli cauſas, quæ fratres ſolicitos haberent; etſi ſubditos Eccleſiæ, quam aſtruximus, auctoritati. Atqui omnis inſtitutæ Pœnitentiæ, in Apoſtolorum Scriptis ſignificatio, excommunicandi poteſtatem prædicat. Nam Pœnitentia nihil aliud eſt, quam reſtituendæ communionis via ac ratio.

Quod ad Eccleſiæ conſenſum attinet; haud diu poſt exceſſum S. Joannis, diſceſſit ab Eccleſia Montanus, partim ea de cauſa, quod adulteris veniæ ſpem indulgeret; ut ex Tertulliano diſcimus, qui ejus partes ſecutus eſt; Centum aliquot poſt annis Novatianus, quod Apoſtatas; ſcilicet qui ſacrificaſſent. Et tamen negatam adulteris veniæ ſpem ab initio, præter ea quæ ex Apoſtolorum ſcriptis producta ſunt, (quæ pro ſe, in eum quem expoſui ſenſum, interpretabantur utriuſque Sectarii) *Cyprianus Epiſt. ad Anton.* de quibuſdam Africæ Epiſcopis teſtis eſt; à quibus reliquos propterea non diſceſſiſſe oſtendit. Tum Irenæus l. 9. mulierem quandam memorat, à Marco hæretico ſeductam, & pollutam, ætatem in peccato ſuo deflendo tranſegiſſe. Nam Eliberitani Canones complures, peccatis quibuſdam ante mortem, aliis in morte etiam, communionem negant, Vide Canones XII. XVII. XVIII. LXXI. LXXIII. Nec poteſt videri Novatianus hoc poſtulaturus; qui Montanum, eandem ob cauſam, ab Eccleſia abdicatum videbat, quamvis ſe ac ſuos Prophetas ferret; niſi in Eccleſia Romana, multis de re tanta fluctuare contigiſſet. Sane Paſtoris liber videtur viris doctis Novatianiſmum ſapere; quia

Conſenſus Eccleſiæ ab initio.

Digitized by Google

in Eccleſia Romana ante Novatianum ſcriptus, de re nondum definita duriuſcule ſcribit. Vide quæ Barthius ex Adverſariis ſuis, editioni hujus libri ſuæ adtexuit. Sed audiamus Innocentium P. I. nequis extra aleam poſitum dubitet, quod contendimus; *Ad Exuperium Tolos.* 2. *Et hoc quæſitum eſt, quid de his obſervari oporteat, qui poſt Baptiſmum omni tempore, incontinentiæ & voluptatibus dediti, in fine vitæ ſuæ extremo pœnitentiam ſimul & reconciliationem communionis expoſcunt. De his obſervatio prior durior, poſterior, interveniente miſericordia inclinatior eſt. Nam conſuetudo prior tenuit, ut concederetur eis pœnitentia, ſed communio negaretur. Nam cum illis temporibus crebræ perſecutiones eſſent, ne communionis conceſſa facilitas homines, de reconciliatione ſecuros, non revocaret a lapſu, negata merito communio eſt, conceſſa pœnitentia, ne totum penitus negaretur; Et duriorem remiſſionem fecit temporis ratio. Sed poſtquam Dominus noſter pacem Eccleſiis ſuis reddidit, jam depulſo terrore, communionem dari abeuntibus placuit, & propter Domini miſericordiam, quaſi viaticum profecturis; Ne Novatiani hæretici, negantis veniam, aſperitatem & duritiam ſubſequi videamur.* Nam qui reconciliatos Communioni in fine vitæ pœnitentes teſtis eſt, ut à Novatiani duritie diſcederetur, is eum antiquiorem fuiſſe rigorem agnoſcit, à quo quia diſcedere noluit Novatianus, ab Eccleſia diſceſſit. Et eſt imprimis notandum, Novatianos, Conſtantino M. in Concilio Niceno, negatæ reconciliationis cauſam edidiſſe, *peccatum ad mortem* S. Joannis; apud Socratem & Sozomenum locis mox indicandis. Quod argumento eſt, locum Apoſtoli de Apoſtaſia tunc intellectum. Neque enim eo magis vel Montano vel Novatiano veniam dabat Eccleſia, ſolventi Unitatem Eccleſiæ hoc prætextu, poſtquam de lapſis omnibus recipiendis, ab omnibus conſenſum fuerat: Neque eo minus Schiſmatis rei erant; quamvis non deeſſent, qui in unitate Eccleſiæ, communionem in morte negarent. Nam neque ipſi de ſalute hujuſmodi peccatorum deſperabant; ſed à Dei miſericordia, non ab auctoritate Eccleſiæ,

peccatum

Digitized by Google

peccatum communione indulgenda ſolventis, ſperari volebant; *Socrates Hiſt.* I. 7. *Sozom.* I. 23. *Tertull. de Pudicitia* cap. XIV. *Orig. in Matt.* XVIII. 18. *Tract* 7. Hinc poſtmodum, qui ſemel Pœnitentiam egiſſent, in idem crimen relapſi, non poterant per Pœnitentiam reſtitui, *Concil. Tolet.* X. *Can.* XI. *Eliber. Can.* III, & VII. *Ambroſ. de Pœnit.* II. 10, 11. *Innoc.* I. *Epiſt.* I. *S. Auguſt. Epiſt.* L, & LIV. Ut à rigore ſuo, introducto in Eccleſiam ſeculo, paulatim diſceſſiſſe videatur Eccleſia. Cæterum, ſive ita ſe res habeat, ſive minus, ſi nulla Pœnitentia, nulla excommunicatio penes Eccleſiam alio jure fuiſſet, quam conſenſus ſpontanei; vel minimam hujus rigoris partem exiſtere potuiſſe, vel tantas contentiones de eo retinendo, quis credat? Nam, cum hinc diſceſſerimus, quis ullam Eccleſiam, ullibi terrarum, quovis ſeculo nominet, quæ peccatorum per Pœnitentiam reconciliationem non coluerit? Atqui, quibus negabatur reconciliatio, ii manebant excommunicati; quibus concedebatur, ab iis ſuſcipiebatur Pœnitentiæ medicina. Adeo manifeſtum eſt, agnitam ab initio, univerſo nomini Chriſtiano jus pellendi communione Eccleſiæ.

Cerni hoc jus pellendis Eccleſiæ Hæreticis.

Sed hoc ad Hæreticos præſertim attinet. Notum eſt illud Polycarpi ad Marcionem, agnoſci ab eo poſtulantem; *Agnoſco te primogenitum Satanæ.* Tum quod Irenæus, ex ore ejuſdem, refert; S. Joannem, ne in balneo quidem, lavante Cerintho, durare voluiſſe, Subjicit autem III. 3. *Tantum Apoſtoli & eorum Diſcipuli habuerunt timorem, ut neque verbo tenus communicarent alicui eorum, qui adulteraverunt veritatem. Quemadmodum & Paulus ait; Hæreticum hominem, poſt unam & alteram correptionem devita: Sciens quoniam perverſus eſt qui eſt talis, & a ſeipſo damnatus;* Nimirum, ſive contra baptiſmi ſui profeſſionem faciendo: Sive ſponte ſua deſerendo Eccleſiam, ut Hieronymus exponit. Nam propterea, Hæreticum hominem *a ſeipſo damnari,* recte interpretatur, poſt Tertullianum & Cyprianum, quod cum alia peccata pellantur communione, judicio Eccleſiæ, quicun-

que Eccleſiæ communionem ſponte deſerunt in ſeipſos ſententiam dicant; Quamvis ſecuta Concilia, cum damnant eos quos pellunt Eccleſiæ communione, in ſeipſos dictam ſententiam ab eis dicant, qui, ſponte à Fide recedentes, cauſa ſibi ſint cur damnentur. Irenæus rurſus III. 4. *Cerdon autem qui ante Marcionem, & hic ſub Hygino, qui fuit octavus Epiſcopus, ſæpe in Eccleſiam veniens, & exomologeſin faciens, ſic conſummavit; Modo quidem latenter docens, modo vero exomologeſin faciens, modo vero ab aliquibus traductus, in his quæ docebat male, & abſtentus eſt religioſorum hominum conventu*; Nimirum, etiam limine Eccleſiæ prohibitus. Marcionem item Tertull. *de Præſcript. cap.* XXX. quem primo communione prohibitum Romæ, Epiphanio, in hæreſi ejus, credimus; ſemel atque iterum, tum receptum, tum pulſum; poſtquam ea Lege reconciliari meruiſſet, ut ſocios ſuos ad Eccleſiam reduceret; mortuum refert, priuſquam hoc obtinuiſſet. Recte igitur Vincentius Commonit. I. Paulum ad Gal. I. 8, 9. exponit; *Anathema ſit*, inquit, *id eſt ſeparatus, excluſus, ne unius ovis dirum contagium innoxium gregem Chriſti venenata contagione contaminet.* Et poſtea, eundem tractans Apoſtolum 1 ad *Tim.* VI. 20. *quid eſt vitare? profanam* ſcilicet *vocum novitatem*; *Cum hujuſmodi ne cibum quidem ſumere. Quid eſt vitare? Si quis ad vos venit, nec hanc doctrinam affert, nec tecto recipere, nec bene precari.* Nimirum ut Cyprianus, Epiſt. LXXIII. de Marcione intelligi vult quod 1 *Joh.* IV. 2. Antichriſti ſpiritus hæreticis tribuitur; Ita hic de eiſdem intelligit, quæ ex ſecunda ipſius Epiſtola retulimus. Itaque Apoſtolos non aliter ex noſtra ſententia exponi vides, quam eos vetuſtiſſimi Eccleſiæ doctores intellexerunt.

Neque obſtare Martyrum Indulgentias.

Sed ex his conſtare poteſt, nimis infirmum eſſe quod objicitur; Martyres ac Confeſſores ſolitos lapſos communioni reſtituere, cum in carcere, conſummationem expectarent, Tertull. *de Pudic. cap.* XXII. *Ad Martyres cap.* I. Cyprian. *Epiſt.* X. XI. XVII. XXVIII. & alibi ſæpius. Tum,

cum

Digitized by Google

cum Joannes, Monachus Ægyptius, Theodoſium minorem excommunicaſſet, abſolutione Epiſcopi non contentum Imp. idem a Monacho obtinuiſſe. Quaſi Eccleſia excommunicando nihil majus faceret, quam quod Martyres vel Monachi infectum redderent. Obſervanda enim ſunt verba Cypriani *Epiſt.* XII. *qui libellos a Martyribus acceperunt, & eorum prærogativa apud Deum juvari poſſint.* Oſtendit enim ſententiam Martyrum, inſtar fuiſſe *tribus prærogativæ* in Comitiis Romanorum; quod ejus judicium ſæpius ſequerentur reliquæ; quod tamen ipſis repudiare licebat. Sic, quæ tum erat Virginum, Martyrum, Monachorum in Eccleſia exiſtimatio; non eſt mirum, poſtulari ab eis indulgentiam Eccleſiæ, quam ipſi non niſi *prærogarent.* Cæterum, quam minime tenuerit Eccleſiam, manifeſtum eſt ex Cypriano, tanquam ſeditioſos reprimente, & rem integram ad Eccleſias referente *Ep.* IX. XVII. XXII.

Idem conſenſus, de cauſis Fidelium Eccleſiæ Judicio terminandis.

Addendum eſt hic, non eſſe mirum, quod ex Scripturis probatum eſt, omnes omnino Chriſtianorum cauſas judicio Eccleſiæ intra Eccleſiam terminandas fuiſſe ante Conſtantinum; Ac propterea pertinaciam Chriſtiani, in trahendo fratre ad tribunal Ethnici judicis, crimen eſſe potuiſſe, ex auctoritate Domini excommunicatione vindicandum. Nam hoc ſi verum ſit, non erit mirum, quacunque de cauſa, extra Eccleſiam ad judicium Ethnicorum delata, jus pellendi Communione Dominum Eccleſiæ indulgere. Atqui, & Judæorum Magiſtris, idonea hæc excommunicandi cauſa viſa eſt, ut docet Maimonides: Et quod in pleriſque cauſis, ab Eccleſiæ conſtitutione alienis, poſt Conſtantinum obtinuit, omnino in omnibus ante Conſtantinum obtinuiſſe cenſendum eſt. Nemo mihi ignotam Conſtitutionum Apoſtolicarum auctoritatem obtendat; Apud quem, II. 45, 46. ideo cavetur, ne Fidelium cauſæ ad Ethnicorum tribunalia veniant, ne contemneretur Eccleſia, quaſi quæ neminem haberet finiendis ſuorum cauſis idoneum. Quod S. Pauli præceptum reſpicere manifeſtum eſt. Tum, ſecunda feria con-

ſeſſus

Digitized by Google

ſeſſus haberi; ut extinctis querelis, nemo aliquid haberet, adverſus alium, quo minus communicarent Euchariſtiæ. Hæc ego opus non habeo, ante quintum à Chriſto ſeculum ſcripta contendere. Sed, qui tum ſcribebat, quæ ipſi viderentur Apoſtolis aſcribenda, non potuiſſe hæc Apoſtolis inſcribere, niſi conſtitiſſet, inſtitutum ipſum ab Apoſtolis Eccleſiæ proditum fuiſſe. S. *Cyprianus, Teſtim. ad Quirinum* III. 44. *Fideles inter ſe diſceptantes non debere Gentilem Judicem experiri*; *In Epiſtola* Pauli *ad* Cor. *prima*; *Audet quis veſtrum*—. *S.* Auguſtinus *in* Pſal. CXVIII. Conc. XXIV. *Conſtituit enim talibus cauſis Eccleſiaſticos Apoſtolus cognitores, in foro prohibens litigare Chriſtianos.* Conc. Carthag. V. *Cap.* I. *In principio ſtatuendum eſt, ut qui forte in Eccleſia quamlibet cauſam, jure Apoſtolico Eccleſiis impoſito, agere voluerit, & fortaſſe deciſio Clericorum uni parti diſplicuerit, non liceat Clericum in Judicium devocari eum, qui cognitor, vel præſens fuerit*; *Et nulla, ad Teſtimonium dicendum, Eccleſiaſtici cujuſlibet perſona pulſetur.* Ecce, jus *Apoſtolicum Eccleſiis impoſitum* vocat, quod, quatenus valere tum debeat, cum Imperatores Fideles eſſent, Magiſtratus, ſi forte, Gentiles, Eccleſia Eccleſiaſticis præſcribit; Hoc eſt, eis qui communicabant Eccleſiæ. S. *Gregorius Nyſſenus* in Vita S. *Gregorii Neocæſarienſis*, ad ejus arbitrium deferri ſolitas cauſas Fidelium ſcribit; Antequam eſſent poteſtates ſeculi Fideles. Itaque etſi ſuppoſititia eſt Epiſtola I. *Clementis*; quia tamen ætatem habet, quæ à *Ruffino* in Latinum verſa eſt, idcirco idonea eſt, unde nos Eccleſiaſtici moris originem & rationem diſcamus. Ibi ſic; *Si qui ex fratribus negotia habent inter ſe, apud cognitores ſeculi non judicentur*; *ſed apud* Preſbyteros *Eccleſiæ, quicquid illud eſt, dirimatur.* In ſuperioribus, Laicis has cognitiones mandandas ſcripſerat; quibus peccatum futurum, ſi hujuſmodi officia fratribus invicem negarent. Et hinc, in Libro *Pontificali*, ad *Clementem Petrus*; *Ego tibi committo, ut ordines diſpoſitores diverſarum cauſarum, per quos actus non Eccleſiaſtici profligentur, & tu*

minime

Digitized by Google

minime curis ſeculi deditus reperiaris. Sane, non minus per Laicos, quam per Eccleſiæ Presbyteros, profligari actus non Eccleſiaſtici potuerunt: Perinde atque S. Paulus *Judices ſedere contemptos in Eccleſia* jubet; Potius ſcilicet, quam ut ſub Ethnicis litigarent Fideles. Itaque & Clericos cognitores harum cauſarum exhibet Canon Carthaginenſis; Inter Presbyteros, ſcilicet, & Laicos interjectos. His, Canonis *Africani* XV. verba accenſeo, quæ apud Gratianum XI. Q. 1. *Can. Placuit.* poſt verba, *ſi locum ſuum obtinere maluerit*, ſic leguntur; *Cui enim ad eligendos Judices undique patet auctoritas, ipſe ſe indignum fraterno conſortio judicat, qui de univerſa Eccleſia male ſentiendo, de judicio ſeculari poſcit auxilium; Cum privatorum Chriſtianorum cauſas Apoſtolus ad Eccleſiam deferri, atque ibi determinari præcipiat.* Nam etſi Gratiani hæc verba eſſe velit *Chriſtophorus Juſtellus*, quæ ex margine in textum irrepſerint; aliter tamen fuiſſe Judicaturus videtur, ſi noſtram diſputationem ob oculos habuiſſet. Extat in calce Codicis *Theodoſiani* Conſtitutio *Conſtantini de Epiſcopali Judicio*, quam eſſe ſuppoſititiam, ex Commentario *Gothofredi* cognoſces. Sed ita ſuppoſititiam, ut multa ad rei veritatem accommodatiſſima exhibeat; Illam præſertim rationem; Quia *multa, quæ in Judicio captioſæ præſcriptionis vincula promi non patiuntur, inveſtigat & promit ſacroſanctæ Religionis auctoritas.* Quod, ſcilicet, religio eſſet Fidelibus, celare Epiſcopos quæ ad cauſæ veritatem pertinebant; Unde expeditior finiendi litis ratio. Itaque ſub Imperio Chriſtianorum Principum, quæ vis fuerit Judiciorum Epiſcopalium, ex eorum Conſtitutionibus, ſatis docet Commentarius quem dixi. Sed Conſtitutionibus eorum originem aſcribendam non eſſe, ſed Apoſtolico, vel Dominico potius inſtituto, quæ præmiſimus oſtendunt. Quod tamen inſtitutum, ratione inſtituti ceſſante, ſi obtineat, non minus Fidelium poteſtatum indulgentiæ, quam originario inſtituto aſcribendum eſt.

Poteſtatem

Quatenus jus Clavium per Legem obtineat.

Poteſtatem Clavium nullam Lege inſtitutam manifeſtum eſt; quod non Lege ſed Evangelio ſtet Eccleſia, cujus claves ſunt. Itaque non recte rationem ducunt, qui propterea Eccleſiæ excommunicandi jus eſſe negant, quod Synagogæ, *Moyſi* Lege, nullum fuerat. Nam cum Eccleſia Lege ſalutis æternæ conſequendæ ſtet, Synagoga terræ promiſſæ obtinendæ; quæ ſalutis aſſequendæ Legem, etſi tueretur, non tamen exigebat; merito Synagogæ communicabat, qui ſpem vitæ æternæ nullam profiteretur, non autem Eccleſiæ. Ego igitur contendo, qua ratione Synagoga jus gladii habuerit; (quo, Legem, ἐν τοῖς καιρίοις, violantibus, bona terræ promiſſæ adimeret) eadem Eccleſiam, communione privandi; quo, jure poſitus extra Eccleſiam, ſpe vitæ æternæ excideret. Nec libenter audio ſcriptores Eccleſiaſticos hujus rationis auctores, *Orig.* in *Levit. Hom.* XI. *S. Aug. Quæſt.* in *Deut.* 38. de Fide & operibus *cap.* VI. *Cyprianum*, alios, nugari videri, horum temporum in Scripturis interpretandis audaciæ. Cum enim dictum ſit, eos qui myſticum Veteris Teſtamenti ſenſum negent, Dominum & ejus Apoſtolos *Judæorum* ludibrio exponere; videant quam rationem reddituri ſint contemtui habitorum Eccleſiæ doctorum, in ea ratiocinatione, in qua, manifeſta eſt ejus analogiæ ratio, ſecundum quam Synagogæ reſpondet Eccleſia. Audiatur *S. Hieron. Epiſt.* I. *Et in veteri quidem Lege, quicunque Sacerdotibus non obtemperaſſet, aut extra caſtra poſitus, lapidabatur a populo; aut gladio cervice ſubjecta, contemtum expiabat cruore. Nunc vero inobediens, ſpirituali mucrone truncatur; aut ejectus de Eccleſia, rabido Dæmonum ore diſcerpitur.* Equidem & pulſos Paradiſo primos Parentes, & leproſos caſtris *Iſraelitarum*, quis dubitet in ejuſdem rei formam accipere; qui terreſtrem Paradiſum, qui caſtra *Iſraelis*, figuram vel Cœleſtis vel Terreſtris Eccleſiæ geſſiſſe agnoſcat? At, qui Apoſtolum nuptias protoplaſtorum in figuram communionis Eccleſiæ cum Chriſto recte expoſuiſſe concedat, is eandem rationem in Paradiſo obtinere non dubitet. Qui Apoſtolum,

Digitized by Google

poſtolum, capite quarto Epiſtolæ ad *Hæbræos*, requiem terræ Sanctæ per Jeſum Nave in figuram cœleſtis requietis; non dubitet eandem formam, ſive caſtris in peregrinatione deſerti, ſive Jeroſolymis in patriæ habitatione tribuere. Itaque quod, infantem die octavo non circumciſum, reciſum iri populo ſuo in Lege Deus minatur, id totum, niſi umbram corpori coaptes, ad Eccleſiam ejuſque populum non pertinebit.

Hic ego non nego, nullum fuiſſe ſub Lege jus excommunicandi; Lege conſtitutum negavi. *Eſdras*, cum à Rege Perſarum poteſtatem accepiſſet *eradicandi* VII. 26. dividit *a Synagoga captivorum*, quibus minatur X. 8. Jus hoc, quoad Deum, a Lege repetebat, quæ capitalem pœnam conſtituebat, *Deut.* XVII. 12. Nam, cum capitalem pœnam alienis ſubditis irrogare non licebat, quam Princeps concederet, ea contentus erat. Cum Judæorum partim, ex Edicto Philometoris, Idolo ſacrificaſſent, τοὺς ἀποχωροῦντας ἐξ αὐτῶν ἐβδελύσσοντο, καὶ ὡς πολεμίους τοῦ ἔθνους ἔκρινον, καὶ τῆς συναναστροφῆς καὶ εὐχρηστίας ἐστέρουν. *Apoſtatas ſuos abominabantur, & ut hoſtes Gentis damnabant, uſuſque & converſationis commoditate privabant.* Sic loquitur 3 *Maccab.* III. 25. unde interpretandum videtur, quod Razias, ἐν τοῖς ἔμπροσθεν χρόνοις, τῆς ἀμιξίας κρίσιν εἰσενηνεγμένος Ἰουδαϊσμοῦ dicitur, 1 *Maccab.* XIV. 38. *præterito tempore, de Judæorum cum Gentibus* (ac proinde cum eis qui Gentibus communicarent) ἀμιξίᾳ *decretum introduxiſſe.* Nam in Evangelio, etſi quid ſit ἀποσυνάγωγον ποιεῖν; id eſt, quam pœnam poſt ſe traheret; non eſt adeo manifeſtum, tamen & in ſuos uſurpatum a Judæis, & diſcipulis Domini prædictum novimus, *Jo.* IX. 34. XVI. 2. de Judæis autem hodiernis quid dicam? Quorum, de excommunicatione tum majori, tum minori, pleni ſunt Doctorum libri. Illud unum notaſſe ſat erit, excommunicationi obnoxium eſſe eorum conſtitutis, qui Judæum ad cauſam coram Ethnicis dicendam adegerit; Nimirum, ſi teſtimonio Judæi obtinuerit

Quatenus ſub Lege.

rit apud Ethnicum forum, quod per Judicia Judæorum obtineri non potuiſſet. Hæc enim eſt nona cauſa ex XXIV. propter quas excommunicationem minorem infligunt. *Maimonides de diſciplina Legis cap.* VI. Quod cum, ad unitatem in Judaiſmo conſervandam neceſſarium fuiſſe, experiendo cognitum fuerit, non fuerit mirandum, auctoritate Domini in Eccleſiam introductum fuiſſe; cum, Legis auctoritate qua dixi, apud Synagogam obtinuerit. Nec mirandum eſt excommunicationem Judæorum ſecularem pœnam fuiſſe, qui hujus ſeculi promiſſa a Lege expectarent; Nam, apud eum qui fidem Judaiſmi coleret, Exilii vim habebat. Non enim inde ſequitur, Eccleſiam, quæ excommunicet, pœnam hujus ſeculi, quæ hujus ſeculi poteſtatem nullam habeat, infligere. Nam, qui pellatur Eccleſia, quam Principis gladius non tuetur, is, cum hujus ſeculi incommodum nullum accipiat, poſſit injuriam, quam accepiſſe ſe fortaſſe putet, perſequenda Eccleſia vindicare. Non eſt igitur levi objectioni cedendum; Judæorum excommunicationem ſacris neminem prohibuiſſe; Ingreſſos Templum etiam excommunicatos: Nam qui minori ſuberat, ad eum nemini intra quatuor cubitos accedere licebat: Qui autem majori, ſeorſim a reliquis, in tugurio ſibi proprio degendum illi erat, ex conſtitutis Judæorum, *Arba Turim, ſive Shulchan Aruch, in Jore Deah, Hilcoth Niddui Ucherem.* Quid autem dicto inter Legem & Evangelium diſcrimini magis convenit, quam, ut tam domi quam in ſacris, pariter ab excommunicato abſtineretur ſub Lege: Sub Evangelio, in ſacris omnino, extra ſacra, quantum fert ſtatus ſeculi, quem Eccleſia ſupponit? Neque enim prodibat excommunicatus, ſine ſigno quo dignoſceretur, a Judæis. Levius adhuc eſt, quod, cum dicat Dominus, *Sit tibi inſtar Ethnici & Publicani*; neque Ethnicus neque Publicanus Judæis pro excommunicato eſſet. Eſt enim ſatis, ligatos ab Eccleſia vitandos Chriſtianis, ut Judæi Ethnicorum & Publicanorum conſortium vitabant. Nam in Dominum

Digitized by Google

minum murmurabant, quod cum Publicanis cibum ſumeret; Chriſtiani ipſi in Petrum, quod cum circuncifis, etſi unius Dei cultoribus, *Act.* XI. 2. Etſi ſub Evangelio, Ethnicorum conſortium, ſecundum S. Paulum 1 ad *Cor.* V. 11. vitandum non eſt; nimirum, ne lucrifaciendi eos occaſio deſit. Leviſſimum autem illud, quod, *ligatum & ſolutum* illud intelligitur apud Judæorum Magiſtros, quod factu licitum vel illicitum eſset, ex Legis præceptis, & majorum Traditionibus. Nam ſi *ligatum* illud & *ſolutum* intelligitur, quod factu licitum eſt, vel illicitum; proinde, qui factu illicitum fecerit, *ligatus* intelligitur, qui licitum, *ſolutus*. Sane, ſi ſolutum illud ac ligatum fuerit, quod factu licitum eſt vel illicitum, alio quidem vocabulo appellandus veniet (פטור ſcilicet vel חייב). qui factu licitum vel illicitum fecerit; Sed ligandi jus ac ſolvendi latius pertinebit, (ad poteſtatem juris non ſolum dicendi, ſed etiam condendi) Synagogæ ante Chriſtum concedendum, Eccleſiæ poſt Chriſtum aſserendum. Nam *vinculi ſtabiliendi* locutio apud *Danielem* VI. 7, 8. Legis conſtituendæ vim habet. Et *vinculum ſtringendum*, ſæpius *Num.* XXX. voti ligamen ſignificat. Sane poteſtas juris dicundi, eadem eſt & juris condendi, in fonte quidem. Nam etſi ſumma poteſtas Juriſdictionem mandat, Legum ferendarum jus ſibi ſervat; Fons eſt tamen juris dicundi ex Lege, juris per Legem condendi poteſtas. Quod in Chriſtianiſmo ita obtinet, ut non ex præceptis Legis Moſaicæ, ſed ex Lege Chriſtianiſmi, & quod factu eſt, vel licitum vel illicitum perinde vel ligatum vel ſolutum; & qui fecerit, vel ligatus vel ſolutus intelligatur. Fallunt omnino ſeipſos, & in fundamentum Fidei, ab Apoſtolis adverſus Judæos munitum peccant, cum Fide non Lege contingere juſtificationem diſputant; quicunque *ligatum* & *ſolutum* perinde in Verbis Domini, ac in Judæorum Traditionibus intelligi volunt. Nam etſi condendi juris Synagogæ jus fuiſse confectum eſt; Id tamen etiam diſputatum eſt, hactenus tantum id juris

Ee 2 valuiſſe

valuiſſe, ut ad communionem Synagogæ concedendam vel negandam pertineret ; qua jus cujuſque Judæi in terram promiſſam conſtabat. Sed qui per Fidem, non per Legem, contingere remiſſionem peccati diſputant, adverſus Judæos, non poſſunt intelligere, *ligandi ſolvendique* poteſtatem ita ſibi indultam, quomodo Synagogæ indultam diſputamus. Neque enim ita remittebant vel retinebant Rabbini, quæ factu licita vel illicita pronunciabant,ut apud Deum juſtus eſſet, qui illicitis abſtineret, licita uſurparet ; niſi per Fidem, qua, Deo acceptum ſciebat obſequium, quod ipſe præſtari volebat Synagogæ. Ipſa autem Lex erat Fidei, quam eis ferebant Apoſtoli, quibus Evangelium prædicabant, ex qua *licitum* factu vel *illicitum* cenſendum eſt, quicquid ipſa continet ; Tum *ſoluti* vel *ligati*, ſive *liberi* ac *rei* qui faciant. Tantum eſt in ejus locutionis expoſitione erroris, quæ verborum dominicorum ſenſum, ad amuſſim ſermonis Rabbinici exigit. Scio hæc irrita eſſe, ſi reſpondeatur,ligandi ſolvendique jus idem Apoſtolis datum,quod Synagogæ fuerat;quatenus quidem Lex Evangelio reſpondeat. Sed hoc qui reſpondet, concedit quicquid eſt quod contendimus ; Remittendi retinendique peccati jus,indulgendæ recuſandæve Eccleſiæ Communionis jus continere.

Fideles ſuis moribus uſos, ſtante Synagoga.

Denique quod primos Chriſtianos, qui Gentibus Judæi habebantur, non alia excommunicatione quam Judæorum uti potuiſſe objicitur ; haud ſcio an reſponſum mereatur. Neque enim dubium eſt, obſervanda fuiſſe Chriſtianis Judæorum inſtituta, quatenus cum eis verſandum ipſis eſſet ; id eſt, quatenus ſpes eſſet ipſos ad fidem adducendi. Nam ab initio, nihilominus, culta ab ipſis fuiſſe inter ſe inſtituta Chriſtianiſmi, manifeſtum eſt, *Act.* I. 13. II. 42,46. III. 23. V. 42. VI. 2. XII. 12. *Jo.* XIX. 38. Quamdiu autem rejectus ubique non eſſet à Judæis Chriſtianiſmus ; (quod non ſtatim factum,vel ipſa Actorum hiſtoria oſtendit) non eſt quod putemus, potuiſse à Judæis perſecutionem moveri Chriſtianis ; De quibus perſequendis, ipſis

inter

Digitized by Google

inter ſe non conveniret. Quamdiu autem non perſequerentur ipſos Judæi, non eſt putandum, Romanis perſequendi Chriſtianos materiam fuiſſe. Novimus, quam levis viſa ſit Gallioni diſputatio inter Judaiſmum & Chriſtianiſmum; quam etiam Celſus apud *Orig.* CC. poſt annis, *de lana caprina* eſse putat. Suetonius in Claudio *Cap.* XXV. cum eum, *Judæos, impulſore Chreſto aſſidue tumultuantes, Roma* expulisſe ſcribit; ſi Chriſtianos & Chriſtum intelligit, putandum eſt, excitatos ipſis tumultus à Judæis: Nec mirum tamen Aquilam & Priſcillam, alioſque Chriſtianos, odio Judæorum Roma exulare. Quod ſi Judæum quendam *Chreſtum* tumultuatum velit; non tamen fuerint Chriſtiani, ob Chriſtianiſmum, obnoxii perſecutioni Romanorum. Equidem vereor ne nimis ſolicitus videar, de rebus leviſſimis, conjecturiſque, ex ignoratione mera diſcriminis Legem inter Evangelium, perpetuo omnium Chriſtianorum conſenſui oppoſitis; quem, ratio ſecundum quam Lex Evangelio, Eccleſia Synagogæ reſpondere debet, omni erroris ſuſpicione eximit.

CAPUT

Digitized by Google

CAP. XII.

De jure diſpenſandi facultates Eccleſiæ, conſlatas ex Oblationibus Fidelium.

Jus Oblationum, ex Judæ Sacrilegio & Ananiæ.

NUnc, ut de ærario Eccleſiæ dicam, & tributis, quibus conſtabat; à Judæ loculis repetenda eſt ratio. Eſt enim manifeſtum, Diſcipulos Chriſti; qui quidem ita illum ſequerentur, ut a vitæ ſuæ inſtituto non diſcederent; contribuiſſe ſuſtentandis eis, qui, ut Domino operam darent, prioris vitæ inſtituto renunciaverant. Nam quod ex eiſdem tributis, pauperibus; præſertim reliquis Chriſti Diſcipulis; conſulebatur, in eo eleemoſynæ contribuentium miniſtrabant. Qui in hac cauſa, originem, hujus ſeculi opum ad Chriſtianiſmi cultum Deo dedicandarum, non agnoſcit, eum gnaviter oculos obturare oportet. Quod facturi erant Chriſtiani; id eſt, ut in Actis Apoſtolorum legimus, Chriſti Diſcipuli; ut a Judæis repudiati, ſuam ſibi ſeparatim communionem colerent, id eatenus faciebant; tum vivo Domino, tum antequam repudiarentur, eo mortuo; quatenus expedire Domino & Apoſtolis videbatur. Cum enim ritibus Legis Deum in Templo, in Synagoga, cum Judæis colerent; nihilominus, ſuis ſibi conventibus, peculiaria Chriſtianæ pietatis officia inter ſe frequentabant. Hoc illud ſemen, hæc radix fuit Catholicæ; id eſt, univerſæ per totum Orbem Chriſtianum; Eccleſiæ. Itaque non ſolum furem Judam, ſed ſacrilegum habere debemus, qui, frequentandæ a pauperibus Chriſtianæ pietati dicata a locupletioribus, in ſuæ avaritiæ mercedem convertebat. Cæterum eadem prorſus cauſa eſt primæ Eccleſiæ Jeroſolymitanæ. Neque enim cedendum illorum facilitati, qui Legem conferendorum in commune bonorum impoſitam ipſis, Anabaptiſtis concedunt; quam tamen temporariam fuiſſe volunt. Nullo ipſos diſcri-

diſcrimine, à ſuccedentis Eccleſiæ Catholicæ inſtituto vixiſſe, aſſerendum eſt; niſi quod, ſuam ſibi communionem aſſidue frequentantes, majoribus ad eam ſuſtentandam opibus opus haberent. Itaque, qui totas huic uſui facultates ſuas dicabant, eos nuncium ſeculo miſiſſe putandum eſt, ut in Dei cultu ætatem degerent; Qui partem tantum, poterant tamen vitæ ſuæ inſtitutum & retinere, & colere. Specta S. Petrum, Ananiam increpantem, *Act.* V. 4. *Dum apud te eſſet, nonne tuum erat, venditum, nonne penes te?* Quis hoc dicat, qui Lege conferendorum in commune bonorum teneri Ananiam putet? Quis, qui eo tantum peccaſſe ipſum velit, quod ſuum ſibi mentiendo retinuerit; non quod alienum, id eſt Deo dicatum? Quin, cum gratiam illis datam ita prædicat Lucas, ut venderent fundos ac domos qui haberent, ne quid cui deeſſet; ſubjicitur tamen, in laudem Barnabæ, idem ab eo factum *Act.* IV. 33, 37. At quid pertineret ad laudem Barnabæ, id feciſſe prædicari, quod omnes ex Lege faciebant? Itaque quod *omnia ipſos communia* habuiſſe ſcribitur, *Act.* II. 44. nec *quenquam quicquam proprium dixiſſe*, *Act* IV. 31. continendum eſt eis finibus, quos omnis omnium temporum Eccleſia agnoſcit; nimirum, ut, quatenus poſtulat ſuſtentandæ communionis Eccleſiaſticæ ratio, eatenus, neminem Chriſtianum facultates ſuas proprias ducere debere, ſed, ſuſcepti Chriſtianiſmi jure, ſuſtentandæ Eccleſiæ obnoxias. Et ea ratione, ſacrilegium de ſuis fecerint Ananias & Saphira, quod, cum videri vellent totum pretium fundi ſui dicaſſe; id eſt, hoc profeſſi, jure ipſo ſuæ profeſſionis hoc fuiſſent; partem inde ſibi retinuiſſent.

His egregie conſentit Eccleſiæ Corinthiacæ cauſa, prout eam docte exponit S. Joannes Chryſoſtomus. Nam quod aſſiduum officiorum Chriſtianæ pietatis cultum Jeroſolymis ab Apoſtolis conſtitutum diximus, id ille Corinthi, ſapienter admodum, obtinuiſſe negat. Itaque conventuum non quotidianorum ſumptus, non diſtractis facultatibus *Ab Agapis.*

tolerari

tolerari potuiſſe. Interea loci, eandem ſumptuum rationem fuiſſe, quam Lucas λειτουργίαν καθημερινὴν Jeroſolymis appellat *Act.* VI. 1. ſcilicet, quod *Dominica cœna* in eis celebraretur; Quam propterea celebratam ab ipſis negat Apoſtolus, 1 ad *Cor.* XI. 20. quod, cum eam locupletes egentibus ſecum communem non præſtarent, propter ſectas inter eos factas, non poſſent putari inſtitutum Domini obſervare; quod Jeroſolymitani quotidie fecisſe memorantur. Neque dubito has eſse *Agapas* Chriſtianorum, de quibus S. *Judas* Epiſtolæ ſuæ commate 12. In quibus, ſcilicet, Gnoſticos, Chriſtianiſmum ſimulantes, *ſine timore convivatos* miratur, cum *maculæ* illarum fuerint. Itaque ſatis habet S. Paulus præcipere, ut locupletes expectent pauperes; ne qua vel ſolutæ diſciplinæ, vel neglectæ charitatis exiſtat offenſio. Nec eſt quicquam, in tota illa Apoſtoli diſputatione, ei obſcurum qui hoc obſervat.

A Sortibus. Videamus, propagato Chriſtianiſmo, quid Timotheo mandet Apoſtolus, 1 ad *Tim.* V. 2, 8, 16, 17, 18. *Honorari viduas*; (ſtipendio ſcilicet quotidiano, nam & Presbyteros duplo) ſed ita tamen, ne *Eccleſia gravetur*, ſuſtinendis eis qui locupletibus familiares eſſent; neve minus idoneis quæ *catalogo*, ſive Canone Eccleſiæ cenſerentur. Quis putet hoc Timotheo ex ſuis præſtandum, qui *Eccleſiæ gravamen* legerit? Itaque omnino oblationes Chriſtianorum, neceſſe eſt tributa fuiſſe, quibus reditus Eccleſiæ conſtarent, quod ſemper in poſterum obtinuit. Itaque *cleri* dicti ſunt, ſive *ſortes*, ut miniſterii, ſic ſtipendii, quod ad ſingulos miniſterii nomine rediret: Unde 1 *Pet.* V. 3. Preſbyteros τῶν κλήρων κατακυριεύειν vetat Apoſtolus; *clericis* nimirum ſibi ſubditis. Sic enim apud *Euſebium Eccleſ. Hiſt.* III. 23. κλῆρον ἕνα τινὰ κληρῶσαι, *in aliquam cleri ſortem inſtituere* eſt. & VI. 43. *quod non liceret eum qui metus cauſa in lecto* (non baptizatus, ſed) *aqua circumfuſus fuiſſet, clericum fieri*, εἰς κλῆρόν τινα γενέσθαι eſt.

Verum

Verum, non minimum hujus inſtituti argumentum eſt, Eccleſiarum aliarum pro aliis ſuſtentandis indictæ collectæ; quandoquidem niſi, tolerandis conventuum ſumptibus, quas ſingulæ celebrarent, non judicerentur: Neque, niſi interfuiſſet ſingulis inter ſe communicandi jus; quod totam Eccleſiam unam facere diximus; tolerandis invicem communibus ſumptibus inter ſe communicaſſent. Sane, quod ſæpenumero Paulus *Sancto baſio ſe invicem ſalutare* jubet eos quibus ſcribit; Tum, eandem ſalutem, ab aliis quibus aderat, Eccleſiis nunciat; omnino ad eum ritum pertinet, quem ab Apoſtolis cœptum, ne nunc quidem deſitum novimus; ut, ſive ante conſecratam, ſive ante ſumptam Euchariſtiam, teſtarentur fideles, nihil habere quemlibet adverſus quemlibet, quo minus inter ſe communicarent Euchariſtiæ; Cujus moris ritum egregie deſcribit Conſtitutionum Auctor, quæ Apoſtolis tribuuntur. Itaque ſalutari ab Eccleſiis Eccleſias nihil aliud ſignificat, quam Eccleſias ſibi mutuo communicare. Nec aliud ſibi vult quod *Gaium, & ſuum, & Eccleſiæ totius hoſpitem* laudat, ad *Rom.* XVI. 23: quam quod non ſe ſolum, ſed ex aliis Eccleſiis, qui Corinthiacam accederent, eos hoſpitio excipere ſoleret: Nec aliud quod Romanis Phœben commendat, eiſdem officiis ſublevandam Romæ, quibus & ſe & alios Corinthi ab ea ſublevatos fuiſſe teſtatur, ad *Rom.* XVI. 2. Nihil eſt autem ad hanc rem inſignius, quam quod de collectis per Eccleſias faciendis, quibus ſublevarentur Jeroſolymitani; exhauſtis per quotidianam communionem, & ei reſpondentem largitionem facultatibus; frequens eſt adeo in Apoſtolorum ſcriptis, ut cum inter ſe provincias compararent, in eam Legem conventum demonſtret S. *Paulus*, ad *Gal.* II. 10. qua maxime ſtetiſſe videtur communio Judæorum Chriſtianorum cum Gentibus; ſpe lucrifaciendi Judæos ſtudioſe culta ab Apoſtolis; etſi, pro ratione locorum ac temporum, finibus non eiſdem. Inſigne eſt autem illud Joannis Epiſtolæ 2, 10. ubi *tecto recipi vetat*, qui *regulam* *A mutuis Officiis inter Eccleſias.*

Ff *fidei*

fidei non profiterentur ; quod eis qui profiterentur fieri ſolitum oſtendit. Tum. 3. 5—10. Gaium laudat, quod hoſpitio receperit ex Judæis Chriſtianos, quos Diotrephes (ſerendo, ſcilicet, ſchiſmate inter eos & ex Gentilibus Chriſtianos, primatum affectans) minime ſuſcipiendos putaverit ; ita tamen, ut Gaium propterea ab Eccleſia prædicatum affirmet. Nam quod eos προπέμπειν jubet, ut pios decet ; quid Paulus *Venæ Juris conſulto*, & *Apollo* à Tito fieri velit, oſtendit, ad *Titum* III. 13. nimirum viatico proſequendos; quo, ſcilicet, Ægyptios diſcedentes *Hebræos* fuiſſe proſequutos, προπέμψαι verbum *Sapientiæ* XIX. 2. oſtendit ; ad res ipſis commodatas referendum.

Idem ex conſenſu totius Eccleſiæ.

Nunc Eccleſiæ conſenſum, ex antiquiſſimo Eccleſiæ ſcriptore *Irenæo* oſtendamus. *Sed & Diſcipulis ſuis dans conſilium, primitias Deo offerre ex ſuis creaturis ; non quaſi indigenti, ſed ut ipſi nec infructuoſi nec ingrati ſint ; eum qui ex creatura panis eſt accepit, & gratias egit, dicens ; Hoc eſt corpus meum. Et calicem ſimiliter, qui eſt ex creatura ſecundum nos, ſuum ſanguinem confeſſus eſt, & Novi Teſtamenti novam docuit oblationem ; quam Eccleſia ab Apoſtolis accipiens, in univerſo mundo, offert ei qui alimenta nobis præſtat, primitias ſuorum munerum in novo Teſtamento.* Sic ille IV. 32. primitiarum nomine offerri docet, ex quibus conſecratur Euchariſtia. Rurſus IV. 34. *Et propter hoc, illi quidem* (Judæi) *decimas ſuorum habebant conſecratas* ; (Lege Moyſi) *qui autem perceperunt libertatem, omnia quæ ſunt ipſorum ad dominicos decernunt uſus, hilariter & libere dantes ea, non quæ ſunt minora, utpote majorum ſpem habentes ; Vidua illa & paupercula hic totum victum ſuum mittente in Gazophylacium Dei.* Rurſus ; *Quoniam igitur cum ſimplicitate Eccleſia offert, juſte munus ejus purum ſacrificium deputatum eſt ; Quemadmodum & Paulus Philippenſibus ait ; Repletus ſum, acceptis ab Epaphrodito quæ a vobis miſſa ſunt, odorem ſuavitatis, hoſtiam acceptabilem, placentem Deo. Oportet enim nos oblationem facere, & in omnibus gratos inveniri fabricatori Deo ; in ſententia pura, & fide ſine hypocriſi,*

Digitized by Google

hypocriſi, in ſpe firma, in dilectione ferventi, primitias earum quæ ſunt ejus creaturarum offerentes. Vides ita a Chriſtianis offerri altari primitias, ut ex eis conſecrata Euchariſtia, reſiduum tamen Deo ſacrum intelligatur. Offerri autem primitias, ut totum deberi agnoſcerent, ſi uſus Eccleſiæ poſtulet. In quam ſententiam diſerte Caſſianus *Collat.* XXI. 20. eadem ratione facultates Chriſtianorum, qua tempus eorum univerſum, Deo deberi: Ut qui Jeroſolymis quotidie Deo vacabant, facultates univerſas eidem uſui dicabant. Ambroſius, ſive quicunque, in Epiſtolas ſcribens S. Pauli, ejus nomine cenſetur, vir citra controverſiam in Scripturis doctiſſimus, in 1 ad *Cor.* XI. 20, 21, 22. *Hos notat, qui ſic in Eccleſiam conveniebant, ut munera ſua offerentes advenientibus Presbyteris, (quia adhuc Rectores Eccleſiis non omnibus erant conſtituti) totum ſibi qui obtulerat vindicabat, Schiſmatis cauſa. Diſſenſiones enim inter eos pſeudoapoſtoli ſeminaverant, ita ut oblationes ſuas Zelarentur, cum una & eadem prece oblationes omnium benedicerentur; ut ii qui, ut aſſolet fieri, non obtulerant, aut unde offerrent non habebant, pudore correpti confunderentur, non ſumentes partem. Et tam cito illud agebant, ut ſupervenientes, non invenirent quod ederent. Ideoque, ſi ſic, inquit, convenitis, ut quiſque ſuum ſumat, domi hæc agenda, non in Eccleſia, ubi unitatis & myſterii cauſa convenitur, non diſſenſionis. Munus enim oblatum totius populi fit, quia in uno pane omnes ſignificantur,* 1 ad Cor. X. 17. *per id enim quod omnes unum ſumus, de uno pane omnes ſumere oportet.* Præclare cauſam & ſpeciem facti exponit; propter diſſenſiones, noluiſſe ſuis oblationibus communicare eos à quibus diſſentiebant. Præclare Pauli reprehenſionem; ut Euchariſtiam, ex pane & vino oblato, ita, quicquid præterea offertur, populi Chriſtiani neceſſitatibus conſecrari. Eadem enim ratione, quicquid Domino offertur; quod apud altare offerri vetuſtus mos eſt Chriſtianorum; primum Euchariſtiæ (id eſt, omnium Chriſtianæ pietatis officiorum) communioni dicabatur: Tum tenuioribus ſuſtentandis;

Digitized by Google

quod ſemper & ubique,in omnibus Deo per Eccleſiam dicatis obtinere debet. *Tertull. de Præſcript. cap.* XXX. *Marcion quidem, cum ducentis ſeſtertiis quæ Eccleſiæ intulerat,noviſſime in perpetuum exilium relegatus* — Et *adver. Marc.* IV. 4. de Evangelio S. Lucæ; *Adeo antiquius eſt quod eſt ſecundum nos, ut & ipſe illi Marcion aliquando crediderit; cum & pecuniam, in primo calore fidei,Eccleſiæ contulit; projectam poſtea, cum ipſo, poſtea quam a noſtra veritate deſcivit.* Ecce redditum Marcioni, Eccleſia pulſo, quod fingens pietatem contulerat. Quod quid aliud eſt, quam quod Canones *excommunicatorum oblationes recipi vetant?* Titulorum & Cœmiteriorum Eccleſiæ Rom. vetuſtiſſima eſt in ejus Tabulariis memoria, tanquam ejus conventiculorum. Tituli, ſigno impreſſo, ſacris dicati agnoſcebantur. Fortaſſe crucis ſigno, ut vult Baronius. Nam quid impedit notam, quæ *Titulum* declarabat, ſolis Chriſtianis conſpicuam fuiſſe, interioribus ſcilicet ædis ſacræ impreſſam? Alexander autem Severus, ut in ejus vita legimus, locum Chriſtianis & popinariis controverſum illis adjudicavit; Adeo libere fidem profitebantur, id eſt ſacra ſua. Nam latæ ſecundum Chriſtianos ſententiæ hanc rationem reddidiſſe Imp. ſcribit Lampridius; *Quod præſtaret quomodocunque ſacris locum ſervire, quam popinæ.* Itaque Eccleſiæ ſunt, quæ ſacris dicantur. Et dejecto Samoſateno, ut Epiſcopio pelleretur, quod vi retinebat, Aureliano à Chriſtianis ſupplicatur apud Euſebium; quod ſtatim dicendum eſt. Sane, ut in perſecutione Diocletiani, dejectas Chriſtianorum Eccleſias & Oratoria legimus apud Euſebium *Hiſt.* IX. 9. Ita à Conſtantino reddita, quæ ipſis ablata, fiſcus vel vindicaverat, vel conceſſerat *Hiſt.* X. 5. de vita *Conſt.* II. 36—40. Denique, quid de conſecratione ſentiret univerſa Eccleſia, Athanaſii cauſa declarat;Ob comminutum à Macario calicem vitreum, (quem altari ſacrum Ariani, ipſe nec altare, nec Presbyterum, nec Eccleſiam ſpectaſſe contendebat) ſede Alexandrina per calumniam dejecti. Tum Donatiſtarum;

qui

qui non ſolum ob traditos ſacros codices, ſed etiam ob traditas ſacras veſtes, & utenſilia, ab Ordinatoribus Cœciliani, cui univerſa communicabat Eccleſia, excidiſſe Chriſtianiſmo Eccleſiam contendentes, ab ea defecerunt. Nimirum, ut ſub Antiocho Epiphane Judæi, in argumentum defectionis a Lege accipiebant, ſi quis ſacros Codices, quorum memoriam abolere inſtituebat Antiochus, ſponte traderet. Sed & Athanaſii cauſa, non ſolum comminutum calicem, ſed & combuſtos libros ſacros a Macario continebat; Quod apud eum, non uno Apologiæ ſecundæ loco invenies. Idem Athanaſius in Paſſionem Domini; ὡς καὶ Ἀνανίας καὶ Σάπφειρα ἐν ταῖς πράξεσι τῶν ἀποστόλων· οἵτινες ἐπαγγελίαν τῷ θεῷ δεδωκότες, ἐνοσφίσαντο ἀπὸ τῆς ἐπαγγελίας. *Sicut Ananias & Sapphira in Actis Apoſtolorum; Qui cum Deo vota feciſſent, ſubtraxerunt ex votis.* Sic nimirum Judæos Athanaſius, Legem profeſſos, cum Dominum crucifigerent, miſſum à Deo qui Legem dederat, feciſſe arguit. Mox; ἃ ἐπαγγελλόμεθα θεῷ οὐκ ἔτι λοιπὸν ἐστὶν ἡμέτερα, ἀλλὰ θεῷ διαφέρει. καὶ ἐὰν ἀποστερῶμεν ἀπὸ τούτων, οὐχ ὡς τὰ ἡμέτερα ἐσμὲν λαμβάνοντες, ἀλλ᾽ ὡς τὰ τοῦ θεοῦ ἱεροσυλοῦντες. ἡ δὲ ἐπαγγελία οὐ μέχρι χρημάτων μόνον, ἀλλὰ καὶ μέχρι λόγου καὶ προαιρέσεως αὐτῆς φθάνει. *Quæ Deo promittimus, non ſunt noſtra deinceps, ſed ad Deum pertinent. Et ſi inde fraudamus, non noſtra ſumimus, ſed in Deum ſacrilegi ſumus. Neque, ad pecunias ſolum profeſſio pertinet, ſed ad ſpontaneam verborum profeſſionem.* Pergit autem producere hæc, non ſolum ad communis Fidei, ſed & ad continentiæ etiam profeſſionem. Hoc qui ſecuti ſunt, (ſecuti ſunt autem multi, *S. Baſilius, S. Auguſtinus, Joannes Caſſianus,* alii) eandem rationem ſacrilegii Ananiæ & Sapphiræ ſecuti ſunt; quam & *S. Ambroſius* de Offic. III. 11. cum *de oblatis* fraudem eos feciſſe ſcribit, & Sermo CCV. de tempore apud Auguſtinum, & Commentarius in 1 ad *Cor.* VII. apud Hieronymum: Ipſe autem ſic, ad *Hedibiam* Q. I. *Ananias & Sapphira Apoſtoli meruere ſententiam, quia ſua ſolicite reſervarunt. Ergone, inquies,*

inquies, puniendus eſt qui ſua non dederit? Minime. Ideo puniti ſunt, quia mentiri voluerunt Sp. Sancto; & reſervantes neceſſaria victui ſuo, quaſi perfecte ſeculo renunciantes, vanam gloriam ſectabantur. Idem ad *Paulinum Epiſt.* XIII. *Jam non ſunt tua quæ poſſides, ſed diſpenſatio tibi credita eſt. Memento Ananiæ & Sapphiræ. Illi ſua timide ſervaverunt; Tu conſidera, ne Chriſti ſubſtantiam imprudenter effundas.* Presbyterum qui oblata non recte diſpenſet, affinem facit Ananiæ & Sapphiræ. Quomodo & Judam S. Chryſoſtomus, in *Act.* IV. 16. οὗτος καὶ τῶν νῦν ἱερέων ἥψατο ὁ λόγος, καὶ σφόδρα κατὰ κράτος. *Hæc ratio Sacerdotes etiam qui nunc ſunt ſtringit, idque arcte admodum.* Mox, ὁ Ἰούδας ἱερόσυλος ἦν· ἀλλ' οὐκ ἐσκανδάλιζε τοῦτο τοὺς μαθητάς, *Sacrilegus erat Judas, ſed hoc diſcipulos non ſcandalizabat.* Tum; εἰ ξύλα τις συλλέξας καταλεύεται, πολλῷ μᾶλλον ὁ ἱερόσυλος. ταῦτα γὰρ ἱερὰ τὸ λοιπὸν ἦν τὰ χρήματα. οὐκοῦν, ὁ ἑλόμενος τὰ ἑαυτοῦ πωλῆσαι καὶ διαδοῦναι, εἶτα λαβών, ἱερόσυλος ἂν εἴη. εἰ δὲ ὁ ἐκ τῶν αὐτοῦ λαβὼν, ἱερόσυλος, πολλῷ μᾶλλον ὁ ἐκ τῶν ἀλλοτρίων; *Si lapidatur qui ligna colligit, quanto magis ſacrilegus? Nam hæ ſacræ erant deinceps pecuniæ. Itaque qui, cum elegit ſua vendere & diſtribuere, ſibi ſumit, ſacrilegus fuerit. Quod ſi ſacrilegus eſt qui ex ſuis ſumit, quanto magis qui ex alienis?* Nimirum, qui, ſuſcipiendo per Baptiſmum Chriſti jugo, ſinceritatem in obeundis quæ ſuſcipiunt omnibus pollicentur; ac proinde, eam in dictis & factis ſimplicitatem, cui injuratæ credendum ſit; eis multo magis, in eis quæ Domino pronunciant, eandem preſtandam ſinceritatem eſſe, pergit Athanaſius in eo loco diſputare quem allegavimus. Itaque, qui ad Sacerdotium accedentes, eandem in adminiſtrandis Eccleſiæ facultatibus ſinceritatem pollicentur, quas Deo Fideles per Eccleſiam conſecrant, eos in alienis adminiſtrandis ejuſdem ſinceritatis reos eſſe diſputat, & poſt eum Chryſoſtomus affirmat. Ac propterea rurſus in *Joan.* XIII. 15. οὗ προδότου τοὺς πόδας ἔνιψεν ὁ Χριστὸς, οὗ ἱεροσύλου καὶ κλέπτου. *Proditoris pedes lavit Chriſtus, ſacrilegi ejuſdem ac furis;*

furis; Ne eum temere putes, ſacrilegium Judæ, ac poſt Judam ſacerdotibus avaris aſcribere.

Ex præmiſſis ducta ratio rerum conſecrationem, & ſacrilegium violandæ Conſecrationis, ex perſonarum ſive hominum poſita conſecratione concludit. Si enim vere poſitum eſt, ita demum Deo ſacrari Fideles, per Baptiſmum, ſi ad legem Fidei in unitatem Eccleſiæ conſignentur; ſi Deo ſemel per Baptiſmum ſacrati, miniſterio Eccleſiæ, in ejus Ordinem ſuſcepti, conſecrentur; Quid dici poteſt, quo minus Deo ſacrata videantur, quæ conſervandæ communioni Eccleſiæ addicta ſunt; Quo minus, eis ad Civile commercium, & uſum vulgarem revocandis, Sacrilegium fiat? Nimirum, conſecratus Deo per Eccleſiam in Baptiſmo, ita per Eccleſiam Deo vindicatur, ut per Eccleſiam a Deo abdicetur, propter violatam Baptiſmi profeſſionem; quod probatum eſt. Conſecratus Eccleſiæ miniſterio, per adeptum ejus Ordinem, ita per Eccleſiam Deo vindicatur, ut per Eccleſiam a Deo abdicetur, propter violatam ſuſcepti Ordinis profeſſionem, ſi ad ſtudia & vitam plebeii in Eccleſia hominis recidat. Nam fieri hoc poſſe, Catholicæ Eccleſiæ Diſciplina oſtendit; Cur non fiat, quoties non fit, Eccleſiæ unitas quam hic aſtruimus, cauſam ſuſtinere debet. Cum autem homines Deo ſacri ſeculi nexibus eximantur, ut Deo vacare poſſint; (Quatenus quidem vel communis Fidei, vel Eccleſiæ obſequii ratio poſtulat) Quis neget, res etiam Deo ſacras ſeculi nexibus eximi; niſi qui eſſe nolit unde Eccleſia ſtet, per quam homines ipſi Deo aſſeruntur? Quatenus quidem ſeculi nexibus eximantur qui Deo ſacrantur per Baptiſmum, vel per Ordinem Eccleſiæ, non eſt hoc loco dicendum;. Ubi ſatis habere debemus, ſi eadem cum Eccleſia ratione ſtare Conſecratio intelligatur. Nam ſi Fidei ſanctitas ſanctitatem Eccleſiæ, Eccleſiæ ſanctitas, hominum Deo per Eccleſiam ſacratorum ſanctitatem eo probet, quod citra ſacrilegium violari non poſſit; certe res Deo ſacratæ per Eccleſiam eatenus ſanctæ erunt, ut citra ſacrilegium

Ratio à conſecratione hominum, per Baptiſmum

Digitized by Google

um violari eorum conſecratio non poſſit. Quis autem eorum violari conſecrationem neget, quæ, ſublato diſcrimine, ad promiſcuum uſum revocantur?

Quatenus decimarum Lex Eccleſiam teneat.

Sed non convenit cum Irenæo Scholaſticis & Canoniſtis, qui, de decimis jure divino debitis vel in debitis, ita contendunt, ut,niſi Moſaico jure debeantur,jure divino non deberi,inter ipſos convenire videatur. Is enim aperte Hæbræorum Magiſtris conſentit, ſpecies ipſas decimarum ita Lege conſecratas aſſerentibus, ut niſi præcipiantur decimæ, ſacrilegium committat, quiſquis ſpeciei partem quamvis in ſuum uſum vertat; quod ex Lege *Num.*XVIII.27,30. in promptu eſt colligere, ſi quis attendat. Redimuntur quidem ex Lege decimæ ſecundæ, quæ ex Lege ſacræ ſunt: Redimuntur & quæ ſartis tectis Templi ſacrata ſunt ab homine, ſub anathemate, ex Lege *Levit.* XXVII. Tum, ſi conſecratam altari oblationem permutet qui devovit, etiam in vicariam cadit conſecratio; ita tamen, ut vapulet ex Lege qui permutaverit, ex definitione Magiſtrorum, initio Tituli *Temurah*, I.1. Cum apud Chriſtianos, ſpeciem ipſam cujuſvis rei ſacratæ Deo ita ſacram cenſeri, ut permutari non poſſit, eo quod æque interſit Eccleſiæ, non poſſit Chriſtianiſmo convenire; ſanctitatem nulli rei,præterquam hominum animis actibuſq; aſſerenti.Itaque non eſt neceſſe hoc in loco Achanis ſacrilegium in diſputationem hanc afferre. Nam, quod dubium eſſe de ejus conſecratione nullum poteſt,quod Deus ſibi diſerte vindicat,ſub anathematis comminatione; Id non aliter ad conſecrationem ſub Evangelio conſtituendam pertinet,quam propter conſtitutam Eccleſiam; per quam,quæ Deo conſecrantur,ſine ſacrilegii anathemate non violantur.Igitur,qui obligatas univerſas Chriſtianorum facultates affirmat,quatenus ſuſtentandæ Eccleſiæ ratio poſtulat; is, nihil Deo magis ſacrum quam reliqua omnia, priuſquam dedicetur, agnoſcit. Equidem manifeſtum videtur ipſis Legis verbis *Num.*XVIII.12.*Deut.*XI.17. Tres tantum ſpecies Lege decimarum teneri nominatim, frumen-

frumenti, vini & olei; Quarum una tantùm apud nos provenit; quibus Lex *Deut.* XVII. 4. lanæ primitias addit. Poſtmodum *Deut.* XIV. 21. ad omnem annuum agri proventum hòc extenditur. Generaliter dictum, quas ad ſpecies pertineat, Magiſtrorum auctoritate definiendum fuit. Sed, quæ non Lege,ſed Traditione Scribarum deberi Magiſtri eorum agnoſcunt, non poſſunt a Chriſtianis deberi. Nam, decimas de grege, non Sacerdotibus, ſed Dominis ceſſiſse,ut Paſchatis & pacificorum ſacrificia,poſt aſperſum ſanguine eorum altare,& primitias eorum porrectas; eiſdem Magiſtris credendum eſt. Nimirum, quia primogenita animalium quæ ſanctificantur, Lex ipſa dominorum eſſe jubet, *Num.*XVIII. 17,18. Eſt enim in utriſque eadem ratio quæ pacificorum. Nec plus dicit Lex *Levit.*XVII.32. quæ *ſacra eſſe Dominô* jubet, quam ſacrificari; quæ *ex armento, gregeque* cum definit, *capras* tantum, *oves ac boves* includit. Et ſane, ſi jus Moſaicum in decimis obtineat, quid eſt, quod eodem jure conſtitutum Eccleſiam non teneat? Expediri enim nulla ratio diſcriminis poterit. Neque etiam ſatis eſt, quod præceptum ſub Lege naturæ, ut ex *Abrahami* & *Jacobi* exemplis conſtat *Gen.* XIV. 20. XXVIII. 22. inde ad Moſaicam transferri videtur a Deo *Levit.* XXVII. 30. decimas ſibi,tanquam *ſuas*, Lege ſcilicet prius introducta, vindicante. Nam etſi Patres ante Legem, non Judaiſmo ſed Chriſtianiſmo ſalvatos,contendit Eccleſia; quod a Moſaicæ Legis inſtitutis liberi, ſolâ naturæ Lege viverent,unum aut alterum præceptum poſitivum ſi excipias; quæ ſuo loco commemoravimus; Tamen, eundem eos in Lege naturæ obſervanda modum tenuiſſe cum Chriſtianis, Polygamia Patrum aperte negat. Itaque decimas ab eis debitas cum manifeſtum ſit, quarum autem ſpecierum decimæ deberentur,non perinde, procul abſunt a modo Chriſtianorum; quorum omnes facultates, quatenus Eccleſiæ ſuſtentandæ ratio poſtulat, Deo obligatas cum *Irenæo* contendo; non ut Judæorum, ex Lege, quouſque eximerentur primitiæ

Digitized by Google

Lege definitæ. Nam, non fuiſſe ullam ſpeciem ſacram, ante conſecrationem arbitrio ſingulorum factam,ſecundum morem qui obtineret, videtur Eccleſiæ cauſa poſtulare; quæ ipſos ex Judaiſmo, ex quo ſpecies ipſas obligari dictum eſt, vixiſſe negat. Cum igitur ſine modo obligatis Chriſtianorum facultatibus, deferveſcente Chriſtianiſmi fervore ac puritate; præſertim, poſtquam, profeſſi Fidem ſeculi poteſtatibus, ſeculi commoda in profitendo Chriſtianiſmo plerique ſequerentur; ne vinum Chriſtianiſmi aquis populorum commixtum evaneſceret, neque ſatis cultui Chriſtianiſmi ſuſtentando conſultum eſſet,inſtitutum eſt; Conſenſu fere Gentium Fidem profitentium; ut decimæ univerſarum facultatum Eccleſiaſticis neceſſitatibus dicarentur. Qua in re, nullas eſſe partes juris divini, quis aſſerat? cum & facultates Chriſtianorum eatenus Eccleſiæ obligatas, inſtituto Apoſtolorum, quatenus ejus uſus poſtulet, dictum ſit: Et ſecuta conſecratio, ſive dedicatio,ſacrilegii nexu alienantes obſtringat. Itaque facile patior, non modo non receptum fuiſſe de decimis jure divino debitis dogma, ante quadringentos poſt Chriſtum annos; ſed etiam, ne nunc quidem, vel apud omnes Gentes Chriſtianas Lege receptum,vel, niſi definiente dedicantium intentionem conſuetudine,aut ſcripta Lege, ad omnes omnino ſpecies,jure Evangelico extendi poſſe. Et tamen, accedente dedicatione, ad omnes omnino bonorum ſecularium ſpecies, non minus quam ad frugum decimas, jure Evangelico, ſub nexu Sacrilegii pertinere.

Communio Eccleſiæ quatenus Leges eaſdem poſtulet.

Animadvertendum eſt hoc loco, cum communia totius Eccleſiæ jura aſſerimus, quibus agnitis ſalva unitas erat; Non eadem tamen Eccleſiis omnibus aſſerenda eſſe, quarum Communione conſtare totius Eccleſiæ Unitatem volumus. Nam ut Gentium aliarum alias eſſe Eccleſias neceſſe eſt, ita & majores alias Eccleſias eſſe, alias minores, has illis quaſi ſuperioribus ſubditas, hactenus quidem nihil impedit. Itaque communis juris alium modum atque alium

reperiri,

reperiri, pro modo Eccleſiarum, quarum jura ſunt, nihil prohibet. Quare, neque alias atque alias eſſe aliarum aliarumque Eccleſiarum Leges; ſive ſcriptas, ſive moribus ſolis conſtantes; ex quibus ſua ſingulis Eccleſiis jura exiſtunt. Nam quod Dei Lege non hominum conſtare ſuprema Eccleſiæ jura dictum eſt, de quibus hactenus agimus; manifeſtum eſt tamen, alias aliarum Eccleſiarum Leges eſſe poſſe, ſalva unitate. Nam ſi quæ pars Eccleſiæ unitati repugnet, propter id quod ad Unitatis Legem non pertinet, eo ipſo ad Unitatem non pertinebit. Eſt autem Unitatis Lex, una illa ſalutis Lex, per Fidei integram profeſſionem, quam, præcedere ſtatum ipſum Eccleſiæ & unitatem diximus, & ad eam ſupponi; Cujus pars ſit, inſtitutæ a Deo unitatis Eccleſiæ agnitio. Itaque, ſi quæ ab hujus Fidei Traditione deſciſcat Eccleſia, eam, ſibi ipſam reliquarum Communionem, eo ipſo negare, putandum eſt. Si ſalva ſit eorum profeſſio, quæ ad integritatem Fidei pertinent; non eſt quod moretur communionem inſtitutorum diverſitas, quatenus à communi auctoritate totius pars nulla deſciſcat. Fons autem & origo auctoritatis communis, qua conſtare debet unitas Eccleſiæ, Apoſtolorum eſt inſtitutio; cujus propagatione, uſque ad finem ſeculi, dignoſci oportet Eccleſiam. Itaque qui, ab Apoſtolis accepta auctoritate, communia Eccleſiæ jura exercent, eorum inſtituta, non eſt mirum Apoſtolica videri; Quatenus, intra modum Apoſtolis a Domino creditum, ad propagandam moribus Fidelium Fidem pertinet. Nec mirum, quod ait S. *Hieronymus*, *Provinciarum conſuetudines*; *Apoſtolicarum Traditionum* nomine cenſeri, quæ auctoritate ab Apoſtolis indulta vim habent. Nam ſi quæ pars Eccleſiæ, propter id quod parti Eccleſiæ jus fuerit ſibi privatim ſtatuendi, a Communione recedat, penes illam erit violatæ unitatis crimen, quæ arbitrii ſui id facit, quod juris ſui non fuerit. Hæc eſt univerſim unitatis ejus deſcriptio, quam Eccleſiarum Communione, ſenſui ſubditam, conſtare debere, divinitus inſtitutum contendimus. Ut enim in regimine

ſeculi, tum demum conſtitutam Rempublicam cenſendum eſt, cum in perſonam perſonaſve conſenſum eſt, quæ gladii jus, vitæ neciſque poteſtatem continens habeant, pro ſua fide miniſtrandum; Ita, Eccleſiæ Communionem non aliter à Deo inſtitui poſſe, abſolutum eſt, quam ut Apoſtolis jus dederit, Communione Eccleſiæ vel donandi vel pellendi, quos idoneos, ex Lege Fidei, pro ſua in Deum fide arbitrarentur. Hoc enim ſemel conſtituto, ſuum datum jus eiſdem cenſeri debet, & ſubrogandi ſibi ſucceſſores, eorumque miniſtros inſtituendi, & ferendarum Legum, quæ definitis, quæcunque indefinita unitatem ſolicitarent, Communionem continerent. Itaque etſi ſola Fidei profeſſio ad itum ad Eccleſiæ Communionem aperit, tamen, cum pars ſit hujus Fidei Eccleſiæ unitas; quæ non ſubſiſtet, ſi vel leviſſima reipſa Eccleſiæ Lex communis Fidei Legi adverſari credatur; neceſſe eſt ſolui hoc facto unitatem, quæ conſtare non poſſit Communione Eccleſiæ, ſine omnium Eccleſiæ Legum obſequio. Quod ut caveatur, neceſſe eſt jus eſſe pellendi Communione inobſequentes. Sed hoc ita procedit, ſi, qui Eccleſiæ ſuæ Communione carere juſſus eſt ad alias receptum non habeat, propter commune vinculum Communionis. Quid enim agit Excommunicatio, ſi ſalva ſit ei proximæ, vel alterius omnino Eccleſiæ Communio, quem ſua abdicavit? Ita Marcio Hæreticus, cum a Patre ſuo, Sinopenſi in Ponto Epiſcopo, Eccleſia pulſus, Romæ ſe recipi peteret, reſponſum accepit; Canonem eſſe Eccleſiæ, qui patris ſui ſententiam, apud omnes Eccleſias ratum eſſe juberet, referente initio Hæreſis ejus *Epiphanio*; Ut ſcias, ab initio extitiſſe Canonem, qui tam mature valuerit. Et ſane hæc ipſa forma eſt unitatis Eccleſiæ, ut eodem loco, atque ordine ſint, apud omnes Eccleſias, Fideles ſinguli, quo apud ſuos; Ut quocunque peregrinarentur, ſub Eccleſiæ ſuæ teſtimonio, eodem loco quo apud ſuos communicarent, Itaque cum Eccleſiarum, vel Rectores, vel plebeii, agnoſcerentur apud omnes Eccleſias iidem qui apud ſuos, mani-

manifeſtum eſt in quo ſita Communio fuerit. Cum autem expedita ratio eſſet, vel Legis ferendæ, vel juris dicundi, ſi incideret cauſa quam finiri oporteret; expedita erat ratio agendorum Conciliorum, quibus expediebatur conſenſus Eccleſiarum; ſive celebrandæ Ordinationes eſſent, ſive condendi Canones, ſive ſententia de cauſis ferenda, quæ ſolicitas haberent Eccleſias. Adeo manifeſtum eſt, juris hujus capitibus quæ diximus, Communionem Eccleſiæ contineri.

CAP. XIII.

Demonſtratur id ipſum, inductione cauſarum, vel propter quas abdicatæ ſunt ab Eccleſia Hæreſes, vel quæ ſalva Communione compoſitæ ſunt; ab initio Eccleſiæ uſque ad Concilium Epheſinum.

Demonſtratio, ab effectu abdicatarum Sectarum; primo Gnoſticorum, & Samoſateni.

SUpereſt efficaciſſima Eccleſiaſticæ unitatis demonſtratio, ab effectu, Eccleſiæ ab omnibus ſectis diſcernendæ, & puritatis Chriſtianiſmi cum communionis unitate conſervandæ, ab Apoſtolis ad uſque finem Concilii Epheſini; a quo tempore, vim ejus perinde obtinuiſſe dici non poteſt. Gnoſticorum ſectæ, a Simone Mago & Cerintho, ſub ipſam Domini aſcenſionem ortæ, & ſub ipſis Apoſtolis, Apoſtolorum nomen prætendentes, cognitu difficiliores quam damnatu, in lucem protractæ, eis in locis ubi ſe periculoſius exerebant, conſenſu Eccleſiæ ſolo damnatæ ſunt. Neque enim aliud opus erat, quam reliquas cceleſias, de Authoribus earum damnatis, ubi emergerent, certiores fieri, ut a damnatis ipſæ caverent; quando ipſos aperta Fidei Traditio, non minus Joanne Apoſtolo, quam *Tertulliano* auctore, & Irenæo, damnaret. Sed Pauli Samoſateni cauſa; quæ Artemonem etiam, Cerinthum, Ebionem, Theodotum ac Sabellium amplectitur, rem apertiorem facit. Recte enim mihi *Liberatus*

ius Breviarii cap. I. obſervaſſe videtur, Samoſateni Hæreſin, quod ad Sp. S. attinet, cum Hæreſi Sabellii neceſſario eandem eſſe; Quod etiam de Hodierna Socini dicendum eſt; ut omnino Socinus Samoſateno ſuccedat. Nam eum Synodis opus fuiſſet, ſive conciliando Eccleſiæ Epiſcopo Antiocheno, ſive pellendo Eccleſia, Epiſtola ejus Synodi, quæ ipſum damnavit, in hæc verba definit, apud Euſebium *Hiſt.* VII. 30. Ἐδηλώσαμεν δὲ ὑμῖν (totius Orbis Epiſcopis) ὅπως τούτῳ γράφητε (Domno ipſi ſubſtituto à *Synodo*) καὶ παρὰ τούτου τὰ κοινωνικὰ δέχησθε γράμματα· τῷ δὲ Ἀρτεμᾷ οὗτος ἐπιστελλέτω, καὶ οἱ τὰ Ἀρτεμᾶ φρονοῦντες ἐκείνῳ κοινωνείτωσαν. *Hoc autem vobis notum fecimus, ut huic ſcribatis, & ab hoc communicatorias literas ſuſcipiatis. Iſte autem Artemoni ſcribat, & qui cum Artemone ſentiunt, iſti communicent.* Ecce Epiſtolas accipere, tanquam ab Antiocheno ſcriptas Epiſcopo, idem eſt ac ipſi communicare; nimirum tanquam Epiſcopo Antiocheno; non recipere, pro excommunicato habere. Curioſitatis eſſet non neceſſariæ, recenſere hoc loco decreta Conciliorum Eccleſiaſticis ſcriptoribus commemorata, ſive Synodicis ipſorum literis conſignata; in quibus, ad antiquiſſimum hoc exemplum, vetantur vel jubentur Epiſcopi ad eos ſcribere, quibus Communionem ſuam vel negant vel impertiunt Concilia; Adeo eſt ſolennis nota Communionis ſolennium literarum commercium. Manifeſta autem conſervandæ unitatis ratio, internunciorum ſcilicet, & literarum interventu, manifeſtum reddit jus Communionis. Non quod non eſſet etiam damnatis ſcribendum, & ab Eccleſia alienis, ſi res ferret; Sed quod, ut oſtendit Auguſtinus, non eadem forma, nec tanquam ejus loci in Eccleſia, quem ſibi ipſi vindicabant. Itaque *Optatus* II. *Cum Damaſo nobis totus Orbis commercio Formatarum in una communionis ſocietate concordat.* Damaſo Urbis Epiſcopo, ſub quo ſe *Hieronymus* totius Orbis Epiſtolis reſpondiſſe ſcribit; quod ad Eccleſiam ſcilicet *Romanam*, propter *potentiorem* (Urbis) *principalitatem, neceſſe eſſet omnes, qui ubique ſunt Chri-*

ſtianos

ſtianos concurrere; ut ſcribit *Irenæus*, III. 3. huic igitur cum communicarent Africanæ Eccleſiæ, cui omnes Eccleſiæ communicarent, recte eas omnibus communicaſſe ſcribit Optatus. Hujus generis Epiſtolas eſſe Apoſtolicas, ſubjunctæ ſalutationes, & expreſſa hoſpitalitatis jura, quæ notavi, oſtendunt. Ejuſmodi eſt Epiſtola Clementis ad Corinthios; gravi ſcilicet inter eos ortæ diſſenſioni ſopiendæ ſcripta. Tum, non ſolum Ignatii ac Polycarpi quæ extant, utpote, monendis, conſolandis, erudiendis Eccleſiis, pro communis Chriſtianiſmi officio ſcriptæ; ſed etiam quas plurimas Euſebii Hiſtoriæ ejuſdem generis commemorant.* Sane in ſcribendis Epiſtolis verſata, magnam partem, vetuſtiſſimorum Eccleſiæ antiſtitum induſtria, in continenda Eccleſiæ cum puritate Chriſtianiſmi unitate verſata cenſeri debet. Præterea, cum Synodus illa, de qua dictum eſt, Antiochena, Aurelianum *Imp.* de reddendo Epiſcopio interpellaſſet, reſcripſit *Imp.* tradi ei poſſeſſionem, cui *Romæ* & *Italiæ*, (id eſt, ut opinor, *Mediolani*) Epiſcopi ſcriberent. Mirum eſt, potuiſſe viris doctis, qui Eccleſiam nullam a Deo inſtitutam volunt, in mentem venire, Paulum ab *Aureliano* excommunicatum; Quem, manifeſtum eſt, Eccleſiæ faventem, quod Paulum, *Zenobiæ* gratia florentem, rebus ſuis iniquum cenſeret, ſententiæ Synodi ſecularis brachii vim addere, ex Lege non ſeculi, ſed Chriſti; ita nimirum, ſi eam reliqua Eccleſia, (ad cujus ſpecimen Romanæ, & Mediolanenſis, ipſiſque ſuffragantium Eccleſiarum ſententia ſatis eſſet) probaret.

Montani, Novatiani, Donatiſtarum ſectæ videntur commune habuiſſe, quod de Communione potius, quam de Fide extiterint. Montanus, ſi ejus conatus Tertulliano interprete metiamur, videtur ab initio, adulterorum & digamorum pellendorum, jejuniorum prolixiorum ſuſcipiendorum, perſecutionis non fugiendæ ſed ſuſtinendæ, aliorum inſtitutorum nomine; quæ, quaſi Sp. Sancto revelante ab ipſo introducta, Eccleſia non recipiebat; à communione

Tum Montani, Novatiani, & Donatiſtarum.

munione diſceſſiſſe. Fieri tamen poteſt, quod viri docti volunt; ut ab initio, partes in partibus fecerint Proclus & Æſchines. Fieri potuit, procedente tempore, ut, (quod notat S. *Hieronymus*, omnes Sectas facere) *Hæreſin aliquam ſibi comminiſcerentur, ne gratis ab Eccleſia diſceſſiſſe viderentur.* Nam graviora ab ipſis poſtmodum errata fuiſſe, ſatis conſtat.* Grave quidem periculum, Prophetiam, tanquam pro commentitia exploratam damnare, quo tempore, Propheticas in Eccleſia gratias viguiſſe, exploratum eſt. Sed indicia proferuntur apud *Euſebium*, prætextus inanis, non inania: *Et videri poteſt Eccleſia, S. *Paulo* auctore, merito damnare Montanum potuiſſe. Nam qui *Prophetarum Spiritus Prophetis ſubdi* vult: Et agnoſci ſe pro Apoſtolo; a quo ſcilicet, cum Chriſtianiſmo, Eccleſia Leges accipere debet; ab eis qui quantiſvis gratiarum donis glorientur, 1 ad *Cor.* XIV. 32, 33, 36, 37. is omnino, Prophetarum etiam gratias Eccleſiæ ſubdit, penes quam Apoſtolorum poteſtas, pro ſua ætate, depoſita ſit. Sed de hoc quiſque ſentiat quod vult. Illud ſatis eſt; Etſi verum ſit, quod *Tertull. adv. Prax.* cap. I. affirmat, *Zephyrinum Papam*, cum diu hæſiſſet, num Montanum agnoſcere deberet necne, auctoritate *Praxeæ* heretici nuncium ei miſiſſe; tamen Orbis conſenſum, in Montano hæreticis annumerando, evidentiſſimum eſſe, ſive Juris ſive Officii Eccleſiæ, in unitate retinenda, argumentum.* Nam & Montanum prætextus Prophetiæ non juvit, quo minus, ſciſſis ab *Aſiæ* Eccleſiis Eccleſiis *Phrygiæ*, ipſe a reliquis Eccleſiis reſciſſus, ſententiam *Aſiaticorum* agnoſcentibus, inſtar aliarum hæreſium exareſceret. Novatianus portio quædam erat Montani, de lapſis ad Pœnitentiam non recipiendis. Is pro ſe Scripturas Apoſtolorum, quas diximus, allegabat; Quas, etſi obſcuras, recipi tamen illos non vetare, manifeſtum eſt. Sunt autem fruſtra, qui poteſtatem Eccleſiæ in remittendis peccatis; quam partem quandam Fidei eſſe volunt; negaſſe volunt Novatianum. Nam cum integra Fides ad Eccleſiæ conſti-

conſtitutionem ſupponatur, ad Eccleſiæ poteſtatem, ab ejus conſtitutione ortam, ſupponetur. Itaque non erit contendendum Eccleſiæ cum Novatiano; ſalutem ne aſſequatur vere converſus, etiam ſi Eccleſiæ Officio converſus fuerit; Sed num vêre converſus Eccleſiæ videri poſſit, qui ſemel fidem fefellerit. Nam, ſalutem aſſequi eum, qui ad Legis Evangelicæ normam converſus fuerit, dubitare, in dubium vocare ipſum Evangelium eſt. Et ſane, Novationos non indixiſſe deſperationem ſalutis eis, quibus pœnitentiam & reconciliationem negabant, ſatis oſtendit eorum profeſſio, edita in *Niceno Concilio*, quam referunt *Socrates* & *Sozomenus*, ut ſupra dictum eſt. Hoc enim habet; Veniam à Deo, etſi non ab Eccleſia ſperandam. Nec tamen immerito culpantur à Catholicis, tanquam lapſis deſperandæ veniæ auctores. Nam qui, reconciliatæ cum Deo pacis Eccleſiam nunquam auctorem eſſe volunt, quid mirum, eos deſperandæ veniæ auctores videri? Sed cum in re, de qua non ſatis expreſſa videbatur Apoſtolorum ſententia, Eccleſia contra Novatianum ſententiam dixerit; retinendæ unitatis in Eccleſia rationem habitam manifeſtum eſt. Sane, Eccleſiam *Antiochenam* tam diu dubitaſſe in re tanta, manifeſtum eſt, donec, *Dionyſij Alexandrini*, ut videtur, opera, in commune decretum conſentiret. Itaque *Concilium Antiochenum* in *Encæniis* Dominicæ aureæ, ſub *Conſtantio*, æquum putavit, vicem ſibi reddi ab Eccleſia *Romana* hanc, ut & ipſa decretum ſuum reciperet, quo *Nicenæ Synodi* decreto derogabat. Hæc apud *Euſebium, Hiſt.* VI, 44, 46. VII. 45. *Socr.* II. 5. *Sozom.* III. 8. Non eſt omittendus inſignis *Dionyſii Alexandrini*, in Epiſtola ad *Novatianum*, locus, apud *Euſeb.* VII. 45. Ἐι ἄκων, ὡς φὴς, ἤχθης, δείξεις ἐὰν ἐπανέλθῃς ἑκών. Ἔδει μὲν γὰρ καὶ πᾶν ὁτιοῦν παθεῖν, ὑπὲρ τοῦ μὴ διακόψαι τὴν Ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ· καὶ οὐκ ἦν ἀδοξοτέρα, τῆς ἕνεκεν τοῦ μὴ εἰδωλολατρῆσαι γινομένης, ἡ ἕνεκα τοῦ μὴ σχίσαι Μαρτυρία, κατ' ἐμὲ δὲ καὶ μείζων· ἐκεῖ μὲν γὰρ ὑπὲρ μιᾶς τις τῆς ἑαυτοῦ ψυχῆς, ἐνταῦθα δὲ ὑπὲρ ὅλης τῆς Ἐκκλησίας Μαρτυρεῖ. Καὶ νῦν δὲ εἰ πείσαις ἢ βιάσαις

τοὺς ἀδελφοὺς εἰς ὁμόνοιαν ἐλθεῖν, μείζων ἔσται σοι τοῦ σφάλματος τὸ κατόρθωμα· εἰ δὲ ἀπειθούντων ἀδυνατοίης, σώζων σῶζε τὴν σεαυτοῦ ψυχήν. *Si invitus abductus es, ut dicis, probabis, ſi ſponte redieris. Nam quidlibet potius patiundum fuerat, quam ut Eccleſiam Dei diſcinderes. Neque obſcurius fuiſſet Martyrium; Meo autem indicio, etiam illuſtrius; non ſcindendæ Eccleſiæ, quam non ſacrificandi cauſa ſuſceptum. Ibi enim ſuæ ſolius animæ, hic autem, totius cauſa Eccleſiæ ſuſcipitur. Itaque ſi nunc, vel ſermone, vel vi fratres ad concordiam adduxeris, facinus feceris errore tuo inſignius. Quod ſi, recuſantibus eis, non potueris, omnino animam tuam ſerva.* Ad Donatiſtas quod attinet, illi, non ſolum librorum, ſed etiam veſtium, utenſiliumque ſacrorum nomine, (quæ tradita perſecutoribus cauſabantur, ab eis qui Cæcilianum Carthagine Epiſcopum ordinaverant, ut ex Actis apud S. *Aug.* contra *Creſconium Donatiſtam* libro tertio, *capite* XXIX.) intelligimus; ita ab illis; ac proinde à reliqua Eccleſia, quæ cum illis communionem colebat; tanquam à Fide Apoſtatis diſceſſerunt. Sane, non aliter ſe à Catholicis abhorrere, in Collatione Carthaginienſi demonſtrarunt, quam ſi ex profeſſo, & ipſi, & qui ipſis communicarent omnes, à Fide deſcivisſent. Sed ratio propter quam Catholicos Donatiſtæ pro Gentilibus habuerint, ad illud confirmandum pertinet, quod ſupra diſputatum eſt; neminem jus ac ſpem ſalutis habere potuisſe, qui baptiſmum non haberet; ex Eccleſiæ quidem Catholicæ Traditione. Nam S. *Hieronymus*, in Dialogo Luciferiani, initio ſtatim, ex Orthodoxi conſenſu cum Luciferiano, manifeſtum facit, rebaptizatos Hæreticos, quod Chriſtiani non eſsent, ſed Gentiles, qui Baptiſmum non haberent. Quod manifeſtius adhuc facit *Synodi* II. *Canon.* VII. cum eos quos rebaptizari jubet, *tanquam Ethnicos recipi* jubet. Itaque merito mirum videri debet, tam immani fuisſe odio Donatiſtis Catholicos, ut pro Ethnicis rebaptizandos cenſerent. Oſtendit hoc vulgare verbum ipſorum, quod refert S. *Au-*

guſtinus

Digitized by Google

guſtinus, de Bapt. adverſus Donatiſtas II. 7. *Bonus homo eſſes, ſi non eſſes Traditor; Conſule animæ tuæ, eſto Chriſtianus.* Sic agebant cum Catholicis Donatiſtæ. Unde manifeſtum eſt primum; Donatiſtis pariter & Catholicis agnitam Eccleſiæ communionem; id eſt, univerſæ tum Eccleſiæ. Nam etſi inſani Donatiſtæ, odio in Catholicos; nunquam ita inſani fuiſſent, odio in ſeipſos, & cauſam quam fovebant, ut adverſus communem hominum ſenſum perſuaderi potuiſſe univerſo nomini Chriſtiano, Traditores evaſiſſe omnes per *Africam* Catholicos; ac proinde reliquam Eccleſiam, quæ Catholicis communicabat; quod *Cæciliano*, ordinato *Carthagini* Epiſcopo à Traditore, ut videri volebant, communicaret, niſi Communionis Legem omnes agnoviſſent. Deinde, hinc etiam manifeſtum eſt, jus ac ſpem ſalutis à Baptiſmo pendere; ex Eccleſiæ quidem Traditione. Verum cum, non minus propter tradita utenſilia ſacra quam Scripturas divinas, hoc facere ſe cauſarentur, ut dictum eſt; non ſolum tradendis Scripturis, quæ Fidem continebant, ſed etiam tradendis veſtibus & utenſilibus divino cultui ſacratis, deſciviſſe reliquam Eccleſiam à communi Chriſtianiſmo, cum Eccleſiis *Africanis* voluiſſe videntur; Quod ad ea omnia confirmanda pertinet, quæ de conſecratione, deque Sacrilegio inde orto dicta ſunt. Nam & *S. Athanaſius* non repugnabat, quo minus, ſi neglexiſſe calicem ſacrum à *Macario Presbytero* ſuo violatum videretur, indignus vel Chriſtiani ordine, vel Epiſcopi haberetur. Nimirum, ut ſub *Antiocho Judæi*, qui vel ſacros codices traderent, vel cutem retraherent, vel ſuillam ederent, videbantur à Lege deficere: ita ſub *Diocletiano* Chriſtani, qui codices ſacros, vel vaſa ſacra traderent.

Nunc, tres inſignes antiquæ & Catholicæ Eccleſiæ cauſas memorabo, in quibus ingentia Schiſmatis pericula, ſine Schiſmate evaſerit; Communionis ſcilicet jure, adverſus ejus violandi cauſas valente. Prima eſt de Paſchate, inter Victorem *Papam* & *Aſiaticos* controverſia, cujus meliorem

Diſcidium de Paſchate de rebaptizando, de Hæreſi Ariana.

partem tenuiſſe *Papam*, decretum *Nicenum* oſtendit, in ejus ſententiam factum. Et tamen, quod literæ, quibus eorum communioni nuncium remiſerat, ſive *Irenæi*, ſive aliorum idem ſentientium hortatu, diſſimulatæ ab eo ſint, non effectui mancipatæ, ſolius unitatis intuitu, argumento eſt, unitatis potiorem ductam rationem, quam eorum, propter quæ *Nicææ* ſecus decretum eſt. Quod eſt dicere, unitatis quam ἀτάξίας potiorem rationem eſſe; Quamvis magnam ad tenendum Chriſtianiſmum vim habeat, etiam jure divino, ἀτάξία. Secunda eſt *Cypriani* cauſa, & eorum qui cum *Cypriano*, adverſus *Romanam* Eccleſiam, rebaptizandos eſſe omnes ab Hæreſi ad Eccleſiam redeuntes contendebant. Nam, non eſt dubium, eorum ſententiam in *Africa* primum ſub *Cypriano* viguiſſe; Cum prius ibi receptos ſine Baptiſmo conſtet, nullo diſcrimine. Verum & illud certum eſt, in *Ponti* partibus, Orientiſque *Antiochenæ* Sedi ſubditi, antequam contenderet cum *R.* ſede *Cyprianus*, non receptos ſine Baptiſmo, qui ab Hæreſi reciperent ſe ad Eccleſiam. Nam & *Dionyſius Alexandrinus*, (quem ipſum, *in Cypriani & Africanæ Synodi ſententiam* conſenſiſſe ſcribit *S. Hieronymus*, in *Catalogo*) *Epiſt.* III. ad *Philemonem* de *Baptiſmo*, apud *Euſebium Hiſt. Eal.* VII. 7. ita multo ante uſurpatum, frequentiſſimis Eccleſiis, *Synodiſ*que *Iconienſi* & *Synnadenſi* ſancitum refert; Cui aſtipulatur *Firmilianus* in *Epiſt.* ſupra laudata ad *Cyprianum*. Itaque oblitus ſui *Euſebius*, novatum hoc à primo *Cypriano* ſcripſerit, VII. 3. niſi de ſola *Africa* eum intelligamus. Hanc controverſiam, cum univerſalis Concilii decreto ita finitam ſcribat *S. Auguſtinus*, ut ratus ſit Baptiſmus in nomine *S. Trinitatis*, irritus qui aliter fiat; merito quærendum ſibi putant viri docti, univerſale Concilium quodnam intelligat. Sane, *Nicena Synodus* irritum eſſe jubet Baptiſmum *Samoſatenianorum*, *Can.* XIX., *Conſtantinopolitanum* hoc amplius, ratum eſſe *Arianorum*, *Macedonianorum*, *Novatianorum*, aliorum; irritum *Eunomianorum*, *Sabellianorum*, & *Montaniſtarum* Baptiſmum,

Can.

Can. VII. Horum Baptiſmum, etiam *Laodicena Synodus*, *Can.* IX. irritum eſſe juſſerat. Sed nullibi adhuc ratio redditur, cur ratum hunc, illum irritum voluerint; Niſi quod *Eunomianos* εἰς μίαν κατάδυσιν βαπτίζειν cauſatur ſecunda *Synodus*. Quod non videtur ita accipiendum, quaſi propterea irritum velint, quod ſemel mergerent; Sed quod propterea ſemel, ne videretur conſubſtantialis Trinitas agnoſci. *S.* quidem *Auguſtinus* Generale totius Orbis Concilium manifeſte intelligebat, cum *univerſæ Eccleſiæ ſtatuta nominat*, *de* Bapt. *contra* Don. II. 4. cum *decreviſſe Concilium Catholicum totius Orbis terrarum* ſcribit VI. 13. cum *univerſæ Eccleſiæ conſuetudinem, etiam Conciliis univerſalibus roboratam* nominat VI. 7. Denique ejuſdem operis VI. 1. ſic ſcribit. *Satis eluxit paſtoribus Eccleſiæ Catholicæ, per quos, poſtea, plenarii Concilii auctoritate originalis conſuetudo firmata eſt.* Alibi ſæpiuſcule, *plenarium Concilium* II. 4, 7, 9. IV. 6. V. 22. Alibi *totius Eccleſiæ Catholicæ conſenſionem* VI. 1. *Totius Eccleſiæ conſenſionem, totum Orbem Catholicum* nominat II. 1. quæ ſine decreto *Oecumenici Concilii* intelligi non poſſunt. Quæ ſi vera ſunt, conſtare poteſt, quomodo intelligendus ſit *S. Hieronymus*, cum in Dialogo *Luciferiani* ſic ſcribit; *Denique illi ipſi Epiſcopi, qui rebaptizandos Hæreticos cum eo ſtatuerant, ad antiquam conſuetudinem revoluti novum emiſere decretum.* Neque enim putandum eſt, alio decreto pacatam hanc per *Africano* diſputationem, quam, quod eorum decreta Conciliorum ſecutum eſt, quorum auctoritatem ſecutos, *Cypriani* & collegarum ejus ſucceſſores a decreto ſuo receſſiſſe, conſtare poſſit. Concilii *Arelatenſis* I. *Can.* VIII. *Africanis* ſcriptus videtur; Vera enim eſt ejus lectio hujuſmodi; *de* Afris, *qui ſua Lege utuntur, ut rebaptizent:* Nimirum, quod etiam tum rebaptizarent Eccleſ[illegible] *Africanæ*. Diſtincte enim *Synodus*; ſi interrogati, Baptizatos ſe in Fidem Trinitatis reſponderent, rebaptizari vetat; Sin, jubet. Et ſane in Eccleſias *Africanas* auctoritatem habebat; Erat enim totius Occidentis, ut tum erat Occidens, *Synodus*, *Arelatenſis* prima.

Itaque

Digitized by Google

Itaque *Generalis* eſſe poterat *Auguſtino*, vel *Univerſalis*, meliori jure quam *Synodus* totius *Africæ*; quam ſæpe ſic appellat; ſi *Synodum Oecumenicam* non deſignaſſet. Sane, diſertior legitimi Baptiſmi Lex in hujus Canonis verbis, quam vel in *Niceni Canonis* verbis, vel *Conſtantinopolitani*. Diſertis enim verbis, legem rati Baptiſmi Trinitatis profeſſionem ſtatuit; quam ſecunda *Synodus*, tantum per eam quam dixi conſequentiam agnoviſſe cenſenda eſt. Itaque omnino agnoſcendum videtur, Concilii primi & ſecundi decretis hanc controverſiam ſopitam; Ita tamen, ut ad eorum conſtituenda decreta, *Arelatenſe* I. Concilium viam ſtraverit. Sane, quantumvis plenarii Concilii nomine apud *Auguſtinum*, *Arelatenſe* I. intelligi verum ſit; non minus manifeſtum eſt, poſteriorum Conciliorum decretis, & totius Eccleſiæ conſenſu ſublatam hujus diſſidii memoriam, quam *Arelatenſe* decretum per *Africam* obtinuiſſe.

Qua ratione ſublatum hoc diſcidium.

Dubitari adhuc poteſt, qua ratione, conſervata a diſcidio tanta de cauſa Eccleſia ad unitatem, inſtaurata ubique communione, ſe receperit. Nam *S. Auguſtini* adverſus Donatiſtas diſputationes, quibus ſacrilegium rebaptizandi Baptizatos in nomine Trinitatis aſſerit, ita Eccleſiæ præſtandæ ſunt, ut conſtet ratio ſalutis eorum, qui in nomine Trinitatis non Baptizati, & ſine Baptiſmo recepti, in pace Eccleſiæ deceſſerunt. Sed hanc dubitationem tollit *S. Baſilius* ad *Amphil. Can.* I. & XXXVII. cujus verba aſcribenda ſunt. Οἱ τοίνυν Πεπουζηνοὶ προδήλως εἰσὶν αἱρετικοὶ (eos ſolos Hæreticos vocat, quos rebaptizari vult, ut & *Canone* XX.) εἰς γὰρ τὸ Πν. τὸ ἅγιον ἐβλασφήμησαν, Μοντανῷ καὶ Πρισκίλλῃ τὴν τοῦ Παρακλήτου προσηγορίαν ἀθεμίτως, καὶ ἀναισχύντως ἐπιφημίσαντες. Εἴτε οὖν ὡς ἀνθρώπους θεοποιοῦντες, κατάκριτοι, εἴτε ὡς τὸ Πν. τὸ ἅγ. τῇ πρὸς ἀνθρώπους συγκρίσει καθυβρίσαντες, καὶ οὕτω τῇ αἰωνίῳ καταδίκῃ ὑπεύθυνοι, διὰ τὸ ἀσυγχώρητον εἶναι τὴν εἰς τὸ Πν. τὸ ἅγ. βλασφημίαν. Τίνα οὖν λόγον ἔχει, τὸ τούτων βάπτισμα ἐγκριθῆναι, (quod tamen *Dionyſio Alexandrino* viſum fatetur)

τοῦ

τῶν βαπτιζόντων ἐις Πν. καὶ Υἱὸν, καὶ Μοντανὸν καὶ Πρίσκιλλαν; οὐ γὰρ ἐβαπτίσθησαν οἱ ἐις τὰ μὴ παραδεδομένα ἡμῖν βαπτισθέντες. Pepuzeni *ergo ſunt aperte* *Hæretici. In S. enim Spiritum blaſphemarunt*; Montano *&* Priſcillæ Paracleti *appellationem nefarie & impudenter attribuentes. Sive ergo, ut qui homines in Deos referant, ſunt condemnandi; ſive ut qui Sp. S. per comparationem cum hominibus injuria afficiant, ſic quoque ſunt æternæ condemnationi obnoxii, quod condonari non poſſit blaſphemia in Sp Sanctum. Quamnam igitur habet rationem, verum Baptiſmum judicari, quo in P. & F. &* Montanum Priſcillamque *Baptizant? Non enim Baptizati ſunt, qui in id quod nobis traditum eſt Baptizati non ſunt.* Similis videtur *Manichæorum* cauſa, ſi *S. Auguſtinum* audiamus. Is, operis ultimi contra *Julianum Pelagianum* V. 30. de *Manichæis* ſic ſcribit; *De ipſa quoque Trinitate interrogati utrique dicimus, Patrem & Filium & Sp. S. unius ejuſdemque eſſe naturæ; Nec ideo tamen vel nos ſumus* Manichæi, *vel ipſi Catbolici. Dicunt enim alia de Patre, de Filio, & Spiritu Sancto, in quibus, ab eis diverſiſſimi, eiſque adverſiſſimi ſumus.* Quamvis enim Patrem Filium & Sp. S. unius ejuſdemque naturæ eſſe dicerent, *Paracletum* tamen *Manichæum*, ut Montaniſtæ Montanum ferebant. Itaque, eadem de cauſa, utrorumque Baptiſma repudiandum erat, non repudiandum videri poterat. Et fortaſſe ſimilis utriuſque cauſa fuit *Bonoſiacorum*; de quibus ſic decernit *Synodus Arelatenſis* II. 16, 17. Photinianos *ſive* Paulianiſtas, *ſecundum Patrum ſtatuta*, (Niceno *Can.* XIX.) *Baptizari oportet.* Bonoſiacos *autem, ex eodem errore venientes, (quos, ſive* Arianos, *Baptizari in Trinitate manifeſtum eſt) dum interrogati, Fidem noſtram ex toto corde confeſſi fuerint, cum Chriſmate, & manus impoſitione, in Eccleſiam recipi ſatis fuerit.* Ad hoc decernendum auctorem habuiſſe videtur *Synodum Capuenſem*, quam *plenariam* vocat *Can. Carthag.* III. 38. & *rebaptizationes* prohibuiſſe ſcribit. Et tamen *Gennadius*, loco ſupra laudato, *Bonoſiacos* ita receptos ſcribit, ut Baptizarentur. Quod & *Gregorius P.* I. probat

Epiſt.

Epiſt. IX. 61. Cujus ratio non videtur reddi poſſe idonea, niſi ut primum idoneam Trinitatis profeſſionem Eccleſiæ viſam dicamus,propter verborum affinitatem; quæ poſtea minus idonea viſa fuerit, propter ſententiæ diverſitatem. Sane *S. Auguſtinus*, de *Bapt.* contra *Donatiſtas* II. 15. *Marcioniſtarum* Baptiſmum ratum eſſe debere pronunciat,ſi conſtet in Patrem & Filium & Sp. Sanctum ab eis Baptizari. At *S. Baſilius*, qui *Marcioniſtarum* Baptiſmum pro irrito habet, ad *Amphil. Can.* I. *Can.* XLVII. etiam *Eucratitarum* Baptiſmum irritum pronunciat; quamvis in Patrem, Filium & Sp. Sanctum Baptizare ſe allegarent. Quamvis autem *Bonoſiacorum* Baptiſmum probaverit *Synodus Capuenſis*, potuit tamen auctor eſſe *Romanæ* Eccleſiæ, recipiendi ſecundæ *Synodi* decreti, quo finem impoſitum huic diſputationi dictum eſt; Cum paulo ante *Hieronymum* audiverimus, diverſum Eccleſiæ *Romanæ* uſum aſſerentem. Sed ut ad rationem conſervatæ in tanti momenti diſputatione unitatis redeamus; recenſet deinde *S. Baſilius* rationem, propter quam *Catharos*; id eſt *Novatianos*; (non minus quam Hæreticos) irritum Baptiſmum dare cenſuerint *Cyprianus*, *Firmilianus*, & reliqui; Nimirum, quod Sp. Sanctum Schiſmatici, quem habere non poſſint,multo minus dent. Quam eatenus probat, ut tamen nihilo minus, ratum eſſe eorum Baptiſmum velit, quia viſum fuerat *Aſiaticis* ita faciendum, οἰκονομίας ἕνεκα. Quo ipſo oſtendit, irritum declarari potuiſſe, ſi Eccleſiæ ita viſum fuiſſet. Quare & *Encratitas*, etſi ratum ipſi Eccleſiæ Baptiſmum eſſe voluerant, qui deficientes ad ſe ab Eccleſia non rebaptizabant; Tamen propter Hæreſim, (ſecundum *Canonem* Apoſtolorum XLVI.) rebaptizandos eſſe. Verum, ne redeuntibus ad Eccleſiam obſtet, quod rebaptizari nolint, non recuſat, quo minus diſpenſetur in re tanti momenti; Si tamen in eandem ſententiam plurium *Sacerdotum* conſenſus concurrat, *Can.* I. & XLVII. eandem rationem edit *S. Hieronymus*, in dialogo *Luciferiani* cum *Orthodoxo*, non ſolum cur reciperentur ſine

Baptiſmo

Digitized by Google

Baptiſmo, qui ab *Arianis* ad Eccleſiam redirent Laici, ſed etiam cur recipiendi eſſent in Ordine ſuo Epiſcopi; de quo conflatum erat Schiſma *Luciferi*. Fatente enim *Luciferiano*, propterea recipi Laicos ſine Baptiſmo, *Quoniam nemo convertetur, ſi ſcierit ſe rebaptizandum; & ita fiet, ut nos ſimus cauſa perditionis eorum, ſi repudientur*; ſubjungit Orthodoxus; *Tu, in eo quod recipis Laicum, unam animam recipiendo ſalvas; & ego in recipiendo Epiſcopum, non dicam unius civitatis populos, ſed univerſam, cui præeſt Provinciam, Eccleſiæ ſocio; quem ſi repellam, multos ſecum in ruinam trahet.* Quod ſi recipiamus; quod ex ſenſu totius Eccleſiæ ſcribit *S. Hieronymus*, nullam aliam, niſi conſervandæ, inſtaurandæve Unitatis rationem fuiſſe, cur ab Hæreticis Ordinatos in Ordinibus ſuis reciperet Eccleſia; quis aliam quærat, cur ratus Baptiſmus Schiſmaticorum fuiſſe debuerit? Equidem concedendum eſt *S. Auguſtino*, nihil eſſe, cur militiæ characterem, à Pagano impreſſum, Imperator ratum non habeat; Ac proinde, cur militiæ Chriſtianæ characterem, a deſertore Schiſmatico impreſſum, Eccleſia probante, probare Deus cenſendus non ſit. Nec tamen, juſſiſſe Deum, ratum eſſe characterem ſuum, a deſertore quovis impreſſum, conſequens erit; Tantum, Eccleſiam penes eſſe voluiſſe, ratum habere, ſi videretur expedire militiæ ſuæ. Idem oſtendit *Dionyſius Alexandrinus*, quem, Unitatis non ſolvendæ *Romanæ* Sedi auctorem fuiſſe, illud oſtendit quod ad *Xyſtum P.* I. ſcribens, *Stephani* ſucceſſorem, *Epiſtolam* de *Baptiſmo* II., *Cappadociam*, *Ciliciam*, *Galatiam*, confiniumque *Gentium* Eccleſias, *Synodorum* decretis jampridem conſtituiſſe ſcribit, ne ſine Baptiſmo reciperentur, qui ab Hæreticis redirent. Itaque ſi eorum communioni nuncium remitteret, Schiſma conflatum iri. Hæc ſe apud *Stephanum*, *Dionyſius*, conteſtatum fuiſſe, ita *Xyſto* ſcribit, apud *Euſeb. Hiſt. Eccleſ.* VII. 5. Καὶ περὶ τούτων, αὐτῷ, πάντων, δεόμενος ἐπέστειλα. Quamvis, ex Epiſtola *Dionyſii* ad *Xyſtum*, mutilum ſit teſtimonium ab *Euſebio* productum, ſatis conſtat, nihil

aliud *obteſtando* Dionyſium *rogaſſe*, niſi, ne à Communione, propter adverſa decreta recederetur. Idem, de *Synodorum* prius dictarum decretis, in *Epiſtola* ad *Philemonem* de *Baptiſmo* III. apud *Euſebium* VII. 7. Ὧν τὰς βουλὰς ἀνατρέπων εἰς ἔριν καὶ φιλονεικίαν αὐτοὺς ἐμβαλεῖν οὐχ ὑπομένω· οὐ γὰρ μετακινήσεις, φησὶν, ὅρια τοῦ πλησίου σου, ἃ ἔθεντο οἱ πατέρες σου. *Quorum ſententias & ſtatuta ſubvertere, eoſque ad jurgia, & contentiones excitare equidem nolim : Scriptum enim eſt ; non commutabis terminos proximi tui , quos Patres tui conſtituerunt.* Quid enim hoc ſibi vult, niſi, ſalvis manentibus *Synodorum* decretis,Communionem integram eſſe ? Ex quibus conſtat, contentionem illam, quam *S.Cypriani* demonſtrant Epiſtolæ, reſpectu unitatis Eccleſiæ ſuperatam. Eamque , etiam in gravis momenti quæſtione , quæ de veritate baptiſmi, & de ſalute verſabatur, priores tuliſſe. Eſt enim ſupra demonſtratum , ſi verum ſit , in quo hodie omnes conſentiunt ; (irritum eſſe Baptiſmum, qui in Fidem S. Trinitatis non detur) omnino cum irrito Baptiſmo receptos in Eccleſiam multos , ab iis , quos , ab omnibus Hæreſibus venientes, ſine Baptiſmo recepiſse oſtendimus. In alterum quidem extremum peccabant partes S. *Cypriani* ; Qui , etiam à Novatianis venientes, (quos de Fide S. Trinitatis non diſſenſiſse Eccleſiæ conſtat) quaſi Deo jubente,rebaptizandos contendebant. Sed cum de eorum Baptiſmo non contendit S. *Cyprianus*, quorum irritum Baptiſmum eſſe debere contendit ; cum Stephanum Romanum graviter damnat, cum *Firmiliano*, quod, negata hanc ob cauſam communione, unitatem Eccleſiæ violaret ; Quis Eccleſiæ unitatem à Deo inſtitutam neget , quam omnis ab initio Eccleſia agnoſcit ? Vicit unitas extremas partes , & veritatem ſuis finibus terminavit ; Ut neque irritus cenſeatur Baptiſmus in Fidem Trinitatis , neque ratus qui in eam non fiat. Et nos eam ſine re titulum eſse volumus , per quam tanti momenti veritatem retinemus ? *Arius* ultimo loco erit, qui cum univerſum Orbem Chriſtianum commoviſset,

&

Digitized by Google

& diſſimulato ſenſus ſui veneno, *Conſtantinum* primum, inde Conſtantium in partes traxiſset, ſpe pacis, inſuper habito decreto *Niceno*, conciliandæ; Conſenſu eorum, qui, in ejus decreti ſtabilitate, retinendæ Fidei ſpem poſitam videbant, *Imp. Auguſtus*, Imperii opibus in tot Concilia impenſis, fruſtra fuit. Cumque pro *Eunomio*, qui ſine fuco *Arii* Hæreſim profeſsus fuerat, *Imp. Valens* idem contenderet, conſenſu Eccleſiæ nihil obtinuit; donec favente Eccleſiæ *Theodoſio*, Concilio *Conſtantinopolitano* tota peſtis extincta eſt. Quod quis futurum fuiſse credat, in tam difficili veri a falſo diſcernendi, tam difficili Imperatori obſiſtendi Lege; niſi Eccleſiæ unitatem, retinendæ veritati Fidei divinitus inſtitutam, in retinendo decreto *Niceno* conſtare, recte judicaſsent? Hanc eſse totius hujus rei geſtæ ſeriem ac ſummam, neque hic demonſtrandum eſt; quod, non niſi, exhauſtis in hanc diſputationem rerum Eccleſiaſticarum geſtis, & Annalibus eorum recenſendis, confici poteſt; nec poſtulandum ab eis, qui recenſendorum antiquitatis monimentorum peritiam non habent, quia laborem defugiunt, ut judicium ſibi ſumendum putent. Nam qui, his animadverſis, hiſtorias Eccleſiæ tractandas ſuſcipiat, is, vera eſse quæ ponimus, ſi poteſt, neget. Quibus expoſitis, illud *Tertulliani* manifeſtum erit, *de Præſcript. cap.* XX. *Itaque tot & tantæ Eccleſiæ una illa eſt, ab Apoſtolis prima, ex qua omnes. Sic omnes primæ, & Apoſtolicæ, dum una omnes probant veritatem: Dum eſt illis communicatio pacis, & appellatio fraternitatis, & conteſſeratio hoſpitalitatis. Quæ jura, non alia ratio regit, quam ejuſdem Sacramenti una Traditio.* Habes, paucis verbis, tot ante ſeculis expoſitam, totius hujus ſententiæ rationem.

Non eadem fuit, a Concilio *Epheſino*, fortuna Eccleſiæ. Dejectus Sede *Conſtantinopolitana Neſtorius*, etſi in exilio mortuus ſit; apud *Orientales* tamen, nomen & opinionem ſancti doctoris obtinuit. Quod ut, qua ratione primo factum ſit, nulla extat hiſtoria; (niſi apud *Theodorum* lectorem

Poſt Concilium Epheſinum.

Digitized by Google

extare eam velis; in cujus Collectaneis brevis admodum & tenuis ejus extat memoria) Sic, num Hæreſin etiam, *Epheſi* damnatam, una cum nomine ſuo propagaverit; non ſine ratione diſputari video. Illud conſtat, apud eos qui belli ſacri hiſtorias ſcripſerunt; adeo late obtinuiſſe ejus nomen temporibus ejus belli,ut cum reliquo Chriſtianiſmo de amplitudine certare poſſe putent ejus Sectarios. Item, à Concilio *Chalcedonenſi*,dejecto Sede *Alexandrina* Dioſcoro, tantum extitit de ejus nomine contentionis, ut ne nunc quidem Concilium illud agnoſcant *Abyſſini*, *Alexandrinæ* Sedi,a Chriſtianiſmi ſui initio ſubditi. Et tamen a Fide eos alienos non eſſe,non ſine magna probabilitatis ſpecie a multis aſſeritur.Quare neque de *Jacobitis*,(qui *Jacobi* cujuſdam *Zanzali*, id eſt *exigui* hominis *Syri*, Sectæ cujuſdam inter *Acephalos Capitis*, inſtinctu, *Eutychianum* dogma profiteri vulgo feruntur) ſatis conſtare videtur, a Fide alienos eſſe. Hic, cum de Hæreſis crimine res dubia ſit, quis dubitet, etiam fide integra, ſciſſæ Communionis Eccleſiaſticæ nomine, graviter in Deum peccatum? Itaque Unitatem Eccleſiæ, in Communione poſitam, divinitus inſtitutam quis dubitet? Omnino, omnis de conſervanda Eccleſiæ unitate contentio, ſive exitum habeat, ſive conatu excidat, peccato ſciſſæ concordiæ, Dei inſtitutionem violatam oſtendit.

De Schiſmate Acaciano.

Commemorandum eſt hoc loco Schiſma *Acacianum*, propterea quod ſubſiſtere nunquam potuiſſet, niſi receptus fuiſſet, more quidem Eccleſiæ, *Canon*, quem non magis ſcriptum quiſquam oſtendat, quam ſummis Poteſtatibus ſcribi Leges poſſunt, quæ propterea illis non ſcribuntur, quod ſcriptis legibus ſummæ futuræ non ſint. Sed *Acacius*, Epiſcopus ſub *Zenone Aug.Conſtantinopolitanus*,cum *Joannem* quendam, electum *Alexandriæ* Epiſcopum,neque ipſe neque *Zeno* ferret, iniit cum ipſo conſilium, evehendi ad illam Sedem *Petrum* quendam *Mongum*, ſtudiis eorum nitentem, quibus,*Neſtorianiſmum Chalcedone* ſtabilitum, perſuaſum erat *Alexandriæ*;

Digitized by Google

Alexandriæ; ſub promiſſi Lege, revocandi ad Fidem & ad Unitatem Eccleſiæ, partes ſuas, ſi, tacito *Chalcedonenſis Synodi* decreto, revocarentur Imperiali decreto ad Communionem, qui propterea tantum diffidebant, quod in facti tantum veritate impoſitum ipſis fuiſſet, a diſcidii auctoribus. Ceſſit male, male conſulta res. Nam & *Petrus*, cum neque *Edictum Imperatoris*, nec Sedis *Conſtantinopolitanæ* auctoritatem ſatis eſſe cerneret, partibus ſuis ad Unitatem revocandis, partium ſuarum caput eſse ſatius duxit, quam privatus Eccleſiæ Communionem retinere. *Acacio* autem anathema dictum eſt a *Felice P.* II. & *Romana* Sede; quamvis novo, ut mihi videtur, exemplo. Neque enim ullum adhuc exemplum inveni, ſub anathemate poſitæ, vel minoris Sedis quam *Conſtantinopolitana* fuit, propter diſſidium Canonicæ adminiſtrationis. Satis hactenus viſum fuerat, ſuſpendi Communionem; ut ex ejus ſuſpenſæ incommodis diſcerent Canonicæ diſciplinæ negligentes, ad mentem redire. Quod ex diſſidiis de Paſchate, de rebaptizandis Hæreticis, de *Athanaſio*, & toto certamine *Ariano*, deque *S. Joanne Chryſoſtomo*, conſtare poteſt. Hujus igitur diſcidii, (quod quadraginta aliquot & quinque annos duraſſe, ex *Facundo Hormianenſi* intelligimus) totus fundus fuit Eccleſiæ mos; qui communicantes Hæreticis, Hæreticos haberi Eccleſiæ jubebat. Exitus litis ad aliam diſputationem pertinet. Hic ſtatum tantum ejus annotare ſatis erat; quem nullum alium fundum habere potuiſſe reperiet, qui *Liberati Breviarium*, *Leontium* de Sectis, præcipue autem *Facundum*, *Hermianenſis* in *Africa* Eccleſiæ Epiſcopum, in Opere de tribus capitulis, inque libello adverſus *Mucianum* recenſuerit.

De Hæreſi & Schiſmate, apud Deum & Eccleſiam.

Exiſtit ex dictis, quod ad propoſitam diſputationem obſervari multum intererit; etſi non nimis anguſtis ab homine Theologo finibus terminandum, cujus judicium ad totam Eccleſiam pertinet; diſcrimen ſcilicet Hæreſis a Schiſmate. Cum enim Hæreſis diſcidium Eccleſiæ intelligatur

ligatur, de cauſa quæ ad Fidem pertineat; manifeſtum eſt, non omne Schiſma Hæreſin eſſe, etſi omnis Hæreſis Schiſma ſit. Si enim minoris momenti ſit cauſa Schiſmatis, quam ut ad Fidem pertinere poſſe putetur, videtur conſtare diſcriminis ratio, quam Eccleſiæ interſit obtinere; Quamvis uſu Scriptorum Eccleſiæ, etiam Schiſmata Hæreſes dicuntur, propter aliquam ſententiam ſponte ſuſceptam, quæ materia ſit, ſine qua Schiſma non ſubſiſtat. Sed cum ſententia ſponte electa materia ſit Schiſmatis; & in eligenda ſententia in Deum peccetur, priuſquam, in eadem ad diſcidium propaganda, peccetur etiam in Eccleſiam; Neceſſe eſt omnino, non minus quoad ſolum Deum, quam quoad Eccleſiam etiam, tam Hæreſim tum Schiſma intelligi. Nimirum, qui aliquid, ex neceſſitate ſalutis, Fide tenendum, corde non credit, ſalute apud Deum excidit; etiamſi, trahendis ad ſuam ſententiam aliis, ad partes in Eccleſia faciendas, ne viam quidem affectet. Tum, qui partes in Eccleſia facere velit, reus eſt apud Deum, etiamſi quod velit, non efficiat; Nec peccati ab eo diverſi, quod Schiſmatis nomine intelligi ſolet. Itaque, non minus adverſus Deum ſolum, quam etiam in Eccleſiam, tam Hæreſi quam Schiſmate peccari poteſt; etſi de eis ſolis, quæ in Eccleſiam peccari manifeſtum ſit, nominum uſurpatio extiterit. Sed, quia non una eſt ejus ſignificatio, quod ad ſalutem neceſſarium ſit Fide teneri, propterea, Schiſmatis ab Hæreſi diſcrimen, non nimis anguſtis finibus diſtinguendum eſt.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XIV.

Intra fines Traditionis Catholicæ errore immunis, interpretandam Scripturam, decernendum de Fide. Quatenus de eis, quæ non neceſſe ſit ad ſalutem ſingulorum Fide teneri, decernendum ſit. Leges etiam Apoſtolicas mutari poſſe; Non eas quæ Unitatem continent. Quatenus Eccleſiæ Unitas ad ſalutem neceſſaria.

Præſidia intelligendæ Scripturæ omnia Eccleſiæ conſenſum deſiderare.

HIS conſtitutis, quantum ad Scripturæ ſenſum ſtabiliendum profectum ſit, facile erit diſpicere. Ad inveſtigandum Scripturarum ſenſum, linguarum, tum in quibus initio ſcriptæ ſunt, tum in quas antiquitus transfuſæ cognitio, antiquitatis tum Hebraicæ tum Chriſtianæ peritia, ſcopi textuſque ſingulorum locorum examen, denique accurata, ex receptis de communi Chriſtianiſmo, tanquam principiis ratiocinatio; hæc ſunt quæ ſenſum Scripturæ extra quæſtionem ponunt, quoties extra quæſtionem poſitus videri debet. Nam, quod eſt tandem cujuſvis ſcriptoris Opus, quod ſine auctorum, ſive ſive tempore, ſcribendi genere affinium collatione, adhibita ratiocinatione etiam accurata, intelligi poſſit. Non poteſt dubium eſſe, quo hæc copioſiora adfuerint, tanto magis in Scripturis intelligendis profectum iri; non ita tamen, ut clariorem Scripturarum intelligentiam doctis conceſſam, majori parti, hoc eſt indoctis, probatum unquam iri ſpes ſit. Itaque, quamvis ad ſenſum Scripturæ in luce ponendum proficere hæc negari non poſſit; quantum tamen, ad diſcernendam lucem in quam productus eſt, profectum ſit, res ipſa docet. Nam, de iis quæ Geometria ſemel demonſtravit, quis litigat? Senſus Scripturarum, quanto clariori literarum & eruditionis luce perfuſus eſt, à renatis melioribus literis, tanto plus ad ferendas lites valuit, quam finiendas. Nimirum

mirum, etſi plus vident in Scripturis literis inſtructiores; tamen minus videntibus cæteris, novarum litium materia evadit, quod ad illuſtrandam veritatem eruditio honeſta excogitat. Itaque, non valet ad Legem unitati Eccleſiæ ponendam, quæ ineruditos non minus quam doctos teneat. Quod ſi verum ſit, eruditis ad pietatem Chriſtianam optimi conſulendum eſt, quod fines quoſdam, interpretandæ Scripturæ, Eccleſiæ conſenſus ſtatuit; quos extra, recipiendum non ſit, quod pro ejus ſenſu venditatur. Non deſunt, qui Eccleſiaſticorum ſcriptorum nomina & authoritatem tanto ſtudio, ad Scripturas interpretendas allegant, ac ſi ſuffragiorum numero vincendum ſit. Atqui quæ ſpes eſt, quæ ratio, ſingulorum Scripturæ locorum ſenſum Traditione haberi poſſe putare? Quaſi non optimi conſulendum ſit, ſi in paucis, (fidei veritatem, & Eccleſiæ unitatem continentibus) Traditionis conſenſus obtineat. Sane, niſi Eccleſiæ unitas obtinuiſſet, obtinere Traditionem potuiſſe, inſaniæ eſt exiſtimare. Cum autem Eccleſiæ Unitatem fide veritatis, Legibus unitatis quibuſdam conſtare manifeſtum ſit; obtinente Eccleſiæ unitate, obtinuiſſe & fidem communem, & leges, neceſſe eſt. Hinc Catholicæ nomen obtinuit, diſtinguens eam à ſectis quas non agnoſceret. Non quaſi numero conſtare Eccleſiam perpetuum ſit; Quod in contentione cum *Arianis* non ſemper ſenſu dijudicari potuit; Sed quod conſenſus omnium ſeculorum numerum habeat indicium veritatis. Neque enim ratio fert, ortum alicubi ſegregem de Chriſtianiſmo ſenſum, qui non afferebatur eis rationibus, quibus communis Fides ſtabat; perinde ac communem Chriſtianiſmum, propagari. Itaque recte Optatus, *Catholicam* dici, quod *rationalis ſit*, *& ubique diffuſa*. *Tertullianus* certe Traditionem ſolam Hæreticis præſcribit; negans eos ad diſputandum ex Scripturis admittendos. Sed profecto multum opinione ſua falſi ſunt, qui, ejus exemplo, putant ſe omni ex Scripturis diſputatione, in hodiernis controverſiis, ſuperſedere poſſe; Traditionis

ditionis ſolius ac Eccleſiæ Catholicæ nomine revinci, qui R. Sedi diſſident. Nam,contra quos agit *Tertullianus*,illi,alinde quam ex Scripturis hauſtam ſcientiam, ſententiæ ſuæ prætexebant; quod ex eis quibus cum agimus nemo facit. Ita igitur aſſerenda eſt Traditio Fidei,non quaſi aliquid in ſe habeat,quod in Scripturis oſtendi non poſſit; Non quaſi verum totiusScripturæ ſenſum contineat;Sed quod adverſus eam nulla valere poſſit, nulla recipi debeat Scripturæ interpretatio. Hæc quia obtinebat, damnata eſt Hæreſis tum *Ariana*, tum *Pelagiana*; Quia non obtinet, damnata quidem eſt Hæreſis *Sociniana*, (quæ tum Samoſatenianam tum *Pelagianam* videtur inſtaurare:) Sed damnata non extinguitur, quia non obtinet, quæ obtinere debet. Non quod metuendum unquam ſit, ne ſola per ſe Scriptura recte ratiocinantem in aliquam Hæreſim impellat, adhibitis eis præſidiis quæ diximus. Sed quod non omnium eſt, quorum ſalutis intereſt, vel idoneis præſidiis inſtructos eſſe, vel recte ratiocinari. Cum autem Eccleſiæ unitas partibus factis interpellata non eſſet, conſenſus Eccleſiarum in eum ſenſum, quem pro Fide ſe accepiſſe teſtabantur, facile repudiabat eum ſenſum Scripturæ, qui in Traditæ Fidei fines incurreret. Sic igitur Hæreſes omnes ab Eccleſia damnatæ ſunt, quod traditis abſonæ, & primum viſæ ſint, & cognoſcendo comprobatæ. Itaque habemus, quid Catholicum cenſendum ſit, & quo Catholicæ nomen Eccleſia obtinuit; quod illud profiteatur, quod ab initio traditum, omnes Eccleſiæ, communionis inter ſe jure & vinculo colligatæ, agnoverint; quarum conſenſu,Legem hanc eſſe communionis &conſtituendæ,& retinendæ,conſtare poſſit.Neque enim ſingulorum ſcriptorum ſententiis & opinionibus conſtat, quantumvis vel Sanctorum, vel in Scripturis eruditorum; ſed veritatis hiſtoricæ fide infallibili, fidei profeſſionem eandem commemorantis. Ex quibus etiam manifeſta eſt ratio, quare neceſſe ſit, quæ ad ſalutem omnium neceſſaria ſunt Scripturis contineri, ex noſtra ſententia; quæ conſen-

Digitized by Google

ſum Eccleſiæ, ad limites interpretationi Scripturæ figendos, requirit. Quid enim certius, quam eam Fidei Regulam Scripturis contineri, extra cujus ſenſum, nulla interpretanda Scriptura ſit? Quam, quicquid omnibus ad ſalutem credendum ſit, intellecta juxta Fidei Regulam Scriptura contineri? Nam ea tantum Scripturis contineri, quæ ad ſalutem neceſſaria non ſint, quis credat?

Quæ vis Traditionis, tum quæ ad Fidem, tum ad Unitatem conſervandam.

Quid autem valeant hi limites, exemplo ſit Socinus; qui, fidem Trinitatis & Chriſti ſatisfactionis à ſe idoneis rationibus ſublatam, ſatis habuit, ſi interpretationem excogitare poſſet, quæ vim earum Scripturarum, quibus utramque expreſſam credit Eccleſia, eludere videretur. Satis id quidem impudenter, multis in locis; quis negat? Neque enim putandum eſt, recte adhibitis ſubſidiis eis, quæ ad intelligendas Scripturas comparata eſſe dictum eſt, poſſe,recte ratiocinando,aliud a veritate exiſtere, etiamſi Traditionem Eccleſiæ ſeponas. Sed qui homines idiotas, & vulgus Chriſtianorum, iſtiuſmodi laqueorum periculo exponendos putet, is demum, quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt omnia, omnibus quorum intereſt aperta eſſe in Scripturis, aſſerat: Is Dei conſilium, inſtituendæ communionis Eccleſiaſticæ, inſuper habendum putet: Is, abjecto Catholicæ Traditionis præſidio, tirones Eccleſiæ, cum gladiatore Socino (veterano vel veteratore) depugnare jubeat. Neque alia ratio eſt, cum de inſtitutis & ritibus Eccleſiæ, quæ ab initio conſuetudine non ſcripta tenebantur, nomen Traditionis uſurpatur. Nam, quæ in uſu fuiſſe, vel omnibus Eccleſiis, vel quibuſdam, ſed reliquarum Communioni innexis, veritatis hiſtoricæ auctoritas fidem facit, ea communi Fidei obſtare non poſse, ea diſcidii cauſam idoneam præbere non poſſe, unitas Eccleſiæ evincit. Neque enim mores, & ritus, & inſtituta, & omnino Leges Eccleſiæ, vel Scripturis, vel Traditione contineri poſſe, putandum eſt; Quam,poteſtatem à Deo ac jus Legum ſibi condendarum accepiſse probavimus; Fruſtra omnino, ſi nullam

lam innovandarum Legum cauſam habitura eſſet. Satis eſt, probatas Eccleſiæ Leges communi Fidei adverſas eſſe, videri non debere. Satis & nobis, & Eccleſiæ, ad eam immunem à diſcidio præſtandam; (Sive diſcidii cauſa ad Fidei & ſalutis neceſſitatem pertineat, & Hæreticos faciat diſſidentes Eccleſiæ, ſive non pertineat, & faciat tantum Schiſmaticos) Satis præſidii in Traditione, ad Scripturas adhibita, inveniri. Eſt enim excipiendum, quantumvis Legum ſuarum mutandarum, in eam formam, quæ temporibus, & locis, & omnino ei rerum ſtatui, qui conſenſu generis humani extiterit, accommodata ſit, Eccleſiæ jus eſſe oporteat; Non ita tamen, ut ab inſtitutis ab initio traditis diſcedere poſſit, quibus regiminis forma contineri videatur, quæ eandem à primo ad ſecundum Chriſti adventum Eccleſiæ ſocietatem præſtare debeat. Itaque bene obſervatum eſt, ab hominibus antiquitatis Canonicæ peritiſſimis, hoc intereſſe Eccleſiæ Legibus, & Civilibus, quod harum poſterior quæque priori deroget, & majorem vim habeat, propter ſummæ poteſtatis imperium; cujus, ut in teſtamento, ultima voluntas rata ſit. At in Eccleſia, non ſolum ſi de Fide decernatur, exigendum eſt quicquid conſtituitur, ad id quod ab initio Traditum conſtare poſſit; ſed etiam in Eccleſiæ inſtitutis, comparandum eſt quicquid innovatur, ad illud inſtaurandum, quod ab initio obtinuit. Sed, hujus rei ſi quis cauſam quærat, non inveniet rationem ab ea diverſam, quam nos hic prodimus.

Traditio Catholicæ, non decretum preſentis Eccleſiæ, errore immunis.

Neque tamen propterea Eccleſiæ decreta infallibilitatis jure gaudere cenſendum erit, quod Eccleſiæ Catholicæ Traditio nec falſa eſſe poſſit, nec fallere. Nam Traditio Eccleſiæ Eccleſiam, decretum Eccleſiæ Eccleſia conſtituit. Illa antiquior eſt ipſa Eccleſia, cujus profeſſio Eccleſiam conſtituit; Hæc à voluntate Eccleſiæ proficiſcuntur, eique vim ſuam debent. Eccleſiæ authoritas, profeſſione Catholicæ Traditionis nixa, quæ ad retinendam, propagandamve

Digitized by Google

ve Chriſtianæ pietatis, cum Eccleſiæ unitate, puritatem facere putet, decernens, vinculum eis injicit, quibus informandis decernit. Itaque omnino duplex eſt Catholicæ Eccleſiæ definitio: Altera preſenti ſeculo continetur; cujus decretum efficaci partium, id eſt, omnium Eccleſiarum conſenſu, (nimirum diſſentiente nulla, cujus ad tam late diffuſam ſocietatem ratio habenda ſit) diſcerni oculis, & communi hominum ſenſu poteſt. Altera omnium ſeculorum & locorum Eccleſias compleſtitur; cernitur autem in prima Apoſtolorum ſucceſſione; quam diu ab eorum inſtitutis, vel addendo, vel demendo, vel mutando diſceſſum eſſe, oſtendi non poſſit. Nam ſi Eccleſia omnium locorum ac temporum unum ſit corpus, omnino ab inſtitutis Apoſtolicis, quæ ad unitatem eam pertineat, quæ minus, judicandum eſt. Itaque breviter pronunciandum, Eccleſiam quidem univerſam Infallibilem eſſe; Id eſt, quicquid ad eam fidem pertinet, quam ab initio omnis profeſſa eſt Eccleſia, id falſum nullo modo eſſe poſſe: Quicquid autem ab initio univerſa Eccleſia, pro Lege tenuit, id nullam Eccleſiæ partem poſſe repudiare. Quin, ſiquid antiquitus ita in Eccleſia obſervatum ſit, ut tamen non conſtet, univerſæ Eccleſiæ Legem fuiſſe; id tanquam *regulæ fidei* repugnans, hodierno die repudiari non poſſe. Neque enim Eccleſiæ Communio ſepes eſſet & limes Chriſtianiſmi, ſi poſſent reliquæ Eccleſiæ communicare, qui aliquid Chriſtianiſmo; id eſt, Regulæ Fidei adverſum uſurparent. Quod autem ad decreta Eccleſiæ attinet; ſive ſuffragio præſentium, quorum authoritatem reliqui ſequantur, conſtituta ſint, ſive literarum & internunciorum commercio, mutui conſenſus vim, publice promulgati obtinuerint; Ea ſi Fidem ſpectent, ita demum extra erroris aleam erunt, quatenus intra metas Traditionis Catholicæ ſe continent: Nec aliud ſtatuant, quam quod manifeſtum ſit, vel expreſſo totius Eccleſiæ conſenſu ſtare, vel rebus in ea receptis, neceſſariæ conſecutionis vinculo connexum eſſe. Quod ſi Leges Eccle-

ſiæ

Digitized by Google

ſiæ dicas; Ita demum firma erunt quæ decernuntur, ſi nihil ſit, quare videri debeant unitatem Eccleſiæ violare; Quæ una ab initio ad finem Chriſtianiſmi eſſe non poſſit, niſi eis Legibus vivat, quæ eædem videri debeant, quatenus rerum ſtatus diſcrimen non poſtulet. Sane, quantum in in reliquis hominum rebus mutationis ac diſcriminis temporum differentia iuducit, tantum etiam in Eccleſiaſticis. Atqui, eiſdem Legibus Eccleſiæ communionem regi poſſe, in cujus ſtatum, temporum mutatione, tantum diſcriminis invectum fuerit, id vero ἀῤῥωςία διανοίας fuerit, quam vocat *Ariſtoteles*, exiſtimare. Et tamen Leges ejus, quas priorum temporum Eccleſia probaverit, tanquam Chriſtianiſmo adverſas repudiare, unicam Dei Eccleſiam repudiare eſt; Leges autem univerſim receptas repudiare, niſi univerſa Leges ſuas repudiaverit, ejus communione cenſeri nolle.

Hujus ſententiæ auctores eſſe debent, ſi ſuas ipſi rationes recte reputent, quicunque Concilii Univerſalis auctoritatem, auctoritate Papæ ſuperiorem etiamnum contendunt. *Rationes hujus ſententiæ.* Non quod hic locus ſit tantæ diſputationis definiendæ; Sed quod ejus definiendæ nulla ratio ſit, ſine totius Eccleſiæ Traditione. Inſpiciantur *Joannis Launoii Pariſienſis Theologi* Epiſtolæ; cujus eruditio & diligentia non patitur me actum agere, recenſendis Doctorum ſententiis, rebuſque geſtis Eccleſiæ ad hanc cauſam pertinentibus. Mentiar ſi aliam rationem ſententiæ ſuæ edant, præter totius Eccleſiæ Traditionem, Doctorum ſententiis, rerumque geſtarum memoria proditam. Nam ſi provocetur ad Scripturas, vel hinc vel inde, eandem ſententiæ ſuæ rationem edunt; continendum eſſe earum ſenſum eis finibus, quos uſus ac ſenſus totius ab initio Eccleſiæ determinant. Quod ſi Concilii Generalis, Eccleſiam ſui ſeculi totam repræſentantis, auctoritatem, ſola totius Eccleſiæ Traditio affirmet; procul abeſt, ut ullum Concilii Generalis decretum erroris eſſe immune aſſeri poſſit, quod totius ab initio

Digitized by Google

initio Eccleſiæ Traditio non afferat. Itaque nimis ſecuri ſunt, qui, de Conciliis Generalibus auctore Papa actis & probatis, confectum ſibi putant, extra erroris aleam poſitum eſſe, quod de Fide decernant. Quis enim credat; ſaltem qui Legem Fidei ad Eccleſiæ auctoritatem ſupponi ſciat; propterea, non errandi dotem divinitus indultam conventui eorum, quorum ſit, Eccleſiarum ſuarum conſenſum præſtare; quod ſe invicem præſentes intueri poſſint? Præſertim qui ſciat, gratiorem Deo Eccleſiarum conſenſum futurum, qui ſolius Fidei intuitu convenit; (Qualem eſſe oportet, quem inter abſentes Eccleſiæ cauſa expediat) quam qui per ſeculi ambitum obtineat; Qualem eſſe oportet, in quem, Concilium non ſine ſeculi poteſtate coactum convenit. Sane, ad expediendum Eccleſiarum conſenſum cœtus Concilii plurimum facit; Ad auctoritatem decreti in illuſtri loco ponendam, tantundem. Ad ſecuritatem non errandi omnino neceſſe eſt, rationem ſive ſubeſſe, ſive præeſſe, quæ Legem Fidei, Eccleſiæ auctoritate antiquiorem, ſalvam præſtet, ut Dei Eccleſiæ præſentis promiſſo, locus eſſe poſſit; Quod ſola totius Eccleſiæ Traditio facit. Itaque cum Concilium *Jeroſolymitanum*, *viſum Spiritui S. & nobis* pronunciat, *Act.* XV. 28. putandum eſt, Legem promiſſi Dominici ab eis intellectam; Quam ipſe præmiſerat, cum *ecce ego vobis præſens adſum ad finem uſque ſeculi*, *Matt.* XXVIII. 20. diſcedens pronunciat. Nam cum Eccleſia tunc nulla eſſet, ut dictum eſt, cum Apoſtoli ad finem ſeculi ſuperfuturi non eſſent, neceſse eſt, Eccleſiæ ſequenti Apoſtolos præſentem ſe Dominum polliceri. Sequi autem Apoſtolos ita demum intelligi poteſt, ſi Legem eam Fidei & ſalutis teneat, quam à Domino acceptam Eccleſiæ ipſi tradiderint; Si Eccleſiaſticæ Communionis eas Leges ſequantur, quas Apoſtoli primum, &, accepta ab Apoſtolis auctoritate, Succeſsores ipſorum & Vicarii Eccleſiæ tradiderint. Itaque ex eis, qui Concilii Generalis auctoritatem auctoritate Papæ ſuperiorem aſſeruerunt

Digitized by Google

ruerunt, neque numero pauci, neque auctoritate obſcuri Doctores eo delapſi ſunt, ut abſolutam ab omni exceptione & limitatione non errandi dotem & privilegium, ſoli omnium locorum ac temporum Eccleſiæ, propter totius Eccleſiæ Traditionem, deberi fateantur. Puta me dicere *Gulielmum Occamum, Petrum Alliacenſem, Thomam Waldenſem, Nicolaum Cardinalem Cuſanum, Nicolaum Abbatem Panormitanum & Antoninum Archiepiſcopum Florentinum, Nicolaum de Clamengis*; quorum teſtimonia *Robertus Baronius*, *Apologiæ* pro diſputatione ſua de objecto Fidei *Tract.* V. 19. inſeruit. Igitur non errandi dos ac privilegium ita demum tribuendum erit Generalis Concilii decreto, quatenus frequentia tam illuſtris conventus non videatur ferre, ut omnes in eo conſentiant, quod Fidei Legi, vel Eccleſiaſticæ Communionis Legibus deroget; quarum firmitate conſtat ipſorum auctoritas, qui decernunt. Quod ſi eo valeat ſtudium partium in Eccleſia, ut quod ſive Papa, ſive Concilium, ſive cum Concilio Papa decernat, eo ipſo traditum ab initio Eccleſiæ contendatur, quantumvis, ſemel traditis adverſum, ſenſu hominum communi uſurpari poſſit; Tum vero neceſse eſt excipi, ita demum Eccleſiam errare poſse, ſi ſe limitibus Traditione Eccleſiæ definitis non contineat. Omnino hac profeſſione conſtat Eccleſiæ Unitas, cujus Communio, ad ſingulorum ſalutem valeat, qui ob hanc profeſſionem, in ejus Communione, tanquam ſenſibus ſubditæ, ſalutem ſibi quærendam putent. Cum enim non niſi in Fide exploratis ſalutem promittat Dominus; Neceſse erat ita conſuli Eccleſiæ, ut neque à Lege ſalutis, neque ab Unitatis Eccleſiaſticæ Legibus deſciſci poſset ab eis, qui Vicarios ſe Domini meminiſsent; Et tamen ab eis deſciſſi poſset, qui Vicarios ſe ac Miniſtros obliti, pro Dominis gererent.

Præterea, his poſitis, rationem regundorum finium Eccleſiaſticæ poteſtatis clariſſimam obtinuimus. Nimirum, ſicut in Regulam fidei jus nullum habet Eccleſia, ſed tuendæ tantum fidei Regulæ Officium; (quod, cum mini- *Fines poteſtatis Eccleſiæ, in decernendo de Fide.*

ſterium

ſterium tantum ſonet, auctoritatem tamen, ſine qua miniſterium fruſtra ſit, ſecum affert) Ita in Eccleſiæ Leges, nihil eſt in quo jus non ſit Eccleſiæ ac poteſtas, quatenus quidem retinendæ unitatis ratio vel poſtulet, vel ferat; Poſtulet quidem, ut recte factum cenſeri debeat quod decernitur; Ferat autem, ut, etſi minus recte factum, Eccleſiam tamen, id eſt ſingulos teneat. Itaque, non eſt animus dicere, de Fidei cauſis decernendi Eccleſiæ jus non eſſe. Præmiſſum enim eſt, Eccleſiæ decreta, intra terminos Lege præſcriptos; hoc eſt, quatenus intra fines Catholicæ Traditionis verſantur; extra erroris aleam eſſe. Ubi autem erroris periculum non eſt, ibi Eccleſiæ authoritatem locum habere neceſſe eſt. Et hac ſuppoſitione nititur magnificum, quorundam ex eis quo dixi Eccleſiæ Doctorum effatum; ſingularis hominis, manifeſto Scripturæ teſtimonio muniti, pluris eſſe, quam generalis Concilii auctoritatem, eodem deſtituti; quatenus quidem demonſtratum eſt, nullum eſſe manifeſtum Scripturæ teſtimonium, extra fines Catholicæ Traditionis. Ego quidem libenter admodum recipio, quod à quibuſdam maximæ auctoritatis Eccleſiæ Doctoribus traditum video; Scripturam univerſam *Fidei Regulam* eſſe; Quatenus quidem de ejus ſenſu conſtet. Cum enim dictum ſit, non poſſe eſſe Fidei Eccleſiæ Legem (nullo minus autem ritus Eccleſiaſtici) eum Scripturæ ſenſum, qui intra terminos Traditionis Eccleſiaſticæ non verſetur; Erit quidem ſenſus Scripturæ, quem quis uſu literarum ac pietatis aſſecutus fuerit, ei Lex qui ipſum aſſecutus fuerit, & credendi Regula; (nimirum quod ad Deum attinet) Cæterum Eccleſiæ in communi, Fidei Regula non erit, niſi quatenus Traditione totius Eccleſiæ continetur. Poteſt enim illud legitimæ conſequentiæ vinculo Regulæ Fidei annexum eſſe, viderique, de quo tamen jus non ſit Eccleſiæ decernendi, quod ad ſalutem creditu neceſſarium ſit. Neque enim poteſt neceſſitatem credendi ad ſalutem Eccleſia creare; quæ eis ſolis ineſt, quod

Digitized by Google

quæ Traditione Fidei Catholicæ continentur. Nimirum, quod ſemel Tradita Lex ſalutis, eis Fide tenendis contineatur, quæ ab omnibus ſalutem aſſecuturis fide teneri neceſse ſit. Nam huic rerum modulo ad ſalutem fide tenendo, vel addi poſse quicquam vel demi, communis ſalutis ratio non patitur. Sane hæc illa neceſſitas eſt, quam *mediorum* vocant, ſine quibus ſalus non contingat. Cum enim poſtmodum, propter vitæ ſtatum, alium aliorum Fidelium, niſi pergant ſinguli ea diſcere, quorum cognitione deſtituti, non poſſint in ſuo ſtatu Fidelium hominum Officium facere; tum vero neceſſitas eſt *præcepti*, communis vinculo Chriſtianiſmi, ſingulos ad ſui ſtatus Officium obligantis, qua, quæ ad ſuum Officium pertinent, ſcire tenentur. Et tamen, poteſt exiſtere decernendi neceſſitas, de eis, quæ cum vera ſint, non tamen omnibus ad ſalutem creditu neceſſaria cenſeri debent; propterea quod ſaluti quorundam ſatis cônſultum ſit, eis creditis, quibus neceſſariæ conſecutionis vinculo annexa ſunt. Nam cum quælibet, de re qualibet diſſenſio, poſſit periculum unitati Eccleſiæ creare; unitatis autem cuſtodia Eccleſiæ credita ſit; omnino decernere Eccleſia & poteſt & debet etiam de rebus ad ſalutem creditu minime neceſſariis, quid docendum ſit in Eccleſia; quatenus, conſtituta docendi formula, unitatem obtineri ſpes ſit.

Quatenus expediat, definiri non neceſſaria.

Sed hoc, ut intra fines poteſtatis Eccleſiæ poſitum eſt; ita, ſi rerum humanarum varietatem ſpectamus, frequentius accidit, ut quoties diſcidii periculum eſt, ad decernendum non deſcendere, magis expediat ad conſervandam unitatem Eccleſiæ. Tumentibus enim æſtu contentionis hominum animis, quid proclivius eſt, quam Deo, & erga Deum Religioni imputare, quod ſententiarum ſponte ſuſceptarum, & partium inde natarum ſtudio tribuimus? Quam partium ſtudium, Religionis ſpecie oblatum animis, charitati totius antehabere? Atqui quid diſcidium facit, niſi indicta decreto, retinendæ ſententiæ, quam Religioni te habere

 profeſſus

profeſſus ſis, deſperatio? Quod ſi quieſcant animi, & ſedato æſtus ſui tumore, tempori permittantur molliendi, quidni ſpes ſit, poſſe ſponte hominum ſedari motus, qui agitando incaluerant? Exemplo ſint cauſæ jam dictæ, in quibus, vel conſervatam non decernendo unitatem, vel decernendo concuſſam, ſatis conſtat. Quæ ſi vera ſint, haud facile dictu erit, utrum pernicioſior ſit Eccleſiæ contendendi pertinacia, an decernendi neceſſitas. *Tertullianus* ſane, in *Præſcriptione adverſus Hæreticos cap.* XIV. ita brevem Fidei Regulam diſputationi eximit, ut reliqua omnia diſputationi libera permittat. *Hæc Regula — nullas habet apud nos quæſtiones, niſi quas Hæreſes inferunt, aut quæ Hæreticos faciunt. Cæterum manente forma ejus in ſuo ordine, quantumlibet quæras & tractes, & omnem libidinem curioſitatis effundas; ſi quid tibi videtur vel ambiguitate pendere, vel obſcuritate obumbrari. Eſt utique Frater aliqui Doctor, gratia ſcientiæ donatus, eſt aliqui inter exercitatos converſatus, aliqui ſecum curioſus, ſecum tamen quærens; poſtremo, ignorare melius eſt, ne quod non debeas noris, quia quod debeas noſti. Fides, inquit, tua te ſalvum fecit, non exercitatio Scripturarum. Fides in Regula poſita eſt. Habes Legem, & ſalutem in obſervatione Legis; Exercitatio autem in curioſitate conſiſtit, habens gloriam ſolam de peritiæ ſtudio. Cedat curioſitas Fidei, cedat gloria ſaluti.* Sed & *Irenæi* verba producam, quibus, notas & characteres rerum diſputationi Fidelium permiſſarum, vir Apoſtolis proximus ita exponit, ut habeant Scripturarum candidati unde perſpiciant, quid diſputationi permiſſum ſit, intra menſuram communis Fidei. Sic igitur ille I. 4. *Plus autem vel minus, ſecundum Prudentiam, noſſe quoſdam, non in eo quod argumentum mutetur, efficitur; & alius Deus excogitetur, præter fabricatorem, & factorem, & nutritorem hujus univerſitatis, quaſi ipſe non ſufficiat nobis; aut alius Chriſtus, aut alius Monogenes; Sed in eo quod omnia quæ in Parabolis dicta ſunt, exquirere, & adjungere veritatis argumento: Et in eo, ut inſtrumen-*

tum

Digitized by Google

tum & diſpoſitionem Dei in genere humano factam enarret: Et, quoniam magnanimus extitit Deus, & in tranſgreſſorum Angelorum apoſtaſia, & in inobedientia hominum, ediſſerere; & quare alia quidem temporalia, alia vero æterna, & quædam cœleſtia quædam terrena unus & idem fecit, annunciare: Et quare, cum inviſibilis adparuit Prophetis Dei, non in una forma, ſed aliis aliter adeſſe: Et quare Teſtamenta multa tradita humano generi, annunciare, & quis ſit unius cujuſque Teſtamentorum character docere, & quare concluſit omnia in incredulitatem Deus, ut omnium miſereatur, exquirere, & quare Verbum Dei caro factum eſt, & paſſus eſt, gratias agere, & quare in noviſſimis temporibus adventus Filii Dei, hoc eſt in fine, adparuerit, & non in initio, annunciare, & de fine, & de futuris, quæcunque poſita ſunt in Scripturis revolvere, & quare deſperatas Gentes cohæredes, & corporatas, & participes Sanctorum fecit Deus, & quemadmodum mortalis hæc caro induet immortalitatem, & corruptibilis incorruptelam annunciare, & quemadmodum factus eſt qui non erat populus, populus, & non dilecta, dilecta, & quemadmodum plures Filii ejus quæ deſerta eſt, magis quam quæ habet virum, præconiare. Non abs re viſum, Sancti & Apoſtolici Epiſcopi & Martyris prolixum locum afferre, qui uſui eſſe poterit, in eis quæ ad ſalutem Fide teneri neceſſe ſit, ab eis quæ non neceſſe ſit, diſtinguendis. Videtur autem ſine dubio manifeſtum, ut ea quæ ad ſalutis neceſſitatem non pertineant, faciunt tamen ad ea quæ ad ſalutis neceſſitatem pertinent, ſive Fide tenenda, ſive opere exercenda, definiantur decretis quæ Legis vim habeant; ita demum expedire Eccleſiæ, ſi diſcidii periculum abſit, ſi ædificandæ Eccleſiæ cauſa, non victoriæ, decerni videri poſſint, ſi denique à pacatis, ſponte, non ingratiis à coactis accipiantur; Ita demum valitura ad Legis effectum, ſi ejuſdem voluntatis arbitrio ſtent, propter quam Chriſtiani ſumus. Neceſſitati tamen cum omnia pareant, non videtur negandum, incidere poſſe tempora, in quibus, quamvis cum periculo Schiſmatis, ad decernendum tamen deſcendendum ſit.

Digitized by Google

Non Fide, ſed Charitate, creditu non neceſſaria teneri.

Sed cum Eccleſia decreverit, non illud efficit ejus decretum quod Traditio Catholica. Neque enim neceſſe eſt ad Fidei integritatem, verum illud credere quod Eccleſia decreverit, quoties id accidit, quod accidere poſſe jam dictum eſt; ut ad aliquid decernendum deſcendi vel poſſit, vel debeat, quod Fide teneri ad ſalutem neceſſe non ſit. Sed neceſſe eſt decreto obſequi ad unitatem Eccleſiæ; quam pluris videri ad communem ſalutem, quam cujuſvis hominis ſententiam, ad ſalutem communem non neceſſariam, neceſſe eſt. Itaque rei veritas, & ejus veritatis momentum, ad implendam Chriſtiani hominis profeſſionem, neceſſitatem credendi ad ſalutem; Eccleſiæ autem decretum, unitatis obſequio tuendæ vinculum inducit. Illud Fidei Officium eſt, hoc charitatis Chriſtianæ: Nec proprie loquitur, qui, quæ ultra modum communis Fidei, ad ſalutem omnium neceſſariæ, docet Eccleſia, *Fide implicita* tenenda contendit. Neque enim Fidei eſt, eis Fidem habere, quæ nulla ratio credendi vera eſse oſtendit. Sed tamen, qui tenenda non putet, hominis Fidelis Officium non faciat. Nam quibus repugnari ſine offenſione non poteſt; quam, ad ſolvendam Eccleſiæ unitatem viam facere, neceſse eſt; ea, non quidem vera propter Fidem profiteri, ſed, ut minime ſaluti noxia ferre, propter Eccleſiæ pacem, quæ ad ſalutem communem plus facit, charitatis eſt Chriſtianæ.

In Leges latas ab Apoſtolis, Eccleſiæ jus eſſe.

Hæc cum vis ſit decreti Eccleſiaſtici, cum ſolius veritatis ratio habetur; cum ad Legem condendam decretum ſpectat, haud ſcio quid extra poteſtatem Eccleſiæ poſitum ſit; ſi Fidem & unitatem excipias, quas omnis Eccleſiæ poteſtas ſupponit. Nam, etſi prima eſſe debet communis pietatis propagandæ ratio, in omnibus Eccleſiæ decretis; hoc tamen in ipſo rerum uſu eatenus valebit, quatenus ſalva unitate Eccleſiæ obtineri poteſt; quam, quavis Lege pluris eſſe, dictum eſt. Neque mihi videtur magnum aliquid dicere, qui affirmet, ritus ab Apoſtolis ipſis, ſive ſcripto, ſive more traditos, Eccleſiæ ſive conſuetudine, ſive decreto

Digitized by Google

decreto mutari poſſe. Non quod Apoſtolis, univerſam in perpetuum obligandi jus non eſſet; Ita ut in eorum inſtitutis, nihil ab Eccleſia mutari poſſit, quod, ad ipſorum inſtitutorum firmitatem & perpetuitatem, non interſit mutari. Sed quod ea ſit Lex rerum humanarum, in quibus cenſentur res Eccleſiaſticæ, ut ab Apoſtolis Eccleſiæ Tradita multa videri poſſint, quæ, propter rerum mutationem, intereſſe Eccleſiæ poſſit mutari. Quod ſi eis in rebus accidit, quas Scripturis Apoſtolicis conſignatas tenemus; tum vero, non eo conſilio Traditum ab Apoſtolis morem Eccleſiis à ſe inſtitutis putandum eſt, ut omnes omnium temporum Eccleſias teneret. Sic enim fieret, ut vel Fidei propagandæ, vel conſervandæ Unitati Eccleſiæ obeſſe poſſent, quæ auctoribus Apoſtolis tenenda contendas; Quorum utriuſque antiquior ratio eſſe debet, quam eorum, quæ ab Apoſtolis, non niſi ex Officio propagandæ Fidei, & unitatis conſervandæ inſtitui, ſatis dictum eſt. Nam, cum omnis Lex ejus ſocietas regendæ inſtrumentum ſit, cui datur; mutato ſocietatis ſtatu, fieri poteſt, ut Legem mutari ſocietatis ipſius interſit. Itaque ut in jure dicundo, juſtitia, quæ abſolute dicitur, in æquitate poſita eſt, ſecundum *Ariſtotelem*; quatenus nimirum arbitrii Judicis id eſt; Ita Legis mutandæ, quatenus bono communi fieri poſſit, jus eſſe ſocietati, cujus Lex eſt, neceſſe eſt.

Argumento erit *S. Paulus*, cum multis probaſſet, velandas eſſe facies fœminis in cœtibus ſacris, viris non velandas, 1 ad *Cor.* XI. 3—15. Hanc enim eſſe Apoſtoli mentem, piget alio teſtimonio contendere, poſt *Tertulliani* Librum *de velandis Virginibus*; Quo quid aliud contenditur, quam Virgines ab hac communi Regula excipiendas non eſſe? Nam qui, hoc ut probet, morem ſui temporis Eccleſiæ *Corinthiacæ* appellat, ubi tum obtinebat, ſatis oſtendit uſum, Legis ſententiæ interpretem. Et ſane argumenta quibus hoc contendit Apoſtolus à fœminis, rationis quidem dictamine nixa, ſed ſuppoſitis tum *Judæorum*, tum *Gentium* *Mos velandarum fœminarum viris non velatis.*

earum

earum moribus, quibus ſcribebat; ſive pudoris, ſive modeſtiæ nomine, & erga virile genus obſequii; ita demum obtinent, ſi his ſignificandis neceſſarium velamen fœminarum ſtatuamus, virorum alienum. Quod cum mores quarundam *Gentium* non receperint, quas poſtea Chriſtianas fieri contigerit; non eſt mirum, ſi pro Lege Chriſtianiſmi ſui, hoc ab initio non recepiſſe videantur. Nam ipſe etiam Apoſtolus, poſt prolixam ſatis rationum diſputationem, in hoc pronunciato definit; *ſi quis autem contentioſus eſſe videatur, Nos talem conſuetudinem non habemus, neque Eccleſiæ Dei*, 1 ad *Cor*. XI. 16. Atqui, quod ſtatuit Eccleſiæ uſus, id quidni deſtituat? Cui Apoſtolus vivus videnſque detulit, ejus ſcripta, vel mos ab eo traditus, quidni idem deferant?

Pro hac Interpretatione. Sed aſſerendus eſt latius hic ſenſus Apoſtolicæ diſputationi, quam viri docti, ad recens ſubortam, de quæſitis ad decorem promiſſæ comæ cincinnis quæſtionem; Quos, ſcilicet, Fidelium moribus convenire nolint; pertinere putant. Tum alii, ad damnandum morem, prædicandi cœtibus Eccleſiaſticis verbi divini, tecto capite; Quod ad docendi auctoritatem, ſive aſſerendam, ſive retinendam inſtitutum, rerum uſus docet. Utramque quæſtionem, à ſcopo inſtitutæ ab Apoſtolo diſputationis alienum eſſe conſtabit, ſi rationes quas adhibet, quid efficiant videamus. Jam primum, ornatus ex capillitio quæſitus ad vitam communem pertinet; cum Apoſtoli tota diſputatio ſacrorum cœtuum propria ſit; quod ejus concluſio demonſtrat, quam jam adduximus. Itaque, quantumvis damnandum ſit inane ſecularis decoris ſtudium, in Cœlorum regni candidatis; aliunde damnandum eſt, non, unde damnari non poſſit. Et ſane apud ſolos Fideles valet ratio, quam pro fundamento ſternit Apoſtolus; *Omnis mulieris caput eſt vir; Viri autem Chriſtus, & Chriſti Deus*. Bene *S. Joannes Chryſoſtomus*; Ὅταν εἴπῃ παντὸς· τοῦ πιστοῦ δεῖ συνυπακούειν. *Cum dicit; Omnis mulieris, ſubintelligendum eſt Fidelis*; Nam & Fidelis

Fidelis viri caput Chriſtus. Itaque mulieris caput intelligendus vir, ad inſtitutum Apoſtoli; qui *mulierem* vetat *in Eccleſia docere, domi a viro diſcere* jubet, 1 ad *Cor.* XIV. 34, 35. 1 ad *Tim.* II. 11—15. Unde recte ſubinfert; *dedecore caput ſuum afficere virum, qui velato capite, mulierem, quæ non velato oret, vel Deo canat.* Neque refert, utrum corporis ſui caput dedecore afficere mulierem intelligamus, an virum fœminæ caput, perinde ac Chriſtum viri; ſi modeſtiæ ſignum in capite propterea decere fœminam reputemus, quod auctoritatem viri in fœminam, (quam à lapſu *Evæ* repetit Apoſtolus, perinde ac in virum Chriſti) velando capite agnoſci intelligamus. Sane, Deo canere in Eccleſia videtur eſſe hoc loco προφητεύειν. Nam 1 *Sam.* XIX. 20. *Cœtus Prophetantium* eſt apud *Jonatham Chald.* משבחין *laudes cantantium.* Et 1 *Paral.* XXV. 3. *Prophetaſſe* dicuntur *cum inſtrumentis Muſicis,* Filii *Aſaph, Heman & Jeduthun*; Nam & *Pſalmos* illis aſcriptos Prophetiam continere, notat ad eum locum *D. Kimchius.* Sane, cum totum *Pſalmorum* Librum Prophetiam de Chriſto continere, deque Chriſti ad finem ſeculi regno, certum ſit; merito, qui Deo canunt de *Pſalterio,* ad propietatem *Helleniſmi Paulini,* προφητεύειν dicuntur. Idem oſtendit *Tertullianus,* retectas *inter Pſalmos Virgines* reprehendens; *de Vel. Virg. cap. ult.* Itaque, non eſt neceſſe ad Symboli recitationem in ſacris confugere; quod facit Commentarius *Ambroſianus*; (Quaſi quod de futuro judicio Prophetiam contineat) Cum non poſſit oſtendi, Symbolum Fidei, in ſacris Fidelium, temporibus Apoſtolicis locum habuiſſe. Dedecore autem afficere caput ſuum mulierem, quæ non velato capite oret, propterea vult Apoſtolus, quod obſequii ſignum negligat, cum quo diſcere debeat à viro; Virum qui velato; quod fiduciæ, qua ad orandum Chriſti Fidelis accedere debeat. Eſt enim velatum caput modeſtiæ, pudoris ac verecundiæ; apertum, fiduciæ, ac παῤῥησίας ſignum in Scripturis. Tum & apud Scriptores exteros; ſi rem tralatitiam, putidum non eſſet,

adductis

adductis Auctorum locis hoc loco probari. His poſitis, nihil reſtat in reliqua diſputatione obſcurum; Quod diverſa ratio nulla hactenus videtur præſtitiſſe. Nam quod deinceps, *comam fœminæ pro velamento datam* diſputat, qua ſi carere poſſit, *quid eam tonderi vetet, aut etiam radi?* id quid ſit docet, quod nuper à viro Docto productum eſt ex *Talm. Babyl. Cetubotb. f.* 66. 2. *Filia* Nicodemi, *accedens ad* R. Jochanan, *velavit ſe capillis ſuis, & coram eo ſtetit*; Scilicet, quæ, ad pauperiem redacta, aliud non haberet quo ſe velaret. Et quod *S. Paulus, non velatam fœminam idem eſſe* pronunciat, *ac ſi raſa eſſet*; id, tum *S. Chryſoſtomi* Commentarius, tum *Ambroſianus*, quoad fœminæ voluntatem verum eſſe intelligit, ejus quæ ſine velo ſit. Nam, quæ velum non adhibeat; (quod cultus ſtudium capillis natura datis ſubſtituit) quidni capilli uſum abdicare intelligenda ſit? Nimirum, ſi corpus nudum reputemus, coma velamentum eſt ante omne velamentum. Inde mulieri coma decori eſt, viro dedecori; Quem ſcilicet, in luctu & ſqualore comam promittere, eorum mos erat, quibus ſcribebat Apoſtolus. Obſcurum eſſe libenter patior, quod addit Apoſtolus; debere mulierem *poteſtatem in capite habere propter Angelos.* Accipio enim libens, quod idem vir doctus obſervat; inſtituti eſſe Judaici, ornatas ſe fœminas internunciis ſponſaliorum oſtendere. Vide horas *Hebraicas* in 1 ad *Cor. Cantabrigiæ* editas. Sed quod hoc eſſe vult ἐξουσίαν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς ἔχειν, conſilio Apoſtolicæ diſputationis repugnare palam eſt; cœtuum Eccleſiaſticorum εὐπρέπειαν ordinantis, ex ea modeſtiæ profeſſione exiſtentem, quæ fœminei ſexus ſubjectionem, maxime ob ingreſſum per *Evam* peccatum agnoſcit. Et ſane, ἐπὶ τῶν κεφαλῶν ἐξουσίαν ἔχειν, dixiſset Apoſtolus, non ἐπὶ τῆς κεφαλῆς, ſi voluiſset dicere fœminæ retegendi capitis poteſtatem eſse debere, propter internuncios ſponſaliorum. Itaque omnino recte accipi ſolet ἐξουσίαν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς ἔχειν, ejus auctoritatis agnitionem in capite geſtare, quam velandis capitibus agnoſcendam

dam eſſe fœminis contendit Apoſtolus. Eſt enim alienum a ſcopo inſtitutæ diſputationis, ἐξουσίαν fœminæ in ſuum caput hoc loco intelligere, quæ viri in fœminam auctoritatem in rationem adducit, quam velandi verecundia agnoſcat. Itaque, ſi conjecturæ locus, reſpici puto fabulam ex *Enochi* Apocrypha Prophetia, quem *S. Judas* in Catholica ſua palam appellat; de Angelis fœminarum amore lapſis. Non quaſi veram aſſerat Apoſtolus; Sed quaſi ad eam alludens, Præfectorum Eccleſiis; quos *Angelorum* inſtar in Eccleſia obtinere docet *Apocalypſis*; per verecundiam fœminarum, integritati puritatique conſulendum, egregio ſchemate ſignificet. Eſt enim huic prorſus ſimile, quod 1 ad *Cor*. X. 4. Traditionem *Judaicam* reſpicit Apoſtolus, quam, nihil eſt, cur veram ipſi viſam putemus, cum ita ſcribit; ἔπινον γὰρ ἐκ Πνευματικῆς ἀκολουθούσης Πέτρας. Quis enim dubitet, illud hic ab Apoſtolo reſpici, quod Magiſtri tradunt, ſecutas caſtra *Iſraelitarum* per deſertum, ut nubem & manniam, ſic *Petram*, & quas præbebat aquas? Et tamen quis fateri nos jubeat, aliter hoc contigiſſe, quam ſi ſpiritualiter intelligatur, ſecundum Apoſtolum? Nam ipſis Chriſtum adfuiſſe abunde auctor eſt. Sic igitur recte intelligatur, non recipere pro vero, quod de Angelis amore fœminarum lapſis *Enochi* liber referebat; ſed ad illud innuendum, potius quam declarandum adhibere, in quo Eccleſiarum Doctoribus, ſimilis ſcandali occaſio eſſe poterat.

Huic interpretationi teſtimonium fert tota *Tertulliani* quam diximus diſputatio; cujus Theſis, particula eſt ejus quam diſputat Apoſtolus. Volebant nimirum Virginitatem profeſſæ in Eccleſia *Carthaginenſi* eximi Apoſtolicæ Legis generalitate, & *revelatis vultibus* in ſacris cœtibus, παρθενίαν profeſſioni ſuæ vindicare. Et ſane fatetur *Tertullianus*, utrumque morem adusque ſua tempora obtinuiſſe, quibus illud interdixerat, hoc definiverat *Montani Paracletus*; Hæc capite I, II, & III, Cœterum, verecundiæ *Probatur ex* Tertulliano.

Mm ſolius

Digitized by Google

ſolius rationem haberi ab Apoſtolo, argumento ſit; quod in particula ejuſdem quæſtionis, quæ eſt de Virginibus velandis, non aliam ſequendam rationem, tota *Tertulliani* diſputatio contendit. Itaque velamen capitis intelligi, quod *& faciem includat*, & *contegat*, diſertis verbis poſuit *cap.* II. & velamina reprehendit, quæ *cervices non ambiant* cap. XVII. *Limites*, inquit, *& fines ejus eo uſque porriguntur, unde incipit veſtis; Quantum reſoluti crines occupare poſſunt, tanta eſt velaminis regio, ut cervices quoque ambiantur. Ipſæ enim ſunt, quas ſubjectas eſſe oportet, propter quas, poteſtas ſupra caput haberi debet*; velamen inquam illarum eſt. Itaque etſi apud Apoſtolum ἐξουσίαν ἔχειν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς, de tegmento capitis intelligendum videatur; tamen idem ipſe κατὰ κεφαλῆς ἔχειν, κατακαλύπτεσθαι τὴν κεφαλὴν, ἀκατακάλυπτον εἶναι in hac re adhibet; ut dependens à capite velamen ſignificet, quod etiam faciem includat. Idem oſtendit *Tertullianus*; cum, ex fabula de Angelis, fœminarum amore lapſis, in Apocrypho *Enochi* Libro, interpretatur Apoſtolum, poteſtatem in capite mulieri imperantem, *propter Angelos*. Sed & cur in ſacris hæc, diſerte enarrat, non minus ex Apoſtoli, ut videtur, quam ſuo, etſi *Montanizantis*, ſenſu; Quid enim eſt *Montaniſmus Tertulliani*, niſi rigor diſciplinæ, ex *Prophetia Montani*, ultra modum Eccleſiæ receptum, exactus? *Quantam autem caſtigationem merebuntur etiam illæ, quæ inter* Pſalmos, *vel in quacunque Dei mentione retectæ perſeverant? Meritone etiam, quæ in oratione ipſa facillime fimbriam, aut villum, aut quodlibet filum cerebro ſuper ponunt, & tectas ſe opinantur?* Et mox; *Oportet ergo omni tempore, & omni loco, memores Legis incedere, paratas & inſtructas ad omnem Dei mentionem; qui ſi fuerit in pectore, cognoſcetur & in capite fœminarum.* Cap. *ult.* Ex quibus manifeſtum eſt, non pertinere ad quæſitum capillorum ex promiſſæ cæſariæ cincinnis ornatum hanc Apoſtoli diſputationem; Non quaſi ejus doctrinæ congruat; Sed quaſi ipſum, in ornandi capillitii ſtudio, fœminis interdicto, 1 ad *Tim.* II. 9, 10.

1 *Petri*

Digitized by Google

1 *Petri* III. 3. multo viris potius & magis interdictum. Tum, neque ad interdicendum docentibus Eccleſiam, ne caput aperiant; Nimirum, quod rationem longe diverſam propoſitam habeat, quam ſequatur; auctoritati ſcilicet ſignificandæ, non verecundiæ. Nam ut operto capite ſint, qui plebem in ſacris alloquuntur, ad auctoritatem docentis ſignificandam pertinere, manifeſtum eſt. Itaque, quod ad vim & vinculum præcepti Apoſtolici pertinet, dicendum eſt; Poſtquam ad Fidem eæ Gentes acceſſerunt, apud quas, aperto capite eſſe honoris ſignum eſt, quem ei habeas, qui interim operto capite ſit; non potuiſſe ab eis intelligi ſignificationem illam, cujus cauſa præcipiat Apoſtolus viris, aperto in ſacris capite eſſe. Quis enim id ad ſexus auctoritatem pertinere intelligat, quo honorem hominis ſtatui ac Ordini haberi videt? Proinde neque fœminarum velamen; etſi, humaniorum fere Gentium more, ad continendam pudicitiam earum pertinens; tamen ad ſignificandam viri auctoritatem faciet; Quæ præcepti Apoſtolici ratio eſt. Denique ipſe Apoſtolus, cum illud ſolum extra quæſtionem eſſe poſtulat, in quo deſinit; *Si quis contentioſus eſt, non habemus talem conſuetudinem, neque Eccleſiæ Dei*; ſatis oſtendit, poſſe exiſtere illum Eccleſiæ ſtatum, illos vitæ communis mores, eorum qui ad Fidem accedunt, in quibus præceptum ſuum vim Legis habere, neque communis Chriſtianiſmi, neque auctoritatis Apoſtolicæ interſit. Monet certe exemplo ſuo *Tertullianus*, in retrahendis ad velaminis uſum Virginibus, quæ particula eſt hujus præcepti; ad diſcidium prolapſus; pluris eſſe Unitatem, quam præceptum, ad Eccleſiæ Fideique puritatem non neceſſario faciens.

De Apoſtolico Cœnæ dominicæ, & Baptiſmi ritu.

Præterea, recolendum illuſtre eſt in eodem capitulo *Agaparum* exemplum, i.e. *Cœnæ dominicæ*; qua locupletiores cum tenuioribus communi convivio, ſed ſobrio & Chriſtiano, ita epulabantur, ut Sacramento Cœnæ dominicæ communicarent. Nam *Cœna* quidem *dominica* convivium erat, quod

Digitized by Google

Agapen appellabant, *Sacramentum* ejus *Cœnæ* Euchariſtia; unde, convivio non communi celebrari Cœnam dominicam negat Apoſtolus. Recte omnino *Tertullianus,de Corona* cap. III. *Euchariſtiæ Sacramentum, & in tempore victus, & omnibus mandatum a Domino, etiam antelucanis Cœtibus, nec niſi de manu Præſidentium ſumimus.* Quid verius? Quid manifeſtius, quam celebrandæ Euchariſtiæ, ut Baptiſmi præceptum, Eccleſiæ traditum in commune? Nam & clavium Eccleſiæ jus, quod in utroque dando cerni dictum eſt. Atqui, penes *Præſidentium* Ordinem, quem appellat *Tertullianus*, jus impertiendæ Euchariſtiæ manere; Eccleſiæ ſcilicet nomine; diſerte *Tertullianus* Traditioni imputat. Itaque *Agaparum* uſum, à Domino inſtitutum, ab Apoſtolis *Jeroſolymis Act.* II. 42, 46. VI. 1. XX. 7. ab Eccleſia *Corinthi* frequentatum, uſus Eccleſiæ ſuſtulit; manifeſto temporum & ſtatus Eccleſiaſtici diſcrimine nixus. Eodem pertinet & *viduarum Ordo* in Eccleſiis Apoſtolicis, de quibus præcipit *S. Paulus*, 1 ad *Tim.* V. Nam & ſuccedentium Eccleſiæ temporum conſtitutiones fidem faciunt, in Eccleſiæ miniſterio uſum fuiſſe earum ab initio; & ſublatus earum uſus, ſuccedentium temporum mutatione, ſatisfacere debet, inſtituti Apoſtolici ſententiæ non derogari. Sed nihil eſt tanti momenti, ac ritus Baptizandi. Nam quis prudens, ſimul ac Eccleſiaſticæ memoriæ peritus dubitet, perfundendi ac mergendi corporis morem præcepto ſignificari? Atqui introducto parvulorum Baptizandorum more; quin, ne introducto quidem more, ſed, quod ſemper factum conſtat, cum mortis neceſſitate parvuli Baptizarentur; quis ſanus dubitet ita Baptizatos, ut ſanitatis eorum ratio conſtaret? Nam & cum primum in Eccleſiis Baptizatum eſt, neceſſe fuit ab immerſionis ritu, qui in aqua profluenti vel ſtante uſurpari poterat, diſcedi. Idque ratione idonea, ſi vere *S. Petrus*, ſalutis rationem per Baptiſmum, non in ſordium carnis lavacro, ſed in ſincera Chriſtianiſmi profeſſione poſitam oſtendit. Neque enim ad ſalutem intereſt,

vel

vel decori in Eccleſia, vel ſanitatis ac vitæ rationem, in adminiſtrando Baptiſmo, nullam haberi.

Prætereundum non eſt, quod Eccleſiæ *Romanæ*, ex *Judæis* & *Gentilibus* conflatæ, *S. Paulus* ad *Rom.* XIV., mutuam tolerantiam, in *Judaiſmo* vel obſervando vel non obſervando, Legis loco præcipit. Nam quod Communem Chriſtianorum libertatem uſurpare vetat, quoties periculum appareret, ne in ea offenderent ex *Judæis* Chriſtianos, quaſi non à Deo Legis auctore profecta, id manifeſte ad tolerantiam charitatis Chriſtianæ pertinet. Et tamen, quam opinione falſi ſunt, qui hinc apud nos, Legem Eccleſiæ dari nullam poſſe diſputant, quam à ſe obſervari non debere, quantumvis falſo, putet Chriſtianus? Nam quid hoc eſt, niſi nullam Eccleſiæ Legem dari poſſe; Quando nulla eſt, quam ſibi non obſervandam aliquis, obſequii erga Eccleſiam ſui ignarus, putare non poſſit? Utrumque ex diverſis, in eadem cauſa, Apoſtolorum, alibi loci ac temporis inſtitutis, manifeſtum eſt. Nam *Jeroſolymis*, *Act.* XV. non ſolum *immolatis*, ſed *ſuffocato ac ſanguine* abſtineri à Chriſtianis ex *Gentilibus*, inſtitutum eſt. Nimirum eodem modo, quo à Proſelytis non Circumciſis; quibus, locum in terra ſancta, poſtquam Idololatriæ renunciaſſent, Lex *Moyſi* concedit; abſtinebatur. Atqui aliud eſt ritu *Judaico*, aliud charitatis Chriſtianæ intuitu, his abſtinere. Nam & *Corinthi*, *immolatis veſci* jubet *S. Paulus*, ut Dei creaturis, *nihil interrogantes conſcientiæ cauſa*; niſi cum putari poſſet, externum Idololatriæ cultum (erat enim Idoli cultus cui immolabatur, *veſci immolatis*,) pro peccato, ab eo qui hanc libertatem uſurpet, non haberi; Puta cum in *Idolio*, vel *domi ab Idololatra invitatus* recumberet Chriſtianus, 1 ad *Cor.* VIII. 9, 12. X. 25—29. Nam etſi hæc, ponentibus aliam atque aliam Legem, pro temporum ac locorum diverſitate Apoſtolis ipſis, obtinebant; tamen, quod ipſorum inſtitutis, temporum ac locorum diſcrimen tum derogabat, manifeſtum facit, eiſdem, etſi ipſis non jubentibus, locorum ac temporum diſcrimine derogari.

De aliis moribus Apoſtolicis.

derogari poſſe. Eadem eſt ratio ejus moris, ex quo, ab *Aſiaticis* & *Syris Paſcha* decima quarta Luna celebrabatur, reliquis ſequente die dominico celebrantibus. Quis enim dubitet, à *SS. Petro* ac *Paulo Romæ*, & à *S. Joanne Epheſi* diverſa inſtitui potuiſſe, diverſis de cauſis? Ita tamen, inſtitutis diverſis,eadem Fidei Lex & ſalutis derogare poſſet; cujus Legis pars eſt,unitatem Eccleſiæ retinere. Itaque cum,non tam ad unitatem Eccleſiæ,quam ad uniformitatem agendi in Eccleſia, neceſſe erat ut cederet majori minor pars; quis tamen *bonum factum* non aſcribat, quod ceſſat Traditio Apoſtoli, qui, cur aut quando ceſſare debuerit, nihil quicquam tradiderit? Præterea, recolendum eſt hic, quod ſuo loco probatum eſt; Legem eſſe poſitam à Domino toti Eccleſiæ, ut lites inter Fideles ortæ intra Eccleſiam terminentur. Nam poſtquam ſeculum in Eccleſiam ingreſſum eſt, & Poteſtatum civilium patrocinium omnes civium ordines ad Fidem adduxit, hæc Lex ſi obtineret, caderet poteſtas publica, cujus individua toti pars in jure dicundo ſita eſt; Nimirum ad officium Miniſtrorum Eccleſiæ in poſterum pertineret. Succurrit quidem hic Legi Evangelicæ altera Legis Evangelicæ pars, quæ negat, ullum hujus ſeculi jus Evangelicæ gratiæ jure niti; jubente Fideles *S. Paulo*, ſingulos, *in eo quem ad Fidem vocati in ſeculo obtinent ſtatu, manere*, 1 ad *Cor.* VII. 17—24. ſcilicet, ne quis, Evangelicæ gratiæ nomine, aliud ſe hujus ſeculi jus adeptum putet. Sed non eſt quod difficultatem ſolvat, quæ Legem Legi videtur opponere, donec ad hanc rationem nos recipimus, quæ Legem etiam Dominicam, non ad ſingulorum Fidem, quæ Lex eſt ſalutis, pertinentem, ſed ad univerſorum Communionem in Eccleſia, ceſſante ratione propter quam lata eſt, ceſſare poſſe oſtendit.

Hæreticos & Schiſmaticos ad Eccl. ſiam non pertinere. His poſitis, facile conſtat, Hæreticos & Schiſmaticos ad Eccleſiam non pertinere. De Excommunicatis alia ineunda eſt ratio; Quia nulla eſt Excommunicatio decretoria. Neque enim minus ad Eccleſiæ Officium pertinet, reconciliare

liare unitati Eccleſiæ Excommunicatos, quam ad Officium eorum, reconciliari. Inſtauranda eſt tantum Lex Communionis. Itaque, ſiquis injuria Excommunicatus ſit, vetat eum tamen Lex ſalutis deſciſcere ad Hæreſis Communionem, vel Schiſmatis; ne reconciliationi ipſe ſuæ obſtet. Vide *S. Auguſtinum*, de *vera Religione* cap. VI. Sed eorum alia ratio eſt, qui ſeipſos Excommunicant, cum ad Hæreſim vel Schiſma deſciſcunt. Nam cum Eccleſiæ Unitas in Communione poſita ſit, non poſſunt ad Eccleſiæ Unitatem pertinere, quæ ſola vera eſt Eccleſia, niſi qui ad ejus Communionem pertinent. Neque refert quod Baptiſmus eorum ratus ſit, qui in nomine S. Trinitatis Baptizant. Neque enim ratus tantum eſſe debet, ſed etiam ad ſalutem valere, ut ad Eccleſiam pertineant; quem in Hæreſi vel Schiſmate acceptum, non poſſe ad eorum ſalutem valere, qui Hæreſi vel Schiſmati conſentiunt, receptum eſt. Sed ponendum eſt præterea; quod eis conſequens eſt, quæ diſputavimus; Ratum eſſe Hæreticorum Baptiſmum & Schiſmaticorum, non divini præcepti, ſed Eccleſiaſticæ diſpenſationis jure. *S.* quidem *Auguſtinus*, in Libris *adverſus Donatiſtas*, non rato, Sacrilegium eſſe aſſerit, reſignare dominicum ſignum, & Baptizatum in nomine S. Trinitatis rebaptizare. Verum *S. Baſilius*, (cujus ad *Amphilochium* Epiſtolam *Græca* tota Eccleſia in cenſum Canonici Juris recepit.) reconciliandæ pacis cauſa, *κατ' οἰκονομίαν*, de jure Eccleſiæ diſpenſatum ſcribit *Can.* I. Et Scholaſticæ fortaſſe Theologiæ Doctores *S. Auguſtinum* Eccleſiæ totius vocem eſſe putant, quod antiquitatis Eccleſiaſticæ imperiti fuerint. Sed, qui conſentire Eccleſiam ſibiipſi velit, is non minus ſignum Domini reſignari, non minus, reſignando Domini ſigno Sacrilegium fieri concedat, ſi ratus ſit diſpenſatione Eccleſiæ Baptiſmus, quam ſi dominici præcepti jure. Quare extra Eccleſiam erunt, quamvis cum rato Baptiſmo, quorum, per diſpenſationem ſolam ratus eſt Baptiſmus. Quod autem Schiſmaticos attinet; qui, ſolutæ Unitatis Eccleſiaſticæ ſolius nomine,

nomine, Eccleſiæ Communione ſe, ac propterea ſalutis Lege excludunt; Tenendum eſt, Schiſma Eccleſiæ inſtar eſſe belli Civilis, quo de Legibus Communionis Civilis dimicatur. Itaque aliud eſſe ſtatum, aliud crimen Schiſmatis. Cum enim bellum nullum eſſe poſſit utrinque juſtum, injuſtum tamen utrinque bellum eſſe nihil prohibet. Quanto magis in Civili bello; Cum pluris eſſe pacem ad bonum publicum, quam Legum emendationem, neceſſe ſit? Quanto magis in Schiſmate Eccleſiæ; cujus Unitas ad ſalutem, non ſolum partium, divinitus præcepta ſit, ſed omnium Fidelium? Itaque cum ſtatus Schiſmatis partium communis ſit, crimen tamen Schiſmatis ejus partis eſſe oportet, quæ Schiſmati cauſam præbeat. Quod ſi penes utramque cauſa ſit, perinde neceſſe erit, penes utramque crimen eſſe Schiſmatis; Apud Deum quidem. Nam quid Eccleſia judicet, etiam præſentis ſeculi tota, alia ratio ſit; niſi alterius partis ſententiæ ſtari poſſit in Schiſmate, cujus cauſas ex ſolo Dei præcepto diſceptamus. Itaque, utrinque ſalutis rationem conſtare poſſe conſequens erit, ſi penes utramque partem cauſa ſit Schiſmatis. Quis enim dicat, excludi eum poſſe ſalute, qui cum Schiſmati ingemiſcat, communicare tamen niſi eis non poſſit, penes quos Schiſmatis cauſa reſideat? Neque tamen mihi ſumo hoc loco, hanc eſſe partium cauſam, quarum controverſias diſceptamus; Sed, exiſtere poſſe hanc cauſam, ut, quid in cauſa noſtra ſit, conſtare poſſit. Poſtulo autem ab eis hoc loco, quicunque ſunt, qui Schiſmatis cauſam penes nos ſolos eſſe volunt; num totam Orientis Eccleſiam, Eccleſiæ jure, ac ſalutis Lege excidiſſe velint, propter Schiſma, ipſis & Romanæ Sedi inter ſe conflatum. Nam qui hoc non ſumat, tanquam ſponte notum, non poteſt negare, exiſtere poſſe hanc cauſam, quam nos exiſtere tantum poſſe contendimus. Qui ſumat, is nullam rationi locum faciat, in cauſa omnium ſanctiſſima, Unitatis Eccleſiaſticæ, dijudicanda. Itaque nihil eſſe, cur, his poſitis, inanis noſtra diſputatio cenſeri debeat, quidni ſumamus?

Hæc

Digitized by Google

Hæc ſi vera ſunt, multum omnino profecimus, ad figendos poteſtati Eccleſiæ, in totum earum rerum Ordinem, quæ ad inſtituta & Leges Eccleſiæ pertinent, limites. Nam cum ad earum momentum non multum interſit, ab Apoſtolis ipſis, ſive ſcripto ſive more, traditas cenſeri; per multum autem, ab Eccleſia univerſa receptos; (Propterea quod, vel minimi ritus occaſione, ab unitate recedi poſſit, quem pertinacia, Montani puta, Novatiani, vel Donatiſtarum, alienum a communi Chriſtianiſmo pertendat) Manifeſtum eſt, longe pluris eſſe ad communem ſalutem Apoſtolorum authoritatem Eccleſiæ traditam; qua agnita ſalva eſt unitas Eccleſiæ; quam Legum materiem ac ſpecies, ab ipſis traditarum. Cui ſententiæ permultum favet, quod, tanquam ad communem ſalutem neceſſarium, de Eccleſiæ unitate, fidei capitulum, Apoſtolorum Symboli pars ſit. Nam cum hoc ipſo, ad communem Chriſtianiſmum pertinere videatur; manifeſtum videtur, pluris unam hanc unitatis & Communionis Legem, quam reliquam ullam Eccleſiæ Legem, ab Eccleſia cenſeri. Itaque diſtinguendum omnino videtur, inter ea quæ ad ſingulorum Fidelium Officium pertinent, quatenus ſinguli ſunt Fideles, & quæ ſingulorum ſunt, quatenus ad Eccleſiæ Communionem pertinent. Nam ut, antiquiorem eſſe Fidei rationem quam Eccleſiæ, dictum eſt; Perinde antiquiorem eſſe eorum rationem oportet, quæ ſingulorum ſunt, quia ſinguli ſunt Fideles, quam quæ eorundem, quatenus ad Eccleſiæ Communionem pertinent. Itaque neque ad ſalutem ſingulorum neceſſaria eſſe poſſe, quæ ſingulorum ſunt, ideo quia membra ſunt Eccleſiæ; niſi quia eis impedimento ſunt, quæ ad ſingulorum ſalutem ideo neceſſaria ſunt, quatenus ſinguli ſunt Fideles. Nam cum neque ſingulorum ſemper ſit, de Legibus Eccleſiæ judicare poſſe, quid valeant, vel ad unitatis rationem, vel pietatis Chriſtianæ; neque bonitatis divinæ, ſalutis Legem ab eis ſuſpendere, quæ ſingulorum arbitrii non ſint, quorum de ſalute agitur; quis ſingulorum ſalu-

Hæc quid valeant.

tem, ab eis Eccleſiaſticæ Communionis Legibus pendere credat, quas, utrum hinc an inde plus ad ſalutem faciant, propius ad Dei Verbum accedant, neque liquido judicare poſſint, neque eligere? Itaque neceſſitatem ſalutis earum rerum terminis definiendam eſſe, quæ ſingulorum ſunt, quatenus Fideles? Quæ autem eorundem ſunt, quatenus ad Eccleſiæ Communionem pertinent, eatenus ad ſalutem neceſſaria eſſe, quatenus ad Legem ſalutis, in ſingulorum quatenus ſinguli ſunt Fideles Officio poſitam, implendam pertinent. In quibus, etſi multum eſſe momenti oportet, ad ſingulorum ſalutem promovendam; tamen ita, ut magno intervallo diſtent ab iis, quæ ad Legem ſalutis ſingulorum fidelium pertinent. Hanc eſſe rationem idoneam oportet, cur, in eundem cenſum venire poſſint, quæ ab Apoſtolis conſtituta ſunt, cum eis quæ, accepta ab Apoſtolis auctoritate conſtituit Eccleſia: Nimirum quod, edita ſemel ſalutis Lege, in ejus Fidei Lege, quam ſtatu ipſo Eccleſiæ rationis ordine antiquiorem, Dominus ipſe Apoſtolis tradidit; quod ad promovendam omnium ſalutem reliquum ſit, id, ut Apoſtolis pro ſuo tempore, ita Eccleſiæ Dominus, ad finem uſque ſeculi crediderit. Itaque majorem eſſe Unitatis rationem, ad ſingulorum ſalutem, quam ſingularum legum Communionis Eccleſiaſticæ. Sane, cum in dialogo Luciferiani *S. Hieronymus*, Provincialium Eccleſiarum mores *Apoſtolicarum Traditionum* nomine cenſeri agnoſcit; quid aliud reprehendere putandus eſt, quam, quod majus ad pietatem momentum in eis ponitur, quæ Traditionum Apoſtolicarum nomine cenſentur, quam in eis poni potuiſſet, ſi ab Apoſtolis tradita non fuiſſent? Nam quæ, intra fines conſtitutæ ab Apoſtolis auctoritatis, jure divinitus conſtituto prodita conſtat, ea fidelium obſequium, non minus pietatis Chriſtianæ nomine, (cui, quæ non adverſentur, inſervire poſſe neceſſe eſt) quam unitatis Eccleſiaſticæ, teneri neceſſe eſt. Neque tamen Apoſtolos eis æquamus, qui Apoſtolorum auctoritate, ſucceſſione accepta, miniſtrant Eccleſiæ. Cum enim,

enim, quæ ab Apoſtolis conſtituta ſunt, ea extra erroris aleam conſtituta eſſe; ſive prudentiæ nomine, S. Spiritus dono acceptæ, ſive pietatis, ad quam, ſemper tantum facere putanda ſint, quantum res ferebat; Quæ a ſucceſſoribus Apoſtolorum ſtatuuntur, etiam intra limites auctoritatis ab Apoſtolis acceptæ, nec prudentiam carnis reſipere quicquam prohibet, nec propterea, ad pietatem non tantum valere, quantum & poterant & debebant, Quæ tamen, unitatis Eccleſiæ nomine, obſequium fidelium tenere oporteat.

Quæ ſint, propter quæ Antichriſtus Papa non ſit.

His conſtitutis, præſcribendum eſt fanaticis noſtris; qui Spiritui divino imputant, quicquid ſibi odium R. Sedis dictaverit, quam Antichriſti corpus eſſe, eodem ſe dictante Spiritu percepiſſe putant; Primo loco diſpiciendum ſibi, quo nomine Papam eſſe Antichriſtum velint. Neq; enim poſſe putari Antichriſtum, propter ullam earum rerum cauſam, quæ toti ab initio Eccleſiæ cum ea communes oſtendi poſſint. Communes autem cum dico, non ea ſolum dico, quæ apud totam ab initio Eccleſiam Legum vim habuiſſe oſtendi poſsunt; Quæ fortaſſe pauca admodum futura ſint. Sed quæ oſtendi poſsunt ita obtinuiſse, apud aliquas Eccleſias, ut reliquæ eis communicarent, nihilominus, ea omnia earum cenſu rerum eximenda ſunt, propter quas Papam eſse Antichriſtum contendi poſſit; Niſi tamen Chriſto auctore Antichriſtum eſse Papam contendere velint. Nam auctorem eſse Chriſtum earum rerum, quas intra legitimas juris ſui fines agit Eccleſia, non magis dubitari poteſt, quam Fidei & Eccleſiæ auctorem Deum eſse. *Hegeſippus apud Euſebium Hiſt.* III. 32. Superſtitibus Apoſtolis, uſque ad *Trajani* tempora, Virginem & incorruptam perſeveraſse Eccleſiam ſcribit, *latitantibus adhuc, quaſi in ſpeluncis ſuis, qui etiam tum, adulterare ſtudebant Regulam ſalutaris prædicationis.* Poſtquam autem ætas eorum, qui ipſi Dominum audiſent, mortalitati conceſſiſset, tum vero initium factum erroris. Hoc avide arripiunt Sociniani; & qui

reſorbent eorum vomitum, ut in Eccleſiam reijciant, quaſi de univerſa dictum, ad interpretandam Prophetiam Paulinam, 2 ad *Theſſal.* II. 6, 7. Quaſi id quod *impedire* dicit Apoſtolus, *ne reveletur myſterium iniquitatis, quod etiam tum ageretur*; ætas eſſet Apoſtolorum; quibus defunctis, tum vero Antichriſtum Eccleſiam obtinuiſſe. Hi, niſi præjudicio animi ſui, adverſus ſenſum hominum communem indulgerent, facile viderent, non magis Eccleſiam totam ſimul pervadere corruptelam potuiſſe, quam vel Fidem S. Trinitatis, vel redemptionis per Chriſtum, ad hanc corruptelam pertinere; vel ipſam denique Chriſti Fidem, per impoſturam obtinere. Æque facile vidiſſent, non eſſe ſermonem *Hegeſippo* de tota Eccleſia, ſed de *Jeroſolymitana*; in qua, etiam ſuperſtitibus Apoſtolis, erant, qui *adulterare ſtuderent ſalutaris prædicationis Regulam*; *etſi latitantes quaſi in ſpeluncis ſuis.* Hoc enim etiam ex Apoſtolorum ſcriptis, quam verum ſit conſtat; deſcribente eorum mores ad amuſſim *S. Judæ* Catholica, (quam *S. Petrus* in ſuæ ſecundæ caput ſecundum tranſcripſit) ut monerentur ex *Judæis* Chriſtiani, per Provincias diſperſi, quomodo caverent ſibi ab eis, qui *Jeroſolymitanam* Judaicæ Fidei matrem Eccleſiam adulterare cæperant. Nam & *SS. Jacobi* & *Joannis* Catholicas, qui ad eoſdem pertinere ſtatuat, habebit in eorum Fide ac moribus, ab Eccleſiæ vetuſtiſſimis ſcriptoribus abunde prodita, quibus ſe tueatur. Sed ſententiam ſuam ſatis aperte prodit *Hegeſippus*, cum ſubdit; Οἱ καὶ, ἅτε μηδενὸς ἔτι τῶν Ἀποστόλων λειπομένου, γυμνῇ λοιπὸν ἤδη τῇ κεφαλῇ, τῷ τῆς ἀληθείας κηρύγματι τὴν ψευδώνυμον γνῶσιν ἀντικηρύττειν ἐπεχείρουν. *Qui, quaſi nemine amplius Apoſtolorum ſuperſtite, nudo jam demum capite, veritatis præconio falſi nominis ſcientiæ prædicationem opponebant.* Eodem ſpectat, quod *Symeonem Clopæ F.*, ſecundum poſt *S. Jacobum Jeroſolymorum* Eccleſiæ *Epiſcopum*, ab ipſis accuſatum Martyrium feciſſe, idem ibidem ſcribit.

Quid, non neceſſe ſit ad ſalutem fide teneri. Sed & aliud, magni ad rem noſtram momenti, his poſitis lucrati ſumus; Nimirum, notam & Characterem eorum,

rum, quæ fide teneri ad ſalutem communem neceſſarium eſt: tum, ingens inter ea, & quæ ad Eccleſiæ Leges pertinent, diſcrimen, quod quidem ad communis ſalutis rationem attinet; Quamvis utrumque genus traditione Eccleſiæ conſtare debet. Nam de eis quidem, quæ Lege Eccleſiæ tenentur, propterea conſtare poteſt, quod ipſa Eccleſiæ ſocietas, & hominum communi ratione utentium manifeſta communio, ſi ignota non ſit, perpetuas ejus Leges ignotas eſſe non ſinit. Tamen, cum alia ſit Lex credendi, communione Eccleſiæ rationis ordine antiquior, (cujus ſcilicet profeſſio conſtituendæ Eccleſiæ Lex eſt) quæque ad eam ſupponatur, alia ordinis in Eccleſiæ communione retinendi; per multum communis Chriſtianiſmi, retinendæ autem unitatis Eccleſiæ totum intereſt, hujus differentiæ momentum intelligi. Traditionis nomine utrumque genus tenetur. Itaque eodem momento ad Eccleſiæ unitatem utrumque æſtimari, in proclivi eſt. Quod cum ſit, a ſinceritate Chriſtianiſmi diſcedi neceſſe eſt. Atqui quod propoſui hujuſmodi eſt. Quæ fide teneri ad ſalutem neceſſarium eſt, ea ſtatum Eccleſiæ præcedere, & ad eam conſtituendam ſupponi; Regulam dico fidei, Sacramenta Baptiſmi & Euchariſtiæ, & poteſtatem clavium; hoc eſt, Eccleſiæ unitatem ſenſui ſubditam, & jura, quibus eam contineri & conſtare dictum eſt. Quæ autem conſtitutam Eccleſiam ſequuntur, tanquam Leges ad tuendam inſtitutam communionem, unitatemque retinendam neceſſariæ, ea ad fidei officium minime pertinere; (quaſi integer non ſit ſine illis communis Chriſtianiſmus) tantum ad eam conferre, quantæ, ad augendam pietatem, ſimul & ad unitatem Eccleſiæ retinendam, neceſſitatis ſint. Hoc ſi obtineat, non dicam hoc loco, quid ad ſalutem fide teneri neceſſe ſit, quid non; ſed tamen hoc recepto charactere, quam multa minime neceſſe erit fide teneri, quod conſtitutionem Eccleſiæ ſequantur, tanquam rationis ordine poſteriora? Obtinere autem, poſitis quæ dicta ſunt, neceſſe eſt. Ecce ſtatim, quid a Chri-

Chriſtianiſmo alienius eſt, quam, non eadem, omnes qui ſalutem aſſequuntur, ratione ac Lege ſalutem aſſequi, cenſeri? Certe aliter nulla eſt *communis Fides*, ſecundum quam, *Titum filium ſuum S. Paulus* appellat, ad *Titum* I. 2. Atqui vel nulla eſt ſub Evangelio ſalutis aſſequendæ Lex, vel eadem omnium; niſi quatenus diſcrimen facit cauſarum diſcrimen, quæ ſingulorum erunt in Dei judicio. Hoc autem ad id quod nunc quærimus non facit; ubi nihil aliud in quæſtione eſt, quam quid commune ſit omnium, qui ſtatum gratiæ ac ſalutis aſſequuntur; quod ſincera Chriſtianiſmi profeſſione contineri, dictum eſt.

Quæ Communio, in Schiſmate, ad ſalutem neceſſaria.

Si Deus hominibus Legem ferat, qua Lege ſalvos velit, neceſſe eſt Legem quam fert, in ipſorum arbitrio poſitam cenſeri, non in aliorum, id eſt, eorum, penes quos eſt Eccleſiæ conſenſus, qui Legem ponit Eccleſiæ; Nimirum, ſi ipſam impleverint, ut ſalutem aſſequantur, ſin vero, ſalute excidant. Atqui, quæ futuræ ſint Leges Eccleſiæ, non poteſt in ſingulorum, quorum de ſalute diſputatur, Chriſtianorum arbitrio poſitum cenſeri. Id ſolum penes ipſos erit, ad eam ſe Eccleſiæ communionem aggregare, quæ proxime ad inſtitutionem divinam videri debeat accedere; quoties id evenit, quod hujus diſputationis cauſa eſt, ut in partes diviſa ſit Eccleſia. Ergo, quas fide teneri, nunquam, ad ſalutem neceſſarium eſſe dictum eſt; Leges ſcilicet Eccleſiæ; eas, fieri poteſt ut neceſſe ſit ne teneri quidem, aut pro Legibus Eccleſiæ agnoſci. Nimirum, ſi quando ita diviſa ſit in partes Eccleſia, ut partim agnitis utrinque originariis Eccleſiæ inſtitutis, alia non retineri conſtet. Hic enim, cum fieri poſſit, ut non conſtet, utris in partibus retineantur originaria Eccleſiæ inſtituta illa quæ ad ſalutem plurimum momenti habent; Fieri etiam poteſt, ut difficilius ſit tam ancipitis cauſæ judicium, quam ut videri Deus poſſit, rectum de ea judicium, tanquam Legem ſalutis, ab omnibus quorum ſalutis intereſt exegiſſe. Cum enim quæ à Deo inſtituta ſunt, ad communem ſalutem, eo ordine

ordine ac modo, eoque momenti diſcrimine valere neceſſe ſit, quo, ad ſalutem ſingula valere, inſtitutum à Deo ſit; Si quid abſit eorum quæ ad ſalutem neceſſaria eſſe Deus inſtituit, cauſæ nihil eſt, quo minus, eis abſentibus, ſalutis diſpendium fiat. Quæ autem plurima, ad ſalutem quidem conferunt, ita tamen, ut, ſine eorum quolibet, vel quibuſlibet, obtineri poſſit; eorum abſentia ita demum ſalutis jacturam inducet, ſi impedimento ſint, quo minus aliquid eorum adſit, quæ ad ſalutem neceſſaria eſſe conſtet. Puta, cum erga Deum, erga proximum, erga ſeipſum, niſi ex fidei Lege ſe gerat Chriſtianus, ſalute excidat; cui impedimento fuerint Eccleſiæ Leges perverſæ, ne officium faciat, is propterea excidat ſalute, quod ea deſint Eccleſiæ inſtituta, quæ ad omnium ſalutem neceſſaria non ſint; Sed quem, hæc ſi adfuiſsent, ſalute tamen excidere pronum erat, is cur ſalute non exciderit, proximæ cauſæ loco erit, quod, inſtitutis Eccleſiæ adjutus, Fidelis hominis officium fecerit.

Quid fide ad ſa utem tenendum, de Unitate Eccleſiæ.

Sed cum ad ſalutem neceſsaria eſse dictum ſit, quæ conſtitutionem Eccleſiæ antecedant, quæ ſequuntur non item; de ipſo Eccleſiæ ſtatu merito quæri poſse videtur, utrum ad omnium ſalutem neceſsarium ſit, credere Eccleſiam Catholicam à Deo inſtitutam; quam, niſi Communione ſenſui hominum communi ſubdita, Catholicam eſse non poſse, tam certum eſt, quam, hoc ad fidem communem pertinere, dubium. Nam quis facile credat, cum *fides* omnium *communis ſit*, quam *ſalus communis* poſtulat; cumque ad ſalutem pertinere non poſſit, id fide teneri, quod, quare Fide tenendum ſit, idoneam nullam rationem videas; Quis unquam facile credat, unitatis Eccleſiæ à Deo inſtitutæ, omnibus quorum intereſt idoneam conſtare rationem poſse, qui, quid ſibi velit ſocietas, humana quidem, non tamen civilis, ſed religioſa, viſibili officiorum pietatis Chriſtianæ communione conſtans, ſi dicas, non aſsequatur? Cujuſmodi majorem partem eſse ad ſalutem aſpirantium

rantium, quis dubitet? Et tamen, cum ad ſalutem omnium neceſſarium ſit, Eccleſiæ communione cenſeri, quis Eccleſiæ communionem ſibi ad ſalutem neceſſariam putet, qui Eccleſiæ communionem divinitus inſtitutam non credat? Quare cum, *ſpiritualis* communionis *a viſibili* diſtinguendæ rationem, atque adeo, quid ad Eccleſiæ ſtatum requiratur, non omnium ſit ſcire, quorum ſalutis intereſt; Eccleſiæ tamen communionem omnibus retinendam, neceſſario credendum ſit; videtur Symboli capitulum, quod eſt de fide Eccleſiæ Catholicæ, hanc vim habere, ut, communionem Eccleſiæ ſibi retinendam, omnes ad ſalutem neceſſarium credant. Hoc autem facere non eſt difficilius, quam, de cauſa, propter quam diſcidium Eccleſiæ exiſtit, judicare. Facilius autem eſſe non poteſt. Neque enim Eccleſiæ communio ſalutem offert, niſi ejus quæ Catholicæ cauſam ac titulum obtinet: Neque ejus communionem Dei nomine eligit, niſi qui de hac cauſa cognoverit.

Omne Eccleſiæ diſcidium ſuperſtitionem in ſe habere.

Cum igitur tantum interſit, ad momenta quidem ſalutis, inter Regulam Fidei & Leges Eccleſiæ; etſi omnis in utroque rerum genere error ſuperſtitionem quandam & ἐθελοθρησκείαν poſt ſe trahit, tanto tamen levior erit, quanto cauſam leviorem habet. Equidem, omnis omnino à vera erga Deum religione aberratio, cum religionis debitum, rationis lumine & naturæ dictamine notum, perſolvere pertendat, quo modo ſolvendum non eſt, merito, nexu divinitus aſtricto ſolvi ſuo ſe arbitrio credit; Quod nihil aliud eſt, quam, Deo debitum, moneta quam quis ipſe cudat, exoluere. Hæc Idololatriæ, hæc Judaiſmi, hæc hæreſis ratio eſt; quæ aſcitam voluntatis electione religionem ſonat. Itaque libenter hoc loco S. *Hieronymi* Commentarios in Prophetas adhibeo; In quibus, cum literalem ſenſum, ad veteris populi ſtatum pertinentem, ad Eccleſiæ ædificationem myſtico ſenſu interpretatur, apoſtaſiam decem Tribuum, ſicut à domo Davidis, ſic à Templo *Jeroſolymitano* &

& vero Iſraelis Deo ad Idololatriam, de defectione ab Eccleſia ad Hæreſes & Schiſmata intelligendam ſubinde monet. Nam ut Superſtitionis caput eſt Idololatria; ita omnis Dei cultus, non ſolum extra Veritatem Fidei, ſed etiam extra Unitatem Eccleſiæ, alterius Dei cultum in ſe continet ab eo, quem Fides Chriſtianorum communis intra Eccleſiam colendum proponit. Sane de *Samaritis* Dominus *Joan.* IV. 2. *Vos adoratis quod non noſtis*; *Nos adoramus quod novimus*; Cum tamen, eundem cum *Judæis* Deum coluiſſe tum *Samaritas*, manifeſta res ſit. Omnis enim commentitia Religio talem ſibi Deum colendum proponit, qualem ſibi ipſa commenta ſit, non qualem ſe ipſe oſtendit; Quod Idololatriæ inſtar quoddam eſt. Atqui, cum, quantum ad officium hominis Chriſtiani valeat Legum Eutaxiæ Eccleſiaſticæ obſervatio, ex dictis conſtet; ſimul autem, rebus ipſis, quanto magis inſiſtatur eis de quibus lis eſt, quam eis quæ ad Dei cultum majoris momenti ſint; (quod omnibus uſu venit in fide imperfectis, ut putent, graviorum officiorum neglectum, fervidiore in levioribus Zelo redimere) manifeſtum eſt, omnium in Eccleſia imperfectorum (quales omnes ſunt) officiis ἐθελοθρησκείαν quandam adhærere, & ſuperſtitionem; tanto quidem leviorem, quanto religioſius in maximi momenti rebus verſantes, minus ſibi conſcii ſunt, ſolvendum ſibi reſtare, quod, niſi moneta quæ notam à Deo incuſam non habeat, ſibi ſolvendum non proponunt.

CAP. XV.

Solum Eccleſiæ uſum non facere fidem Traditionis. Traditionem Reformationi non obſtare. Nullam eſſe de Millennio; nullam, de Euchariſtiæ ad ſalutem Baptizatorum infantium neceſſitate, Traditionem. Difficilius eſſe poſſe, quam pro captu ſingulorum Fidelium, Schiſmatis cauſas dijudicare.

Quid Traditum, certari poſſe inter credentes Traditionibus.

HIS poſitis, negligi poſſunt quæ diſputantur ab eis, qui Scripturas extare nullas volunt,quarum fides extra dubium poſita ſit; ut ſola Traditione teneri Fidem conſequens ſit. Hi, tanquam communi omnium ratione manifeſtum poſtulant, non potuiſſe univerſam Eccleſiam; cui quidem perſuaſum fuerit ab initio, neceſſaria ad ſalutem Traditione ſe tenere; adduci unquam, ut aliquid pro tradito teneat, quod traditum non ſit. Nam quis hoc univerſis Chriſtianis perſuaſerit? Quis univerſos adigat, vel falli, vel fallere, in eo quod ſenſus hominum communis judicat? præſertim in eo quod ſola ſpe vitæ futuræ tenetur, hujus ſeculi paci ac cupiditatibus inimicum. Tum,neque,momento temporis, à Fide ſemel tradita diſcedi potuiſſe, neque diuturniori temporis ſpatio, neminem naſcenti errori contradixiſſe. Gravis quidem objectio, & ei ſententiæ neceſſario ſolvenda, quæ Scripturæ ſenſum, Traditionis limitibus finitum, omnis de veritate Chriſtianiſmi quæſtionis terminum conſtituit. Solvitur autem, animadverſo, non ſolam Fidem Chriſtianiſmi, ad omnium ſalutem creditu neceſſariam, ſed etiam Leges Eccleſiæ,ad eandem minime neceſſarias. Traditione teneri, ut dictum eſt; Pariter atque Scripturis omnia ad ſalutem neceſſaria contineri, ſed nulla nota, ab eis quæ non ſunt ad ſalutem neceſſaria, in Scripturis diſtingui. Hinc enim, ut Eccleſiæ condendæ neceſſitas,

ceſſitas, ſic conditæ authoritas, in tradenda Fide alia, *alia* in Legibus ſibi ſtatuendis, & repetita eſt à nobis, & repetenda fuit. Hoc enim ſi verum ſit, quærendum manet, numnam apud eos, quibus de Traditione convenit, quæſtio exiſtere poſſit, quæ unitatem Eccleſiæ ſolvat, vel veritatem Fidei vitiet. Nam ſi hoc fieri poſſe manifeſtum eſt, quod factum omnes vident; quæ autem Traditione tenentur ad Fidem pertinentia nulla nota ab eis diſtinguit, quæ non pertinent, donec conſtet quid verum à falſo diſtinguat; manifeſtum eſt, ne de Fide quidem, Traditione præſentis Eccleſiæ judicari poſſe. Tum, ſi poſſet, quid illud eſſet ad reconciliandam Eccleſiæ unitatem, quamdiu non conſtat, numnam idonea ejus mutationis cauſa eſſe poſſit, quæ diſcidio materiam præbet; quod ad fidem non pertinet? Nam etſi Religio vinculum ſit, natura hominum animis inſitum; vera tamen Religio (id eſt Chriſtiana) poteſt eſſe multis nominibus, cupiditatibus hominum naturæ inſitis adverſa; Ne nunc dicam eſſe, quod ſuo loco probandum eſt. Satis enim eſt, cum ſupra captum naturæ ſit, idoneam extare poſſe rationem, & inſitum naturæ humanæ principium, ab ejus ſinceritate recedendi. Hoc ſatis eſſe dico, cur decreta de Fide, cur mores communi Chriſtianiſmo noxii, in Eccleſiam introduci poſſint; Præſertim, poſtquam, ingreſſo in Eccleſiam ſeculo, (id eſt, recepto Imperii Romani Legibus Chriſtianiſmo) communio Eccleſiæ, (quæ ab initio, quotidiano literarum & internunciorum inter Eccleſias commercio conſtabat) ab authoritate ea, cui ſeculum aſpirabat, pendere cœpit. Nam ut ſeculi vitia, ſimul cum ipſo, Eccleſiam ingreſſa ſunt: Sic ea facile fuit, ſive tacitis moribus, ſive expreſſis decretis, Eccleſiæ auctorare. Accedit enim, neglectus finium eorum auctoritati Eccleſiæ ponendorum, quos ſtatuimus. Nam qui nullos agnoſcit, eum, quicquid Eccleſiam tenere videt, id ab Apoſtolis traditum putare neceſse eſt. Sane ſiquis, audito Eccleſiæ nomine, univer-

Digitized by Google

ſam, quæ Traditionem facit, à præſenti, quæ decernit, non diſtinguat, quid mirum eſt, præſentis Eccleſiæ mores & uſum, Traditionis Eccleſiæ Catholicæ, & nomine & vi cenſeri? Itaque communis quidem Chriſtianiſmus nunquam recipi potuiſſet, niſi veræ fuiſſent rationes propter quas recepta eſt; Neque enim unquam, impoſturæ nomine, perſecutioni ſeipſos exponere, genus humanum conſenſiſſet. Verum, recepto in profeſſionem ſeculi Chriſtianiſmo, contra ſe res habuerit. Nam qui ab ea auctoritate recedat, quam ſeculi poteſtates tuentur, is propterea ſtatum ſuum in quæſtionem adducat, quod à Chriſtianiſmo recedere videatur; quem, Eccleſiæ decretis contineri, ſeculi poteſtas præjudicat.

Exempla, quæ hoc fieri oſtendunt.

Et ne obſcura ſit diſputatio, quæ in generalibus conſiſtens, ad particularia non deſcendit; Qui hanc opinionem tutorio nomine, tanquam alieno partu proditam, primus in lucem edidit, idem de *medio animarum ſtatu* ſententiam, quæ nullam prorſus ante ſupremum judicium Purgatorio liberari vult, Traditionis Apoſtolicæ nomine contra eos tuetur, qui Traditiones Apoſtolicas æque cum ipſo agnoſcunt. Quin, adverſam ſententiam, Apoſtolicæ Traditionis nomine, univerſam Eccleſiam, cujus ſe communione proſcribit, occupaſſe, quidni affirmem; ipſo tantum, cum paucis fortaſſe quibuſdam, diſſentiente? Quæro quam cauſam dicat, à Traditione, ex ſua ſententia, non recedi ab eis, qui adverſam Traditione tenere ſe putent: Quam notam edat, cur in re ad fidem pertinente receſſum non ſit, conſecraneis ſuis omnibus adverſum ſententiam Fidei aſcribentibus. Præterea, ut aliud edam in quo pedem figamus; Traditiones Græca Eccleſia non minus agnoſcit, quam Latina. Et tamen quid Traditione tenendum ſit, in quæſtione verſari quis neget? Tum, à pleriſque, utrinque, de fide quæſtionem eſſe contendi. Adeo manifeſtum eſt, inter eos, quibus de Traditione convenit, poſſe, quid Traditione tenendum ſit, de eo controverti.

troverti. Equidem ſi univerſam graviſſimi cauſam Schiſmatis, Græcam inter & Latinam Eccleſiam diſpiciamus; Quis dubitet, agnoſcere vim Traditionis, quantam quidem Catholica agnoſcit Eccleſia, Eccleſiam Græcam; Cum nulla eſſe poſſit ſive Traditio Catholicæ Eccleſiæ, ſive Eccleſia Catholica, ſi Græcam Eccleſiam, (præſertim ante Schiſma conflatum, de quo nunc ſermo eſt) ſi, inquam, Græcam Eccleſiam excludamus? Non opus eſt, ſingulas ejus cauſæ partes, de qua conflatum hoc Schiſma ſit, hoc loco a me recenſeri; Cujus qui nullam idoneam cauſam agnoſcit, nullam aliam agnoſcere poteſt, quam pertinaciam, in ſtudio, vel uſurpandæ auctoritatis, vel libertatis retinendæ. Præcipuam autem diſsentiendi materiam attuliſſe contentionem de proceſſione Sp. Sancti, & de additamento ad Symbolum, quo *a Patre Filioque* procedere eum perhibetur, dubium non eſt. Quod cum non fuiſſe receptum à *Leone* III. Pontifice conſtet, quo tempore receptum fuit per Eccleſias dominio *Caroli M.* ſubditis; pariter conſtare neceſſe eſt, non eſſe cur unitati Eccleſiæ obſtaret utrum reciperetur, an non reciperetur, ſi modeſtia ferendi diſſentientes libidini imponendarum parti a parte Legum prævaluiſſet. Quod eſt dicere, propterea Schiſma conflatum, quod pro Traditione receptum non ſit, quod ab initio Traditum oſtendi non potuit. Denique illa ipſa contentio, utrum ſupra Papam Concilium ſit, an Concilium ſupra Papam; quam in viſceribus Eccleſiæ Latinæ etiamnum hærere dictum eſt; quis neget inter partes verſari, quarum utraque vim Traditionis, & Catholicam Eccleſiam agnoſcat? Adeo manifeſtum eſt, imponere eos communi hominum ſenſui id agnoſcendum, quod nemo, niſi auctoritate ipſorum occupatus videat; qui præjudicatum velint, id totum ab initio Traditum, quod præſentis ſeculi tota Eccleſia uſurpat, nullo ab eis diſcrimine, quæ ab initio Tradita etiamnum obtinent. Itaque hanc eſſe, ut difficultatis, in inſtauranda Eccleſia, ita de

inſtaurata

inſtaurata certitudinis rationem; ſi in aperto poni poſſit, (de eis ſaltem, quæ unitati obſtant, quod de veritate non conſtet) nihil eorum, quæ Legis vim habuerint ab initio Fidei, vero Scripturæ ſenſui obſtare. Quod, ut in omnibus obtineri nec poſſe certum eſt, nec neceſſe eſſe; ita in eis, quæ ad univerſorum unitatem, quæ ad ſingulorum ſalutem neceſſaria ſunt obtineri poſſe pariter certum eſt, ac, ad unitatem ex veritate inſtaurandam ſatis futurum, ſi obtineri poſſet. Hæc ſatis erunt hoc loco; Neque enim aliud agit reliqua diſputatio noſtra, quam ut, quid diſtet præſentis Eccleſiæ Traditio, ante Reformationem introductam, ab Apoſtolorum Traditione, oſtendat.

Reformationis cauſæ non obſtare hanc ſententiam.

Si quis hic objiciat; Poſtquam *Lutherus*, à Pontifice damnatus, Concilium appellaverit, quod ſecundum ſolas Scripturas judicaret, Traditionem Eccleſiæ ad interpretandam Scripturam requirere, Reformationis cauſam eſſe tradere; Reſpondebo ex veritate; Poſſe eum latius, poſſe anguſtius intelligi, qui Concilium recuſet, niſi quod ex ſolis Scripturis pronunciet. Nam & *Socinus*, cum omnem diſputationem, niſi ex ſolius Scripturæ verbis inſtitutam recuſât, ex ſolis Scripturis & ipſe pronunciat, & adhibentem Eccleſiæ teſtimonium ad interpretandas Scripturas repudiat. Et tamen, cum, ad definiendum Scripturæ ſenſum, adhibendum Traditionis Eccleſiæ teſtimonium contendo, ipſe vere dico, me ſolius Scripturæ; hoc eſt, Dei ſolius Scripturam inſpirantis; auctoritatem ſequi. Auctoritatem teſtimonii Eccleſiaſtici, ad Scripturæ ſenſum ex ſecuto Eccleſiæ uſu in liquido ponendam, cum requiro, ſequor ductum communis hominum rationis, in ambiguo ſenſu Scripturæ indagando. Itaque ex ſolis Scripturis pronunciabit Concilium, quod Eccleſiæ Traditionem ad definiendum Scripturæ ſenſum adhibet; Quia ſolum Deum auctorem ſequitur, quem per Scripturas locutum conſtat. Eccleſiæ conſenſum adhibet, cujus teſtimonio certior fiat ſenſus hominum communis, traditum Scripturis,

quod

Digitized by Google

quod Eccleſiam in auctoritatem recepiſſe conſtat. Hoc ſi faceret *Socinus*, non poſſet rationem reddere cur ab Eccleſiæ Fide deſciſcat, cujus auctoritatem ſemel ſecutus ſit. Nam & Reformatos, (qui hanc Reformandæ Eccleſiæ cauſam identidem edunt, quod, ab originariis univerſæ Eccleſiæ inſtitutis deſciviſſe totam Sedis Romanæ Communionem, manifeſtum ſit) nego aliter ſibi conſtare poſſe, ſi ſuam ipſi rationem ulla in re repudient; Nimirum, ſi ad originarium univerſæ Eccleſiæ conſenſum exigi nolint, quicquid eſt quod Reformationem appellant. Longe diverſa eſt eorum ratio, qui jam ſtatim exiſtentis Eccleſiæ decreto fidem eorum niti volunt, quæ decernuntur; Nimirum, cujus auctoritate, etiam Scripturis fides debeatur. Ac proinde, Fidem ullam habere non poſſe, quæ divinitus inſpirata ad ſalutem valeat, ſi quis de illo, quicquid ſit, vel leviter ſibi dubitandum putaverit. Neque enim poteſt auctoritate decernentis Eccleſiæ teneri, quod ante conditum decretum Traditione valebat. Adeo eſt inconciliabilis auctoritati Traditionis, auctoritas Eccleſiæ decernentis, ad ejus Fidem, quod Traditione valet. Quare, neque unquam rationem reddere poterunt, quare vel per ſe Pontifex, vel ſub Pontifice Concilium legitime coactum, examinandum ſibi earum rerum veritatem ſumant, (ex Scripturis, nimirum, & Traditione Eccleſiæ) de quibus decernunt; ſi ſibi legitime coactis, aut ad decernendum legitime accedentibus, erroris inmunes eſse datum putent. Recte quidem cavebunt, ne quis juris apex deſit, unde videri poſſint non legitime ad decernendum accedere; Si tamen per rerum humanarum varietatem caveri hoc unquam poſſit; quod mihi non videtur. Sed qui legitime ſe ad decernendum deſcendere putant, non poſsunt videri fidem habere eis, quæ pro ipſis advocati ipſorum pertendunt, ſi de mente Scripturæ, vel ex Traditione Eccleſiæ habenda, ſoliciti ſunt. Media eſt igitur ſententia quam tradimus, Socini Hæreſis, & eorum R. Sedis advocatorum,

rum, qui, ut ſe expediant moleſtia, eorum ſingulorum aſſerendorum, quæ Reformandæ Eccleſiæ nomine antiquata ſunt, commenti ſunt dotem Eccleſiæ, ut ab erroris periculo immunis ſit, quoties ad decernendum legitime deſcendit. Sed qui hanc eſse totius ejus Eccleſiæ ſententiam dicat, quæ R. Sedis Communione cenſetur, non minus à veritate aberrabit, quam qui eam *Lutheri* provocationi conſtare poſse neget, à Sedis R. decreto ad Concilium appellantis, quod ex ſolis Scripturis pronunciet.

Nullam eſſe, de Millennio, regnaturi Chriſti, Traditionem.

Objicitur præterea, Chiliaſtarum ſententiam fuiſse ab initio toti veteri Eccleſiæ communem; eis nimirum, qui eſsent ὀρθογνώμονες κατὰ πάντα Χριστιανοί, ut loquitur *Juſtinus diſp. cum Triphone*; eos ſignificans, qui Catholicæ Eccleſiæ communicarent; Quæ tamen nunc hæreſis locum & ordinem occupat. Et ſane *Juſtinum* habemus, *Irenæum*, *Tertullianum*, *Lactantium*, *Victorinum*, alios, qui Papiam ſecuti hunc errorem erraverint; Scriptorem Apoſtolis ſupparem, ſed judicio tenui, notante *Euſebio*. Sed Scriptorum Eccleſiaſticorum nomina Traditionem non faciunt. *Juſtini* verba, ſi Legem credendi Catholicæ Eccleſiæ communem ſignificarent, difficultatem haberent. Sed nihil tale ſonant, ſi recte interpungas, & *Juſtini* ἰδιωτισμὸν recte interpreteris. Ἐγὼ δέ καὶ εἴ τινές εἰσιν ὀρθογνώμονες κατὰ πάντα Χριστιανοὶ, καὶ σαρκὸς ἀνάστασιν γενήσεσθαι ἐπιστάμεθα· καὶ Χίλια ἔτη ἐν Ἱερουσαλὴμ οἰκοδομηθείσῃ, καὶ κοσμηθείσῃ, καὶ πληθυνθείσῃ, οἱ προφῆται Ἐζεκιὴλ, καὶ Ἡσαΐας, καὶ οἱ ἄλλοι ὁμολογοῦσιν. *Ego autem*, inquit, *& ſi qui ſunt orthodoxi in omnibus Chriſtiani, & futuram carnis reſurrectionem novimus: Et Millenium in Jeroſolymis ædificatis, ornatis, & multiplicatis agendum, Prophetæ Ezekiel, Eſaias, & reliqui profitentur.* Idiotica oratio *Juſtini* ad eoſdem videbatur fidem Millennii trahere, qui reſurrectionem profitebantur. Et ita intelligendus eſset, ſi ὡς οἱ Προφῆται vel ſi ἃ οἱ Προφῆται dixiſset. Sed ſi nihil aliud dicat, quam

quam Prophetas *Ezechielem*, *Eſaiam*, alios idem agnoviſſe; nihil aliud dixerit, quam à ſe, & ab aliis ejuſdem ſecum ſententiæ quibuſdam, eos hoc dixiſſe intelligi. *Judæos* quidem, non eſt mirum; qui durationi hujus Univerſi VII. M. annorum, originario Dei conſilio aſſignata tradunt; Millennium, poſt bis mille Meſſiæ ſui annos agendum expectare. Scholæ cujuſdam R. *Eliæ* tribui ſolet hæc Traditio, cujus inter alios meminit *Baal hatturim in Gen.* II. ex Titulo *de Synedrio cap. Helek.* Sic autem ſonat; *Sex mille annos durabit mundus, tum deſtruetur. II. M. Inane. II. M. Lex. II. M. dies Meſſiæ. Et propter iniquitates noſtras, quæ multæ ſunt, præterierunt ex eis qui præterierunt.* Hanc ſequuntur ex Chriſtianis *Lactantius* VII. 14. *Tychonius* Reg. 5. *Barnabæ* Epiſtola, & alii fortaſſe. Eoque trahunt quod ex *Pſal.* XC. 4. repetit Apoſtolus 2 *Pet.* III.8. *mille annos* apud Deum *inſtar eſſe unius diei*; ut mundi ætatem ſeptem eſſe millenniorum ſignificet. Et ſane, quod *Eliæ* Schola duo millennia *Inani* aſſignat, congruit ætati *Abrahami*, ex lectione codicis Hebraici. Ante *Abrahamum* autem *Inane* videri poteſt obtinuiſſe. Duo autem Millennia *Legem* obtinuiſſe, ad receptam Chronologiam prope accedit. Verum quod Meſſiæ ſuo duo Millennia aſſignant, miſerandum in modum excuſant; propter gentis ſuæ peccata, ſcilicet, adventum Meſſiæ protelari; Quod ad intervallum temporis humane commodum, mille aliquot & ſeptingentorum annorum excurrit. Et tamen hoc fundamento *Judæi*, Tabularum Aſtronomicarum Regis *Alfonſi* architecti, anomaliæ motus octavæ Sphære hebdomadem Millenniorum, motui ipſi hebdomadum hebdomadem, (hoc eſt quadraginta novem annorum millia) nullis addicentibus obſervationibus aſſignarunt. Itaque non eſt mirum, vel *Cerinthum*, auctore *Euſebio*, vel *Nazaræos* ſemichriſtianos, *Ebione* ortos, *Hieronymi* tempore, vel utroſque; qui utrique obſervationem Legis in Chriſtianiſmum inculcarent; Millennium, regnante in terris Chriſto, ad complendum

Digitized by Google

mundi Sabbatum expectaſſe. Sed quod non defuerint, qui *Joannis Apocalypſin* in hanc ſententiam traherent, id ſuo loco, quam à veritate alienum ſit, dicendum erit. Id tantum hoc loco; non poſſe alia Lege, Millennium in Apocalypſi à *Joanne* prædictum ad Traditionem *Judæorum*, de ſex duraturi Mundi Millenniis trahi, quam ut adventus Chriſti primus in quinti initium incidat, ſecundus, (quo venturum putant hi cum *Judæis*) vel in ſexti, vel in ſeptimi initium; In utrumque enim a *Judæis* ejus initium collocari intelligi poteſt, ex eruditis commentationibus ad Clavem Apocalypſis, *Cantabrigiæ* Anno 1632. editis. Tum vero, ut interitus *Beſtiæ*; Eccleſiam ſecundum Apocalypſis Prophetiam perſecuturæ; perinde in ſexti vel ſeptimi initium cadat. Quæ perſecutio cum tribus annis cum dimidio duratura ſit; ſive hoc de annis intelligas, κατὰ τὸ ῥητὸν, ſive de tot annis, quot dies tribus annis cum dimidio continentur; quod ex noſtris plerique intelligendum contendunt; manifeſtum eſt, non poſſe aliter *Joannis* Prophetiam ad *Judæorum* Traditionem congruere, quam ut ita incipiat ejus Millennium, ut in Millennium duraturi Mundi deſinat. Scio multæ eruditionis viros, & in temporum ratiociniis multum verſatos, primum Chriſti adventum in annum Mundi quater milleſimum conjicere; vel eum qui a quater milleſimo non multum diſcedat. Sed & in reliquiis ſexti diei natum Chriſtum, a *Tychonio* loco ſupradicto intelligi, quod tempus nati Chriſti, ex *Græcis* Scripturis, pluſquam 5500 annos ab initio Mundi colligat; Unde & a *Lactantio*, loco dicto, & ab aliis fortaſſe veteris Eccleſiæ ſcriptoribus creditum, & Imperium Romanum, & Mundum in ſexti fine deſiturum. Verum, ut initium, & finis millennii Apocalyptici non poterit in Millennia Mundi ex codicis *Hebraici* fide, congruere, niſi inchoatum pro completo Millennium intelligas; Ita intervallum 1500 annorum, inter *Hebraici*, *Græcique* codicis computum interjectum, non patitur *Hebræorum* Traditionem,

tionem, conciliari veterum Eccleſiæ Scriptorum ſententiæ, quos *Græcæ* Scripturæ computum ſecutos conſtat. Quod argumento eſt, abducere *Joannem* Fideles a Millennio quod expectabant cum *Judæis* Semichriſtiani; (contra quos ſcribit *S. Hieronymus* paſſim in Prophetarum expoſitione) ad aliud Millennium, alia Lege a Fidelibus expectandum; in quam Legem *Judæorum* Traditio non conveniat. Illud hoc loco monendum eſt; *Dionyſium Alexandrinum* apud *Euſebium Hiſt. Eccleſ.* VII. 23, 24, 25. ſubnaſcentem in *Ægypto* errorem hunc ſuo tempore ſuppreſſiſſe; Tantum abeſt, ut univerſæ tum Eccleſiæ ſententia fuerit. Nam qui, quæ de communione & commercio inter ſe Eccleſiarum dicta ſunt, attendat, is nunquam credet, penes *Dionyſium*, vel alium quemvis Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopum eſſe potuiſſe, ſilentio damnaſſe ſententiam, quam reliquæ Eccleſiæ ad fidem pertinere putarent. Et ſane ipſa rei ſubjectæ materies, in Prophetiæ hujus interpretatione verſantis, ſatis oſtendit, non pertinere eam ad *Regulam Fidei*, communi omnium fide, ad omnium communem ſalutem tenendæ. Quid enim eſſet *Communis Fides*, ſi ad eam Propheticæ totius Scripturæ intelligentia neceſſaria eſſet? Itaque *S. Hieronymus* in Jer. XIX. 10. ſic ſcribit; *Quanquam ſibi* Judæi *auream atque gemmatam* Jeruſalem *reſtituendam putent*; *rurſumque victimas & ſacrificia, & conjugia Sanctorum, & regnum in terris Domini Salvatoris. Quæ licet non ſequamur, tamen damnare non poſſumus*; *Quia multi Eccleſiaſticorum virorum, & martyres iſta dixerunt, & unuſquiſque in ſuo ſenſu abundet, & Domini cuncta, judicio reſerventur.* Ubi non eſt putandum, judicio Domini reſervari, quod Judaiſmum, ſub regnantis in terris Domini Millennio inſtauratum iri credebant cum *Judæis*, Semijudæi Chriſtiani; Quæ damnata Evangelicæ Legis voce ſciebat cum univerſis Fidelibus *S. Hieronymus.* Sed quod Eccleſiaſtici viri, quos fovebat communio Eccleſiæ, ſecundum Fidem communem, regnaturum mille annis

mundi Sabbatum expectaſſe. Sed quod non defuerint, qui *Joannis Apocalypſin* in hanc ſententiam traherent, id ſuo loco, quam à veritate alienum ſit, dicendum erit. Id tantum hoc loco; non poſſe alia Lege, Millennium in Apocalypſi à *Joanne* prædictum ad Traditionem *Judæorum*, de ſex duraturi Mundi Millenniis trahi, quam ut adventus Chriſti primus in quinti initium incidat, ſecundus, (quo venturum putant hi cum *Judæis*) vel in ſexti, vel in ſeptimi initium; In utrumque enim a *Judæis* ejus initium collocari intelligi poteſt, ex eruditis commentationibus ad Clavem Apocalypſis, *Cantabrigiæ* Anno 1632. editis. Tum vero, ut interitus *Beſtiæ*; Eccleſiam ſecundum Apocalypſis Prophetiam perſecuturæ; perinde in ſexti vel ſeptimi initium cadat. Quæ perſecutio cum tribus annis cum dimidio duratura ſit; ſive hoc de annis intelligas, κτ̀ τὸ ῥητόν, ſive de tot annis, quot dies tribus annis cum dimidio continentur; quod ex noſtris plerique intelligendum contendunt; manifeſtum eſt, non poſſe aliter *Joannis* Prophetiam ad *Judæorum* Traditionem congruere, quam ut ita incipiat ejus Millennium, ut in Millennium duraturi Mundi deſinat. Scio multæ eruditionis viros, & in temporum ratiociniis multum verſatos, primum Chriſti adventum in annum Mundi quater milleſimum conjicere; vel eum qui a quater milleſimo non multum diſcedat. Sed & in reliquiis ſexti diei natum Chriſtum, a *Tychonio* loco ſupradicto intelligi, quod tempus nati Chriſti, ex *Græcis* Scripturis, pluſquam 5500 annos ab initio Mundi colligat; Unde & a *Lactantio*, loco dicto, & ab aliis fortaſſe veteris Eccleſiæ ſcriptoribus creditum, & Imperium Romanum, & Mundum in ſexti fine deſiturum. Verum, ut initium, & finis millennii Apocalyptici non poterit in Millennia Mundi ex codicis *Hebraici* fide, congruere, niſi inchoatum pro completo Millennium intelligas; Ita intervallum 1500 annorum, inter *Hebraici*, *Græcique* codicis computum interjectum, non patitur *Hebræorum* Traditionem,

tionem, conciliari veterum Eccleſiæ Scriptorum ſententiæ, quos *Græcæ* Scripturæ computum ſecutos conſtat. Quod argumento eſt, abducere *Joannem* Fideles a Millennio quod expectabant cum *Judæis* Semichriſtiani; (contra quos ſcribit *S. Hieronymus* paſſim in Prophetarum expoſitione) ad aliud Millennium, alia Lege a Fidelibus expectandum; in quam Legem *Judæorum* Traditio non conveniat. Illud hoc loco monendum eſt; *Dionyſium Alexandrinum* apud *Euſebium Hiſt. Eccleſ.* VII. 23, 24, 25. ſubnaſcentem in *Ægypto* errorem hunc ſuo tempore ſuppreſſiſſe; Tantum abeſt, ut univerſæ tum Eccleſiæ ſententia fuerit. Nam qui, quæ de communione & commercio inter ſe Eccleſiarum dicta ſunt, attendat, is nunquam credet, penes *Dionyſium*, vel alium quemvis Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopum eſſe potuiſſe, ſilentio damnaſſe ſententiam, quam reliquæ Eccleſiæ ad fidem pertinere putarent. Et ſane ipſa rei ſubjectæ materies, in Prophetiæ hujus interpretatione verſantis, ſatis oſtendit, non pertinere eam ad *Regulam Fidei*, communi omnium fide, ad omnium communem ſalutem tenendæ. Quid enim eſſet *Communis Fides*, ſi ad eam Propheticæ totius Scripturæ intelligentia neceſſaria eſſet? Itaque *S. Hieronymus* in Jer. XIX. 10. ſic ſcribit; *Quanquam ſibi* Judæi *auream atque gemmatam* Jeruſalem *reſtituendam putent*; *rurſumque victimas & ſacrificia, & conjugia Sanctorum, & regnum in terris Domini Salvatoris. Quæ licet non ſequamur, tamen damnare non poſſumus*; *Quia multi Eccleſiaſticorum virorum, & martyres iſta dixerunt, & unuſquiſque in ſuo ſenſu abundet, & Domini cuncta, judicio reſerventur.* Ubi non eſt putandum, judicio Domini reſervari, quod Judaiſmum, ſub regnantis in terris Domini Millennio inſtauratum iri credebant cum *Judæis*, Semijudæi Chriſtiani; Quæ damnata Evangelicæ Legis voce ſciebat cum univerſis Fidelibus *S. Hieronymus*. Sed quod Eccleſiaſtici viri, quos fovebat communio Eccleſiæ, ſecundum Fidem communem, regnaturum mille annis

Digitized by Google

Chriſtum, etſi non auctore Eccleſia, opinabantur.

Neceſſitatem Eucharistiæ ad ſalutem Infantum Baptizatorum Traditam non eſſe.

Supereſt, de neceſſitate percipiendæ, etiam ab infantibus baptizatis, Eucharistiæ objectio; quam, cum vetus omnis Eccleſia, multis à Chriſto nato ſeculis, uſu ipſo & agendi religione agnoverit, nunc neque in uſu, neque in fide ullius Eccleſiæ partis dici poteſt vigere. Nam quid hoc eſt, niſi, poſſe id quod ab initio toti Eccleſiæ viſum fuerit ad ſalutem neceſſarium, ad ſalutem tamen non pertinere? Sane, Eccleſiæ *Africanæ* more, Euchariſtiam ab infantibus etiam percipi ſolitam, ex *Cypriani de lapſis* libro conſtat. Gennadius autem *de dogmatibus Eccleſiaſticis cap.* LII. Eccleſiæ morem fuiſſe oſtendit, reconciliatis per impoſitionem manuum hæreticis, infantes eorum Euchariſtiæ communicare. Et *Ordo Romanus de Baptiſmo*, poſt ſolennem ante Paſcha Baptiſmum, etiam parvulis Euchariſtiam dari jubet. Sic & in Capit. I. 161. & apud Alcuinum *de divinis officiis*, capite de Sancto Sabbato Paſchæ. Ex Græcis autem *Dionyſius*, fine libri de *Hierarchia Eccleſiaſtica*. Adeo nihil conſtat, quo minus univerſæ Eccleſiæ mos haberi poſſit; Niſi quod parvulorum baptizandorum, niſi in periculo vitæ, mos univerſalis ab initio non fuerit. *Gregorius* ſane *Nazianzenus* Orat. XLII. in *Sanct. Bapt.* tertio demum aut quarto ætatis anno adhibendum Baptiſmum, non amplius quam cenſet. Et priuſquam Paſchatis & Pentecoſtes feſta, per totam Eccleſiam, Baptiſmo dicarentur; quod ſtatim ab Apoſtolorum ætate fieri non potuit; qui in periculo mortis baptizabantur, non eſt putandum, pro eis Euchariſtiam celebrari potuiſſe; vel omnibus communicandi copiam eſſe potuiſſe. Hæc igitur cum, valde generalem dandæ parvulis Euchariſtiæ morem, non tamen univerſalem fuiſſe ſignificent, neceſſariam tamen ad ſalutem parvulorum habitam fuiſſe Euchariſtiæ perceptionem, non ſignificant; Cum tamen Baptiſmi ad ſalutem neceſſitatem, totius Eccleſiæ ſententiam eſſe, negari non poſſit. Percipiendæ Euchariſtiæ ad ſalutem

Digitized by Google

lutem neceſſitas, ſolius *S. Auguſtini* auctoritate niti videtur. *Anvero quiſquam etiam hoc dicere audebit, quod ad parvulos hæc ſententia non pertineat*; (Joh. VI. 53.) *poſſintque ſine participatione corporis hujus & ſanguinis in ſe habere vitam*? Sic ille, *de peccatorum meritis & remiſſ.* I. 20. & 24. *Eccleſiæ Chriſti inſitum tenent, præter Baptiſmum & participationem Dominicæ menſæ, non ſolum non ad regnum Dei, ſed nec ad ſalutem & vitam æternam poſſe quemquam hominem pervenire.* In eandem ſententiam, ejuſdem operis III. 4. *de peccato orig. cap.* XVIII. *contra Jul.* III. 12. aliiſque multis in locis. Infirmatur quidem hoc pluribus adductis ejuſdem Scriptoris locis, quibus ſolum Baptiſmum ad ſalutem neceſſarium affirmat: ut de *peccatorum meritis & remiſſione* I. 19, 21, 22. II. 28. & alibi. Infirmatur quidem, ſed non profligatur. Cum enim, ex inſtituto & more Eccleſiæ, ſtatim à Baptiſmo Euchariſtiæ communicari ſoleret; videri poteſt *S. Auguſtinus* Euchariſtiam Baptiſmi commemorationi includere. Neque enim ullibi Euchariſtiam ad ſalutem neceſſariam negat, ſed tantum Baptiſmum ſolum affirmat: cujus mentioni Euchariſtiam Eccleſiæ mos includere videri poſſit. Sed quæſtionem dirimit Fulgentii *de Baptiſmo Æthiopis Epiſtola*; qui cum mox a percepto Baptiſmo, ante ſumptam Euchariſtiam expiraſſet, quæſitum eſt a Fulgentio, num propter perceptum Baptiſmum credendus fuerit ſalutem aſſecutus eſse, an propter Euchariſtiam non perceptam ſalute excidiſse. Cum enim multis Fulgentius, minime ſalutis exortem probet, qui ante perceptam Euchariſtiam baptizatus deceſserit; manifeſtum eſt, de neceſſitate percipiendæ Euchariſtiæ ad ſalutem nihil Eccleſiam totam docuiſse. Cum autem ſuam ſententiam, etiam *S. Auguſtino* magiſtro ſuo teſte affirmat; (quis enim *Auguſtini* ſtudioſior, quam Fulgentius?) neque ipſius *Auguſtini* diverſam fuiſse ſententiam, manifeſtum facit. Locus autem *Auguſtini* quem producit Fulgentius, ex *ſermone* quodam eſt, quem *ad Infantes* a Ba-

ptiſmo

ptiſmo Euchariſtiam percepturos videtur habuiſse. Citatur autem a *Beda* ad cap. X. prioris ad *Corinth.* & a *Gratiano* in decreto *de conſecr. diſt.* 2. *cap. Quia paſſus eſt Dominus*, relatus legitur. *Nulli eſt aliquatenus dubitandum, unumquemque fidelium Corporis & ſanguinis Dominici tunc eſſe participem, quando in Baptiſmate membrum efficitur Chriſti: Nec alienari ab illius panis calicisque conſortio, etiamſi, antequam panem illum comedat calicemque bibat, de hoc ſeculo migraverit, in unitate corporis Chriſti conſtitutus. Sacramenti quippe illius participatione ac beneficio non privatur, quando ipſe hoc quod illud Sacramentum ſignificat, invenit*; Vel potius, ut *apud* Grat. *quando in ipſo, hoc quod illud Sacramentum ſignificat invenitur.* Nam & *de peccat. meritis & remiſs.* III. 4. *Auguſtinus*; *Nunquid etiam illud*, inquit; *Quia niſi manducaverint homines carnem ejus; hoc eſt, participes facti fuerint corporis ejus; non habebunt vitam?* Subdit enim; *Sed nec vitam æternam poſſe habere* (parvulos) *præter Chriſti corpus; cui ut incorporentur, Sacramento baptiſmatis imbuuntur.* Unde & Innoc. I. Epiſtola inter *Auguſtin.* XCIII. *Illud vero, quod eos veſtra fraternitas aſſerit prædicare; parvulos, æternæ vitæ præmiis, etiam ſine Baptiſmatis gratia, poſſe donari; perfatuum eſt. Niſi enim manducaverint carnem filii hominis, & biberint ſanguinem ejus, non habebunt vitam in ſemetipſis. Qui autem hanc eis ſine regeneratione defendunt, videntur mihi ipſum Baptiſmum velle caſſare; cum prædicant hos habere, quod in eos creditur non niſi baptiſmate conferendum.* Hæc enim ſpiritualem corporis & ſanguinis Chriſti perceptionem, quæ ſaluti ſufficiat, Baptiſmo etiam, ſine Sacramentali Euchariſtiæ perceptione, manifeſto aſcribunt. Ita, quod, etiamſi ſolus ad Traditionem Eccleſiæ pertinere putaſſet *Auguſtinus*, nihil prorſus ad Traditionem Eccleſiæ probandam valeret; de neceſſitate Euchariſtiæ ad ſalutem etiam parvulorum; id neque ipſum putaſſe *Auguſtinum*, palam deprehenditur. Nemo me hic exiſtimet damnare veteris Eccleſiæ morem, quem non ita ipſi uſurpatum

patum contendo, quaſi ad ſalutem neceſſarius haberetur; dandæ baptizatis infantibus Euchariſtiæ. Neque enim ſententiæ ipſe meæ contradico; qui nihil eorum, quæ, reliqua probante Eccleſia, parti ejus uſurpata conſtet, idoneam eſſe cauſam dico diſcedendi ab eorum Communione, qui ab eo diſcedere nolint. Neque tamen hunc eſſe locum diſputandi exiſtimo, cur recte ab eo more diſceſſum ſit, qui, ſine vitio quod unitati obſtare debeat, olim uſurpatus ſit. Erit ſuus huic diſputandæ cauſæ locus, ſi quando, ad aſſerendum adverſus Anabaptiſtas infantium Baptiſmum diſputando ventum à nobis fuerit. Interea loci, ſatis ſit, non eſſe neceſſarium ſaluti, quem tamen, conſequens non ſit, eſſe unius Dei Eccleſiæ ſtatui & unitati perniciosum. Hactenus enim hoc tantum contendimus; intra fines, quos totius ab initio Eccleſiæ Leges determinant, cohibendum eſſe omnem Scripturæ ſenſum; ſive Fidei veritatem, ſive Eccleſiæ unitatem ſpectet. Quod ſi ſecum reputent, qui Euchariſtiæ Communionem, perinde ac Baptiſmum, veteri Eccleſiæ, ad ſalutem neceſſarium viſum fuiſſe volunt; quomodo credi poſſit, quoties ad Baptiſmum feſtinare ſoleret vetus Eccleſia, ſi quando periculum ſubitæ mortis, vel adultis, vel infantibus, à perſecutione, à morbo, à peſte, aut bello, aliave mortalitatis circumſtantia ingrueret; toties Euchariſtiæ Communionem pariter ad ſalutem ita neceſſariam viſam fuiſſe, ut pariter periclitari oporteret ſpem ſalutis, ſi perinde utroque excideretur; fortaſſe à ſententia ſibi diſcedendum putabunt. Præſertim ſi meminerint, propterea jus fuiſſe Laicis in periculo mortis baptizandi, ne mors occuparet; (quod cum neceſſitati Baptiſmi daret Eccleſia, propterea, ipſi miniſterium in baptizando præſtare Laici cenſendi erunt, non ſuo jure uſurpare) Nunquam autem, vel celebrandæ, vel communicandæ Euchariſtiæ, perinde ipſis jus fuiſſe, ac baptizandi; Quod futurum neceſſe fuerat, ſi perinde Euchariſtiæ Communionem, ac Baptiſmi perceptionem, ad ſalutem neceſſariam crediſiſſent. Reſtat

De difficultate dijudicandarum cauſarum Schiſmatis.

Reſtat illud tantum, quod, cum inſuperabilis difficultatis loco objici poſſit, ipſe mihi mea ſponte defendo; in hoc lamentabili Eccleſiæ diſcidio, tam multis ex cauſis conflato; eiſque ad Eccleſiæ potius Leges, quam ad fidei Regulam pertinentibus; (de quibus ut vere judicare poſſint, non exigit Dominus ab omnibus) impoſſibile potius videtur, quam difficile, omnibus, quorum ſalutis intereſt, Eccleſiæ Communione cenſeri, cui Eccleſiæ communicare debeant, veris ex cauſis, quas ſolas ſequi Deo gratum eſſe poſſit, dijudicare. Nam qui hoc contendo, omnium, in ſuperiori, ſive ſecularis poteſtatis ſive Eccleſiaſticæ loco conſtitutorum, ſalutis intereſſe, reconciliandæ unitatis Eccleſiaſticæ rationes communi Chriſtianiſmo congruas pro viribus perſequi; non poſſum ſententiam meam graviori rationis momento promovere, quam aſſequendæ per diſcidium ſalutis difficultate: Nec difficultatem illam clarius probare, quam eligendæ communionis, per quam ſalutem aſſequaris, difficultate. Equidem quod diſputari ſolet à noſtris; ſingulorum eſſe Chriſtianorum, quam Religionem amplecti debeant judicare; non minus perſpicue verum videtur, quam, ipſos in bivio eligendæ Religionis conſtitutos eſſe, perſpicuum eſt. Nam cum nulla Religio Deo placere poſſit, quam ſponte animi tui non amplectaris; Etiam qui auctoritatem Eccleſiæ, tanquam falli neſciæ, pro ratione credendi ſequitur, is judicium ſuum ſequitur, quo eam opinionem amplexus eſt, quæ auctoritatem Eccleſiæ pro ratione credendi agnoſcit. Itaque non minus animi ſponte, in auctoritatem Eccleſiæ Fidem ſuam reſolvit, quam qui idoneam credendi rationem ad ſingula adhibet, quibus Fidem præſtat. Hoc tantum intereſt; ſimul ac ſemel deliberandi de omnibus anxietatem evadere velis, an, idoneæ rationis in ſingulis quærendæ ſolicitudine, officio hominis Chriſtiani defungi. Cum autem omnes, ab inquirendi ταλαιπωρία, ſive ad otium, ſive ad negotium hujus ſecu-

li

li proclives ſimus; non eſt mirum, capi multos probabilibus Eccleſiæ eligendæ notis; quæ, niſi perſpecta veritate cauſarum diſcidii, eligi idonea ratione non poteſt. Nec tamen mirum eſt, eis qui perſpicuitatem Scripturæ anticipaverint credendo, perſpicua videri Scripturæ teſtimonia, quas opinionibus ſuis obtendunt. Nam neque mirum eſt, ejus Fidei fundum à *Socino* ſubrui potuiſſe, quam, perverſis interpretationibus ſuis, non eſſe omnibus perſpicuam, ex Scripturis oſtenderat. Utrique Deo Legem ponunt, quaſi officio deſit, niſi vel hinc Scripturas dederit, in quarum ſenſu errari non poſſit; vel inde, quia in earum ſenſu errari conſtet, niſi conſtituerit Fidei judicem errare neſcium; qui Fidei Legem in ſenſu Scripturæ ad Eccleſiæ conſenſum exacto, omnibus poſuerit, quibus vel ſervandam vel tuendam Fidem crediderit.

Cur hanc difficultatem exiſtere paſſus ſit Deus.

Atqui, qui ſponte ſua, & Servatorem & Evangelium dederit, & Eccleſiam inſtituerit, ſponte ſua, quatenus ſcripto docere voluerit, elegerit. Cumque erroris ignorantiæque cauſas non omnes præcidere voluerit, ut haberet præmii pœnæque materiam; arbitrio ſuo, meritis autem noſtris, tentationum gravitatem, id eſt, diſpiciendæ veritatis difficultatem diſpenſat. Itaque cum nulla eſſet prorſus eligendæ Eccleſiæ difficultas, obtinente unitate, diſcidium omne irati Dei, ſive vindictam, ſive caſtigationem eſſe conſtat; ut pro merito ſuo probati, difficultate quam ſibi aſciverint, vel pereant vel ſalvi ſint. Interea loci, non eſt factum Dei conſilio; niſi Dei conſilium appelles, quod ab eo peccatorum humanorum vindicta extorſit; ut ad eam deliberationem vocarentur idiotæ Chriſtiani, cujus decernendæ rationes idoneas non ſit ipſis facile videre. Nam qui Catholicæ Eccleſiæ unitatem inſtituit; intra quam qui ſe contineret, quoniam ad ſalutem neceſſaria præſto haberet, ſibi imputaret, ſi ſalute excideret; is hanc unitatem hominibus ita conſervandam

Digitized by Google

concredidit, ut, qui ejus violandæ cauſam præberet, ita alienæ ſalutis reus eſſet, ut tamen propriæ reus eſſet, qui ſcandalo ſuccumberet; quando non ejus immerito accidit. Itaque qui Catholicæ Eccleſiæ nomen ac communionem ſatis fuiſse ad vitandas hæreſes, multis a Chriſto ſæculis contendo; Non quod majori numero conſtaret, ſed quod ob majorem numerum veram credendi rationem ſecutam conſtaret; Idem incidere potuiſſe diſcidium contendo, propter defectionem à primævo Chriſtianiſmo, temporis injuria moribus Eccleſiæ inolitam, ut ex ſolo Catholicæ nomine, decerni de ejus cauſa non poſſit. Nam de ipſius nominis jure lis eſſe poteſt, ubicunque poſſeſſio ſit. Cum itaque de hodierni diſcidii cauſis judicare difficilius ſit, quam quod ab omnibus, quorum ſalutis intereſt, præſtari poſſit; cumque recte eligere non poſſit, cui neceſſario eligendum eſt, niſi recte judicet; omnino neque ſaluti ſuorum conſuluerit Deus, niſi inſtituta Eccleſiæ unitate, neque Diabolus inconſuluerit, niſi deſtituta; per quam, neceſſe non ſit ad tam difficilem judicandi neceſſitatem venire. Videant penes quos erit, utrum Dei conſilio obſequi malint, reconcilianda, an vero Diaboli, inconciliianda unitate. Omnino anticipata, ſive de perſpicuitate Scripturæ, ſive de infallibilitate Eccleſiæ opinio, ut ad facilitatem decernendi viam ſternit, ita ex veritate judicari non patitur.

C A P.

Digitized by Google

CAP. XVI.

Epiſcopos eſſe, ex Apoſtolorum inſtituto, Presbyteris ſuperiores.

NUNC, priuſquam ea ſolvamus, quæ ad alterutram partem quæſtionis, de perſpicuitate Scripturæ propoſitæ, affirmandam, ex Scripturis & Patribus afferri ſolent, conſultum videtur, univerſam regiminis Eccleſiaſtici formam ob oculos ponere; quæ ab Apoſtolis inſtituta, adducto poſtmodum ad Fidem & Orbe Romano, & Gentibus circumvicinis, Eccleſias ex utriſque inſtitutas, in unius Eccleſiæ nomen & communionem conflavit & colligavit. Neque enim prius conſtabit, quid Eccleſiam eſſe velimus; quam unam eſſe debere, communione officiorum pietatis Chriſtianæ, contendimus; niſi ex quibus conſtet, expoſitum fuerit. Tum, ita demum conſtitutum fuerit, quod ſit legitimum, de eis quæ unitatem Eccleſiæ interrumpunt, decretum; cui qui non obtemperet reus ſit ſolutæ per Schiſma unitatis; ſi conſtitutum ſit, tam qui ſint, quorum ſit decernere, quam quibus Legibus ad decernendum ipſis deſcendendum ſit. Dico igitur Eccleſiam, ex inſtituto Apoſtolorum; quod totius ab initio Eccleſiæ uſus manifeſtum facit; intelligendam eſſe plebem Chriſtianam, unius civitatis, & ſubditæ ei in civilibus regionis ambitum complexam, ſub unius Epiſcopi, Presbyterorum ſuorum conſilio & auxilio, Diaconorum autem miniſterio, in exercenda clavium poteſtate muniti, regimine Paſtorali, Chriſtianæ pietatis officiis communicantem. Ad conciliandam autem unitatem Eccleſiæ, ex omnibus Eccleſiis conflatæ, vel inſtituto Apoſtolorum, vel conſenſu totius Chriſtianiſmi, ſubditas inferiorum civitatum Eccleſias Eccleſiis civitatum in civilibus ſuperiorum; quarum propterea, ab

Quid Eccleſiarum ſingularum ſtatus poſtulet.

initio, prima ſemper fuerit Rom. Eccleſia; non ut reliquis imperaret, ſed ad obtinendum, in cauſis quæ vel fidem vel communionem Eccleſiæ continent, conſenſum Eccleſiarum, quo unitas totius Eccleſiæ conſtat.

De Jacobo Jeroſolymorum Eccleſiæ Epiſcopo.

Hæc ut per partes probari poſſint, ab Eccleſia, quæ *Jeroſolymis* ſub Apoſtolis, prima in cenſum venit, initium faciendum eſt; quod *Jacobi*, tanquam ejus Epiſcopi, etiam ante diſperſos inde Apoſtolos, adeo clara mentio fiat in Scripturis Apoſtolicis. Decretum *Jeroſolymitanum*, poſtquam ſuadente *Petro* obtinuiſset, in ſententiam, & verba *Jacobi* conditum legimus, *Act.* XV. 7, 13. argumento ſatis perſpicuo, etiam ſub Apoſtolis, præcipuam ejus auctoritem in eam Eccleſiam fuiſse. Præſertim cum *Paulum*, in eadem re, maximi omnium, ad ejus Eccleſiæ ſtatum, & ad totius unitatem momenti, ejuſdem *Jacobi* ſententiam ſecutum legamus, *Act.* XXI. 19.— 26. Idem *Paulus*, auctoritatem ſuam XII. Apoſtolorum conſenſu aſſerens, cum ſe *Jeroſolyma cognoſcendi Petri cauſa aſcendiſſe* narraſſet; *reliquorum autem Apoſtolorum neminem vidi*, inquit, *niſi Jacobum fratrem Domini*, ad *Gal.* I. 18. & poſtmodum, II. 9. *Cum autem Jacobus Cephas & Joannes, qui columnæ habebantur, gratiam mihi a Deo datam viderent*; putaſne præpoſitum iri *Jacobum*, *Petro* & *Joanni*, niſi ejus in *Jeroſolymitanam* Eccleſiam peculiaris, etiam ſub Apoſtolis, auctoritas fuiſſet? Itaque *priuſquam venirent a Jacobo nonnulli*, cum Gentibus manducaſſe *Petrum* idem narrat: Poſtmodum autem *ſubduxiſſe ſe*, metu circumciſorum, ad *Gal.* II. 12. Secutum ſcilicet auctoritatem *Jacobi*, cui tanquam Paſtori, optime notum eſſet, quid Eccleſiæ ſuæ ſtatus requireret. Hunc igitur *Jacobum* cum Apoſtolum *Paulus* appellet, argumento eſt, non alios quam XII. intelligi, ex quorum numero eum fuiſſe velit; neque enim videtur de eis, qui inferiori ordine, Apoſtoli tamen interdum in Apoſtolorum Scriptis appellantur, exiſtere potuiſſet quæſtio, numnam ab eis Apoſtolatum ſuum *Paulus* accepiſſet. Quid enim

enim prohibet *Jacobum* minorem, (*Joſetis*, *Judæ*, & *Simonis* fratrem, *Marci* VI. 13. Matt. XXVII. 56. *Marci* XV. 43. *Mariæ* autem filium; ejus quæ *Cleopæ* dicitur, *Jo*.XIX.25. nimirum conjux) eundem *Jacobum Alphæi*, qui ex XII. unus, cum *Jeroſolymitanæ* Eccleſiæ præeſſet, ad Eccleſias *Judæorum* Catholicam Epiſtolam ſcripſit, cujuſque ſe *fratrem Judas* profitetur Apoſtolus fuiſſe? Nam etſi ܩܠܝܘܦܐ *Syriacum* aliud ſit, ac Græcum χλεόπας; cujus eſt ſignificatio à χλεοπάτρος diminuta; tamen obſervatum eſt ex veritate à viris eruditis, *Judæos*, poſtquam exteris mixti fuiſſent, alio *Judæis* alïo *Græcis* nomine cognoſci ſolitos; ita tamen ut, ſive ſono, ſive ſignificatione, alterum alteri alluderet. Hujuſmodi enim eſt, quod *Jaſon* apud *Græcos* fuit, qui apud ſuos *Jeſus*; *Paulus* Orbi *Romano*, qui *Judæis Saulus*, veriſſima binominationis ratione. Sane cum *Judam Jacobi* appellatum legimus, in Catalogo Apoſtolorum *Lucæ* VI. 16. *Act*. I. 13. quis alium intelligat, quam cujus præceſſerat mentio *Jacobum*? Quis alium, cum ſe *Judas* ut *Dei ſervum*, ita *Jacobi fratrem* Catholicæ ſuæ inſcribit; quis, inquam, alium vel *Judam*, vel *Jacobum* intelligat, quam Apoſtolum fratrem *Jacobi Jeroſolymitani*? Præſertim qui id teneat, quod manibus tantum non tenemus; moneri utraque, tum *S. Judæ* Catholica, tum *S. Petri* ſecunda; (in cujus Caput ſecundum priorem fere relatam legimus) Fideles ex *Judæis* undiquaque diſperſos, (propterea enim Catholicæ appellantur) cavendum ſibi à *Gnoſticis*. Nam ut eos, quamprimum mortui eſſent Apoſtoli, qui præſentis Domini præſentes diſcipuli fuerant, in apertam Hæreſim erupiſse; Ita ſuperſtitibus eiſdem, eandem corruptelam clanculum invexiſse ſcribit apud *Euſebium Hegeſippus*, loco ſupra laudato. Neque alia cauſa eſt Catholicæ *S. Iacobi*, quam adulterandæ Fidei ſtudium, in quo *Simoni Mago* ejuſque diſcipulis obſiſtendum erat; Fidem ſive operibus juſtificare contendentibus. Ponamus, Apoſtolos *Petrum* & *Iudam Iacobo*, *Ieroſo-*

Digitized by Google

Ieroſolymorum Epiſcopo, quamvis ex XII. primis non eſſet, mutuas operas præſtitiſſe, in eo quod ad Apoſtolatum Circumciſionis ſpectabat. Nam propter Domini cognationem, & Genus *Davidicum*, apud *Euſebium Clemens Hiſt.* II. 1. remiſſum *Jacobo* principatum Chriſtianiſmi Judaici ſcribit; Et *Hegeſippus* apud *Euſebium*, ejuſdem rationem habitam, in *Simone Cleopæ F.* ad ejuſdem Cathedræ ſucceſſionem promovendo; Tum, in Confeſſoribus *Generis Davidici* ad Eccleſiarum præfecturas evehendis, *Hiſt.* III. 11, 20. *Epiphanius* autem *Hær.* LXVIII. 7. tantum huic rationi tribuit, ut thronum *Davidis* promiſſum Domino, in Sacerdotio & Epiſcopatu Chriſtianiſmi Judaici impletum, *Jacobo* in *Jeroſolymitanæ* Eccleſiæ Cathedra collocato putet. Non ſit igitur ſatis ad probandum, *Jacobum Jeroſolymitanum* ex XII. Apoſtolis unum fuiſſe, quod ſe *Judas* Apoſtolus fratrem ejus, tanquam honoris cauſa, & Fidei ſibi habendæ appellet; Quodque vel præponitur *Petro* & *Joanni* ad *Gal.* IV. 9. vel poſt *Petrum* ſententiam eam dicit, in quam decretum eſt, in Concilio Apoſtolorum, *Act.* XV. 13, 20, 29. Tum, neque habeatur ratio ejus, quod in principium Epiſtolæ ad *Galatas Ambroſianus* Commentarius obſervat, Apoſtolos dici, *Qui ab Apoſtolis electi mittebantur ad prædicandum*; Non habeatur, inquam, ratio, quod non videatur hæc Apoſtolatus ſignificatio Epiſcopatui *Jeroſolymitano* convenire; cujus erat, conſtitutam Apoſtolorum prædicatione Eccleſiam regere. Ut hæc, inquam, miſſa fiant; Non videtur idonea reddi poſſe ratio, cur *Iudas frater Iacobi* dicatur, niſi ejus *Iacobi* fratrem intelligamus, cujus ipſum fratrem *S. Lucas*, tanquam ea re notum, appellat. Eadem ratio locum habet, cum recenſentur mulieres quæ cruci Domini aſtiterint, *Maria Magdalena*, *Maria mater Jacobi minoris & Joſis*, *& Salome*, *Marci* XV. 40, 47. XVI. 1. Sed *Matt.* XXVII. 56, 61. tantum *Jacobi & Joſis mater*, ſive *altera Maria* nominatur. *Ioan.* XIX. 25. *Maria Cleopæ.* Quis enim intelligat, quid *minor Iacobus* ſibi

ſibi velit, niſi reſpectu majoris *Iacobi*, ex duobus de numero XII. Apoſtolorum *Iacobis*, dictum intelligat? Nam *Iacobi* & *Ioſis* mater ſi fuerit, fratres fuerint *Iacobus* & *Ioſes*, frater eorundem & *Iudas*, & *Simon*, *Cleopæ* & *Mariæ* filii omnes. Hæc ex Scripturis. *Hieronymus* autem, libro adverſus Helvidium, *Mariam Cleopæ*, ſororem B. Virginis, *Alphæi* uxorem, *Iacobi* minoris matrem eſſe vult; (Quamvis *Cleopæ* filiam intelligi poſſe fateatur, quæ *Alphæi* uxor fuerit) cum neque contendat, quo minus alia fuerit *Maria Cleopæ*, alia *Iacobi* mater & *Ioſetis*: *Chryſoſtomus* autem, ad *Gal.* I. 18. honoris cauſa, *fratrem Domini Iacobum Ieroſolymitanum Paulo* dictum notat; cum *Cleopæ* filius dici potuiſſet, quem ſic Evangeliſta appellaſſet. Itaque *Maria Cleopæ Chryſoſtomo Maria Iacobi* erit, & *Iacobus Simeonis Cleopæ* filii frater. Idque ex *Hegeſippo*, ut videtur, qui *Cleopæ* filium, *ejus quem Evangelium memorat*, *Simeonem* facit *Eccl. Hiſt.* II. 11, 32. cum *Cleopam* Evangelium non aliter memoret, quam cum *Mariam Cleopæ* nominat, eandem quæ *Iacobi* & *Ioſetis* mater ſit. Hoc ſi *Hegeſippi* ἰδιωτισμῷ imputari poſſe videatur, (qui id dicat per conſequentiam, quod ſi diſerte dixiſſet, nullam dubitandi cauſam poſteritati reliquiſſet) nihil erit, quod conjecturæ noſtræ obſtet. Sane apud *Euſebium Hiſt.* II. 1. ſive ipſe, ſive *Clemens Alexandrinus* duos tantum *Iacobos* agnoſcit. *Epiphanius* autem, cum *Ioſephi* B. Virginis mariti filios eſſe vult *Iacobum*, *Ioſem*, *Iudam* & *Simonem*, filias autem *Mariam* & *Salomen*; quomodo ſibi ipſe conſentiat, cum *Simeonem Cleopæ* ἀνεψιὸν ſive *patruelem Iacobi* fratris Domini eſſe ponit, *Hær.* LXXVIII. 8, 9, 14. videant eruditi. Nam de *Salome*, quid erat cur ſolicitus eſſet; quam ad eandem cognationem pertinuiſſe Evangelium nullibi indicat? Quod autem *Cleopam Ioſephi* fratrem eſſe vult, in eo cum *Hegeſippum* ſequatur, Apoſtolis ætate proximum, apud *Euſebium Eccl. Hiſt.* III. 11, 32. idem nobis ſequendum oſtendit. Nam fratres Domini ita demum cenſendi fuerint, ſi per paternum

num genus fratres cenſendi fuerint. Notandum eſt, priuſquam hinc diſcedamus, cum *Hegeſippus* apud *Euſebium* III. 20, 32. poſteros *Judæ fratres Domini*, quos, agro ſuo colendo victitantes, *Davidicum* genus, ſimulque Fidem apud Domitianum profeſſos, poſtea ad Epiſcopatus promotos fuiſſe refert; *Conſtitutionum* Scriptorem II. 63. *Iudam Iacobi* Agricolam vixiſſe velle. Ac præterea, *Simeoni Cleophæ F*; quem ejus fratrem fuiſſe aſtruimus; in ſede *Ieroſolymitana* ſucceſſiſſe, VII. 48. Quod Epiſcoporum ſucceſſioni repugnat, quam, ſine temporum annotatione, accepiſſe ſe refert *Euſebius* IV. 5. Tum, quod *S. Hieronymus, adverſus Helvidium*; *Iudas Zelotes in alio Evangelio Thaddæus dicitur*; idipſum Comment. in Gal. II. ita efferri; *Bonus zelus Iudæ Apoſtoli, ſed non proditoris*; *qui, ob inſignem in ſe zeli virtutem, Zelotis nomen accepit.* Videtur autem hoc ſecutus *Sophronius*, cum *in Hieronymi Catalogo, Simonem Cananæum*, cognomento *Iudam*, *Iacobo* fratri in Epiſcopatu ſucceſſiſſe ſcribit. Et tamen, fruſtra futuri videntur, qui aliud hic quærant, quam μνημονικὸν ἁμάρτημα *Hieronymi*. Quid enim *Simonem Cananæum* Apoſtolum, eundem vel *Iudæ* Apoſtolo, vel *Simeoni F. Cleopæ* putare ſuadet? Neque erant hæc diſſimulanda hoc loco, ne pariter incerta videantur, in quibus omnis Eccleſiaſtica memoria & ſibi & Scripturis conſentit, cum eis, in quibus, propter monimentorum antiquitatis primævæ paucitatem, ita ſibi diſſentit, ut ad certam veritatis auctoritatem perveniri non poſſit. Quis enim auſit in dubium vocare, quod ex *Hegeſippo Euſebius* II. 63. διαδέχεται δὲ τὴν ἐκκλησίαν, μετὰ τῶν ἀποστόλων, ὁ ἀδελφὸς τοῦ κυρίου Ἰάκωβος. *Suſcepit Eccleſiæ adminiſtrationem, una cum Apoſtolis, frater Domini Iacobus?* In quo certum eſt, formæ regiminis Eccleſiaſtici ab Apoſtolis inſtitutæ, teſtimonium; Sive *Iacobum cum Apoſtolis*, qui ipſe Apoſtolus non eſſet, ſive *Iacobum* Apoſtolum, cum *reliquis* Apoſtolis adminiſtrandam Eccleſiam *Ieroſolymitanam* ſuſcepiſſe intelligamus.

Itaque

Digitized by Google

Epiſcopos in regendis Eccleſiis Apoſtolis ſuccedere.

Itaque ſive *Jacobus*, Jeroſolymorum Epiſcopus, fuerit, ſive non fuerit ex XII. unus, aſſerenda omnino eſt veterum Eccleſiæ Scriptorum ſententia, quæ Apoſtolis ſucceſſores Epiſcopos tribuit: Non quod ad ſingulos Apoſtolos totius Chriſtianiſmi regimen non pertineret; Sed quod, comparantibus ipſis inter ſe provincias, & in obſequium fidei redigentibus, inſtitutæ à ſingulis Eccleſiæ Rectores ſuos, ab auctoribus ſuis ſemper propagaverint. Factum hoc liquido conſtat ex Apoſtolo, ad *Gal.* II. 9. ſibi cum *Petro Joanne* ac *Jacobo* conventum narrante, ut ipſe Gentium, illi circumcifionis Apoſtolatum gererent. Nec minus apertum eſt, quod idem negat ſe εἰς τὰ ἄμετρα καυχᾶσθαι· *de poſitis extra limitum ſuum gloriari*, cum in Eccleſiam Corinthiorum auctoritatem ſibi ſumeret; *quod de alienis laboribus, rebuſque intra alienum limitem ſibi paratis non gloriaretur, ſed ſpem haberet, limitem ſuum ultra eos*, id eſt in Illyricum; (quouſque prædicaſſe ſe memorat ad *Rom.* XV. 21. ac propterea provinciam ſuam, tum temporis, Jeroſolymis & Illyrico definit: ac Nicopoli Epiri propterea hyemem ſe acturum, *Tito* ſcribere videtur, III. 22. ut finibus ſuis in Illyricum promovendis, de proximo immineret) in Illyricum igitur *promovendi canonis ſui* ſpem gereret. Sed his finibus poſitis, *imminere ſibi quotidie* (ſic enim ἐπισύστασιν interpretari placet, 2 ad *Cor.* II. 28.) *omnium Eccleſiarum curam* (ſcilicet, quas ipſe plantaverat) ſcribit. Et eas curat, cum *Barnabam* ad eas inviſendas provocat, *Act.* XV. 36. Nam, qui in graviſſimo Corinthiorum Eccleſiæ ſcandalo, ejici jubet; ipſorum quidem facto, ſed ſua ſententia; ejus cauſam, 1 ad *Cor.* V. 4. eum, ſupremum regiminis locum apud eos tenuiſſe, quis dubitet? Sed nullibi apertius, quam 1 ad *Cor.* XIV. 32, 36, 37. Cum *ſpiritus Prophetarum Prophetis ſubditos eſſe* propoſuiſſet; ſubjicit autem; *Num a vobis egreſſum eſt Dei Verbum? an ad vos ſolos pervenit? Si quis videtur Propheta eſſe, aut ſpiritu præditus, agnoſcat, quæ ego vobis ſcribo Dei mandata eſſe.* Nam

quomodo clarius interpretari potuit, quod obſcurius dixerat; *Spiritus Prophetarum Prophetis ſubditos eſſe*; Quam cum eum Prophetam, aut Spiritu prædirum haberi vetat, qui mandatorum ſuorum auctorem Deum non agnoſcat? Atqui hoc eſt Eccleſiam ſummo jure moderari. Quod & in eis facit, quæ, 1 ad *Cor.* XI. conſtituit. Et cum *Petro in faciem* Antiochiæ *reſtitit*, ad *Gal.* II. 11, 14. ſicut *Petrum*, factis Chriſtianis ex Judæis, ſic ſe, factis ex Gentilibus præeſſe oſtendit. Denique, quicquid Epiſtolis Apoſtolorum continetur, quatenus nec fidem, nec futurorum cognitionem, id eſt Prophetiam ſpectat, ad Eccleſiarum regimen (ſive ex communi officio, ſive ex impenſo peculiari, in has potius quam illas, labore,) & paſtorale officium pertinet.

Quid Apoſtoli & Epiſcopi in Eccl ſiam auctoritati interſit.

Cæterum, nemo me exiſtimet, Epiſcopalem, in ſuæ cujuſque Epiſcopi Eccleſiæ regimine, autoritatem, Apoſtolicæ æquare, quam in univerſæ Eccleſiæ regimine cerni cautum eſt. Nimis contemptim de veteris Eccleſiæ ſcriptoribus judicant, qui, quæ ab eis, quaſi communi hominum ſenſui ſubdita, non nimis anxie enucleantur, ignorata ipſis exiſtimant, cum Apoſtolis ſuccedere Epiſcopos pronunciant. Idem omnes volunt quod *Tertullianus*, cum apud Apoſtolicas Eccleſias, *ipſas adhuc Apoſtolorum Cathedras ſuis locis præſidere* affirmat, *de Præſcrip. cap.* XXXIX. Quod eſt dicere; Unam Pauli Cathedram omnibus à *Paulo* fundatis Eccleſiis præſediſſe. Hoc autem nihil aliud quam; eadem auctoritate, Pauli cathedram omnibus à *Paulo* fundatis Eccleſiis, qua, ſucceſſorum *Pauli* cathedras ſingulis à *Paulo* fundatis Eccleſiis præſediſſe. Et ſane, qui omnium ſimul Epiſcoporum, eandem eſſe ac XII. Apoſtolorum auctoritatem, aſſerit, ſuccedere Epiſcopos Apoſtolis aſſerit; non in decernendo de fide, non in futuris prædicendis, non in concilianda Evangelio ex miraculis fide, ſed in regimine Eccleſiæ omnes; auctoritate omnium auctoritati XII. hominum æquali. Hæc ſi intelligantur, regimen Eccleſiarum

ſingula-

ſingularum à ſingulis Epiſcopis, regimine omnium Eccleſiarum ab Apoſtolis XII. uſurpato, idoneo mihi ex Scripturis argumento videbor deduxiſſe.

Nunc Evangeliſtarum officium, quos Apoſtolis, ipſorum Scripturæ, 1 ad *Cor.* XII. 28. ad *Eph.* IV. 11. proximo loco ſubjiciunt, diſpiciendum eſt; Præſertim, quod *Timotheum Paulus*; (cui Epheſinæ Eccleſiæ regimen perſpicue mandat) *Evangeliſtæ officium facere* jubet, 2 ad *Tim.* IV. 5. Nimirum ut conſtet, num eo minus Epiſcopus habendus ſit, quod eum Apoſtolus Evangeliſtam appellet. Hoc enim objiciunt, qui veterum auctoritate premi ſe vident, Epheſinæ Eccleſiæ Cretenſiſquè datos ab Apoſtolo Epiſcopos *Timotheum* ac *Titum* affirmantium. Equidem Apoſtolorum comites ac diſcipulos ipſorum miniſtros fuiſſe, ut Evangelio ipſi vacare poſſent, ex Scripturis Apoſtolicis conſtat. Sic *Barnabæ* & *Paulo Joannes cognomento Marcus miniſtrabat, Act.* XIII. 5, 13. XV. 37. Sic *Paulo Timotheus* XVI. 3. & *Eraſtus* XIX. 22. Sic *Tychicum Paulus fidelem miniſtrum* appellat ad *Eph.* VI. 3. id eſt, ut alio in loco, *utilem ad miniſtrandum* ſibi. Itaque cum, Diſcipulatu & miniſterio ſuo probatos, ad Evangelium prædicandum adhiberent, quid aliud faciebant, quam quod factum eſt, cum *Philippus*, unus ex ſeptem, ad Evangelium Samaritis prædicandum miſſus eſt? Unde & *Evangeliſta* appellatur, *Act.* VIII. 5. XXI. 8. Nimirum hoc habebat Judæorum mos, ut Magiſtris miniſtrarent diſcipuli: Et hoc voluit *Joannes Baptiſta*, cum idoneum ſe negat, qui *Domino calceos* vel *ſolveret*, vel *auferret*; nimirum qui ipſius Diſcipulus ſit. Sic enim *Eliæ Elizeus*. Sed cum nihil agerent Apoſtolorum miniſtri, niſi ipſorum mandato; aliud autem ſit Evangelizandi mandatum à mandato ordinandarum regendarumque Eccleſiarum; manifeſtum eſt, ad Evangelizandum adhiberi poſſe, cui regimen inſtitutæ ex converſis à ſe Eccleſiæ non mandetur. Itaque Evangeliſtæ nomen nihil habet in ſe aliud, ab eorum nomine diverſum, qui ſecundi ordinis Apoſtoli

Diſcipuli Apoſtolorum Evangeliſtæ.

Digitized by Google

memorantur ſcriptis Apoſtolorum. Vide *Euſebium Hiſt. Eccleſ.* III.57. Sane Apoſtoli nomen latæ admodum ſignificationis eſt, niſi mittentis, niſi ejus ad quem mittatur, niſi denique cauſæ mandatæ deſcriptio ipſam determinet. Itaque *Andronicus* & *Iunias*, cum *inſignes inter Apoſtolos* Paulo dicantur, itemque ante ipſum Chriſtiani fuiſſe, ad *Rom.* XVI. 7. non male conjicere videntur, qui, in diſperſione quæ a *Stephani* martyrio accidit, mandata ab Appoſtolis ipſis data putant, *Iudæis* Romanenſibus ad Chriſtianiſmum convertendis. Qua ratione *Pſeudapoſtolos* eſſe Paulo, 2 ad *Cor.* XI. 13. cenſendum eſt, qui Apoſtolorum mandata mentirentur, ſeducendæ Corinthiorum Eccleſiæ. Nam quos Eccleſiarum Apoſtolos appellat 2 ad *Cor.* VIII. 23. eorum alterum *electum ab Eccleſiis* v. 29. ut cum Paulo oblationes eorum *Ieroſolymæ* deferret. Et *Epaphroditum*, cum *Apoſtolum Philippenſium & neceſſitatis ſuæ miniſtrum* appellat ad *Phil.* II. 25. manifeſto, ab ipſis Romam miſſum ſignificat, ut Apoſtolo neceſſaria miniſtraret. Quem tamen cum *cooperarium & commilitonem ſuum* appellet, quid impedit, quo minus idem *Epaphras* ſit, (eſt enim *Epaphras* diminutivum ab *Epaphrodito*) quem *Coloſſenſibus* Evangelium attuliſſe memorat ad *Col.* I. 7. &, *cum ex ipſis eſſet*, præſentem ſibi Epiſtolam ad *Coloſſenſes* ſcribenti adfuiſſe, ad *Col.* IV. 12. poſtea autem ad *Philippenſes* a ſe miſſum, ad *Phil.* II. 25.— a quibus ad ſe oblata eorum attulerat, ad *Philip.* IV. 18. Hæc enim oſtendunt, quam probabile ſit, *Epaphram* cum *Epaphrodito* eundem eſſe; Quæ eſt S. *Ioannis Chryſoſtomi* ſententia, melior, ut mihi videtur, quam *Theodoreti* ad *Phil.* I. 1. & 1. ad *Tim.* III. 2. qui *Philippenſium Apoſtolum Epaphroditum* dici vult, quod ad *Philippenſes* miſsus ſit; Cum eum Paulus propterea *Philippenſium* Apoſtolum vocet, quod a *Philippenſibus* ad ſe miſſus eſset. Nam & eadem ratione 2 ad *Cor.* VIII. 23. Ἀπόστολοι Ἐκκλησιῶν ab Eccleſiis miſſi. Verum, ſi diſcipulos, qui ſibi quotidianum miniſterium præſtitiſsent, idoneos Dominus putavit, quibus

&

& Evangelium & Eccleſiam crederet; Quibus credi ab Apoſtolis Eccleſias par fuit, quam eis, qui ipſis in Evangelio prædicando, & miniſterio & adjumento fuiſſent?

Quæ ſi vera ſint, quid moramur præſtigias ejus reſponſionis, quæ *Timotheum* & *Titum Epheſi* & *Cretæ Epiſcopos*, aſſerentibus antiquis negat, quod illum *Evangeliſtam Paulus* appellet? Nam ſi Apoſtoli ipſi inſtitutarum a ſe Eccleſiarum Epiſcopi fuerint, quid veritati ſimilius, quam Evangeliſtas Eccleſiis præfectos ab Apoſtolis, quibus ipſi vacare non poſſent? Quis enim adeo communis ſenſus expers, ut mandata per Epiſtolas ipſis ab Apoſtolo data, expeditionis pro tempore ſuſceptæ, non regiminis perpetui argumenta exiſtimet? Sane, circa tempus datæ prioris ad *Timotheum* Epiſtolæ, *dixerat Paulus per ſpiritum, poſtquam Jeroſolymis fuiſſet, Romam ſe viſurum*, *Act.* XIX. 21. neque multo inde tempore, *non amplius ſibi locum eſſe illis in partibus*, ſcribit, ad *Rom.* XV. 23. Et *Epheſi*, ad Presbyteros Eccleſiæ, *nemini eorum, quibuſcum Evangelizando verſatus eſſet, amplius viſum iri vultum ſuum Act.* XX. 25. Adeo *Timotheum Epheſinæ*, id eſt, *Aſiæ* Eccleſiis Paſtorem dari uſquequaque conveniebat, diſcedente Apoſtolo. Nam *Joannem*, non eſt mirum, *Angelis ſeptem Eccleſiarum* Epiſtolam ſcribere, Spiritu Dei dictante, quæ non niſi Epiſcopis earum conveniat. Is enim, (quem ad *Iudæos* Chriſto lucrandos *Epheſum* profectum credere par eſt, propterea quod S. *Paulum* apud ipſos non profeciſſe, Epiſtola ipſius ad *Epheſios* demonſtrat, Chriſtianis ex Gentilibus ſcripta) ſi interpellantibus *Aſiæ* Epiſcopis Evangelium adverſus Cerinthum ſcripſit, ut *Hieron. in Catal.* teſtis eſt, cum ad *Angelos ſeptem Eccleſiarum* ſcribit, ad quos niſi ad earum Epiſcopos ſcribere cenſendus eſt? Nam & ipſius longævitas, ordinandis Eccleſiis ſpacium conceſſerat: Et niſi exortem in Eccleſia locum *Angelus* tenuiſſet, non potuiſſent ipſi Eccleſiæ ſuæ mores laudi vel probo duci; quæ eſt Epiſtolæ totius materia.

Sed & Eccleſiarum ipſis mandatarum Epiſcopi.

Sed

Num ſub Apoſtolis Epiſcopi iidem cum Presbyteris.

Sed occurrendum eſt unicæ objectioni, quæ *Hieronymo*, & ſecutis *Hieronymum* non paucis perſuaſit, exortem Epiſcopi poteſtatem juris eſse Eccleſiaſtici, cavendis Schiſmatibus introductam, non inſtituti Apoſtolici. Qua in re, pudet eorum levitatis, qui *Aerio Hieronymum* accenſent, ob communem opinionem; quorum alter ab Eccleſia eo nomine diſceſſit, alter non minus ſibi parendum Epiſcopis cenſuit, quam ſi ab Apoſtolis inſtitutos putaſset. Itaque non opus habeo diſſimulare, quot & quanta Scriptorum Eccleſiaſticorum nomina *Hieronymo* ſuccinant; quibus, ſcilicet, conſtitutum fuerit, Eccleſiæ unitatem juris eſse primo in loco divini; exortem Epiſcopi in ſuam Eccleſiam auctoritatem, cum primum per univerſam Eccleſiam obtinuerit, propterea divinitus inſtitutam cenſendam, quod unitas Eccleſiæ, (quam, labefactato totius Eccleſiæ more periclitari neceſſe ſit) divinitus inſtituta ſit. Nam qui, non ſuffragiis Theologorum, ſed Eccleſiæ Legibus, continendum & definiendum Scripturæ ſenſum contendimus, ex quo inſtauranda Eccleſia ſit; facile ferimus aliud videri, de ſenſu Scripturæ, etiam vetuſtis Eccleſiæ Scriptoribus, quam veritas poſtulat. Neque enim minus ipſis divino jure conſtitutum videbitur, quod, univerſæ Eccleſiæ legitimo conſenſu ita conſtitutum fuerit, ut abdicari, unitate Eccleſiæ ſalva non poſſit; quam quod ab Apoſtolis ipſis propterea conſtitutum fuerit, quod ad unitatem neceſſarium fuerit. Itaque, qui, Eccleſiæ Catholicæ fidem non requirere cognitionem earum rationum, quibus viſibilem ejus communionem aſſerui, mea ſponte profiteor, ſed ut ejus communio colatur; facile fero diſſenſum opinionis, cùm communionis diſcidium Schiſmatis eſſe opus contendam. Sed *Hieronymus*, cum videret, *Paulum*, ſtatim ab Epiſcopis, mandare *Timotheo* & *Tito* de Diaconis ordinandis, nulla facta Presbyterorum mentione, non putavit fuiſſe tùm temporis Presbyteros Epiſcopis & Diaconis interjectos. Quod & manifeſtius videtur, cum Epiſtolam ſuam Eccleſiæ Philippenſium

lippenſium inſcribit, una *cum Epiſcopis ac Diaconis*; Nam quare Presbyteros tacuiſſet, Diaconis ſuperiores? Et cum *Epheſo presbyteros Eccleſiæ Miletum accerſitos* officii ſui moneret, in progreſſu ſermonis, *conſtitutos eos a Sp. S. Epiſcopos regendæ Eccleſiæ Dei* affirmat, *Act.* XX. 19, 28. Hæc fere ſunt, quibus abducti male feriati homines, nullam eſſe Eccleſiæ Reformationem non abolito Epiſcopatu, non rationibus aut Scripturis, ſed armis ſibi contendendum putarunt; nec univerſæ Eccleſiæ teſtimonio, ſine quo, ne Chriſtianiſmum quidem ipſi ſuum ſatis tueri poſſint, cedendum.

Epiſcopatum Antichriſtianum putare, quam ſtultum.

Et ſane, quæ in Scripturis Apoſtolorum leguntur, ad Eccleſiæ ſtatum pertinentia, quomodo concilianda ſint ei regiminis formæ, qua omnes ab Apoſtolis Chriſtianos vixiſſe demonſtramus; liquidum non eſt. Non quaſi ab inſtituto ipſorum diſceſſum ſit, multo minus defectio facta à Chriſto ad Antichriſtum; quod merito contemni debet. Nam & ex poſitis, non poſſe Antichriſtum cenſeri ex eis, quæ univerſa unquam uſurpavit Eccleſia, præſcribimus: Et qui, cum Antichriſtum eſſe Papam anticipaverint, Epiſcopatum ad ejus ſedem occupandam gradum Papæ fuiſſe contendunt, ſi communem hominum ſenſum conſuluiſſent, ſi veritati plus quam partium ſtudio tribuiſſent, nunquam Epiſcopatum gradum ad Papatum ſtatuiſſent, ſi ejus granditiés ex eis conſtat, quæ omnium Eccleſiarum Epiſcopis dempta, in Papam collata ſunt; Quod nos demonſtrandum ſuis locis ſuſcipimus. Interea loci, recolenda ſunt quæ demonſtravimus; Legem ſolam ſalutis eſſe Eccleſiæ ſtatu priorem & antiquiorem; Cujus pars ſit colendæ communionis officium. Apoſtolis eorumque ſucceſſoribus Legum hujus communionis tuendarum ſtatuendarumque jus & fuiſſe & eſſe; Apoſtolis quidem ita, ut ſecuri eſſent Fideles, quod optimum factu eſſet, id ab ipſis conſtitutum; Succeſſoribus Apoſtolorum ita, ne ab unitate diſcederetur, propter illud conſtitutum, quod minus expediret. Tum, quod

quod poſitarum hominibus Legum commune eſt, etſi ab hominibus poſitæ non ſint; (quod Legum *Moſaicarum* exemplum docet) eam rerum ſubjectarum varietatem & mutationem incidere, quæ, ad eum rerum ſtatum qui exiſtat, determinari etiam poſitas ab Apoſtolis Leges poſtulet, ut vim habere poſſint; Idque in cauſa eſse, cur ab Apoſtolis latæ Leges vim non habeant, mutatis rerum cauſis propter quas poſitæ ſint. Quæ ſi vera ſint, quid prohibet Leges, quamvis ſibi ab Eccleſia latas, immobiliores tamen eſse, quam quæ latæ ſint Eccleſiæ ab Apoſtolis; Quando quidem ad unitatem totius plus faciunt, quam, quas ab Apoſtolis, non niſi partibus Eccleſiæ latas conſtet, neque duratura in perpetuum ratione. Itaque, ejuſmodi eſse Legem Epiſcopatus, quæ abdicari ſine Schiſmatis nota non poſſit; Nimirum, quod toti Eccleſiæ recepta, ſine vis vel fraudis ſuſpicione; quæ pariter in ipſam Fidem cadere non poſſit, à parte ita repudiari non poſſit, ut ſibi pars reliquam Eccleſiam cedere jure poſtulare poſſit. Qui igitur Epiſcopatum eo nomine repudiet, quod Antichriſto connexus ſit, is, eo facto, à totius Unitate deſciſcat, quod Legem Unitatis, jure ab Apoſtolis prodito latam repudiet. Sane, nihil unquam ab initio decretum niſi ab Epiſcopis, quod Eccleſiam vel tenuerit vel teneat, etſi jure Verbo Dei conſtituto, cum fiducia aſſerendum eſt, pro fundo inſtaurandæ ex Verbi Dei veritate unitatis Eccleſiæ.

Alius ſub Apoſtolis, alius ſtatus conſtitutæ Eccleſiæ.

Itaque quæ leguntur in Scripturis Apoſtolicis, ſuccedentis Eccleſiæ ſtatui parum, ut videtur, convenientia, tempori imputanda ſunt, & ſtatui Eccleſiæ, nondum tali conſtituto, qualem Apoſtolis ab initio deſignatum, rei exitus demonſtrat. Cum enim nec de *Apoſtolorum*, nec *Prophetarum*, nec *Evangeliſtarum*, vel muneribus vel dotibus, quorum ipſi meminerunt, 1 ad *Cor.* XII. 25. ad *Eph.* IV. 11. ab ipſorum ætate quicquam legamus; quid mirum eſt, quæ ab ipſis memorantur, partim facti eſſe, partem autem juris, cenſeri? Neque enim ullibi, poſitos illos in Eccleſia, Dei

Digitized by Google

Dei præcepto, quod in perpetuum valere deberet, legimus? ſed tantum tum temporis in Eccleſia *poſitos*; quod pluſquam facti res non eſt: Neque alienum à ratione, quid facti quid juris cenſendum ſit, cum ſcripta Lex non diſtinguat, perpetuum ſuccedentis Eccleſiæ morem interpretari. Id tantum refert, quam quiſque rationem afferat, quare trium Ordinum non meminerint Apoſtoli, quos ab Apoſtolis diſtinctos aſſerimus. Qua de re, cum & ipſe quædam initio rerum novarum ſcripſerim, & ab aliis poſtmodum multa erudite ſcripta ſint, ſermone utraque vernaculo; non committam, ut, quod mihi primo in mentem venit, eis antehabendum putem, quæ alii, ventilata maturius quæſtione cogitaverint: Neque tamen, ſicubi eorum ſententias difficultatibus ſubditas cenſeam, quas ipſe præſtare nolim, judicium meum alienæ auctoritati condonem; Sed diſpectis quam proxime Scripturarum Apoſtolicarum circumſtantiis, eam ſingulis locis ſententiam aſſignabo, quam vel mea, vel aliorum obſervata, maxime probabilem oſtendere videbuntur. Interea, præmittam tantum hoc loco verba Commentarii *Ambroſiani* ad *Eph.* IV. 11. *Poſtquam omnibus locis Eccleſiæ ſunt conſtitutæ, & officia ordinata, aliter compoſita res eſt quam cœperat. Primum enim omnes docebant, Act.* XVIII. 25. *& omnes baptizabant, quibuſcunque diebus vel temporibus fuiſſet occaſio. Nec enim* Philippus *tempus quæſivit aut diem, quo Eunuchum baptizaret*, Act. VIII. 38. *neque jejunium interpoſuit; Neque* Paulus *&* Silas *tempus diſtulerunt, quo Optionem carceris baptizarent, cum omnibus ejus* Act. XVI. 33. *neque* Petrus *Diaconos habuit, aut diem quæſivit, quando* Cornelium *cum omni domo ejus baptizavit; nec ipſe, ſed baptizare juſſit fratribus, qui cum ipſo ierant ad* Joppem, Act. X. 48. *Adhuc enim præter ſeptem Diaconos nullus fuerat ordinatus. Ut igitur creſceret plebs, & multiplicaretur, omnibus inter initia conceſſum eſt, & Evangelizare, & baptizare, & Scripturas in Eccleſia explanare,* 1 *ad* Cor. XIII. 24—31. *At ubi omnia loca cir-*

Digitized by Google

cumplexa eſt Eccleſia, conventicula conſtituta ſunt, & rectores, & cætera Officia in Eccleſiis ſunt ordinata, ut nullus de Clero auderet, qui Ordinatus non eſſet, præſumere Officium quod ſciret non ſibi creditum, vel conceſſum; & cœpit alio ordine & providentia gubernari Eccleſia: quia ſi omnes eadem poſſent, irrationabile eſſet, & vulgaris res & viliſſima videretur. Hinc ergo eſt, unde nunc neque Diaconi in populo prædicant, nec Clerici vel Laici baptizant, neque quocunque die credentes tinguntur, niſi ægri. Scio hæc accipi à diſcidiorum noſtrorum auctoribus, quaſi Scripturis auctoribus nunc fiant, quæ ſub Apoſtolis facta Scripturæ teſtantur. Nulla probabilitatis ſpecie, ſi Eccleſiæ jus ac poteſtatem in Apoſtolis Domini ac Diſcipulis ſupponamus; quibus auctoribus, ut uſurpata ſint, quæ, tempori convenientia, fuiſſe uſurpata teſtantur Scripturæ, ita inſtitutus in poſterum agendorum Ordo, qui niſi ipſis auctoribus, invaluiſſe in totam Eccleſiam non potuerit. Itaque ſubruendum eſt de Unitate Catholicæ Eccleſiæ capitulum Fidei, ac rationes quibus a nobis expoſitum eſt, priuſquam ad ſcindendam hac ratione Eccleſiam veniri poſſit.

De Presbyteris tacuiſſe Paulum idonea de cauſa.

Cum igitur Epiſcopis Diaconos nullo medio ſubjicit Apoſtolus, vel nomen *Epiſcopi* etiam *Presbyteros* continere putari poteſt, vel, quod idem ſit Epiſcopi munus ac Presbyteri, poteſtatis tantum amplitudine ac jure diſtinctum; ſatis habuiſſe Apoſtolum, cum de Epiſcopis mandaſſet, ſtatim ad Diaconos tranſire. Primam rationem ſecutus videtur *Commentarius in Pauli Epiſtolas ſub Ambroſii* nomine, cujus verba ſunt in 1 ad *Tim.* III. *Poſt Epiſcopum, Diaconi Ordinationem ſubjicit. Quare, niſi quia Epiſcopi & Presbyteri una Ordinatio eſt? Uterque enim Sacerdos eſt, ſed Epiſcopus primus eſt; Ut omnis Epiſcopus Presbyter ſit, non omnis Presbyter Epiſcopus: Hic enim Epiſcopus eſt, qui inter Presbyteros primus eſt. Denique,* Timotheum *Presbyterum Ordinatum ſignificat*; (1 *ad* Tim. IV. 14.) *Sed, quia alterum ante ſe non habebat, Epiſcopus erat. Unde &, quemadmodum Epiſcopum*

ordinet

ordinet oſtendit. Neque enim fas erat, aut licebat, ut inferior Ordinaret majorem; nemo enim tribuit quod non accepit. De una Ordinatione Epiſcopi & Presbyteri, ex hac ſententia, ſuo loco. Cæterum Presbyterum *Timotheum,* eundem dici Epiſcopum, non ita accipit, quaſi idem Epiſcopus ac Presbyter ſit; qui primum Presbyterum ita Epiſcopum appellat, ut ſequens Epiſcopus non ſit, ſed Epiſcopo inferior, ſed minor, ſed qui ab Epiſcopo ordinandus ſit, quod major ſit Epiſcopus. Adhuc manifeſtior eſt ejus ſententia, ſi ea recipiamus, quæ pleniora ex eo recitat *Amalarius* de div. *Off.* II. 13. quam apud ipſum hodie leguntur; ſequente etiam *Amalarium* Rabano in 1 ad *Tim.* IV. 14. & *Ambroſianum* interpretante. Apoſtolos nimirum initio dictos, quibus initio Apoſtoli Provincias totas credebant; (puta *Timotheo Aſiam, Tito Cretam*; quos eoſdem Evangeliſtas etiam fuiſſe dictum eſt.) Quibus qui ſuccederent, cum ſe eodem cum ipſis nomine indignos crederent, Epiſcoporum nomen ſibi proprium aſciviſſe, Presbyterorum nomen inferioribus reliquiſſe. Nam qui Apoſtolorum nomine cenſeri ſolitos ſcribit, quibus mandabantur Provinciarum integrarum Eccleſiæ, Epiſcoporum, qui in curam Eccleſiæ unius Civitatis, (vel plurium, ubi in ſingulis Civitatibus ſingulæ adhuc Eccleſiæ inſtitutæ non eſſent) ipſis ſuccederent, is, exortem Epiſcoporum poteſtatem niſi Apoſtolis auctoribus aſcribat, Eccleſiæ conſenſum fortuito caſui tribuat. At hoc ejus ſententiæ tribui non poteſt, qui in *Timotheo*, vim Epiſcopatus cum Presbyteri nomine conjungat, cui proprium Apoſtoli nomen eſſe velit. Eandem rationem ſequitur *Theodoretus* in 1 ad *Tim.* III. 1. τοὺς αὐτοὺς ἐκάλουν ποτὲ Πρεσβυτέρους καὶ Ἐπισκόπους· τοὺς δὲ νῦν καλουμένους ἐπισκόπους Ἀποστόλους ὠνόμαζον. *Vocabant olim eoſdem Epiſcopos & Presbyteros*; ſcilicet, cum vis Epiſcopatus eſſet penes ſecundi Ordinis *Apoſtolos*; Quos *eoſdem* eſſe ſubjicit, *cum eis qui nunc Epiſcopi dicuntur*; Etſi per unam unius Civitatis Eccleſiam.

Epiſcoporum enim nomen tum proprium factum, cum *Apoſtoli* amplius cenſeri non poſſent. Sane *S. Auguſtinus*, cum ad *Hieron. Epiſt.* XIX. ſic ſcribit; *Etſi ſecundum honorum vocabula quæ jam Eccleſiæ uſus obtinuit, Epiſcopatus Presbyterio major ſit, in multis tamen, Auguſtinus Epiſcopus Hieronymo Presbytero minor eſt*; videtur omnino, ne in ſententiam *Hieronymi* incurreret, cum quo habebat offenſionum initia, non contradixiſſe ejus rationi, cum Epiſcoporum & Presbyterorum nomina, nunc Eccleſiæ lege diſtingui diſputans, ſub Apoſtolis diſtincta non fuiſſe contendit. Neque ab hoc exemplo abludit mos Synagogæ, ubi unius urbis Synagogæ plures cum eſſent ἀρχισυνάγωγοι, diſtinguuntur tamen ab Epiphanio *Hær.* XXX. in ἀρχισυναγώγους, πρεσβυτέρους, καὶ ἀζανίτας; nam ipſi *Diaconos* ſuos חזנים appellant. Itaque, neque ratione neque auctoritate deſtitutus fuerit, qui nominis communioni ſaltum ab Apoſtolo factum attribuat.

Confirmatur, à more ſedendi in Eccleſia.

Muneris autem communitatem qui ſequatur, merito adhibeat obſervationem vetuſti moris Eccleſiaſtici; (quem ex Synagoga in Eccleſiam tranſlatum res certa eſt) ut Epiſcopi cum Presbyteris conſeſſus, in ſemicirculum, ſeu orbem dimidium coactus, vultibus plebi adverſis, celſiori throno ſedente Epiſcopo, conventus *matrum* Eccleſiarum, quas nunc *Cathedrales* vocamus, celebraret. Sic in Apoſtolorum quæ dicuntur *Conſtitutionibus* II. 58. Item VIII. 12. Sic apud *Dionyſium Areopagitam Eccleſ. Hierarc. cap.* III. Sic apud *Ignatium* recte nunc legitur in *Epiſt. ad Magnes.* μετὰ τοῦ ἀξιοπρεπεστάτου ἐπισκόπου ὑμῶν, καὶ ἀξιονίκου καὶ πνευματικοῦ στεφάνου τοῦ πρεσβυτερίου ὑμῶν, καὶ τῶν κατὰ Θεὸν Διακόνων ὑμῶν; Quod prius erat; Στεφάνου τοῦ πρεσβυτέρου ὑμῶν· *Cum digniſſime decoro Epiſcopo veſtro, & vincere digna ſpirituali Presbyterii veſtri corona, & veſtrorum ſecundam Deum Diaconorum*; Nimirum, qui ad eandem complendam coronam faciebant. Quæ & στέφανος τῆς Ἐκκλησίας, in Conſtitutionibus Apoſtolicis II. 28. appellatur;

Digitized by Google

latur; deſumpto nimirum, ex antiquiſſimo Eccleſiæ ſcriptore *Ignatio*, poſterioris ætatis ſcriptore Conſtitutionum, vocabulo. *S.* etiam *Gregorius Nazianzenus* in *ſomnio*, ſeipſum in medio, ſublimi *Conſtinopolitanæ* Eccleſiæ throno inſidentem deſcribit, Presbyterorum Cathedris hinc inde ipſum ambientibus. Sic *Meletius Paulino* apud *Theod. Hiſt. Eccl.* V. 3. cum proponeret, ut reuniendæ Eccleſiæ *Antiochenæ*, uterque pari gradu ſederent Epiſcopi, εἰ δὲ ὁ μέσος θῶκος τὴν ἔριν γεννᾷ, ἐγὼ καὶ ταύτην ἐξελάσαι πειράσομαι. ἐν γὰρ τούτῳ τὸ θεῖον προτεθεικὼς εὐαγγέλιον, ἑκατέρωθεν ἡμᾶς καθῆσθαι παρεγγυῶ. *Quod ſi*, inquit, *de medio loco* (tanquam primo) *lis oriatur*, *hanc etiam profligare conabor. Poſito enim in media ſede divino Evangeliorum codice, hinc inde ſedere nos ſuadeo.* Hunc morem ex Synagoga in Eccleſiam veniſſe, *Maimonides de Synedriis Cap.* II. 6, 7. docet, ubi omnia *Judæorum Synedria* hanc ſedendi formam ſequi tradit; ratione addita, ut Omnes videat qui primo loco ſedet, & ipſum omnes. Infra *Synedrium* autem, tres Diſcipulorum ordines, gradibus ſedium ſuarum diſtinctos deſcribit: Commentarius in 1 ad *Cor.* XIV. 28, 30. *Ambroſio* aſcriptus: *Traditio Synagogæ eſt, quam nos vult ſectari— ut ſedentes diſputent; Seniores quidem dignitate in Cathedris, ſequentes in ſubſelliis, noviſſimi in pavimento ſuper mattas.* Idem *Maimonides*, Titulo *de Oratione & benedictione Sacerdotum* XI. 4, 5. Populum vultibus in *Seniores* obverſis ſedentes in Synagoga deſcribit; Ubi & *de mattis* idem teſtatur, quod Commentarius quem dixi. Et hoc illud eſt quod, *Pſal.* CVII. 32. *Cœtum plebis*, *& Sedem Seniorum* appellat; quod *Chaldæus*, *Synagogam plebis Iſraeliticæ*, *& Synedrium Sapientum* interpretatur. Hinc etiam intelligimus, quomodo *Paulus* ad pedes *Gamalielis* educatus dicatur, *Act.* XXII. 3. ſcilicet, quod eadem forma docerent ipſorum doctores; ut apud *Maimonidem de Lege docenda*, III. 2. legimus; vide etiam *Gemaram* in הוריות III. 13. Sane eodem prorſus modo *S. Paulus*, in Eccleſia *ſedes Idio-*

tarum

Digitized by Google

tarum nominans 1 ad *Cor*.XIV.16. ſedes etiam Antiſtitum innuere cenſendus eſt. Et hæ ſunt πρωτοκαθεδρίαι Scribarum & Phariſæorum *in Synagogis*, de quibus Dominus *Matt*. XXIII. 2, 6. Hæc ratio ſedendi in conventibus *Eſſenorum*, quos *Philo*, libro *Omnem Sapientem eſſe liberum*, deſcribit. Neque aliud ſibi vult quod *Tertullianus Ordinem & Conſeſſum Eccleſiæ* appellat; quomodo,in Imperio Rom., Civitatum Reſpublicæ, *Ordine & Plebe* conſtabant. Nam & *Origenes* contra Celſum VII. Eccleſiaſticum Ordinem Senatibus politiarum Græcarum confert: Et *Pius* I. Papa *ad Juſtum Viennenſem, pauperem Senatum Chriſti in Urbe Roma,* etiam ejus Eccleſiæ Ordinem appellat. Idem *Tertullianus de præſcript*. CXXX. cum ipſas *cathedras* memorat, in quibus ipſi Apoſtoli fundatis à ſe Eccleſiis præſidebant, ſatis demonſtrat, unde hanc præſidendi formam ab Apoſtolis Eccleſia acceperit.

De conſeſſu Viſionis Apocalyptica.

Huc facit, quod in Sanctuario cœleſti, eandem conſeſſus Eccleſiaſtici formam viſio Prophetica *Johanni* exhibet *Apoc*. IV. & V. Neque enim, quod quidam putant, caſtra *Iſraelis* in deſerto repræſentat hæc viſio, in quibus IV. vexilla IV. laterum media occupant, & Sanctuarium totum ambiunt caſtra Levitarum, ea autem, caſtra *Iſraelis*. Nam hic, IV. animalia nihil quam thronum ambiunt, ut apud *Eſaiam cap*. VI. & *Ezekielem cap*. I. ex quibus hauſtam hanc viſionem interpretes conſentiunt. Itaque dicuntur ſtare κύκλῳ τοῦ θρόνου, καὶ ἐν μέσῳ τοῦ θρόνου. Apoc.IV.6.id eſt, ita *Thronum ambire*,ut *interjectum* ei,& Cathedris Presbyterorum *ſpatium* occupent. Præterea, *Agnus in medio Throni ſtat* ἀναμέσον τοῦ θρόνου VII.6. quod eſt V.6.in medio Throni, Animalium & Presbyterorum; in eo ſcilicet ſpatio, quod Thronus, quatuor animalibus cinctus,& XXIV.Presbyterorum Cathedræ ambiunt. Rurſus,turba quæ *Thronum & Agnum* intuetur VII. 19. animæ *ſunt quæ Altari ſubſunt* VI. 10. Non quod ſub Altari jacentes, vindictam inclament, ut vulgo accipi ſolet. Neque enim Altare eſt victimarum, ſed incenſi; intra

Digitized by Google

intra Velum ſcilicet; de quo ſermo eſt. Atqui, *incenſum*, de quo hic ſermo eſt, *preces ſunt Sanctorum*, quas offerunt Presbyteri V. 8. quibus *Incenſum addit* Angelus VIII. 3. quaſque ſequitur vindicta, implorantibus Deum Martyrum animabus indulta. Nam primo expectare juſſæ, capite ſexto, cum *ſtolis albis indutæ* fuiſſent, poſtmodum capite ſeptimo, *ſtolis albis indutæ, Thronum, Agnum, & Presbyteros intuentes*; (ut in Eccleſia Plebs Epiſcopum & Presbyteros) inducuntur Deum laudantes; Hæc enim, collatis inter ſe *Apoc.* V. 8. VI. 9, 10, 11. VII. 12, 14. VIII. 3, 4, 5. ſententiam ejus Prophetiæ conſtituunt. Ex quibus vides, quam docte *Ignatius* ad Magnes. προκαθημένου τοῦ ἐπισκόπου εἰς τόπον Θεοῦ, καὶ τῶν πρεσβυτέρων εἰς τόπον συνεδρίου τῶν ἀποστόλων· *Præſidente Epiſcopo, Dei loco; Presbyteris autem, Synedrij Apoſtolorum.* Neque enim Epiſcopum Deo confert, qui eundem ejus Throno locum in Eccleſia aſſignat, quem Dei Thronus in Sanctuario cœleſti occupat. Et quod *Judæis* tralatitium eſt, יהוה ובית דינו, *Dei Thronum Angelis cinctum* ſignificantibus, quomodo in Veteri Teſtamento repræſentatur, *Pſal.* LXXXIX. 8. *Dan.* VII. 9. *Pſal.* CXLIX. 1. *Deut.* XXXII. 2. id eſt, in Novo Teſtamento, Dei Thronus, miniſtrantibus Angelis, ſedentibus & judicantibus ſive Apoſtolis ſive Sanctis cinctus, *Matt.* XIX. 25. *Lucæ* XXII. 30. 1 ad *Cor.* VI. 4. *Apoc.* XX. 4. Quæ cum ita ſint, opinor XXIV. Presbyteros, de quibus in Apocalypſi, melius intelligi non poſſe, quam de XII. Apoſtolis & XII. Iſraelitarum Phylarchis. Video eſſe qui ſincerum vas incruſtent, & conſeſſum XXIV. Presbyterorum in Apocalypſi Concilium eſſe velint XXIV. Epiſcoporum, *Jeroſolymitanæ* ſedi ſuffragantium ab initio. Quorum conjecturæ, non eſt cur repugnem, cur non tantum faveam, quantum ipſa rationis afferre poſſit, cur hunc numerum *Joanni* per Viſionem Propheticam occurriſſe putemus. Nam quod poſtea in Conciliis, medium locum obtinere Scripturæ ſacræ Codicem ſolenne fuit, propterea factum etiam ipſe poſtu-

poſtulo, ut Deus Judex agnoſceretur; utque eo tacto Codice, ſe Deo Judice reſpondere cogitarent, qui teſtimonium judicante Concilio perhiberent. Sed hoc ita, ut medium locum in ſingularum Eccleſiarum conſeſſibus, ſecundum *Ignatium*, Epiſcopum Dei nomine obtinere demonſtret. Nam propterea *Meletius* medium locum Scripturæ Codici poſtulabat, cum utrumque ſedere Epiſcopum volebat. Sane *Pſalmo* LXXXIX. 8. *Tremendus Deus in cœtu Sanctorum magno, & terribilis omnibus ipſum ambientibus*; de Sanctis Angelis tantum, circumſtantibus ſcilicet, non conſidentibus, intelligi poteſt. Sed *Eſaias* XXIV. 24. *Quia regnat Dominus in monte Zion, & Jeroſolymis, coram Presbyteris ſuis glorioſus*; videtur Presbyterorum *Iſraelis Synedrium*, præſidente Deo, ſignificare. Cujus autem cauſa hæc omnia adduximus, illud non potuiſſe videtur clarius demonſtrari; nimirum, eundem Ordinem Præſidentium in Eccleſia, etſi diverſo Gradu, majorem longe Epiſcopi quam Presbyterorum poteſtatem ac jus in Officio muneris communis ſignificare.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XVII.

De Reſponſionibus ad allatam ex S. Paulo objectionem, quas alii attulerunt.

SUNT qui longe aliam rationem, omiſſi ab Apoſtolo Ordinis Presbyterorum, ex Epiphanio adverſus Aerium ſcribente attulerunt; Nimirum, provideri ſolitos, ab initio, inſtituendarum ab Apoſtolis, eorumve ſodalibus, Eccleſiarum regimini, Epiſcopos cum Diaconis; Presbyterorum ordine non niſi poſt auctum Eccleſiæ cœtum neceſſario. Quod quidem & fieri potuiſſe, & factum fuiſſe dubitandum non videtur; ut Epiſcopus ſolus, miniſtrante Diacono, exigui cœtus miniſterio ſufficeret. Itaque obſervant, & vere omnino, *Presbyterorum* nomen, & in Scripturis Apoſtolos, & in vetuſtiſſimis Eccleſiæ ſcriptoribus, Epiſcopos complecti; quales fuiſſe illos, qui cum Apoſtolis *Jeroſolymorum* Eccleſiæ præſediſſe memorantur, in *Actis* Apoſtolorum, magna ratio eſt credere. Sane cum *Presbyteros Eccleſiæ Epheſo Miletum evocaſſe* Paulum ſcribitur, ibi *Irenæus* Epiſcopos *Aſiæ* intelligit; quos idcirco, mirum non eſt, *Epiſcopos a Spiritu Sancto in Eccleſia conſtitutos*, ab Apoſtolo affirmari. *Convocatis Epiſcopis & Presbyteris qui erant ab Epheſo, & a proximis Civitatibus*, inquit *Irenæus*, III. 14. *Et Presbyterium* illud, quod cum *S.* Paulo manus *Timotheo* impoſuit, *Apoſtolorum conventum* Rabanus in 1 ad *Tim.* IV. 14. interpretatur. Tum, quod Eccleſiæ *Philippenſium*, ſimul *cum Epiſcopis & Diaconis* Epiſtolam inſcribit, de Epiſcopis intelligendum, vicinarum Civitatum Eccleſiis, vel deſignatis, (Cum primum ſcilicet conſtitui poſſent) vel inſtitutis; qui interea loci *Philippis*, tanquam in Metropoli, moram traherent, unde ſuis conſtituendis Eccleſiis invigilarent. Neque aliter aut Epheſi *Quæ allata ſint huic diverſæ rationes.*

ſub *Timotheo*, aut in Cretenſium Metropoli, ſub *Tito* actum fuiſſe. Ibi enim, utpote in Metropoli, Eccleſiis quæ *per Civitates* conſtituebantur, inſtitutos Epiſcopos, qui inde formandis Eccleſiis ſuis imminerent. Addunt alii, & magnis de cauſis, nondum conſtitutis Eccleſiarum rebus, incertis adhuc muneribus, certos tamen homines, & deſignatos, & inſtitutos, quos propterea *Epiſcopos*, *Presbyteros*, *Præſidentes*, *Antiſtites*, ἡγεμένους, ſine diſcrimine appellent Scripturæ Apoſtolorum; quod in procinctu eſſent, capeſſendis ſedibus, quæ ab Eccleſiæ rectoribus Apoſtolis & ſupparibus Apoſtolorum, aſſignarentur; Interea loci Eccleſiam, id eſt, coactum jam Chriſtianæ plebis cœtum, in communi cum eis curarent. Reſtat adhuc ab his diverſa eorum ratio, qui Diaconos, quos Epiſcopis ſtatim ſubjicit Apoſtolus, eoſdem fuiſſe volunt, quos ſuccedens Eccleſiæ tempus *Presbyteros* appellavit. Hi *Miniſtrorum* nomen arripiunt; quod cum alibi, permultis in locis, Vulgatus Interpres poſuerit, cum de *Dei Miniſtris* ſermo eſt in ſcriptis Apoſtolorum; in Epiſtolis ad *Timotheum* & *Titum* non niſi in *Diaconos* tranſtulerit. Id cum, aliter in his Epiſtolis quam alibi, adhibitum hoc nominis ſignificet, non eſſe mirum, ſi hic pro Presbyteris poſitum intelligatur. Nam VII. viros ab Apoſtolis Jeroſolymorum Eccleſiæ inſtitutos, ratione carere putant Diaconos intelligere; ut de ordine Presbyterorum ab Apoſtolis inſtituto ſilentium ſit in Scripturis. Et hæ fere rationes ſunt, propter quas, ad ſolvendam propoſitam difficultatem, diverſas apud nos viri docti vias inſtiterunt. Niſi quod hæc addit ſententia, quam poſtremam poſuimus, Presbyteros à *Paulo* Miletum *Epheſo* evocatos, Presbyteros fuiſſe cum *Epheſo* vocarentur, Epiſcopos autem Mileti ab Apoſtolo Ordinatos. Itaque cum Presbyteros vocatos teſtetur hiſtoria, *Paulum*, eos alloquentem priuſquam dimitteret, Epiſcopos vocare quos Epiſcopos fecerat,

Nunc,

Digitized by Google

Nunc, ut dicam ſine fuco, quid de his rationibus cenſeam, quantum mihi, opinione quam primo vulgavi, eoque Scripturarum ſenſu quem illa exhibet opinio, decedendum exiſtimem; Non dubito & verum eſſe, & erudite obſervatum, omnes Eccleſiarum Rectores *Presbyterorum* nomine, idque honoris cauſa, & ab Apoſtolicis Scripturis, & à veſtuſtiſſimis Eccleſiæ ſcriptoribus cenſeri. Oportebat nimirum auctoritatem, quam natura maxime conſtituit; quod ſecum ſcientiæ opinionem ætatis maturitas trahere ſoleat; eam, veteri Dei populo ſemper uſurpatam, cum eodem diſcrimine, Chriſtianiſmo, in quo eſt inſtaurandæ naturæ humanæ profeſſio, inſtaurari. Nam & illi LXXII. quos *Moſi* Deus, Adjutores quaſi, & Optiones conceſſit, fuerant jam *Seniores Iſraelis*, & *Scribæ*, eoque nomine *Moyſi* noti *Num.* XI. 16. & LXX. *Seniores* quos propius Deum ſine noxa *Moſes* adduxit, *Ex.* XXIV. 9, 11, 14. non male conjicere videntur, qui familiarum eos, à LXX Viris Ægyptum cum *Jacobo* ingreſſis deductarum, fuiſſe principes volunt. Horum ordinem obtinent, qui in Evangeliis *Seniores Iſraelis*, ſive *populi Seniores* appellantur; Quos *Deut.* XXII. 2, 3. diſtingui videmus à ſingularum *Civitatum Senioribus*. *Egrediantur*, inquit *Moyſes*, *Seniores tui*; hoc eſt, ex Synedrio Jeroſolymitano nonnulli: *Capiant autem proximæ Civitatis Seniores* —. Eadem eſt in Evangeliis *Scribarum populi* & *Scribarum ejus* differentia; quod per totam terram *Iſraelis*, ſive Seniorum auctoritatem, ſive opinionem eruditionis in Lege obtinerent; quod ſcilicet ad Synedrium Jeroſolymitanum pertinerent. Nam Presbyterorum & Scribarum nomen, ſine hoc additamento poſitum, longe inferius quiddam ſonare poteſt. Jam, LXX. Diſcipuli Domini Seniores erant ſpiritualis Iſraelis; id eſt, Eccleſiæ quam inſtituebat Dominus: Sed quia non unius Gentis erat, ſed ex omnibus colligenda, propterea eo nomine, poſt Aſcenſionem Domini, nihil egiſſe leguntur. Atqui cum, nondum propagato Evangelio, idem erat Eccleſia

De Presbyterorum nomine vel ad ſingulas, vel ad partes totius Eccleſiæ relato.

Jeroſolymitana quod univerſa; poſtquam propagari cœptum eſt, idem fuiſſe Presbyteros Eccleſiæ Jeroſolymitanæ oportet, ac univerſæ. Itaque idem fuerint, quibus miſſæ ſunt Eccleſiæ Antiochenæ oblationes *Act.* XI. 30. qui alibi ἡγούμενοι ἐν τοῖς ἀδελφοῖς dicuntur *Act.* XI. 22. cum idem eſſent fere tum temporis fratres Jeroſolymitani, ac univerſus Chriſtianiſmus. Hac igitur ratione Presbyterorum nomen, cum in ſingulis Eccleſiis honoris nomen ſit, in *Actis Apoſtolorum*, ubi Eccleſia Jeroſolymitana idem fere eſt quod tota Eccleſia, auguſtiorem ſenſum habet.

Presbyterorum conſeſſus ab Apoſtolis inſtitutos.

Epiſcoporum autem nomen proprium eſſe primi Ordinis, in Scripturis Apoſtolorum, non eſt quod repugnet, qui tamen credat, Presbyterorum conſeſſus ab Apoſtolis Eccleſiis præfectos, quos ipſi, à ſe inſtitutos, ſummo Jure regebant. Reſtat enim ratio communis Epiſcopis ac Presbyteris muneris, idonea quæ reſpondeat quærentibus; cur de Presbyteris nihil mandaverit Apoſtolus. Itaque non erit concedendum, nullum tum fuiſſe Ordinem Presbyterorum; quamvis Eccleſias in Epiſcopo & Diaconis ſuis fundatas primum fuiſſe multis in locis, *Epiphanio* concedendum videatur. Sane cum *Jacobus* V. 14. *ad laborantes vocari jubet Presbyteros Eccleſiæ*; videtur Presbyterorum Ordinem intelligere. Nam quis credat ad laborantem Laicum Synodum Epiſcoporum vocari? Et cum *bene regentes Presbyteros duplici honore dignari* jubetur *Timotheus*, 1. V. 17: quis credat oblationes fidelium, Epiſcopis ſibi ſuffragantibus, ſoli *Timotheo* diſpenſandas mandari? Nam Epiſcoporum cauſas, Synodis Provinciarum cognoſcendas, univerſæ Eccleſiæ mos ac ratio reſervat; Cum Presbyterorum cauſas *Timotheo* cognoſcendas attribuat ibi Apoſtolus, 1 ad *Tim.* V. 19, 20. Neque hæc poſterius conſtituta dicet, qui Eccleſiam ab initio unam fuiſſe concedit. Itaque cum *Paulum & Barnabam conſtituiſſe* Fidelibus κατ' ἐκκλησίαν πρεσβυτέρους legimus *Act.* XIV. 23. cum *relictum in Creta Titum*, ut *conſtitueret* κατὰ πόλιν πρεσβυτέρους, videntur Conſeſſus Presby-

Presbyterorum intelligendi; etſi quos primo Presbyteros, eos mox Epiſcopos appellat I. 5,7. propter munus commune, ut dictum eſt. Equidem, etſi de Presbyterorum Ordine, communi Apoſtolorum decreto, ab ipſis inſtituto, ſola Traditione conſtare dicerem, tacentibus eum Scripturis, non putarem quicquam neceſſitati ſalutis perire, quod Eccleſiæ neceſſaria Lex ex Scripturis Apoſtolicis teſtimonium non habeat. Verum cum aliquam teſtimoniorum ſegetem in Scripturis extare, quæ ſub Apoſtolis exiſtiſſe eum Ordinem probet, juſta credendi cauſa ſit, non eſt quod Epiſcopalis Ordinis vetuſtatem, Presbyterorum Ordinis novitate tuendum putemus.

Præterea, non fuiſſe eos, qui incertis Ordinum nominibus in Scripturis Apoſtolorum nuncupantur, ſuis ſedibus aſſignatos, quo tempore ſcripſerunt Apoſtoli, ita verum eſſe arbitror, ut magni momenti ſit, ad generalem quam præmiſi rationem aſſerendam; facti non juris eſſe multa, quæ de ſtatu Eccleſiæ Apoſtolorum Scripturis memorantur tantum, non jubentur, propterea quod nondum conſtitui poſſet ſtatus Eccleſiæ, qualis ab Apoſtolis deſignabatur. Sed non eſt propterea neceſſe concedere, nullos inſtitutos Apoſtolorum tempore Presbyterorum conſeſſus, ſingularum Eccleſiarum regimini aſſignatorum; ſive inſtitutos jam, ſive nondum inſtitutos Epiſcopos ponamus; quod de Corinthiorum Eccleſia, cum eis ſcriberet Apoſtolus, diſerte affirmantem Commentarium Ambroſio inſcriptum audivimus. Valeat hæc ratio interpretandis eorum muneribus, qui communioris ſignificationis nominibus appellantur. Singulare eſt quod ad *Hebr.* XIII. 7, 17. jubentur primo *memores eſſe principum ſuorum*, hoc eſt ἡγουμένων, *qui ipſis verbum vitæ locuti fuerant*; Deinde autem, *obtemperare Principibus* jam nunc *ſuis*, *tanquam animarum ſuarum ſaluti invigilantibus*. Hic enim manifeſtum eſt, eodem nomine appellari ſive Apoſtolos, ſive Apoſtolorum ſocios ac ſuppares, qui primi Hebræorum Eccleſias ad Fidem adduxe-

Tum, ſuis ſedibus aſſignatos.

Digitized by Google

adduxerant, cum ſucceſſoribus ſuis, qui tum ſtatim ipſos regerent. Sed cum *S. Jacobus Eccleſiæ Presbyteros* ad laborantes introduci jubet, cum *Presbyteros* qui bene præſunt *S. Paulus* duplici honore dignari jubet,cum *Paulum* & *Barnabam S. Lucas Presbyteros* κατ' Ἐκκλησίαν ordinaſſe ſcribit,non κατ' Ἐκκλησίας, neceſſe eſt, non ſingulos ſingulis Eccleſiis *Presbyteros*, ſed *Presbyterorum* conſeſſus, per Eccleſias ordinatos ipſis præfuiſſe intelligi. Quis enim credat duplicem honorem,ex Epheſinæ oblationibus Eccleſiæ *Presbyteris* aſſignatum, ratione ejus qui minoribus Clericis impendebatur,aliter quam de Cardinalibus Eccleſiæ ipſius *Presbyteris*,ut poſtea appellabantur, accipi poſſe? Nam qui ad ipſius Eccleſiæ ſortem non pertinebant, ſed aliis Eccleſiis Epiſcopi deſignabantur, etſi ex oblationibus ipſius Eccleſiæ ſuſtentarentur interea, non tamen putandi ſunt in ſortem *Presbyterorum* ejus venire. Hæc igitur conſultum non eſſe oſtendunt eas anguſtias ſubire, ut negandum ſit *Presbyterorum* conſeſſus ab Apoſtolis inſtitutos, quos, ex inſtituto Synagogæ tranſlatos, res ipſa doceat. Nam inſtituta Synagogæ, quæ ad Eccleſiam venerint,auctoribus Apoſtolis tranſlata eſſe, ratio cogit; quod,poſt repudiatum a *Judæis* Chriſtianiſmum, (quod ipſorum tempore accidit) non eſt neceſſe concedi. Neque enim putandum, de adhibendis ad Chriſtianorum mores Judæorum inſtitutis Eccleſias tum laboraſſe; aut a plebe Chriſtianorum, perſecutorum ſuorum mores libenter acceptum iri.

Epiſcopos interdum Presbyterorum nomine appellari.

Jam, *Presbyteros* Eccleſiæ appellari, quos *Epheſo* Miletum evocatos Epiſcopos appellavit Apoſtolus, cum dimitteret, idonea ratio eſt *Irenæi* auctoritas, Apoſtolorum pene ſupparis, ſi Epiſcopos *Aſiæ* eos fuiſſe intelligamus. Nam cum Eccleſia una ſit, Πρεσβύτεροι τῆς Ἐκκλησίας recte appellantur, etiamſi Epheſinæ civitatis propriam Eccleſiam non determinet articulus; ſed univerſam,Provinciæ ſaltem *Aſiæ*, Eccleſiam. Nam ordinatos Epiſcopos qui *Presbyteri*

teri advenerant ; preterquam quod ſolius arbitrii conje-ctura ſit, cujus nullum hiſtoria argumentum contineat ; non facile credi poteſt. Neque enim idoneam exiſtere potuiſſe cauſam, cur, quos evocaverat omnes, neminem eorum, quos non evocaverat Apoſtolus Epiſcopum faceret. Præterea, cum ad *Philippenſes* Epiſtola *Epiſcopis* etiam *&* *Diaconis* inſcribitur, libenter fero Epiſcopos, circumvicinis, quæ jam ordinabantur Eccleſiis inſtitutos intelligi, cum *Diaconis* ſuis ; ne neceſſe ſit de Epiſcopi nomine contendere, quod *Presbyterorum* etiam ordini in Scripturis commune ſit. *Presbyteros* autem Eccleſiarum ex circumciſione inſtitutarum, ad quas ſcribit S. *Petrus*, commodiſſimum puto de Epiſcopis accipere. Sic enim, cum eos κατακυριεύειν τῶν κλήρων vetat 1 *Pet.* V. 3. optime de *clericis* intelligetur, quos κλήρων nomine *Clemens Alexandrinus*, & *Cornelius Romanus* apud *Euſebium* appellant, ut dictum eſt. Presbyteros autem non minus quam Diaconos ſignificabit. Nam eis ſuæ *ſortes*, ut miniſterii ſic honoris, ab Epiſcopo aſſignari, ex mandatis Pauli ad *Timotheum* intelligimus ; Cum Epiſcopi *exors*, ut loquitur *Cyprianus*, eſse debeat poteſtas ac jus ; Ac propterea raro, etiam in monumentis Eccleſiaſticis, *clerici* nomine cenſeatur. His igitur cum reſponderi poſſit ratiunculis, ex Scripturis Apoſtolorum, quibus Apoſtolorum, de perpetuo univerſæ Eccleſiæ per Epiſcopos ac Presbyteros regimine, traditio labefactatur, & ſubruitur ; ſatis habeo ea ſubminiſtrare, quæ a veritatis & unitatis Eccleſiaſticæ adverſariis refelli nunquam poſſe, ſatis habeo. Qui ſe melius reſpondere putat, ſuam ſequatur rationem ; de ſenſu Scripturæ, nec ad veritatem fidei, nec ad unitatem Eccleſiæ neceſſario, contendi nihil prohibet. Illud tantum moneo, quod *Paſtores & Doctores* ; quos tertio loco ab *Apoſtolis & Prophetis* 1 ad *Cor.* XII. 28. quarto autem ab *Apoſtolis Prophetis & Evangeliſtis* ad *Eph.* IV. 11. commemorat Paulus ; hos inquam, quod puerorum Inſtitutores, quos LXX. Γραμματοεισαγωγεῖς, *Hebræi*

מלמרי

מלמדי תינוקות appellant, eſſe vult Commentarius *Ambroſio* inſcriptus, in eo me judicium ipſius, quem alibi in Scripturis doctiſſimum comperi, deſiderare. Et tamen multo ille probabilius, quam qui eoſdem, Concionatorum in Eccleſiis ac Doctorum in Scholis diſcrimine, diſtingui ab Apoſtolo ſomniant. Quaſi aliæ ab Eccleſiis Chriſtianorum Scholæ fuerint, per multas ab Apoſtolorum ætate annorum Centurias. Nam Catecheſeωv Scholam *Alexandriæ* nihil moror, cui *Ammonius*, *Pantænus*, *Clemens*, *Origines*, *Heraclas*, alii præfuerunt. Cum enim adducendis ad fidem Gentilibus inſtituta fuerit, non eſt cur in Scholis Chriſtianorum cenſenda ſit. Cum autem *Epheſiis* ſcribens Apoſtolus, quarto loco utroſque nominet, tum Paſtores tum Doctores; ut eoſdem intelligere videatur; videntur omnino Epiſcopi intelligendi. Nam & in cenſu *Gratiarum*, quas Deus tum temporis Eccleſiis indulgebat, (non autem Ordinum Eccleſiæ; de quibus non agitur) poſt Apoſtolos & Prophetas cenſeri Epiſcopos, ab Apoſtolo *Corinthiorum Eccleſiæ* ſcribente, mirum non eſt.

In VII. *Viris inſtitutum Ordinem Diaconorum.*

Quod autem de Diaconorum Ordine, in VII. viris Jeroſolymitanis ab Apoſtolis inſtituto, in dubium vocatur, ad eam rationem exigendum eſt, quæ Presbyteros Jeroſolymitanos, etſi Ordine Presbyteros, tamen, cum hunc Ordinem per univerſam Eccleſiam, quæ primo ſola Jeroſolymitana fuit, tenerent, proximos Apoſtolis in regimine *Eccleſiæ* conſtituit. Neque enim erit, quo minus Diaconi fuerint, qui Apoſtolorum Diaconi fuiſſe dicantur, & pauperes *Eccleſiæ* procuraverint; cum Apoſtolis in eo munere propterea ſuccederent, quod, qui *Verbo & Orationi* (id eſt Liturgiæ, ſive Euchariſtiæ miniſtrandæ) vacarent, aucto fidelium numero, ſimul oblationibus fidelium diſpenſandis vacare non poſſent. Nimirum idem agebatur quotidie Jeroſolymis *Act.* II. 42, 46. quod *Corinthi* ſtatis conventibus 1 ad *Cor.* XI. 20 — Ut ſupra dictum eſt. Itaque idem eſt miniſterium VII Virorum ac omnium Diaconorum;

Digitized by Google

rum; ut Altari miniſtrent. Tum, ut Evangeliſtas, & minoris Ordinis Apoſtolos, XII Apoſtolorum *Miniſtros* fuiſſe dictum eſt; perinde Diaconi *Epiſcopi* ſui & Presbyterorum, & Apoſtoli ipſi Domini Chriſti (qui ipſe *Apoſtolus eſt profeſſionis noſtræ* ad *Ebr.* III. 1., Dei nimirum reſpectu) nullo medio Diaconi ſunt. Hoc tantum intereſt; *Evangelij, Verbi, Novi Teſtamenti, Eccleſiæ* in univerſum *Miniſtri* appellantur, ſive Apoſtoli, ſive ipſorum Miniſtri. Qui autem *Diaconi* ſine additamento dicuntur, reſpectu hujus vel illius *Eccleſiæ* (id eſt, Rectorum ejus) Diaconi dicuntur; etſi, reſpectus hic quia quotidianus eſt, idcirco, in eorum appellatione, mentio ejus nulla habetur. Vide 1 ad *Cor.* III. 1. VI. 4. XI. 23. ad *Col.* I. 23, 25. ad *Eph.* III. 7. VI. 21. 1 ad *Theſſ.* III. 2. ad *Col.* IV. 7. I. 7. *Act.* I. 17. VI. 4. XX. 4. XXI. 19. ac omnino verum eſſe, quod hic obſervo, obſervabis. Sane Apoſtoli ipſi *Presbyteri* ſunt 1 *Pet.* V. 1. 2 *Joh.* I. 3 *Joh.* 1. *quia major Ordo minorem includit*; ut Commentarius *Ambroſio* inſcriptus in 1 ad *Cor.* XII. 28. docet. Tamen Presbyteris non eſt datum εὐαγγελίζεσθαι, ſive κηρύσσειν; (id eſt, *Evangelium infidelibus prædicare*, ad Chriſtianiſmum & *Eccleſiam* propagandam) ſed Chriſtianorum cœtus, quorum Presbyteri ſunt, docere; quod eſt proprie διδάσκειν. Specta mandatum Apoſtolorum; *Agite, Diſcipulos facite, prædicando Evangelio, Gentes omnes Mat.* XXVIII. 19. nimirum, Baptizando Diſcipulos facite, id eſt, Fideles; Factos autem Fideles *docete obſervare quæ præcepi vobis omnia.* Itaque hoc agebant Apoſtoli, cum *non ceſſarent docere & prædicare Jeſum Chriſtum in Templo, & per domos, Act.* V. 42. *prædicare* Judæis in Templo, ſuos per domos *docere.* Sic *Paulus* & *Barnabas Act.* XI. 25. Antiochiæ *cœtus agebant in Eccleſia per annum integrum, & docebant*, ſcilicet *Eccleſiam.* Nam & Dominus, cum eodem diſcrimine, *docebat*; ſcilicet in Synagogis, tanquam Propheta; (ut & Apoſtoli, tanquam Prophetæ Diſcipuli) & *prædicabat Evangelium*, nimirum ſuis, *Mat.* IV. 23. IX. 35. XI. 1. Cum igitur Evangeliſtas

Apoſtolorum Miniſtros fuiſſe probatum ſit, ut Apoſtolos Domini; quid mirum eſt, ex VII. viris Jeroſolymitanis, *Stephanum* quidem Judæis, *Philippum* autem Samaritis, auctoribus Apoſtolis, quorum eſſent Miniſtri, prædicare? Quid aliud, quam quod *Timotheus* Epheſi, *Titus* in Dalmatia, Illyrici parte, 2 ad *Tim.* IV. 10. ad *Titum* III. 12. *Officium Evangeliſtæ* facit? Quod *Epaphras*, id eſt, ut opinor *Epaphroditus*, *Coloſſis*, I. 7. *Marcus Petri* Interpres, ſecundum S. *Hieronymum in Catal.*, *Alexandriæ*; poſtquam ſcilicet *Petro* miniſtraſſet? Nam & ad privilegium Apoſtoli neceſſarium fuit *Dominum in carne vidiſſe*; nimirum, ut ipſi miniſtraret, *Marci* III. 14. *Mat.* X. 1. 4. Hoc ſibi vendicat *Petrus* 1 *Pet.* V. 1. hoc in ſubrogando *Judæ* XII. Viro requiritur *Act.* I. 21. Hoc ipſe *Paulus* ſibi ſumit, ut Apoſtolus videri poſſit, qui agenti in terris Domino non miniſtraverat, 1 ad *Cor.* IX. 1. Itaque *Miniſtri Verbi*, *Evangelij*, *Novi Teſtamenti*, recte dicentur Miniſtri Apoſtolorum, quod ipſorum mandato Eccleſiam ad incredulos promovebant. Non recte Eccleſiarum Presbyteri, niſi idoneo mandato inſtructi; quod Presbyterorum non eſt, ſcilicet omnium. Nam qui Jeroſolymis *Presbyteri* dicuntur, Ordine proximi Apoſtolis, ut dictum eſt, eis non eſt negandum, quod Apoſtolorum Diaconis conceſſum eſt. Nec mirum gratiam, ſive Evangeliſtæ, ſive Epiſcopi, *impoſitione manuum Presbyterij Timotheo* datam, 1 ad *Tim.* IV. 4. quæ *impoſitione manuum Apoſtolicarum* data ſcribitur 2 ad *Tim.* I. 6. Cœtum enim Presbyterorum, non munus, *Presbyterii* nomine ſignificari docet articulus; Nec enim eſſet δὶ ἐπιθέσεως τῶ χειρῶν τοῦ πρεσβυτερίου, ſed διὰ χειροθεσίας τοῦ πρεσβυτερίου,, ſi Presbyteri munus collatum intelligendum eſſet. Atqui, *Paulo* manus imponente, quales Presbyteri manus ſimul imponant? Quales nimirum Apoſtolis proximos, non quales *Epiſcopis* ſingulis ſubditos deſcripſimus. Hæc qui apud ſe reputaverit, facile credet, VII. Viros Jeroſolymitanos ex Ordine Diaconorum fuiſſe: Quod *Eccleſiæ* veteri creditum

Digitized by Google

creditum videmus, ex iis Conciliorum Canonibus, eis Eccleſiarum moribus, quibus Eccleſiarum matricum *VII* eſſe *Diaconos*, conſtitutum & uſurpatum legimus. Commentarius quidem *Ambroſio* inſcriptus ad *Eph.* IV. 12. *Evangeliſtas Diaconis* ita confert, ut *hos etiam docere* dicat, ſed *ſine Cathedra*. Neque enim licebat Diaconis, conſidente in Eccleſia cum Presbyteris Epiſcopo ſedere; ſed inſtar Angelorum in Apocalypſi, Cathedras Presbyterorum ambientium, ſtare in procinctu, tanquam ad miniſterium, ut in Conſtitutionibus Apoſtolorum interpretatum legimus. II. 57. Sic enim etiam in Synagoga, Dominus quidem, cum Scripturam quam legerat interpretari aggrederetur, *conſedit*, *Lucæ* IV. 20. Paulus autem verba facturus *Antiochenis Piſidiæ ſurrexit Act.* XIII. 14. alter Prophetæ, alter miniſtri doctoratum uſurpans. Denique de Diaconis, quos ſtatim Epiſcopis ſubjicit, Apoſtolus 1 ad *Tim.* II. 13. *qui bene miniſtrarunt boneſtum ſibi gradum acquirunt.* Quem niſi Presbyterorum, interpretante cum *Alexandrino Clemente*, uſu totius Eccleſiæ? Omnino, ut ætate provectiores ad Presbyterorum Ordinem promoveri, ita ætate inferiores, interea temporis, ipſis, in omnibus Eccleſiæ, non magis ſacris Officiis quam negotiis, miniſtrare; (unde Diaconorum nomen fluxit) inſtituti eſſe Apoſtolici, totius Eccleſiæ uſus oſtendit. Tranſlatum autem hoc inſtitutum ex Synagoga, Pauli exemplum. Honoratiori quidem loco, & qui ad Eccleſiæ totius ſtatum plus faceret, qui Epiſcopis quam qui Presbyteris; qui majoris, quam qui minoris Eccleſiæ, ſive Epiſcopis, ſive Presbyteris. Unde nemo negat, pluris interfuiſſe Eccleſiæ *Athanaſium Alexandrinæ* Eccleſiæ Archi-Diaconum; qui, Epiſcopo ſcilicet miniſtraret; quam pleroſque eorum qui Nicææ τὸ ὁμοούσιον ſuffragiis ſuis conſtituerunt Epiſcoporum. Interea, eadem omnium Eccleſiarum forma, eiſdem Miniſtrorum Ordinibus conſtante.

Quo jure minores Ordines.

Itaque quod poſtea, ſatis mature introducti ſunt in Eccleſiam minores Clericorum ordines, qui ad eos, quos ab Apoſtolis inſtitutos Scripturis ipſorum probamus, gradum facerent, omnino ad inſtitutum Apoſtolicum referendum eſt; quo *Neophytum ordinari vetat* Paulus 1 ad *Tim.* III. 6. Recepto enim paſſim Chriſtianiſmo, id erat Laicus, quod recenti Neophytus; ut recte *Gregorius Rom.* Sic enim ille *Epiſt.* VII. 111. *Sicut autem tunc Neophytus dicebatur, qui initio in ſanctæ Fidei erat converſatione plantatus; Sic modo Neophytus habendus eſt, qui repente in Religionis habitu plantatus ad ambiendos ſacros honores irrepſerit. Ordinate ergo ad Ordines aſcendendum eſt. Nam caſum appetit, qui ad ſumma loci faſtigia, poſtpoſitis gradibus, per abrupta quærit aſcenſum.* Vide & IV. 50. Quare, cum inſtituti ſunt minores Ordines, in quibus acta ut Clericos decebat ætate, ad Diaconatum aſcenderent, pro merito promovendi, definitum tantum eſt, quod, Canone Eccleſiæ accepto ab Apoſtolis, definitum non erat, Neophytum ordinari vetante. Vide Synodi *Nic.* II. *Sardicenſis* X. *Laodic.* III. *Arelat.* II. 1. Syricuum *Epiſt.* III. 3. Itaque procedente tempore, determinandum erat, quibus ſtudiis, quoque temporis ſpatio exercendi eſſent, ex quibus promovendi eſſent idonei. Id quod conſultiſſime fieri viſum eſt, ſi a teneris unguiculis, officiis Chriſtianæ pietatis, in Eccleſiarum ſuarum cœtibus aſſuefacti, Scripturas interim ipſi memoriæ mandarent, quarum intelligentiam, à ſuperioribus & provectioribus Eccleſiarum ſuarum Ordinibus haurirent; Inſtituto prorſus Apoſtolico, quod in uſum, ex eorum mente reduci, Reformandæ Eccleſiæ neceſſe ſit intereſſe.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XVIII.

Adverſus cœtus abſolutos, & Presbyteria.

De Senioribus Plebis, & Cœtibus abſolutis.

HIS,ex inſtituto & uſu unius Eccleſiæ Dei expoſitis, ſecundum quam intelligendas eſſe Apoſtolorum Scripturas dictum eſt ; proponamus eorum ſententiam, qui *Presbyteros*, de quibus Apoſtoli,partim *Laicos* partim *Clericos* fuiſſe volunt ; partim ſcilicet ex plebe, partim ex ordine Eccleſiæ : Neque minus his ex plebe Senioribus, quam illis qui ad Ordinem Eccleſiæ pertinerent , poteſtatem Clavium, tam in neganda quam indulgenda Euchariſtiæ communione, (quæ reliquorum omnium Chriſtianæ pietatis officiorum communionem ſupponit) attribuunt. Verum, ut eſt fæcundus error erroris, non ſteterunt in hoc gradu alii ; ſed ſupremam in Eccleſiaſticis poteſtatem plebi cujusvis Eccleſiæ aſſeruerunt. Hæc ſententia Reginæ *Elizabethæ* tempore ſerpere apud nos cœperat ; quo tempore , per *Academias*, magna fuit *P. Rami* in tradendis honeſtis diſciplinis exiſtimatio. Nam eum hujus ſententiæ vindicem fuiſſe, ex *Theodori Bezæ* Epiſtolis intelligimus ; qui ejus auctorem ὄζον Ἄρηος appellat. Sed non multis abhinc annis, media apud quoſdam ſententia obtinuit,quæ *auctoritatem Senioribus* ; (ſive *Miniſtris*, ut vocant, ſive ex plebe) *Plebi* autem *poteſtatem* rerum Eccleſiaſticarum tribuit , cum nihil ratum eſſe vult, niſi quod plebs juſſerit,Prorſus ut in civitate Romana , à pulſis Regibus, penes populum *Imperium*, penes Senatum *auctoritas* erat. Hi ſunt qui cœtuum abſolutorum, neque aliunde pendentium nomen, per nuperas apud nos turbas obtinuerunt ; oppoſiti eis, qui cœtus hujuſmodi, Presbyterorum regimini ſubditos, vinculo juris communis, in Concilia, jure divino cogendos putant ; quæ *Presbyteria* nihilominus,

ſed

Digitized by Google

ſed & *Claſſes* vocant. Nam horum Presbyteriorum *Concilia*, *Provinciales*, *Provincialium autem Nationales Eccleſias* eſſe volunt. Neque deſunt, qui totum hoc juris vinculum, divinitus inſtituti, quo Presbyteria, ſive in Provinciæ,ſive in Gentis alicujus totius Eccleſiam, Lege Dei cogenda pertenditur, merum eſſe figmentum arbitrati ſint; Cœtuum ſingulorum arbitrii eſſe, ſtare ipſi per ſe malint, an in Presbyteria Synodoſque coire, prout promovendo Chriſtianiſmo expedire viſum fuerit. Hæc ſunt fere ſententiarum divortia, quæ apud nos, neglecto Fidei de unitate Catholicæ Eccleſiæ capitulo, animos hominum occupaverant; Quas cum ad unitatem Eccleſiæ ex Fidei veritate revocari non poſſe, niſi inſtaurato hujus capituli ſenſu, ratio docuiſſet; eadem ratione, inſtaurandi, ex Fidei veritate, totius unitatem Eccleſiæ viam ac modum deprehendi, tota noſtra diſputatio contendit. Nam, quam Nationalem Eccleſiam appellant, eam eſſe volunt Civitatis unius,(Regni puta vel Reipub.) non tam finibus definitam, quam Legibus & Imperio conſtitutam. Unde manifeſtum eſt, de unitate Catholicæ ne ſomniaſſe quidem hanc ſententiam; Cujus tamen inſtitutis ac Legibus, neceſſe ſit, omnes quæ ubique ſint Eccleſias formari; quod aliter, ad ejus unitatem quæ ab initio fuit Dei Eccleſiæ, pertinere non poſſint.

Ex Scripturis adverſus Cœtus abſolutos.

Unde hæc profecta ſint, facile conſtabit ei, qui eos noverit, qui plebi Paſtorum ſibi præficiendorum jus aſſeruerunt, eo quod *Paulus* ac *Barnabas Eccleſiis* à ſe inſtitutis *Presbyteros ſuffragiis plebis ordinaverint Act.* XIV. 27. Χειροτονίαν enim ibi memoratam, *electionem per ſuffragia* eſſe volunt, *Græco* more, *manuum extenſione* numerata. Hoc enim ſi obtineat, cum *Petrus* rationem plebi reddit, cur Gentiles in Eccleſiam receperit *Act.* XI. 9. cum *Paulus Coloſſenſibus* IV. 7. *dicite*, inquit, *Archippo, vide miniſterium quod ſuſcepiſti ut expleas*; cenſura plebis vel *Archippò*, vel ipſi *Petro* pertimeſcenda fuiſſet, niſi ſuos placatos habuiſſent. Nam cum Synodica Concilii *Jeroſolymitani fratrum* etiam nomine ſcribitur,

bitur, quid eſt, quo minus auctores decreti cenſendi ſint? Cum autem *Matthiæ*, cum VII. virorum *electio fratribus* demandatur *Act.* I. 23. VI. 3. quis humilitatis συγκατάβασιν, non juris demonſtrationem credat, quod inſtituendæ poſteritati ſcriptum eſt? Sed hæc omnia, notandum eſt, adverſus Paſtores ſuos plus juris plebi Chriſtianæ aſserere non poſse, quam adverſus Apoſtolos. Itaque, qui nimium petit, formula cadit. Pudet pigetque Apoſtolis, (quorum judicio baptizatis idoneis, conſtitutæ ſunt Eccleſiæ) in Neophytos ſuos Eccleſiaſticam auctoritatem diſputando aſſerere; Quod ſuo loco factum eſt, quantum res viſa eſt poſtulare. Non minus à Chriſtianiſmo, quam à communi hominum ſenſu abfuiſset, qui hoc in dubium vocaſset. Interea loci, expediri in publicis Eccleſiarum cœtibus Eccleſiarum negotia, & ab Apoſtolis inſtitutum eſt, & eatenus obſervari debet, quatenus unitatis ratio fert. Ita enim optime obſequens erit plebs rebus geſtis, ſi gerendarum rationem teneat. Itaque *Ordinationes Act.* I. 23. VI. 3, 6. *Excommunicationes Matt.* XVIII. 18, 19, 20. 1 ad *Cor.* V. 4. 2 ad *Cor.* II. 10. *Concilia Act.* XV. 4. 27. alia 2 ad *Cor.* VIII. 19. *ſub populi aſſiſtentis conſcientia* fiunt, ut loquitur *Cyprianus*. Numnam propterea eorum *ſuffragio*? Equidem ſi originem vocabuli reſpicias, non recuſo. Neque enim aliud ſignificare videtur, quam *fragore* ſignificatum aſsenſum. Acclamationes autem tum Conciliorum, tum ſingularum Eccleſiarum, frequentes ſunt in Eccleſiæ monumentis. Sed aſsentiri non eſt decernere, licet *diſſentire* novum decretum *poſtulare* ſit; Nam refragando, plebs decernendi jus nullum acquirit. Quare, ut expediri negotia Eccleſiæ in cœtibus Eccleſiæ videmus, ſic in aliis cœtibus decerni. *Ingreſſus eſt ad Jacobum Paulus, cum omnes ei adeſſent Presbyteri:* Simul conſtitutum eſt *plebi rem communicari Act.* XXI. 18, 22. Hoc eſt quod *Presbyterium* appellat *Cyprianus*; conventus Epiſcopi ac Presbyterorum, in quo formari negotia jus erat, quæ in cœtu Eccleſiæ expedirentur,

tur, ut ex ipſo manifeſtum eſt. *Adverſus Presbyterum accuſationem ne recipias, niſi ſub duobus aut tribus teſtibus* 1 ad *Tim*. V. 19. num eorum cauſas coram plebe ventilari ratio fert? Sane quod ſequitur; *peccantes coram omnibus increpa, ut reliqui metuant*; increpationem ita publicam eſſe jubet, ut aliud ſecretius faciendum innuat; cauſæ puta cognitionem, quæ peccantem detegit. Cum ad eligendum Apoſtolum duos propoſitos legimus *Act*. I. 23. nonne quærendum reſtat, quis nominaverit? Hoc ſi plebs ſibi ſumpſerit, quid reſpondebit Apoſtolis, *obſequium Paſtorum* præcipientibns 1 ad *Theſſ*. V. 12, 13. ad *Hebr*. XIII. 7, 17. Itaque hoc eſt, quod diſcipulorum ſuorum primos Principibus Gentium ſimiles eſſe vetat, ut invitis dominentur; Sed miniſtros ſe etiam infimorum meminiſſe, ut volentibus præſint. Quid enim aliud volunt, cum permittunt plebi nominandos, quos ipſi ordinando conſtituunt; quam ejus ſcientiæ permittere, quos maxime idoneos putent, ex Lege quam ipſi ſtatuerint? Non impoſituri ipſis manus, ſi minime idoneos nominaſſent, ne peccatis eorum ipſi communicarent, quorum ſereos ſciebant futuros, ſi idem cum S. *Paulo* docebant. Cum Paulus quærit, *nonne qui intus ſunt vos judicatis* 1 ad *Cor*. V. 12. num plebem alloqui cenſendus eſt? Nimirum, ſi de *ſæcularibus judicandum ſit, judices ſedere jubet, eos qui nihili ſiunt in Eccleſia* IV. 4. Sane ſic potius, quam ut ſub Gentilibus litigarent Chriſtiani. Non autem inſanire eos jubet, ut nihili judicibus, potius quam ſapientibus, expediendas Chriſtianorum cauſas commendent. Tum Juriſdictio, dandi judicis poteſtas eſt. Ita, nihil prohibet *Juriſdictionem* Eccleſiæ penes *Ordinem* eſſe; & tamen è plebe *dari Judices*. Itaque in *vita* S. *Petri, quæ in Conciliorum Voluminibus* extat, ex *Epiſtola Clementis ad Jacobum fratrem Domini*; (ſatis illa veteri, quam Ruffinus tranſtulit, etſi non genuina) conſtitutos ab eo refert, qui huic officio vacarent; ſive *laicos* velit, ſive *ſolos clericos*; (quos ſolos Apoſtolicà Conſtitutiones adhibent) in quibus, & ἀφοϱισμὸν ejus

ejus qui Eccleſiæ non obtemperet reperies, & utramque partem ſtantem judicari, & conſeſſum Epiſcopi cum *Presbyteris*, & de conciliandis inter ſe partibus, prius quam pronunciet Epiſcopus; quoties ſcilicet, de offenſa, non de lite cauſa eſt. Vide II. 45, 46, 47. Et *Polycarpus Epiſt. ad Philippenſes*, cum Presbyteros vetat eſſe ἀποτόμȣς ἐν κρίσει, hæc *judicia* proculdubio ſpectat. Adeſſe quidem in Synodis plebem, Eccleſiæ mores ferunt; ſic enim legitur in *habendi Concilii forma*, *Iſidori Mercatoris* nomine inſcripta, quam farragini Conciliorum præmiſſam legimus; quæ propterea Eccleſiarum *Hiſpaniæ* uſum videtur repreſentare. Cæterum decerni ex ſententia ejus, non eſt in Eccleſia magis inauditum, quam à veritate rei *Jeroſolymis* geſtæ alienum. Itaque non aliud ſignificat *Fratrum* nomen, *Synodicæ* Concilii *Jeroſolymitani* Epiſtolæ inſcriptum, quam, pro Officio Chriſtianiſmi, decreti Apoſtolici tanquam rati agnitionem. Quod autem *dic Eccleſiæ*, præceptum eſt Domini, audiamus *Auguſtinum contra Epiſt. Parmen.* III. 2. *Tunc etiam ille, & timore percutitur, & pudore ſanatur, cum ab Univerſa Eccleſia ſe anathematizatum videns, ſociam turbam, cum qua in delictis gaudeat, & bonis inſultet, non poteſt invenire.* Itaque Excommunicatio Univerſæ Eccleſiæ ſententia eſt, licet eam Epiſcopus, ſolus vel cum Preſbyterio, decernat. Quid enim eſt ἐπιτιμία ὑπὸ πλειόνων 2 ad *Cor.* II. 6. quam ſententia *Paulina* 1 ad *Cor.* V. 4. effectui mancipata à cœtu Eccleſiæ. Niſi tamen, *S. Auguſtini* tempore, plebem excommunicaſſe ſomniet quis. Et apud *Syneſium Epiſt.* LVII. *Andronici* excommunicatio aſcribitur Eccleſiæ; quam ipſe tamen decernit. Sic *Moſes*, *Iſraelitarum Synagogam* alloqui juſſus, *Presbyteros* alloquitur *Ex.* XII. 2, 25. ſcilicet, quod hoc Deum velle ſentiret. Jubet Lex *Synagogam pro ignorantia offerre*, *Levit.* IV. 13, 14. *Num.* XV. 22, 24. quomodo offeret tota Synagoga? reſpondet *Maimonides Titulo* de *Erroribus* cap. XII, & XIII. *Synedrium offerre*, quoties ejus in docendo error peccato ignorantiæ occaſionem præbet. *Preſ-*

byteros Civitatis perſugii judicare oportebat, num ad cædis auctorem jus ejus perſugii pertineret *Joſuæ* XXIV. 4, 6. & tamen *Num.* XXXV. 35, 36. *Synagoga judicare, Synagoga* cædis auctorem jubetur *tradere.* Quamvis in verbis Domini manifeſtum ſit, poteſtatem judicandi ita Eccleſiæ à Domino aſſignari, ut tamen, penes quem eſſe velit, Eccleſiæ nomine judicare, ut ejus judicium apud Eccleſiam ratum eſſe debeat, nondum ſatis, manifeſte determinet. Nihil autem eſt magis ineptum, quam quod χειροτονίαν in Eccleſia, per *extenſionem manuum ſuffragationem* eſſe velint. Legiſſent ſaltem verba quibus nituntur; χειροτονήσαντες δὲ αὐτοῖς κατ' Ἐκκλησίαν Πρεσβυτέρους, & interrogaſſent, τίνες; nam cum *Paulo & Barnabæ* χειροτονίαν tribuat Scriptura, manifeſtum eſt, non extenſionem manus, quæ plebis erat *Athenis*, ſed Impoſitionem manus, *invitantis & advocantis Sp. S.* ut loquitur *Tertullianus*, quæ Apoſtolorum eſt, intelligi. Sane neceſſe eſſe, *Jeroſolymis* non *Athenis* mores Eccleſiæ venire, etiam nulla adhibita Grammatica, communis hominum ſenſus pronunciaſſet.

Adverſus Presbyteria. Ecce quam egenæ in Scripturis ſcientiæ opinione inflati miſelli homunciones, Scripturam adverſus univerſæ Eccleſiæ uſum ac morem ſibi interpretandum ſuſcipiunt. Equidem, cum ſtatim ab initio Chriſtianiſmi, Eccleſiam Jeroſolymis quinque vel ſex hominum millibus conſtitiſſe, in Actis Apoſtolorum legamus II. 41 — 47. IV. 4. V. 14. quam tamen cœtus quotidianos egiſſe legimus; nimis communis hominum ſenſus hoſtis ſit, qui omnes uno cœtu cenſeri potuiſſe pretendat, quem non niſi totum ſimul ac ſemel Deum coluiſſe fas fuerit; quale jus eſſe cœtum ſuorum, iſti pertendunt. Sed ego non ſolum ipſis, ſed & adverſariis ipſorum, Presbyteriorum auctoribus propono, quod in Scripturis Apoſtolorum obſervatu proclive eſt; cum provinciarum ſingularum multæ Eccleſiæ memorentur, nunquam mentionem fieri plurium Eccleſiarum unius ejuſdemque Civitatis.* Legis *Eccleſias Galatiæ, Aſiæ, Syriæ, Ciliciæ,*

Ciliciæ, Macedoniæ, Achaiæ, Judææ; Samariæ, Hebræorum ex diſperſione Act. IX. 31. VIII. 5, 40. XV. 41. 1 ad *Cor.* XVI. 1. 2 ad *Cor.* VIII. 2. 1 ad *Theſſ.* II. 14. *Apocal.* I. 11. II. 7, 11, 17, 24. III. 6, 13, 22. Eccleſias Epheſi, Smyrnæ, & Civitatum reliquarum non legis. Et tamen Jeroſolymis, fortaſſe non minor Chriſtianorum fuerit numerus, quam per exiguam *Samariæ* provinciam: *Gettbis* puta *Simonis Magi* patria, (nunc villa ait *Epiph. Hær.* XXI. tum Urbe,) & *Cæſareæ*, Provinciæ Metropoli. Quod ſi *Cœtus* ſingulos *Eccleſias eſſe* juſſiſſent Apoſtoli, ſive abſolutos, ſive in Presbyteria cogendos, quomodo factum eſt, ut nulla extet, niſi unius Civitatis unius Eccleſiæ mentio in ſcriptis Apoſtolorum? Nimirum, cedendum eſt veritati, & agnoſcendum, Titum, Presbyteros *per Civitates* ordinare juſſum, quia *Paulus* & *Barnabas per Eccleſias* Presbyteros ordinaverant *Act.* XIV. 23. qui tamen poſtea, cum *per Civitates tranſirent*, *tradiderunt eis decreta ab Apoſtolis & Presbyteris Jeroſolymis*, *Act.* XVI. 4. Nimirum, quod ſingularum civitatum ſingulas inſtituerant Eccleſias. Neque repudianda eſt hæc obſervatio, propterea quod in *Africa*; quod exempli cauſa dictum ſit; pluſquam quadringentos Epiſcopos, per omnes ejus regionis Provincias, ſimul ad Concilia coiiſſe legamus, Et *Walafridus Strabo de Rebus Eccleſiaſticis* cap. V. in hæc verba ſcribit; *Fertur in Orientis partibus*, inquit, *per ſingulas Urbes & Præfecturas ſingulas eſſe Epiſcoporum gubernationes*; Cum tamen Eccleſias *Germanorum*, à *Carolo M.* fundatas, grandi terrarum ſpacio à ſe invicem diſſitas videamus. Imo in noſtra *Anglia*, una *Lincolnienſis* Eccleſia, primo ſola, totam Merciorum regnum, quod hodierni regni magna pars fuit, mox cum *Lichfildenſi*, videtur occupaſſe. Ego cum *Ninium Britannum*, (qui circa annum 858. vixit, & *Hiſtoriam Brittanicam* ſcripſiſſe fertur) produxiſſem, fundatas à *Patricio* CCCLXV. Eccleſias, ordinatos CCCLXV. Epiſcopos affirmantem, factam ſibi rem ſtatim putavit non ignobilis apud nos Presbyteriorum architectu;

Non poſſe *Hibernia* capi tot ſedes Epiſcoporum : Epiſcopos eſſe *Ninio*, qui *Paræciarum* cœtus regerent Presbyteros, cœtus ipſos Eccleſias. Si Ninii verba conſuluiſſet, qui Epiſcopos ordinatos fundatas Eccleſias, eodem numero CCCLXV. retulerat, ab *eodem Patricio Presbyteros ordinatos tria millia* accepiſſet. Verba *Ninii* in Originibus Uſſerianis ita leguntur *p.* 950. quæ nos eadem in Ms. *Cantabrigienſi* invenimus : *Eccleſias fundavit CCCLXV. Ordinavit Epiſcopos eodem numero CCCLXV.* (*quem* eſſe aliis CCCL. ibi reperies) *& eo amplius; in quibus Spiritus Dei & erat. Presbyteros autem uſque ad tria millia Ordinavit.* Itaque apud Ninium Eccleſiæ intelligi poſſunt, non quas ſolas vetuſtas novit, ſedes Epiſcoporum, ſed & quæ Eccleſiæ procedente tempore dictæ, primo erant *conventicula Chriſtianorum* ; Epiſcopi Ninio Presbyteri nunquam fuerint, qui *Epiſcopos* à *Patricio* ordinatos *quot luces habet annus abſolutos*, *Presbyteros ter mille*, ſcripſit. Potuit enim Epiſcopos aliis Eccleſiis Ordinare, quam eis quas inſtituiſſe ipſum ſcribit *Ninius*. Sed, quicquid ſibi ille voluerit ; *Hibernia*, *Patricii* tempore, num ulla civilis vitæ ratione civitates a caſtellis, oppidis, vicis diſtinxerit, dubitandum eſt. Cellas *Monachorum* in Epiſcoporum ſedes a *Patricio* inſtitutas, res docet. Caſtella in *Africa* Eccleſias habuiſſe *Auguſtinus* teſtis eſt. Nec mirum, extare Canonem in codice Africano LX. in quo ponitur, Epiſcopum unum tantum Presbyterum habere. Nam quid hoc totius Eccleſiæ interſit, ſuo loco dicam. Interea loci, non eſt contemnendus univerſæ Eccleſiæ mos, (quem Canones quidam vetuſti repræſentant, cum infrequentioribus locis Ordinari Epiſcopos vetant.) Eccleſias cum civitatibus converti, & per ſingulas civitates ſingulas inſtitui Eccleſias ; etiamſi in Provincia Scythia, ſub Romanorum Chriſtianiſmo, unus fuerit Tomitanus Epiſcopus. Qua de re vide Cod. Juſtin. de Epiſcopis & Clericis, I. 36. item *Sozomenum* Eccl. Hiſt. VI. 21. VII. 19. Qui tamen in Arabia & Cypro etiam vicis ſuos eſſe Epi-

ſcopos

ſcopos ſcribit. Neque hoc inſtitutum exemplo caret Synagogæ, unde in Eccleſiam tranſlatum eſt. Ab *Exodo* ſtatim, juris dicendi ſive munus, ſive jus, decadum, pentecontadum, hecatontadum, chiliadum ducibus ſub *Moyſe* mandatum eſt; Pro tempore quidem peregrinationis in deſerto. Nam cum promiſsæ terræ finibus appropinquarent, *Judices & Miniſtros conſtitues tibi in ſingulis civitatibus*, ait Lex *Deut.* XVI. 28. etſi per *diſperſiones*, hanc Legem non tenere ſcribat *Maimonides*, Tit. de Synedrio, I. 2. Nimirum jure merito; quod non eſsent in ſingulis diſperſionum civitatibus tam frequentes Synagogæ. Neque enim Judaiſmus inſtitutus eſt, ut Gentes amplecteretur; Chriſtianiſmus, qui per Gentes, ex Dei conſilio, propagandus erat; propterea inſtitutum eſt, (ſaltem ubi res erant ejuſmodi, ut obtinere poſset quod generaliter inſtituebatur) ut ſingularum civitatum ſingulæ eſsent Eccleſiæ; etſi ut ſunt res humanæ, hic minores vici, alibi Provinciarum tantum capita *civitatum* nomine cenſerentur.

Nunc expugnandum eſt aliud pertinaciæ propugnaculum, quod ſibi utraque pars in verbis Apoſtoli, 1 ad *Tim.* V, 17. munitum à *S. Paulo* putant; *Qui recte præſunt Presbyteri duplici honore digni ſunt: præſertim qui in verbo & doctrina laborant.* Nam *honorem* hoc loco penſiones eas eſse, quibus vivebant Presbyteri, non alium teſtem do, quam initio capitis Apoſtolum, cum *viduas veri nominis honorari* jubet. Enimvero quod duplum eſse vult Presbyterorum honorem, haud ſcio quomodo rectius intelligi poſſit, quam ratione honoris vel viduarum, vel Diaconorum; (Vide quæ ex Conſtitutionibus Apoſtolorum ſtatim adducimus.) Ut duplum ipſis dari velit Apoſtolus, niſi negligenter officium faciant. Sane *ſtipendium* dici etiam *M. Tullius* vetat, quod honoris cauſa datur, in Epiſtolis ad Tironem ſi recte memini; cum Medicum *honore* affici jubens, præmium intelligit, ut *Eccleſiaſticus* XXVIII. 1. Poſſunt quando ipſis libuerit, pertinaciam deponere, qua laicis

Presbyterorum nomen ad Laicos non pertinere.

laicis cum Presbyteris communem, inſtituto Apoſtoli, Clavium poteſtatem pertendunt, qui ea meminerunt, quibus oblationes fidelium Deo conſecratas, *diſpenſari* à *Timotheo*, ex mente Apoſtoli probavimus. Nam qui, ſuſtentandæ Eccleſiæ, id eſt, tuendis Chriſtianorum cœtibus, cauſa officiorum pietatis Chriſtianæ inſtitutis, meminerit à Deo inſtitutum, ut plebis Chriſtianæ oblationes Deo conſecrarentur, is ſtatim videbit, duo eſſe hominum genera in quos impendi poſſint; primum eorum, qui exercendis & miniſtrandis Eccleſiaſticorum cœtuum officiis conſecrantur, ſecundum pauperum, qui niſi à locupletioribus ſuſtententur, vacare cultus divini officiis non poſſint. Niſi fruſtra ſint quæ præmiſimus, ſacrilegium fuerit, in alios uſus, Eccleſiæ facultates, id eſt, fidelium oblationes conferre. Quanto majus ſacrilegium, munus ipſum in Laicos conferre, quam, quod ſuſtinendi muneris intuitu inſtitutum eſt? Et tamen horum Apoſtoli verborum ſono abducti, ubicunque *Presbyterorum* mentio occurrit in Scripturis Apoſtolorum, ibi laicos ſe legere ſomniant, levandis regiminis onere, Verbi & Sacramentorum Miniſtris; hoc eſt, exercendæ Clavium poteſtati; inſtitutos. Qui autem Presbyterorum conſeſſus, ſub Epiſcopis, Eccleſiarum regimini, officiorum Eccleſiaſticorum miniſterio inſtitutos receperit, non poterit Chryſoſtomum repudiare; ita, eos qui eloquio & Scripturarum ſcientia valerent ab Epiſcopo ad docendum adhibitos, teſtantem, ut ad multos, nedum ad omnes, pertinere id muneris non poſſet. Audiamus eum in 1 ad *Cor.* I.17. ubi majus eſſe εὐαγγελίζεσθαι aſtruit, quam baptizare; καὶ τίνος ἕνεκεν οὐκ ἀποσταλεὶς βαπτίζειν ἐβάπτιζεν; οὐ μαχόμενος τῷ ἀποστείλαντι, ἀλλ' ἐκ περιουσίας τοῦτο ποιῶν. οὐ γὰρ εἶπεν ὅτι ἐκωλύθην, ἀλλ' ὅτι οὐκ ἀπεστάλην ἐπὶ τούτῳ, ἀλλ' ἐπὶ τῷ ἀναγκαιοτάτῳ. τὸ μὲν εὐαγγελίζεσθαι ἑνός που καὶ δευτέρου, τὸ δὲ βαπτίζειν, παντὸς ἂν εἴη τοῦ τὴν ἱερωσύνην ἔχοντος. *Quare autem baptizabat, non miſſus ut baptizaret? Non quod mandanti repugnaret, ſed quod ex abundanti*

danti hoc faceret. **Nec enim prohibitum ſe dicit, verum non ob hoc miſſum, ſed quod magis eſſet neceſſarium. Prædicare enim unius eſt, vel alterius; baptizare, cujuſvis Sacerdotio præditi.* Quod cum aſtruxiſſet, ſic pergit; Οὐ τοίνυν ἐναντιούμενος τῷ πέμποντι ἐβάπτιζεν, ἀλλ' ὥσπερ ἐπὶ τῶν χηρῶν, εἰπόντων τῶν ἀποστόλων· οὐκ ἀρεστόν ἐστι καταλιπόντας ἡμᾶς τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ διακονεῖν τραπέζαις· διηκόνησε, οὐκ ἐναντιούμενος ἐκείνοις, ἀλλ' ἐκ περιουσίας ποιῶν· οὕτω καὶ ἐνταῦθα. ἐπεὶ καὶ νῦν, τοῖς μὲν ἀφελεστέροις τῶν πρεσβυτέρων τοῦτο ἐγχειρίζομεν, τὸν δὲ διδασκαλικὸν λόγον τοῖς σοφωτέροις· ἐκεῖ γὰρ ἐστιν ὁ πόνος καὶ ὁ ἱδρώς· διὸ καὶ αὐτός φησιν· οἱ καλῶς προεστῶτες πρεσβύτεροι διπλῆς τιμῆς ἀξιούσθωσαν, μάλιστα οἱ κοπιῶντες ἐν λόγῳ καὶ διδασκαλίᾳ. *Non igitur mittenti repugnans baptizabat, ſed ut de viduis, dicentibus Apoſtolis*; Non placet, relicto Dei Verbo miniſtrare Nos menſis; *miniſtrabat, ex abundanti, non quod ipſis adverſaretur; ſic & hic. Nam & nunc ſimpliciores Presbyteris hoc mandamus, verbum autem doctrinæ doctioribus. Eſt enim laboris hoc, & ſudoris. Unde & ipſe*; Qui bene præſunt Presbyteri duplici honore digni habeantur, *inquit*; maxime qui in verbo & doctrina laborant. Rem ipſam acu tetigit, & Apoſtoli mentem: A qua neque aberrant Conſtitutiones Apoſt. II. 28. Ὅσον δὲ ἑκάστῃ τῶν πρεσβυτίδων δίδοται, διπλοῦν διδόσθω τοῖς διακόνοις εἰς γέρας Χριστοῦ· τοῖς δὲ πρεσβυτέροις, ὡς ἂν κάμνωσι περὶ τὸν τῆς διδασκαλίας λόγον, διπλῆ καὶ αὐτοῖς ἀφοριζέσθω ἡ μοῖρα, εἰς χάριν τῶν τοῦ Κυρίου ἀποστόλων, ὧν καὶ τὸν τόπον φυλάσσουσιν, ὡς σύμβουλοι τοῦ ἐπισκόπου, καὶ τῆς ἐκκλησίας στέφανος. *Quantum autem ſingulis viduis datur, ejus duplum diaconis detur, in honorem Chriſti. Presbyteris autem perinde atque laborent in verbi doctrina, & ipſis duplex ſeponatur portio, in gratiam Apoſtolorum Chriſti, quorum etiam locum obtinent, tanquam conſiliarii Epiſcopi, & Eccleſiæ corona.* De portionibus Agaparum ſermo eſt; Ratio autem eadem quam adhibet Apoſtolus; ut ad difficillimam muneris ſui partem capeſſendam excitarentur Presbyteri, quam non eſſe omnium, diſputat S.Chryſoſtomus.

Sane

Digitized by Google

Sane in Occidente, ita proprium fuiſſe Epiſcopi munus, docere, ut ipſo præſente nemini uſurparetur, nemo rectius oſtenderit quam Auguſtinus; quem ad id muneris adhibitum narrat *Poſſidius*, cap.V. quod Eccleſia Hipponenſis tum Græcum haberet Epiſcopum. Itaque ab *Hieronymo*, à Commentario *Ambroſiano*, ab erudito in rebus Eccleſiaſticis auctore, qui ad *Ruſticum Narbonenſem Leonis Papæ* tempore ſcripſit, inter ſcripta *Hieronymi* putatus, hic mos reprehenditur. Hæc eo dicuntur, ut intelligatur, ab initio inſtitutæ Eccleſiæ, cum Presbyterorum omnium, regendæ Eccleſiæ fuerit munus, docendi in Eccleſia munus omnium nec fuiſse, nec eſse potuiſse; Utpote cum non reperirentur, ſimul liberalibus artibus, & naturæ dotibus, (a quibus pendet eloquii gratia) ſimul ſinceritate Chriſtianiſmi, (cujus in Eccleſia ſemper antiquior ratio eſse debet, quam aliorum donorum) ita inſtructi, ut eis docendæ plebis munus credendum fuerit. De noſtrorum temporum ſtatu nondum loquor, cum diviſis per *Paræciarum Eccleſias Chriſtianorum* conventibus, ad eas etiam artes aditus eſt paſſim omnibus, ad quas ſi prudentia accederet, Chriſtianorum Presbyterio digna, ſi modeſtia in dogmatizando, ſi unitatis Eccleſiaſticæ conſervandæ, cum ſcientia religio, quare omnibus credi non debeat, cauſam non dico. Si ſine his eloquium, & aptum eloquio ingenium docendæ plebis facultatem habeat, quantumvis Dei & Divini Verbi nomen præferat, non poſſe tetriorem Chriſtianiſmi peſtem exiſtere, res ipſa; id eſt, omnium Eccleſiæ temporum experientia, oſtendit. Sed de ſenſu Apoſtoli hic ſermo eſt, quo tempore, capitales principum Eccleſiarum conventus, (quæ tum, ut dixi, non aliæ erant quam ſedes Epiſcoporum) ſub Epiſcopi & Presbyterorum conſeſſu celebrabantur: Tum, Epiſcopi ſimul & Presbyterorum allocutionibus, ſolenniores quoſdam conventus celebrari ſolitos, *Beza* in 1 ad *Cor.* XI. 8. *Baronius* Anno LVII. 160. & *Ferrarius de Ritu Concionum* II. 40. adductis Eccleſiaſticorum Scriptorum

ptorum locis docuerunt. Mihi ſatis erit Conſtitutiones Apoſtolorum citaſſe; ubi ſic ſcriptum legitur II. 57. καὶ ἑξῆς παρακαλείτωσαν οἱ πρεσβύτεροι τὸν λαόν, ὁ καθεὶς αὐτῶν ἀλλὰ μὴ ἅπαντες, καὶ ἔσχατος πάντων ὁ ἐπίσκοπος, ὃς ἔοικε κυβερνήτῃ. *Deinceps hortentur plebem Presbyteri, ſingulares quidam, non omnes; Ultimus autem omnium Epiſcopus, quaſi qui Gubernatori reſpondeat.* Sed hoc in Oriente. Nam in Occidente adhuc ejus moris exemplum requiro; quem *Apoſtolicorum charismatum uſui,* præceptis *Paulinis* 1 ad *Cor.* XIV. definito ſucceſſiſſe, res ipſa docet. Interea loci, cum, paſſim propagato Chriſtianiſmo, ovile gregis capax non eſſet; ut omnibus copia eſſet, Chriſtianæ pietatis officiorum in Eccleſiæ conventibus celebrandorum, propagando Presbyterorum Ordine proſpici potuit; & factos ſemel Chriſtianos, officii ſui, pro ſimplicitate Chriſtianiſmi, non pro ambitione eloquentiæ moneri, res ipſa poſtulabat. Cæterum, in officiis potius Dei colendi, quam in ambitione doctrinæ humanæ (nam cum à Spiritus Sancti revelatione diſceſſum eſt, omnis de fide ſermo humanus eſt) conventuum ſacrorum opus ſitum erat. Itaque cum *laborem in verbo & doctrina* Presbyterorum officio Apoſtolus attribuit; *laborem in verbo* eum intellige, qui in convertendis ad fidem non credentibus, tum in Catechumenis inſtituendis, ponebatur; *laborem* autem *in doctrina,* qui in cœtibus Chriſtianorum docendis; propter eaſdem rationes, quibus *miniſterium verbi* in prædicando Evangelio ſitum, *doctrinam* autem cœtuum ſacrorum opus eſſe oſtendi. Nec recuſo, quo minus propagatio fidei ad Presbyteri officium pertineat; per eam, ſcilicet, cujus Presbyter eſt, Eccleſiam. Nam propterea *Philemonem Paulo* συνεργὸν dici puto ad *Phil.* 1. quem Presbyterum fuiſſe *Coloſſenſium* Eccleſiæ, idoneis conjecturis mihi videor deprehendiſſe. Cæterum potuiſſe Presbyteri munus implere eum, qui his non vacaret, quibus alios ſui ordinis vacare compertum haberet, non ſolum propagandi, & do-

 cendi

Digitized by Google

cendi, ſed & ſtabiliendi, & continendi in unitate, ſimul cum fidei ſinceritate, pietatiſque puritate, gregis Chriſti ratio, oſtendit. Cum autem, ex inſtituto Apoſtolorum, in Eccleſiæ conventibus expediebantur, quæ ad Eccleſiæ ſtatum pertinerent; (quod ſemper eatenus faciendum dixi, quatenus unitatis Eccleſiaſticæ ratio, quæ etiam Apoſtolorum auctoritate antiquior haberi debet, vel patitur, vel poſtulat) manifeſtum eſt, decretis ab *Ordine*, & ſuffragatum fuiſſe à *Plebe*, & refragatum. Itaq; cum, multiplicatis poſtmodum cœtibus Eccleſiarum, & cauſis proinde Eccleſiaſticis, tractari omnes *ſub populi aſſiſtentis conſcientia* non poſſent, inſtitutum eſt, quibuſdam in partibus Eccleſiæ, ut *primores plebis* ejus nomine agerent, quæ ad plebem ex more pertinere viderentur. Hujus etiam moris, ex Eccleſiaſticis ſcriptoribus producta ſunt ſatis clara, ſatis frequentia, à viris doctis teſtimonia. Cujuſmodi inſtitutum, ſi per Eccleſias obtineret, nemo, quod ego ſciam, non *bonum factum* aſcriberet. Vide notas *Chriſtophori Juſtelli ad Canones Africanos*, VIII. XCI. C. Ubi tamen in ſcriptorum locis quos adducit, iidem *ſeniores plebis* in rebus ſeculi intelligendi ſunt, qui intererant Eccleſiaſticis rebus agendis Plebis jure, cum Plebi locus non erat. Quod qui ad diſcrimen inter Presbyteros ex Apoſtoli mente ſtatuendum trahunt, non vident ſe primo ſuam cauſam jugulare; (quæ ſi jure Plebis in Eccleſiaſticis rebus nitatur, non poteſt niti jure percipiendi Oblationes Plebis, quod ad Presbyteros propter Impoſitionem manuum pertinet) Tum, nullum Eccleſiaſticæ memoriæ apicem producunt, quo aliud Plebis Eccleſiaſticæ jus oſtendi poſſit, quam quod à nobis agnitum eſt & definitum. Itaque qui hoc titulo nituntur, eos renunciare Apoſtoli præcepto oportet; quo hactenus *Presbyteria*, admiſtis Laicis, à quibuſdam auctorata videmus. Ut autem de fidelibus *judices* ſedeant *Laici*; (ſive utrum rectam fidem teneant necne, ſive, utrum in baptiſmo editam Chriſtianiſmi profeſſionem violaverint, necne) id eſt, ut Claves

Eccleſiæ

Eccleſiæ, quæ Euchariſtiæ communionem vel concedunt vel negant, tractent Laici; id eſt, in Eccleſia, ante partes factas inauditum.

CAP. XIX.

Jus dandæ Confirmationis idoneum eſſe argumentum inſtituti ab Apoſtolis Epiſcopatus.

Quare Spiritus Dei à Confirmatione pendet.

HIc aſſerendum eſt, exortis per Eccleſias ſuas Epiſcoporum poteſtatis opus unum, in confirmandis baptizatis. Apoſtolicorum temporum chariſmata ſigna fuiſſe Dei in Eccleſia præſentis, ſatis clare docet *Paulus*, cum ſic ſcribit 1 ad *Cor*. XII. 7. *manifeſtatio Spiritus unicuique conceditur, ejus cauſâ quod utile eſt.* Spectari nimirum à Deo vult inſuper, id quod Eccleſiæ conducit, etiam in eorum donorum uſu, quorum miraculo fidem Chriſtianiſmo faciebat, ſeque præſentem aſſerebat, qui Evangelio promiſſa Eccleſiæ præſtaret. Itaque idem XIV. 23, 24, 25. *Si coacta in unum Eccleſia omnes linguis loquantur, ingrediantur autem idiotæ vel increduli, nonne inſanire vos dicent? Quod ſi prophetent omnes, ingrediatur autem incredulus vel idiota, ab omnibus arguitur, ab omnibus examinatur: Itaque cordis ejus occulta manifeſta fiunt, & ſic in faciem cadens Deum venerabitur, Deum reverà vobis præſentem adeſſe profeſſus.* Ecce, chariſmata temporis Apoſtolici Deum præſentem Eccleſiæ adeſſe demonſtrabant; Dei autem præſentia, Evangelici fœderis promiſſa rata ſuis eſſe, demonſtrabat. Atqui Baptiſmo, (id eſt, Legi Chriſtianiſmi) Spiritus Sancti dos Evangelii promiſſo debetur, hortante *S. Petro Act*. II. 38. *Reſipiſcite & baptizamini unuſquiſque veſtrum, in nomine Jeſu Chriſti, in remiſſionem peccatorum, & accipietis donum Spiritus Sancti.* Nimirum, qui aquas

primigenias, incubando, ad vitam producendam fovebat, *Gen.* I.2. qui in Dominum baptizatum ſpecie columbæ deſcendit, *Mat.* III. 16. *Marci* I.10. *Lucæ* III. 22. *Spiritus Regis Meſſiæ* dictus, veteri *Hebræorum* Magiſtro, quem *Reſh Lakiſh* appellant, apud *Solomonem Jarchium* in dictum locum; ejus dandi jus, cum, a cruce *evectus ad dextram Patris* Dominus, ex *promiſſo Patris*, accepiſſet, *Act.* III. 33. ex Lege tamen Baptiſmi, donum ejus dari oſtendit. Quid igitur eſt, quod a *Philippo* rite baptizati Samaritæ, Spiritus tamen Sancti *participes* non fiunt, niſi *poſtquam deſcendentes Jeroſolymis Apoſtoli Petrus & Joannes manus ipſis impoſuiſſent*, *Act.* VIII. 12,15,16,17? Hic ego, illum qui verum aſſequi velit, univerſæ Eccleſiæ conſenſum, ſuper lite, quæ de rebaptizandis quos Hæretici baptizaverant, veterem Eccleſiam diu multumque agitavit, intueri velim. Ratum enim baptiſmum inefficacem eſſe, ſi extra unitatem Eccleſiæ vel detur vel accipiatur, inter omnes tandem conſtitit. Itaque promiſſo Spiritus Sancti, violata unitas Eccleſiæ obicem ponit. Vide nunc, qua Lege dotem Spiritus Sancti accipere putabantur apud veterem Eccleſiam, qui a ſe obicem amolirentur. Cum enim unitati Eccleſiæ conſenſiſſent vel Schiſmatici, vel etiam Hæretici, quorum baptiſmus Eccleſiæ ratus esset; impoſitione manuum Epiſcopi, (id eſt, orante Epiſcopo ut Spiritum Sanctum acciperent; nam & *Petrus* & *Joannes* orarunt, ut Spiritum Sanctum acciperent qui baptizati fuerant Samaritæ) effectum ſortiebatur Lex baptiſmi, ut donum Spiritus Sancti acciperent. Quid hæc ſibi volunt? Nonne aperte clamant, præter Legem Fidei, (quæ ſingulos Chriſtianos, prout ſinguli ſunt Chriſtiani, regno cœlorum aſcribit) eſse etiam Legem unitatis Eccleſiaſticæ, quæ ipſis regno cœlorum aſcribendis, prout membra ſunt Eccleſiæ, & ad ejus communionem vel pertinent, vel pertinere debent, neceſsaria ſit? Itaque cur eis, qui a regno cœlorum alieni non erant, quod non eſsent ab unitate Eccleſiæ alieni; cur tamen eis miraculo non daretur

tur *chariſma*, quod Spiritum Sanctum baptizatis dari oſtenderet, idonea, ut opinor, ratio eſt. Ab eis nimirum dari debuit, quorum erat, efficacem baptiſmum, tanquam ſcilicet in unitate Eccleſiæ & datum, & acceptum, Eccleſiæ teſtari. *Philippus* autem, etſi veritatem fidei idoneis rationibus aſſerebat; ſcilicet, non ſolum prædicando, ſed etiam faciendis miraculis; tamen, cum ad hanc veritatem pertinere unitatem Eccleſiæ, quæ ab Apoſtolis eorumque communione pendebat, ipſe etiam doceret; non prius efficacia Baptiſmi dono Spiritus Sancti aſſerenda fuit, quam illi ratum habuiſſent *Philippi* Baptiſmum, quibus auctoribus *Philippus* baptizaverat. Quorum igitur auctoritate rati baptiſmi certior fieri Eccleſia debuit, eorum miraculo etiam efficacis baptiſmi certior fieri debuit. Atqui Epiſcopus eſt, cujus auctoritate, ſalvam eſſe unitatem Eccleſiæ conſtat. Is eſt, qui pro ſuis reliquæ Eccleſiæ reſpondet. Ipſe, ſi eos pro ovibus ſuis, pro clericis agnoſcat, pro eiſdem eos habet reliqua Eccleſia. Si eos repudiet, repudiat & reliqua; Niſi fortaſſe cauſa ſit, quæ ad reliquam Eccleſiam ita pertineat, ut in integrum reſtitui, quem Epiſcopus repudiaverit, vel communis fidei, vel unitatis Eccleſiaſticæ interſit. Itaque non eſt mirum, *Confirmationem* appellari baptiſmi impoſitionem manuum Epiſcopi. Nam etſi baptiſmus apud Deum efficax ſit, propter accedentem, ad Fidei ſinceritatem, inviolatam unitatem Eccleſiæ; apud Eccleſiam tamen, cum efficax eo habeatur, quod Epiſcopo ratus ſit, ne apud Deum quidem efficax erit ei, qui, unde apud Eccleſiam rata haberi debeat, id inſuper habet.

Scio contradicere huic rationi novellam ſententiam, quæ prænuntiante, *Nicodemo*, ut dictum eſt, ſalutis Legem Domino; *Amen, Amen, dico tibi, niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non poteſt ingredi regnum Dei, Joh.* III.5. ex *Spiritu Confirmationem*, non ſecus atque ex aqua *Baptiſmum* intelligit. Itaque pariter ad Legem ſalutis, pariter à Domino inſtitutam Confirmationem pertinere, ac Baptiſmum. *Novæ ſententiæ refutatio.*

Hæc

Hæc enim eſt hujus ſententiæ vis ac ſequela. Atqui hæc una ratio adimit lectori moleſtiam, recognoſcendi rationes quæ adverſus hanc ſententiam faciunt, nimirum ſuo loco præmiſſas; quo, ad Legem ſalutis pertinere Baptiſmum, eiſdem rationibus, propter quas Fidem ad ſalutem pertinere certum eſſe debet, demonſtratum eſt. Nam ſi eiſdem rationibus aſſeri poſſit, Confirmationem ad ſalutis Legem pertinere, non eſt recuſandum, quo minus inſtituiſſe Confirmationem cenſendus ſit Dominus, eodem modo, eiſdem verbis, quomodo, quibuſque verbis inſtitutum ab eo Baptiſmum probavimus. Quod ſi legitimis rationibus probatum eſt, Legem ſalutis, non niſi à digrediente terris Domino, in Baptiſmo, eiſque quæ Baptiſmum vel ratum vel efficacem faciunt, inſtitutum; tum vero concedendum erit, quod ſatis probatum puto, Baptiſmum promiſsum habere Spiritus Sancti poſse, etiam ſine Confirmatione; quæ cur neceſsaria non ſit, cum neceſsarius ſit Baptiſmus, incidere juſtam cauſam poſse. Certe, cum pariter neceſſariam eſse ad ſalutem Confirmationem ac Baptiſmum, novum in Eccleſia Dei ac inauditum ſit; quid eſt, quo ſpectare hanc ſententiam dici poſſit, niſi ut pariter non neceſſarium eſse ad ſalutem Baptiſmum credatur, ac Confirmationem non eſse neceſſariam hactenus creditum ſit? Itaque, cum omni auctoritate Eccleſiaſtica ſuperior ratio huic ſententiæ repugnare jubeat, non ero ſollicitus de *S. Cypriani* verbis, quibus expreſſa videtur hæc ſententia; Epiſt. LXXII. *Tunc plene ſanctificari, & filii Dei eſſe poſſunt, ſi Sacramento utroque naſcantur, cum ſcriptum ſit; Niſi quis natus fuerit ex aqua & Spiritu, non poteſt introire in regnum Dei.* Reſpondet enim ſibi ipſe, alio loco; *Per Baptiſmum Spiritus Sanctus accipitur; & ſic a baptizatis, & Spiritum Sanctum conſecutis, ad bibendum calicem Domini pervenitur.* Nam cum Baptiſmati Spiritus S. donum aſcribatur, cui regenerationem etiam Domini verba, etiam ex hujus ſententiæ interpretatione, aſcribunt; ſequatur autem Baptiſmum invocatio Spiritus

Digitized by Google

Spiritus Sancti cum manuum impoſitione, recte *Sacramento utroque naſci dicitur*, qui Lege Baptiſmi Spiritum accipit, etſi per Confirmationem; Illud neceſſitate Fœderis, hoc auctoritate, Fœderis propagandi cauſa inſtituta. Docet hoc S. *Auguſtinus* de Baptiſmo contra *Don.* III. 16. *Spiritus Sanctus, quod in ſola Catholica, per manus impoſitionem dari dicitur; nimirum hoc intelligi majores noſtri voluerunt, quod Apoſtolus ait; Quoniam charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis. — Non autem habent Dei charitatem, qui Eccleſiæ non diligunt Unitatem. Ac per hoc recte intelligitur dici, non accipi niſi in Catholica Spiritus Sanctus.* Idem eſt quod docet & *S. Hieron. adverſus Lucif. Quod ſi quæris, quare in Eccleſia baptizati, niſi per manus Epiſcopi non accipiant Spiritum Sanctum, quem nos aſſerimus in vero Baptiſmate tribui; diſce hanc obſervationem ex ea auctoritate deſcendere, quod poſt Aſcenſum Domini Spiritus Sanctus ad Apoſtolos deſcendit. Et multis in locis idem factitatum reperimus, magis ad honorem Sacerdotij quam ad Legis neceſſitatem*; Qua, ſcilicet, conſtat ſalus fidelibus. *Honorem autem Sacerdotii* quid velit valere, poſt pauca ſubjicit; *Eccleſiæ ſalus a ſummi ſacerdotis dignitate pendet; Cui ſi non exors ab omnibus detur poteſtas, tot in Eccleſiis exiſtent ſchiſmata quot Sacerdotes. Ad honorem itaque Sacerdotii*, id eſt, *Hieronymo*, quod, ad Unitatem Eccleſiæ; Ad *Legis neceſſitatem*, id quod, ad obtinendam Lege fœderis ſalutem. Itaque conſervandæ Unitatis cauſa; quam, omnium ſalutis eatenus intereſſe oportet, quatenus omnium intereſt Eccleſiæ miniſterio ſalutem aſſequi; honorem habitum Sacerdotio, ut in Legem Eccleſiæ tranſiret, exemplo Apoſtolorum, Confirmatio. Scilicet, etſi Lege baptiſmi accipiatur Spiritus Sanctus, tamen, invocante Epiſcopo cum Impoſitione manuum, Spiritus donum, recte Confirmatione dari dicitur, quod irritum ſit, niſi colatur Unitas Eccleſiæ, cui conſulit Confirmatio. Alioqui quis *Hieronymo* reſpondeat, dicto loco ſic diſputanti; *Si ad Epiſcopi tantum imprecationem Spiritus Sanctus defluit, lugendi ſunt, qui in*

viculis

viculis, aut in caſtellis, aut in remotioribus locis, per Presbyteros aut Diaconos baptizati, ante dormierunt, quam ab Epiſcopis viſerentur. Sane *Conc. Eliber. ca.77. Si quis Diaconus regens plebem, ſine Epiſcopo vel Presbytero aliquos baptizaverit, Epiſcopus eos per benedictionem perficere debebit. Quod ſi ante de ſeculo receſſerit, ſub fide qua quis crediderit, poterit eſſe juſtus.* Cum igitur Lege Baptiſmi, ſine Confirmatione, juſtitia & ſalus exiſtat, cujus, ſine Baptiſmo, neque Scriptura neque Eccleſia fidem facit; non eſt cedendum ei Dominicorum verborum interpretationi, quæ pariter Baptiſmo, pariter Confirmationi juſtitiam ac ſalutem aſcribit.

Reſpondetur Objectioni, & concluditur.

Scio quid his obſtare videri poſſit; Nimirum, non pertinuiſſe ad Confirmationem eam *manuum Impoſitionem*, per quam Eccleſiæ conciliabantur Hæretici, ſed ad *Pœnitentiam*. Et ſane *Innoc.* P.I. Epiſt. XX. *Arianos ſub imagine Pœnitentiæ, ac Sancti Spiritus ſanctificatione, per manuum impoſitionem ſuſcipimus.* *Vigilius* autem P. Ep. II. 3. eis qui ab *Arianis* rebaptizati ad Eccleſiam redirent, eam manuum impoſitionem aſſignat, quæ Pœnitentiæ initiabat. Sic enim ſcribit; *Quorum tamen reconciliatio, non per illam Impoſitionem manus, quæ per invocationem Sancti Spiritus fit, operatur; ſed per illam, qua Pœnitentiæ fructus acquiritur, & communionis reſtitutio perficitur.* Sed nimirum *Apoſtatas Vigilius* (Qui ad *Arianos* ſcilicet defecerant) non ſine Pœnitentia recipi vult; quod in eadem cauſa S. etiam *Cyprianus Epiſt. ad Quintum*, ſtatuerat. Nam alias, cum imponebatur manus Hæreticis ad Eccleſiam venientibus, ſtatim ad Communionem accedebant; ut ex *Gennadio* conſtat, *de dogmatibus Eccleſiaſticis, cap.* LII. Itaque *Imaginem Pœnitentiæ* recte *Innocentio* concedimus. Quippe cum & qui baptizantur, profiteantur quidem *Pœnitentiam*, ex Inſtitutis Eccleſiæ; (Unde dies Baptiſmo ſolennis *Vigilia* fuit *Paſchatis*, poſt actam ſcilicet Quadrageſimam) Sed tamen ad eum modum Pœnitentiæ non adigebantur, qui ab eis exigebatur, quos ab Eccleſia deſciviſſe contigerat. Indulgebatur autem rede-

Digitized by Google

redeuntibus ad Eccleſiam Hæreticis Pœnitentia, ne reconciliationi eorum tanta difficultas obſtaret. Ideo recte *Gennadius*; *Purgati fidei integritate, confirmentur manus Impoſitione. Si vero parvuli ſunt, vel hebetes, qui doctrinam non capiant, reſpondeant pro illis qui eos offerunt, juxta morem baptizandi*; *Et ſic manus impoſitione, & Chriſmate communiti, Euchariſtiæ myſteriis admittantur.* His ſi S. *Auguſtini* permulta dicta addamus; quibus, ratum ab initio Baptiſmum, efficacem etiam evadere, ad donum charitatis eis impetrandum, quibus, ad unitatem Eccleſiæ accedentibus, imponuntur manus ad Spiritum Sanctum invocandum; quid erit, cur non recte, morem Eccleſiæ in rationem noſtram interpretari videamur? Cum enim efficaciæ Baptiſmi, idem quod charitatis dono, Spiritus Sancti proprio, obſtet diſcidium; Recte, ſublato diſcidii obice, accedere putabitur Spiritus Sanctus, cum proprio ſibi charitatis dono; Sublatum autem diſcidium conſtabit, invocante in redeuntes Spiritum Sanctum Epiſcopo, cum manuum Impoſitione. Vide S. *Auguſtinum de Bapt. contra Donatiſtas*, III. 16, 18. V. 23. ubi ſic ſcribit; *Manus autem Impoſitio ſi non adhiberetur ab Hæreſi venienti, tanquam extra omnem culpam eſſe judicaretur. Propter charitatis autem copulationem, quod eſt maximum donum Spiritus Sancti, ſine quo non valent ad ſalutem quæcunque alia ſancta in homine fuerint, manus correctis Hæreticis imponitur.*

Igitur noſtræ rationi ſuffragatur vetuſtiſſimus Eccleſiæ mos, ab Eccleſia capitali dirigendi Chriſmatis ad *Parœcias*, die cœnæ Dominicæ, ante legitimum baptiſmi diem; qui, ſatis diu eſt, ex quo Vigilia eſſe Paſchatis cœperit. Cum enim aucta Plebe Chriſtiana, non ſemper integrum eſſet Epiſcopo ad *Parœcias* excurrere, benedicendi cauſa baptizatis; in fide tamen Eccleſiæ, inque ejus unitate, baptiſmum & dari & accipi, ſalutis ejus interſit qui baptizatur; omnino par fuit, ejus argumentum & indicem extare; qui non alius, quam conſenſus Epiſcopi in Cleri- *Argumentum à veteri Chriſmatis uſu.*

 corum

corum ſuorum miniſterium, eſſe potuit. Itaque niſi Eccleſiæ unitas inanis haberi debeat, procul abeſt, ut inanis fuerit inſtituti Chriſmatis ceremonia. *Sylveſtro* Papæ, niſi male memini, *Eccleſiaſticorum officiorum ſcriptores, a temporibus Caroli Magni,* hujus inſtituti auctoritatem tribuunt. Equidem *Anaſtaſius Sylveſtrum* P. refert inſtituiſſe, ut conſecratum ab Epiſcopo chriſma, *propter occaſionem mortis* ſic miniſtraretur à Presbytero baptizatis. Unde recte colligit *Rabanus de Inſtit. Cler.*I.28. Chriſmatis conſecrationem, & confirmationem, per impoſitionem manuum reſervatam Epiſcopo, *propter Hæreticam ſuaſionem*; id eſt, cauſa retinendæ Unitatis. Et *Amalarius de Diu.Off.*I. 27. propterea hoc conſtitutum à *Sylveſtro* recte colligit; quod *non facile Neophytis occurrere potuerit Epiſcopus,vel ipſi ad eum venire,*ante *Sylveſtrum.* Procedente Fide, neceſſarium eſſe viſum eſt, reſervari Epiſcopis conſecrationem Chriſmatis; (quam priorum temporum ſimplicitate, à Presbyteris uſurpatam, *propter occaſionem mortis,* per multas Eccleſias, *de ſeptem Ordinibus Eccleſiæ* libellus quem dixi oſtendit;) Nimirum, ut a neceſſitate ejus a matrice Eccleſia petendi immunes eſſent; in quo, recte ipſis, Eccleſiæ conſenſu refragatum, ratio poſita oſtendit. Iidem *Eccleſiaſticorum Officiorum ſcriptores,* baptizatos per *Parœcias,* nihilominus, Paſchali hebdomade,ad Epiſcopum & Eccleſiam principem adduci ſolitos oſtendunt, eiſdem in locis; ut ejus manibus, etiam Chriſmate ab Epiſcopo benedicto uncti, tandem plenam baptiſmatis ſui *confirmationem,* cujus quaſi ἀποσφραγισμάτιον eſſet *Chriſma,* adipiſcerentur. Hac admiſſa ratione, cur, cum baptizare poſſint etiam Presbyteri, ſolus tamen Epiſcopus *Confirmet,*inepte quæri conſtabit; quaſi ſcilicet, qui ſalutem baptizando præſtet, minus illud, quodcunque eſt, quod facit Epiſcopus cum confirmat, facere non poſſit; nec enim quicquam ſaluti, quam præſtat baptiſmus, par eſſe poſſe. Nam, quo magis intereſſe poteſt ſalutis ſingulorum baptizari, eo ad plures, baptizandi munus pertinere

here, neceſſe fuit. Itaque non ſolum Diaconis, ſed etiam Laicis ſemper integrum fuit, in periculo mortis baptizare; ne, quod ad ſalutem maxime neceſſarium eſt, ſine eo migretur e ſeculo. Quatenus autem violari unitas Eccleſiæ non poteſt, eatenus, cum de efficacia rati baptiſmi dubitari non poſſit, de ſalute non confirmati dubitari non debet: Quatenus violari poſſit, eatenus, non violandi profeſſio, quam benedictionis Epiſcopalis petitio continet, ad baptiſmi confirmandum effectum valere putanda eſt. Itaque S. *Hieronymus* ſuperius adductis hæc ſubjicit, *Inde venit, ut ſine Chriſmate, & Epiſcopi miſſione, neque Presbyter neque Diaconus, jus habeat baptizandi; Quod frequenter, ſi tamen neceſſitas cogit, ſcimus licere etiam Laicis. Ut enim accipit quis, ita & dare poteſt.* Ex quibus conſtat, recte omnino, & Confirmationis, & Chriſmatis originem ac rationem à nobis conſtitutam: Recte Eccleſiam, conſecrandi ab Epiſcopo ſolo Chriſmatis, uſum ac jus retinuiſſe; Etſi, permultis in locis, ſimplicitate primorum Eccleſiæ temporum, à Presbyteris uſurpatum fuerat. Qua in re, decretum *Sylveſtri*, per Eccleſias, obtinuiſse, repugnantibus licet illis, ex ſecutis Canonibus reperies. De jure autem baptizandi Epiſcopi proprio, *Tertullianus*, initio C. XVII. Libri *De Baptiſmo* teſtis eſt; *Dandi quidem jus habet ſummus ſacerdos, qui eſt Epiſcopus; dehinc Presbyteri & Diaconi. Non tamen ſine Epiſcopi auctoritate, propter Eccleſiæ honorem, quo ſalvo ſalva pax eſt. Alioquin etiam Laicis jus eſt; Quod enim ex æquo accipitur, ex æquo dari poteſt.* Scilicet, quod in neceſſitate, neglectæ auctoritatis ſpecies nulla eſt: Nec plura hic, ubi nemo contradicit.

CAP. XX.

Reſpondetur Objectionibus, quibus interpellari videtur Traditio, de ſucceſſoribus Apoſtolorum Epiſcopis.

Fines juris Epiſcopalis.

HInc manifeſti ſunt fines juris Epiſcopalis per ſuam Eccleſiam, quos etiam S. *Pauli ad Timotheum & Titum* mandata, quos Angelorum, ſeptem in *Apocalypſi* Eccleſiarum, & laudes & reprehenſiones, quos, omnes *Ignatij* Epiſtolæ, quos omnes Eccleſiæ de eis Canones demonſtrant; nequid ſcilicet ſine ipſis per Eccleſias ſuas agatur. Sicut ex altera parte, nequid gravioris momenti, ſine conſilio Presbyterorum; quod Canone Apoſtolorum XXXIII. cautum eſt. Non eſt enim addendum; nequid gravioris momenti ſine Epiſcopo; Propterea quod, quæ minoris momenti ſunt, eo ipſo, auctore Epiſcopo fieri cenſenda ſunt, quod minora ſint, quam ad quæ curam ſuam demittere poſſit: Itaque ſemel inferioribus mandata, ſive more ſive lege, quod Epiſcopus omnibus vacare non poſſit, non niſi auctore Epiſcopo fieri cenſenda ſunt. Majoris autem momenti ſunt, quæ ad unitatem Eccleſiæ, quam quæ ad ſalutem ſingulorum faciunt. Non quod ſaluti animæ Chriſtianæ quicquam æquale ſit, multo minus antehabendum; ſed quod Eccleſiæ unitas ad omnium ſalutem facit. Unde *Dionyſius Alexandrinus ad Novatianum* ſcribens, martyrium faciendum pro conſervanda unitate, prius & antiquius quam pro non neganda fide, cenſebat. Tum præterea, quæ ad ſingulorum ſalutem faciunt, pauca ſunt & facilia, & in quibus, quod perſpecta ſint omnia, auctoritas univerſitatis neceſſaria non ſit: In eis autem quæ ad unitatem Eccleſiæ numeratur, quicquid difficile definitu emergit, quicquid Eccleſiæ auctoritatem propterea requirit, quod quæ revera eſt

eſt ratio idonea, minus tamen apud omnes liquida ſit, quam ut omnes ad conſenſum adigat. Itaque non video, quo pacto verior regundorum finium juris Epiſcopalis & Presbyterorum ratio reddi poſſit, quam ut eorum quæ ad exterius Eccleſiæ forum pertinent; (id eſt, quæ, niſi decreto quod omnes teneat, conſtitui non poſſint, quod ſub conſcientia Eccleſiæ agitata fuerint) ea ſine Epiſcopo conſtitui non poſſe dicamus. Quæ autem intra forum conſcientiæ manent, inter Deum & ovem de Chriſti grege, ad tuendam ſpem ſalutis baptiſmo conceptam agenda, de eis, non minus à Presbytero quam ab Epiſcopo conſtitui poſſe.

An idem Ordo Epiſcopi & Presbyterorum.

Sed inter eos, qui majores, Apoſtolorum inſtituto, Presbyteris Epiſcopos agnoſcunt, num tamen, tanquam *Ordine* diverſos, an vero tanquam ejuſdem Ordinis *gradu* ſuperiores, etiamnum in dubio eſt; Præſertim propter *Ambroſiani* Commentarii teſtimonium, cujus in IV. ad *Eph.* verba ſunt; *Nam & Timotheum, Presbyterum a ſe creatum, Epiſcopum vocat; quia primum Presbyteri Epiſcopi appellabantur, ut recedente uno ſequens ei ſuccederet. Sed quia cœperunt ſequentes Presbyteri indigni inveniri ad tenendos primatus, immutata eſt ratio proſpiciente Concilio, ut non ordo ſed meritum crearet Epiſcopum, multorum ſacerdotum judicio conſtitutum; ne indignus temere uſurparet, & eſſet multis ſcandalum.* Quibus adde quæ ſupra, in 1 ad *Tim.* III. *Diaconi Ordinationem ſubjicit. Quare? niſi quia Epiſcopi & Presbyteri una Ordinatio eſt?* Et quæ ſtatim ſequentia ſuperius citavimus. Mihi videbatur legendum, priore loco; *proſpiciente conſilio*; neque enim innovatum Can. IV. *Nicenо* dici poteſt, ut electione, non ſucceſſione fierent Epiſcopi. Sed majores Epiſcopos Presbyteris, hic (ut alibi paſſim, cum ſuccedere Apoſtolis Epiſcopos ſcribit) ſatis probat Commentarius iſte; quod ita Presbyterorum Principem Epiſcopum facit, ut Presbyter non ſit Epiſcopus, etſi Epiſcopus Presbyter ſit. Quod autem unam eſſe ait Presbyteri & Epiſcopi *Ordinationem*, ſuccedente primo Presbyterorum in locum defuncti, videtur

videtur eundem Ordinem probare. Præſertim ſi verum dixiſſe *Hieronymum* putemus; cujus verba ſunt, *Epiſt. ad Evagr. Nam & Alexandriæ, a Marco Evangeliſta uſque ad Heraclam & Dionyſium Epiſcopos, Presbyteri ſemper unum ex ſe electum, in excelſiori gradu collocatum, Epiſcopum nominabant; quomodo ſi exercitus Imp. faciat; aut Diaconi eligant de ſe quem induſtrium noverint, & Archidiaconum vocent.* Neque enim conſecrationem ut reticere ſic negare cenſendus eſt, qui diverſum *Alexandriæ* morem obſervat, ab eo qui alibi obtinebat. Neque eſt negandum, morem illum alicubi obtinuiſſe, ex quo, ſucceſſiſſe defuncto Epiſcopo primum Presbyterorum, idoneum teſtem habemus; Cujus moris reſpectu, recte unam Epiſcopi & Presbyteri *Ordinationem* deſcribit. Sed hæc difficultatem nullam creant majoritati Epiſcoporum; quæ ſi totius Eccleſiæ auctoritate, cujus teſtis ſit Traditio, ſe tueatur, facile patietur, quarundam Eccleſiarum more, majoritatem hanc proximo Presbyterorum, vel electo in Epiſcopum accreſcere, vel Conſecratione. Certe majorem Epiſcopum teſtatur ipſe *Hieronymus*, quem *excelſiori gradu collocatum* refert; ſed ita ut Ordinis ejuſdem ipſe caput ſit. Concedatur igitur Commentario *Ambroſiano*, proximum Presbyterum defuncto Epiſcopo, aliquando, alicubi ſucceſſiſſe. Neque enim in omnibus Eccleſiis idem obtinuiſſe concedi poteſt, propter S. *Hieronymum*; qui *Alexandrinum*, electione, jam inde à S. *Marco* præpoſitum refert. Num eo ſequius Epiſcopi jus, eo minor poteſtas, quod ex proximi loci Presbytero, more ac lege Eccleſiæ aſſumptus ſit? Negat apud *Ammianum Valentin. Aug.* cum, retractantibus electionem ſuam militibus, ipſorum fuiſſe eligere; poſtquam elegiſſent, ſibi parendum, non minus ex ratione, quam conſtanter affirmat. Fruantur itaque conjecturis ſuis, qui nobis tempus indicare ſe poſſe putant, quo, deſita ſucceſſione, cœptum electione aſcire Epiſcopos ad Sedes, *Romanam*, *Antiochenam*, *Jeroſolymitanam*, *Alexandrinam*, etiam invito S. *Hieronymo*, ſomniant. Mihi

Digitized by Google

Mihi cum ſemel ſtatutum ſit, perinde eſſe, Apoſtolorum an Eccleſiæ totius conſenſu conſtitutum dicatur, cujus conſtituendi Eccleſiæ divinitus datum jus conſtet; graviſſimum ſemper ſacrilegium erit, (ſcilicet violatæ unitatis) Eccleſiæ jus Eccleſiaſtica auctoritare inſuper habita uſurpare; irritum negare, quod ſic uſurpato jure geſtum eſt, mera ſuperſtitio non religio. Itaque propoſita quæſtio mihi ſemper viſa eſt de Verbis contendere. Eccleſiæ totius corpus *Tertullianus*, & cum *Tertulliano* alii, in *Ordinem & Plebem* tribuunt. Ordinem autem in *Epiſcopo & Presbyteris* intelligunt; cui miniſtrent Diaconi, & inferioris ordinis Clerici. Nimirum exemplo Municipiorum Coloniarumque orbis *Romani*, quorum *Ordo* dicebatur, qui Magiſtratibus & Senatu conſtabat. Nam & *Origenes* contra *Celſum* VII. Eccleſiarum regimen *Græcarum* civitatum Rebuſpublicis confert, ut dictum eſt. Hoc ſi ſpectetur, neceſſe eſt eundem ex Epiſcopo & Presbyteris *Ordinem* conſtare intelligi. Sed quid prohibet, ejuſdem Ordinis caput Epiſcopum, eo jure eſſe, ut ſine ejus conſenſu nihil fiat; ad Eccleſiæ quidem ſuæ ſtatum pertinens? Quod ſi quis Epiſcopos Presbyteris conferat; ut his Diaconos, & Clericos inferiores; quis neget differre Epiſcoporum Ordinem ab Ordine Presbyterorum? Certe, coacto Concilio, in quo ſolis Epiſcopis locus eſt, mirum niſi Epiſcoporum *Ordo* recte dicatur, quo omnia conſtant Concilia. Et Commentarius *Ambroſianus*, cum loco primum citato, *in Epiſcopo omnes Ordines* eſſe pronunciat; non intelligit unum Eccleſiæ Ordinem Epiſcopo & Presbyteris conſtare. Igitur, ſi ad jus Epiſcopi nihil interſit, diverſo à Presbyteris Ordine cenſeri, an eundem Ordinem Epiſcopo ac Presbyteris conſtare; liceat, diverſum ejuſdem Ordinis gradum a Presbyterio Epiſcoporum eſſe, contendere. His tamen poſitis quæ præmiſſa ſunt, majoritatis Epiſcoporum, ex inſtituto Apoſtolorum, plenam fidem faciet Eccleſiæ Traditio & uſus; quam nec S. *Hieronymi*, nec inclinantium

ad

ad ſententiam ejus Doctorum auctoritas interpellare poſſit.

Traditio de Ordine Epiſcoporum.

Nunc igitur propugnaculum, ſimul hujus cauſæ, ſimul totius fidei Legumque Eccleſiæ, Catholicæ Eccleſiæ conſenſum & traditionem in hac cauſa muniamus: neque patiamur, minutulis, occupatorum partium ſtudio animorum, non machinis ſubrui, ſed ſparſilibus vellicari. Nam ſi communis hominum ratio par eſſet præjudicio, quod partium ſtudium animis inſerit, ſatis fuiſſet *Euſebium* producere, Epiſcoporum *Romanorum*, *Jeroſolymitanorum*, *Alexandrinorum*, *Antiochenorum* ſucceſſiones ab Apoſtolis derivantem: Satis *Irenæum* & *Tertullianum*, fidei ſucceſſionem Eccleſiarum teſtimonio aſſerentes, in quibus, ipſæ adhuc Cathedræ viſebantur, quas cum tenuiſſent Apoſtoli, in eis, quam primum expedire viſum eſt, vicarios ſibi ſuis manibus Epiſcopos collocarunt; ut *Polycarpum Smyrnæ Joannes*. Satis *Auguſtinum* & *Optatum*, cum *Irenæo* & *Tertulliano*, *Romanorum* Epiſcoporum ſeriem ad ſua tempora producentes; quibus, ſuo cuique ſeculo, ut tum ſub *Damaſo*, univerſi orbis Eccleſiæ *formatarum commercio* communicabant. Nam ad quos ſcriberet *Damaſus de Negotiis Eccleſiaſticis*, (cujus ſcribendis Epiſtolis, ad Orientis & Occidentis Eccleſias, miniſtraſſe ſe ſcribit S. *Hieronymus*) ad quos igitur ſcriberet *Romanæ* Eccleſiæ Epiſcopus, quam ad earum Eccleſiarum Epiſcopos, quibus ſcribendum erat? Non quod ex perſona Eccleſiæ *Romanæ*, ad Eccleſiam, verbi gratia, *Corinthiacam* ſcribi non poſſet; quod, Epiſtola ad *Corinthios*, a *Clemente* factum videmus. Non quod ex perſona Epiſcopi *Romani* ad Eccleſiam; (id eſt, ad omnes Ordines Eccleſiæ *Corinthiacæ*) quod facit omnibus Epiſtolis ſuis *Ignatius*. Non quod ab Epiſcopo & Presbyteris ad Presbyteros alterius Eccleſiæ; quod facit *Polycarpus*, & ejus Presbyteri, Epiſtola ad *Philippenſes*. Nulla enim eſt ſcribendi forma, quam emergentis cauſæ forma poſtulare non poſſit. Sed quod, quibus literis *Damaſo* communicarent Orbis Ec-

clefiæ,

cleſiæ, & ipſis *Damaſus*, eæ, perinde ac à *Damaſo* Epiſcopis earum, ſic ab eis *Damaſo* inſcribendæ erant. Nam majorum & minorum Eccleſiarum licet grande diſcrimen, unam tamen formam fuiſſe oportuit, per quam, in communis Chriſtianiſmi negotiis, experdiretur Eccleſiarum conſenſus. Sed quia, ut in Scripturis, ſic in vetuſtiſſimis Eccleſiæ monumentis, minutias quaſdam arripit ſibi ſtudium partium, quas univerſæ ab initio Eccleſiæ conſenſui opponat; age eas, quam pauciſſimis fieri poteſt, expediamus; ne totius Eccleſiæ Canonem, intercurrente ſpecierum & cauſarum quarundam varietate ſublatum putemus.

De Clementis, Polycarpi, Ignatii *Epiſtolis.*

Objicitur enim *Clementis* quam dixi ad *Corinthios* Epiſtola; in quorum Eccleſia factis partibus, & favente minori parte Plebe, pulſa fuerat ordine ſuo Presbyterorum major pars, ac, ut videtur, ſanior; nulla interim facta Epiſcopi mentione. Equidem, pro religione quam veritati debeo, fateor me tantum huic rationi tribuiſſe, ut putarem, tum temporis, (ſicut, cum ad eos *Paulus* ſcriberet, fuiſſe obſervat Commentarius *Ambroſianus*) nullum adhuc inſtitutum *Corinthi* Epiſcopum fuiſſe. Neque enim quicquam Ordinis juri decedere, ſi viventibus vel Apoſtolis, vel Apoſtolorum Diſcipulis, nondum *Corinthi* obtineret. Verum admonitus à *Tertulliano*, in Eccleſiis Apoſtolicis extitiſſe *Cathedras*, quas, poſt Apoſtolos, ſemper tenuiſſent eorum ſucceſſores; quæro nunc, quid dicturi ſint qui hæc objiciunt, ſi de ſubrogando in demortui locum Epiſcopo ortam litem reſpondeam? Atqui hoc ipſum eſt quod ait *Clemens*; noviſſe per Spiritum Apoſtolos, quod poſt exceſſum ſuum ἔρις ἔσαι ὕπερ ὀνόματος ἐπισκοπῆς. Hoc autem quid eſt, niſi, *quis futurus ſit Epiſcopus?* Nam quod ſcribit de Apoſtolis; κατὰ πόλεις οὖν καὶ χώρας κηρύσσοντες, κατέστησαν τὰς ἀπαρχὰς αὐτῶν ἐπισκόπους καὶ διακόνους τῶν μελλόντων πιστεύειν, δοκιμάσαντες τῷ πνεύματι. *Per civitates igitur & agros prædicantes, conſtituerunt primitias ipſorum, per Spiritum probatos, Epiſcopos & Diaconos eorum qui credituri erant.*

erant; Nulla facta Presbyterorum mentione. Id ita accipitur, quaſi propterea hi Presbyteri Epiſcoporum nomine veniant, apud *Clementem*, eadem qua apud S. *Paulum* ratione. Sed audiamus *Tertullianum de Præſcript. cap.III.Quid ergo ſi Epiſcopus, ſi Diaconus, ſi Vidua, ſi Virgo, ſi Doctor, ſi etiam Martyr lapſus a regula fuerit*; Ubi honoratiores Eccleſiarum perſonas recenſens, Presbyterorum non meminit niſi in Epiſcopo. Nam *Doctorem Tertullianus*; ſecundum ea quæ ex *Chryſoſtomo* dicta ſunt;commune Epiſcopo & Doctioribus Presbyterorum vocabulum poſuiſſe intelligendus eſt. Qui igitur neget, fuiſſe *Tertulliani* tempore Epiſcopis ſubditos Presbyteros, is neget *Corinthi* Epiſcopum fuiſſe, quo tempore *Clemens*, partes factas inter Presbyteros queritur, *de nomine Epiſcopatus*. Reſpondendum igitur eſt ex *Epiphanio*, Epiſcopi mentionem factam ſine Presbyteris; Quia fuerint aliquando,alicubi ſine Presbyteris, non ſine Diaconis; Quod ſine Diaconis non miniſtrarent, Presbyteros ſibi ipſi creare poſſent, aucto Miniſterio. Itaque Presbyterorum mentionem ab eo factam videri debere, qui Epiſcoporum meminerit; Quos ipſa cauſa,ſilentio præteritos videri non patitur, quæ ipſis inter ſe verſabatur. Tum minus mirum eſſe, Epiſcopi ſolius mentionem fieri; Quo inſtituto inſtituti ſint. Solent ſibi placere, qui naſcentem Epiſcoporum ambitionem in *Diotrephe* à *Joanne* III.9. notatam obſervant. Merito quidem, ſi *Diotrephem*, ad Ordinem Eccleſiæ tum inauditum, credibile eſſe poſset aſpiraſse. Nunc cum, partibus adverſus *Joannem* fovendis,atque ut palam eſt, diſcidio inter Chriſtianos ex Judæis & ex Gentibus, viam ſibi ad primum locum ſtruxerit, Ordinem ſupponit Apoſtoli nota, artes, quibus ad ordinem enitebatur *Diotrephes*, inculpat. Quod *Polycarpus*, cum Presbyteris ſuis, *Philippenſium* Presbyteris inſcribit Epiſtolam, quam habemus venerandum antiquitatis Eccleſiaſticæ monumentum; ſive eadem cauſa fuerit, quam de *Clementis* Epiſtola diximus, ſive quod alias exiſtere potuiſse

dictum

dictum eſt; Eccleſiæ ſtatum hujuſmodi objectiunculis labefactare ſatis ſani hominis non fuerit. Neque enim novum eſt, aut omnino infrequens, apud Sanctum *Baſilium*, inſcriptas Eccleſiarum *Presbyteris*, *Clericis*, τοῖς πεχειλβωμένοις reperire; tum, corporibus ipſis, id eſt, omnibus Ordinibus Eccleſiarum; Quamvis frequentiores Epiſcoporum inter ſe literæ legantur. Nam de *Ignatii* Epiſtolis, quod eorum ſtatui controverſia movetur, quaſi genuinæ non ſint; interpolatas quidem fuiſse temporis injuria, jam olim idonea ſuſpicandi cauſa fuerat. Itaque *Jacobus Uſſerius Armachanus*, vir, non magis aliis ſcriptis ſuis, quam hoc literaturæ experimento noſci dignus, nactus vetuſtæ & ſemibarbaræ earum verſionis bina in noſtra *Anglia* exemplaria, cum deprehendiſset multa eis deeſse, quæ *Græca* editio exhibebat, adeo non dubitavit veri exemplaris verſionem eſse,ut imprimendam curaverit, *Græcis*,quæ non exhibebant exemplaria ſua *Latina*, diverſo charactere excluſis; Prædicto tamen, duo in *Italia* haberi exemplaria, alterum Bibliothecæ *Ignatii* Patriarchæ *Antiocheni*, ante aliquot ſexaginta tum annos *Romæ* mortui; alterum Bibliothecæ *Florentinæ*. In hoc poſtmodum cum incidiſset vir præſtantiſſimus *Iſaacus Voſſius*, deſcriptum publico dedit, verſioni *Uſſerianæ* ex adverſo reſpondens. Hic *Blondellus*, vir multæ & lectionis & memoriæ, cum Apologiam pro ſententia *Hieronymi* ſcripſiſſet; quæ ſi ederetur, inter motus rerum noſtrarum, poſſet multam gratiam à turbarum auctoribus inire; cumque ſui exemplaris ei, nondum editi, copiam feciſſet *Voſſius*; vidit ſibi tacendum, niſi exemplaris fidem elevaret. Præmiſit itaque Præfationem, qua agnovit idem exemplar eſſe,quod *Euſebius*,*Hieronymus*,*Athanaſius*, *Theodoretus*, alii *Ignatii* genuinum agnoverant; Verum ita, ut ſuppoſitum, centum aliquot poſt *Ignatium* annis, & ante ipſos totidem, provecto in ſubliniorem Ordinem Epiſcopatu, contenderet. Itaque ne ſilentium imponeretur Apologiæ *Hieronymianæ*,non eſt credendum,eum

qui *Ignatio* centum aliquot annis poſterior fuerat, iter *Antiochia Romam* tam recte tenuiſſe, quam ejus auctorem. Non eſt credendum, vocabula *Romano-græca* ab *Ignatio* uſurpatum iri, quæ à Novi Teſtamenti ſcriptoribus, antiquioribus *Ignatio*, pariter autem cum *Ignatio* idioticis, uſurpantur. Non eſt credendum, *Magneſiani* Epiſcopi Ordinationem νεωτερικὴν τάξιν *Ignatio* dici, quaſi *hominis junioris*; quamvis S. *Paulus* νεωτερικὰς ἐπιθυμίας *juniorum cupiditates* appellet, quas à *Timotheo* vitari jubet. Non eſt credendum, λόγον ἀπὸ σιγῆς μὴ προελθόντα ante *Valentini* ætatem memorari; quamvis *Tertulliano*, ſemina *Gnoſticarum* Hæreſium ſub Apoſtolis extitiſſe, ex Apoſtolis demonſtrante, *de Præſcript. cap.* XVIII. Quin, quod majoris eſt fiduciæ, damnantur ſublimitatis Apoſtolicæ cogitata, idiotica ſimplicitate elata, quaſi minime Chriſtiana, nedum *Ignatiana*. Et beſtias adulari ut in ſe incurrant, quibus expoſitum ſe martyrii zelo gaudebat *Ignatius*, mortem vitæ tædio ac deſperatione provocantis videtur. Sed qui ſuppoſitos Canones *Sardicenſes* credere poteſt, (quod eadem fiducia affirmatur) is, ſuppoſitas Epiſtolas *Ignatianas*, eidem affirmandi fiduciæ credat. Cur Epiſcopatus auctoritatem tanto præconio extollat *Ignatius*, non mirabitur; qui ſalutem Fidei, quam frequentes tum Hæreſes aggrediebantur, in Unitate Eccleſiæ ſitam credat. Sed & *Blondello* reſpondiſſe præter alios *Voſſium* novimus, etſi reſponſum non ediderit; & ſecutori *Blondelli* ſuo tempore reſponſum iri non dubitamus.

De Fide Eutychii.

Sed objicitur *Eutychius*, & auctore *Eutychio* editæ *Origines* Eccleſiæ *Alexandrinæ*, quibus à XII. Presbyteris ejus Eccleſiæ, non ſolum eligi ſolitum ab initio Epiſcopum, ſed etiam impoſitis manibus conſecrari, hiſtoriæ fide refertur. Sunt quidem, qui ad prævias Ordinationi Benedictiones hoc totum trahunt; quibus, vel electum a Clero, vel ſuffragio Plebis comprobatum proſequi ſolitos, etiam extenſis in eum manibus, omnes Eccleſiæ Ordines, ex

Ale-

Digitized by Google

Alexandrinæ Eccleſiæ Conſtitutionibus, & Vitis Patriarcharum a *Severo* quodam *Alexandrino Arabice* ſcriptis, videntur probare. Vide *Abrahami Ecchellenſis* prolixum adverſus *Origines Eutychianas* Commentarium. Sed quid proficiunt? Nam qui negat, alios per *Ægyptum* ab Apoſtolorum tempore ad *Demetrium* fuiſſe Epiſcopos, præter *Alexandrinum*, eum, medio tempore, a ſolis Presbyteris ordinatum *Alexandriæ* Epiſcopum intelligere oportet. Negatur quidem, hæc ſonare *Eutychii Arabica*; Tantum hoc velle, in ea *Ægypti provincia, cujus caput Alexandria* fuit, (quæ proprio, ut opinor, nomine *Ægyptus* eſt) primum *Demetrium* Epiſcopos ab *Alexandrino* alios conſtituiſſe. Atqui Provinciarum, in quas ſub *Romanis* diviſa *Ægyptus* fuerat, quis credat *Eutychium*, temporibus *Saracenicis* rationem habuiſſe? Itaque videtur totam *Ægyptum Ægypti Provinciam* appellare; Nec tranſlatori *Arabiſmi* peritiam, ſed *Eutychio* ipſi hiſtoriæ fidem deeſſe: *Euſebius Hiſt. Eccl. VI.* 1. τῶν δὲ αὐτόθι παροικιῶν τὴν ἐπισκοπὴν νεωστὶ τότε μετὰ Ἰουλιανὸν Δημήτριος ὑπειλήφει. *Epiſcopatum autem Paræciarum Ægypti nuper tum poſt Julianum Demetrius ſuſceperat. Paræciæ* apud *Euſebium Diæceſes* ſunt, quas nunc dicimus. Ergo ante *Demetrium*, ſub *Juliano* Epiſcopi. *Valentinum Tertullianus*, quod Epiſcopatu excidiſſet, Hæreſim ſuam condidiſſe refert, *adv. Valent. cap. IV.* Atqui *Valentinum* domo *Pherbonitem*, etſi fide dubia, fuiſſe refert *Epiphanius*. Hujus loci, veterum quenquam meminiſſe, nondum reperio. Sed cum *Maritimum* vocet, omnino ad *Ægypti* Provinciam pertinuerit. Quamvis autem *Valentinum Alexandriæ Gentilium* literas didiciſſe refert *Tertullianus*; Procul tamen abeſt ut credamus, vel *Alexandriæ* civis qui non fuerit, eum ambiviſſe Epiſcopatum *Alexandriæ*, vel *Tertullianum Alexandrian* taciturum fuiſſe, ſi tam illuſtri petitione excidiſſet. Non igitur exciderat Epiſcopatu *Alexandrino*. Epiſtola *Adriani ad Saturninum apud Vopiſcum*; *Illi qui Sarapin colunt Chriſtiani ſunt. Et devoti ſunt Sarapi, qui ſe Epiſcopos Chri-*

ſti norum

Digitized by Google

ſtianorum dicunt. Nemo illic Archiſynagogus Judæorum, nemo Samarites, nemo Chriſtianorum Presbyter non Mathematicus, non Aruſpex, non Aliptes. Mittamus reliqua, quæ hujus loci diſputatio non poſtulat. Mittamus Ethnicorum calumnias in Epiſcopos & Presbyteros Chriſtianorum; Quos non minus Idololatriæ, quam *Ægyptiacis* artibus alienos fuiſſe, victoria Fidei demonſtrat. Diverſos tum Ordines fuiſſe docet, quod in utrumque non eadem eſt calumnia. Ecce ſub *Adriano*, per *Ægyptum* diſtincti ab Epiſcopis Presbyteri. Sed mirum eſt afferi poſſe *Eutychij* teſtimonium ab eis, qui cum *Hieronymo*, factum a Presbyteris *Alexandriæ* Epiſcopum, ſine Conſecratione; qui cum Commentario *Ambroſiano*, ſucceſſiſſe ſemper defuncto, nulla nova Ordinatione, Presbyterum proximum, volunt. Itaque cum neque illis conciliari poſſit *Eutychius*, abroganda illi prorſus eſt fides earum rerum, in quibus omnibus contradicit. Cæterum, etſi non ſatis conveniat Commentario *Ambroſiano*, cum eis quæ de *Alexandrinæ* Eccleſiæ more refert *Hieronymus*; (Neque enim idem eſt electione Presbyterorum fieri Epiſcopum, & primatus ſui jure ſuccedere) Facile tamen credi poteſt, ut res humanæ ſunt, omnimodæ varietati obnoxiæ; apud nonnullas Eccleſias ſucceſſiſſe primatus jure proximum Presbyterorum, etſi *Alexandriæ* eligeretur qui ſuccederet. Neque enim Unitati officiebat tanta moris Eccleſiaſtici diverſitas, ſimplicioribus Fidei temporibus. Conſenſiſſe autem in eum, quem eligebant Presbyteri, ſuffragantes Epiſcopos, ut non refert S. *Hieronymus*, ita non negat. Cum igitur multi poſterioris ætatis ſcriptores, ab initio factos per *Ægyptum & Pentapolim* Epiſcopos ſcribant, (qua de re vide quæ ad *Origines Eutychianas Seldenus*) recte eorum auctoritatem, argumentis ex idoneis auctoribus munitam, *Eutychio* antehabemus. Cæterum cum ad rationem regiminis multum pertineat, quod à ſuffraganeis Epiſcopis conſecratur, qui ipſis præfuturus eſt; non videtur credendum, ſine eorum conſenſu, jus ipſi ſuum

conſtare

conſtare potuiſſe, etiamſi Conſecrationis ſolemnitas non uſurparetur.

Non pertinet ad hanc diſputationem exemplum *Pauli & Barnabæ*, quos ad prædicandam Fidem, auctore Spiritu Sancto miſſos legimus, *Act.* XIII.1,2,3. Manus imponentibus *Prophetis & Doctoribus* Eccleſiæ Antiochenæ. Sane *Doctores*, Epiſcopos hoc loco intelligere poſſumus, ut apud S. *Paulum*. Nam propterea S. *Paulus ad Eph.* IV.12. *Paſtores & Doctores* Apoſtolis Prophetis & Evangeliſtis ſubjungit, in eodem ordine, ut *Doctores*, quos ſolos memoraverat 1 *ad Cor.* XII.28. poſt *Evangeliſtas*, eoſdem ſe intelligere ac *Paſtores* ſignificet. Paſtores autem Epiſcopos tota Eccleſia agnoſcit. Sed neque ab Epiſcopis ad Apoſtolatum ordinari potuerunt; Adeo huc pertinere non poteſt hoc factum, ubi, quatenus Presbyterorum jus pertineat, quæritur. Nam Apoſtolatum ſuum S. *Paulus*; quem, non niſi per gradus quoſdam agnitum fuiſſe, ex iis quæ ad *Galatas* ſcribit ipſe deprehendimus; ſoli Deo acceptum fert, *ad Gal.* I.1. Quod ſi dicamus, ad prædicandum Evangelium, & ad fundandas Eccleſias, fuiſſe ipſos ab *Antiochenis* ea auctoritate auctoratos, quam ipſi ab Apoſtolis haberent; miſsos eos auctorttate Eccleſiæ, qualis tum fuit *Antiochenæ* dicemus, ſed jubente, extra Ordinem, Spiritu Sancto; Abſq; quo fuiſset, manifeſtum eſt ipſos miſsum non iri? Certe qui hoc dicat, ei ſemper ſalvum erit Apoſtoli pronunciatum, *ad Heb.* VII.6,7. *Citra contradictionem, majorem cenſendum qui benedicat, minorem cui benedicatur.* Non quod non ſit minorum *bene precari majoribus*; Quod legimus *Ruthæ* II.4. *Veniens Bethlemo Booz meſſoribus dixit; Dominus vobiſcum: Et reſponderunt, Benedicat tibi Dominus.* Sed cum benedicunt Majores Eccleſiæ, qualis tunc fuit *Antiochenæ Paulo & Barnabæ*, non tantum ipſis bene precantur, ſed à ſe mitti oſtendunt; Quamvis jubente, extra Ordinem, Spiritu Sancto. Ergo, tanquam auctoritate ſua miſſis, cujus tamen exercendæ auctor ipſis eſt Spiritus San-

De miſſione Pauli & Barnabæ.

Digitized by Google

Sanctus,impoſitis manibus Benedici. Auctorari autem Epiſcopum à Presbyteris Alexandrinis, ad præſidendum Epiſcopis in Concilio, *Eutychio* non credimus; ne Eccleſiam Alexandrinam, id eſt, Presbyteros ejus, dare id dicamus quod habere non poſſint; Concilio ſcilicet præſidere.

De Canone Ancyrano & *Chorepiſcopis.*

Canon *Ancyranus* XIV. duo habet; ſic enim ſonat; χωρεπισκόποις μὴ ἐξεῖναι, πρεσβυτέρους ἢ διακόνους χειροτονεῖν· ἀλλὰ μηδὲ πρεσβυτέροις πόλεως· χωρὶς τοῦ ἐπιτραπῆναι ὑπὸ τοῦ ἐπισκόπου μετὰ γραμμάτων ἐν ἑκάστῃ παροικίᾳ. Sic legit & codex *Dionyſii Exigui.* At verſio *Iſidori Mercatoris*, quam ſequitur & *Hervetus*, ex ſuo ut videtur exemplari; *Vicariis Epiſcoporum, quos Chorepiſcopos vocant Græci, non licere Presbyteros vel Diaconos ordinare; ſed nec Presbyteris Civitatis, ſine Epiſcopi præcepto, amplius aliquid imperare, vel ſine auctoritate literarum ejus in unaquaque Parochia aliquid agere.* Tum *Breviatio Fulgentii Ferrandi* tit. XCII. *Ut Presbyteri Civitatis, ſine juſſu Epiſcopi nihil jubeant, nec in unaquaque parœcia aliquid agant, Concil. Sardic. Tit.* XIII. quod eſt vitioſum; Legendum enim *Concil. Anquirit.* ut oſtendit Tit. LXXIX. qui prius Canonis membrum exhibet. Item Epitoma *Hadriani* I. in farragine Conciliorum; *Ut Chorepiſcopi Presbyterum vel Diaconum non ordinent: Nec Presbyter aliquid agat in Parochia, ſine præcepto Epiſcopi.* Denique, verſio quæ apud *Juſtellum Græco* reſpondet; *Sed nec Presbyteris Civitatis, ſine literis Epiſcopi, in aliena Parœcia aliquid agere.* Male quidem ἑτέρᾳ legit, pro ἑκάστῃ, quod reliquorum conſenſus oſtendit. Tum, addendum eſſe τι πράττειν. Unde enim hoc habeant reliqui? Et manifeſto abſurdum, majus eſſe, Presbyteros Urbicos, quam Chorepiſcopos, ordinandis Presbyteris Diaconiſque prohiberi; Quod illa innuunt ἀλλὰ μὴν μηδὲ. Tum extat in Oxonienſi Bibliotheca Arabica paraphraſis, cujus mihi Latinam verſionem olim legiſſe contigit. Hanc autem additionem agnoſcit. Omnino autem utrique membro reſpondet id quod ſcriptum eſt, ἐν

ἑκάστῃ

Digitized by Google

ἑκάςῃ παροικίᾳ. Nam in codice Latino *Dionyſii*, hujus Canonis titulus eſt; *Quod non oporteat Chorepiſcopos ordinare Clericum, niſi in agris & viculis*; Nimirum, quorum eſt Chorepiſcopus. Nam & ad Urbicos Presbyteros pertinere eum, teſtis ſit *Breviatio Fulgentii Ferrandi* quam poſuimus. Hæc obſervata excludunt eorum audaciam, qui novo commento, nihil inhiberi hoc Canone Chorepiſcum volunt, quam, quod juſti nominis Epiſcopis, Canonibus Eccleſiæ inhibetur; Nimirum, ne in *aliena Diœceſi* Ordinationes faciant, ſine indultu Epiſcopi. Epiſcopum enim ſuum intelligi docet *Canon Antioch.* X. μήτε δὲ πρεσβύτερον μήτε διάκονον χειροτονεῖν τολμᾷν, δίχα τοῦ ἐν τῇ πόλει ἐπισκόπου, ᾗ ὑπόκειται αὐτὸς καὶ ἡ χώρα. *Sed neque Presbyterum neque Diaconum ordinare audeat, ſeorſim ab Epiſcopo Civitatis, cui ſubeſt & ipſe, & rus cui præeſt.* Quæ cum vera ſint, quod initio Canonis poſitum eſt, εἰ καὶ χειροθεσίαν εἶεν ἐπισκόπων εἰληφότες, *etiamſi Epiſcopalem Ordinationem acceperint*; ſecundum Canonem VIII. *Nicenum* intelligendum eſt; quo cavetur *Novatianorum* Epiſcopis ad Eccleſiam reverſis, ut poſſint eſſe Chorepiſcopi. Itaque quorum hujuſmodi cauſa eſset, eos tamen vetat Canon, Presbyteros vel Diaconos facere. Nam quod ait δίχα τοῦ ἐπισκόπου, ex mente *Balſamonis* intelligendum eſt, niſi manus imponente Epiſcopo; ut, etiam mandante Epiſcopo factum a Chorepiſcopo, irritum ſit. Concilium *Reienſe* Provinciæ *Viennenſis* primam habet apud *Latinos* Chorepiſcoporum mentionem. Ejus Canon primus, vitio facto Epiſcopo, & abdicato, Chorepiſcopum eſse poſse indulget, exemplo *Niceni*; Strictiores tamen Leges Chorepiſcopo facto ponit. *Leo* P.I. Epiſt. LXXXVIII. inhibet omnia Chorepiſcopis, quæ videntur alicubi uſurpaſse, cum hoc ellogio; *Qui juxta Canones Neocæſarienſes, ſive ſecundum aliorum decreta PP. iidem ſunt qui & Presbyteri.* Quos ſcilicet Canon XIV. *Neocæſarienſis* formam habere LXX. Diſcipulorum pronunciat. LXX. autem Diſcipulos S. *Hieronymus Epiſt. ad Fabiolam de*

Digitized by Google

LII. manſionibus, *ſecundi Ordinis Præceptores* interpretatur. Magna contentio vertebatur ſub *Caroli M.* poſteris, de Chorepiſcopis; Quo tempore Epiſcopos, deſertis Eccleſiis ſuis aulæ vacare, mos obtinuerat. Hinc enim ſumpta occaſione, Principes ac Proceres, Eccleſiarum Patroni, demortuis Epiſcopis ſubrogari ſucceſſores non paſſi, reditibus Eccleſiarum in ſuum uſum converſis, à Chorepiſcopis officium Epiſcopale miniſtrari curabant. Idem eſſe tempus, quo, inſcriptæ primis Urbis Epiſcopis, ſuppoſitæ ſunt, quæ leguntur decretales Epiſtolæ, deprehendit *Blondellus* in *Iſidoro* ſuo. Certe quæ *Damaſo* tribuitur, de Chorepiſcopis, nutricibus eos confert, quibus Matres parvulos liberos amandant, cum libido eſt ad nuptiarum opus redeundi. De his igitur conſulti *Zacharias P.* & *Leo* III. ſecundum hos Canones pronunciarunt; *Nicholaus* I. poſtmodum, pro eorum Ordinationibus, ex eodem Canone Neocæſarienſi; cum LXX. Diſcipulos, ſcilecet, Epiſcopos fuiſſe non dubitet. Sed etſi LXX Diſcipuli, Apoſtolis ſcilicet proximi, majores videri poſſint vulgaribus Epiſcopis; tamen, cum, eorum ordinem nullum extare poſt Domini Aſcenſionem, dictum ſit, niſi quem Eccleſiæ cujuſque corpus exhibet, neceſſario Presbyteris aggregandi ſunt. Id tantum videtur concedendum, Presbyteros fuiſſe, cum ea dignatione, quam mandata eis muneris Epiſcopalis pars aliqua conciliabat. Nam quod de *Claudiano Mamerto Sidonius*; *Antiſtes fuit Ordine in ſecundo*; erudite videntur viri docti intellexiſſe, Chorepiſcopum fratris fuiſſe; quod ut dignationem *Claudiano* conciliabat, ita Ordini ſecundo eum non eximebat. Hujus definitionis noſtræ ratio cum eis nitatur, quæ *Petrus de Marca in 2. Concord.* XII. 7. diſputavit, æquum eſt hoc ipſi acceptum ferendum profiteri Quod autem hinc quæri poſſit, qua ratione, ratum apud Deum & efficax miniſterium credi poſſit, quod ab irrita Legibus Eccleſiæ Ordinatione proficiſcebatur; Id, etſi neceſſe non erat hoc loco dici; tamen ratione ſemel reddita, cur,

Digitized by Google

cur, penes Deum efficacem fuiſſe Baptiſmum credendum ſit, quem, ad morem univerſæ Eccleſiæ, à mille ducentis annis receptum, irritum fuiſſe conſtare poſſit, videtur jactum nobis fundamentum, unde, vel hoc loco, ſatisfieri tantæ difficultati poſſit.

In Ordinatione enim, cum duo eſse ex dictis conſtet; auctoritatem ac jus Eccleſiæ, in Ordinante, primum; Tum, conſecrationis ſolennitatem, quæ miniſterio Ordinis traditi auctorem Eccleſiam palam inſcribit; Tanto majoris eſt momenti Eccleſiæ auctoritas, quam conſecrandi ritus, ut in irritum cadat rite ac more Eccleſiæ peracta conſecratio, ad quam uſurpata ſit auctoritas Eccleſiæ. Nam etſi in perpetuum Deo ſacrum ſit, quod ſemel Deo rite ſacratum fuerit; non tamen Deo rite ſacratum videri debet, quod non ſit jure Eccleſiæ Deo conſecratum, etſi ſervato ritu Eccleſiæ. Scio aliter decretum eſse de Baptiſmo *Hæreticorum*, totius Eccleſiæ conſenſu; Nimirum, invocationem SSæ Trinitatis ad eum Deo per Baptiſmum conſecrandum valere, cui, non auctore Eccleſia; ab *Hæreticis* ſcilicet, vel Schiſmaticis, adhibita fuerit. Sed hoc ad Ordinationem trahendum non eſt; Sicut ad Confirmationem trahi non poſse, oſtendunt quæ dicta ſunt. Neque enim dubium eſt, Confirmatos ab Hæreticis, quos per Confirtionem Eccleſiæ reconciliatos probatum eſt; Neque notaret *Novatianos Theodoretus Hæret. Fab.* III. quod Chriſma non adhiberent, ſi aliæ Hæreſes id ipſum fecisſent. Verum non eſt neceſse, ratam Hæreticorum Confirmationem concedere, quorum ratus ſit Baptiſmus; Multo minus Ordinationem. Nam Hæreticorum Schiſmaticorumque Ordinationes irritas apud Eccleſiam fuiſſe, tot extant exempla, ut, pacis cauſa ratas fuiſſe, cum irritæ non fuerint, manifeſta res ſit. Quod in Confirmatione multo manifeſtius eſt; quia Confirmatione fiebat reconciliatio ab Hæreſi aut Schiſmate redeuntium ad Eccleſiam: Et quod, ſine Chriſmate baptizatos ineptos fuiſse qui ordinarentur, *Cornelius*

Quid Ordinationem ratam faciat; Tum Ratio Characteris.

lius apud *Euſebium Novatiano* objiciebat. Sed, irritam eſſe conſecrationem, ſine auctoritate Eccleſiæ factam, docet præclare S. *Athanaſius*, in cauſa fracti calicis ſacri, à Preſbytero ſuo *Macario*, *Apologia ſecunda*. Nam cum abunde haberet, cur factam rem negaret, excipit tamen initio, vacaturum ſacrilegii crimine, ſi factum fuiſſet. Sic igitur *Athanaſius*; Ποτήρια γὰρ εἶναι πολλὰ κατὰ τὰς οἰκίας, καὶ ἐν ἀγορᾷ μέσῃ δῆλον, καὶ τούτων οὐδὲν ὁ θραύων ἀσεβεῖ· τὸ δὲ μυστικὸν ποτήριον ὅ τι ἂν θραύσαι ἂρ ἑκών τις, ἀσεβῆ ποιεῖ τὸν ἐπικεχειρηκότα, παρὰ μόνοις ταῖς νομίμοις προεστῶσιν εὑρίσκεται. οὗτος ὁ τρόπος τούτου τοῦ ποτηρίου μόνος, ἄλλος οὐδείς· τοῦτο ὑμεῖς νομίμως προπίνετε τοῖς λαοῖς, τοῦτο ὑμεῖς ὑπὸ τοῦ ἐκκλησιαστικοῦ κανόνος παρελάβετε, τοῦτο μόνον ἐστὶ τῶν τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας προεστώτων· μόνων γὰρ ὑμῶν ἐστὶ τὸ προπίνειν τὸ αἷμα τοῦ Χριστοῦ, τῶν δὲ ἄλλων οὐδενός· ἀλλ' ὅσον τὸ μυστικὸν ὁ θλάσας ἀσεβὴς, τοσοῦτον ἀσεβέστερος ὁ ἐνυβρίζων τὸ αἷμα τοῦ Χριστοῦ. *Pocula multa paſſim in ædibus, atque adeo in medio foro haberi dubium non eſt, quorum aliquem, non impius ſit qui frangat. Myſticum autem, quod impium eum faciat, qui ultro frangat, apud ſolos legitimos præſides invenitur. Hic unus eſt ſacri calicis modus, nec præter eum alius: hunc vos legitime propinatis plebi, hunc ab Eccleſiæ Canone accepiſtis, hic ſolorum eſt Eccleſiæ Catholicæ Præſidum; Veſtrum enim tantum eſt, ſanguinem Chriſti propinare, præterea neminis. Sed quanto impius qui ſacrum frangit, tanto magis, qui ſanguinem Chriſti contumelia afficit*; Euchariſtiam, ſcilicet, in Schiſmate celebrans. Adde *Athanaſio* S. *Baſilium* ad *Amphil. Can.* I. δι' ὃ ἡ μὲν ἀρχὴ τοῦ χωρισμοῦ διὰ σχίσματος γέγονεν· οἱ δὲ τῆς ἐκκλησίας ἀποστάντες οὐκ ἔτι εἶχον τὴν χάριν τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐφ' ἑαυτοῖς, ἐπέλιπε γὰρ ἡ μετάδοσις τῷ διακοπῆναι τὴν ἀκολουθίαν. οἱ μὲν γὰρ πρῶτοι ἀναχωρήσαντες παρὰ τῶν πατέρων ἔσχον τὰς χειροτονίας· καὶ διὰ τῆς ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν αὐτῶν, εἶχον τὸ χάρισμα τὸ πνευματικόν· οἱ δὲ ἀπορραγέντες, λαϊκοὶ γενόμενοι, οὔτε τοῦ βαπτίζειν, οὔτε τοῦ χειροτονεῖν εἶχον τὴν ἐξουσίαν, οὐκέτι δυνάμενοι χάριν πνεύματος ἁγίου ἑτέροις παρέχειν,

παρέχειν, ἧς αὐτοὶ ἐκπεπτώκασι. Quoniam initium quidem ſeparationis per Schiſma ; Qui autem ab Eccleſia defecerant non amplius habuerunt in ſua poteſtate gratiam Spiritus Sancti. Defecit enim traditio, quod diſciſſa eſſet conſequentia. Nam qui primi receſſerunt habuerant a Patribus Ordinationem ; Et per eorum impoſitionem manuum gratiam ſpiritualem habebant. Qui autem abrupti ſunt, Laici facti, neque Baptizandi, neque Ordinandi poteſtatem retinuerant ; neque potuerunt Gratiam Spiritus Sancti aliis præbere qua ipſi exciderant. Itaque ſi dubium exiſtat, de auctoritate Eccleſiæ, non de ritu Ordinandi ; non eſt mirum, accedente auctoritate Eccleſiæ, valere Ordinationem non jure factam,ad id,ad quod valere eam vult accedens auctoritas Eccleſiæ.Pauca ſunt hujus cauſæ exempla, in rebus veteris Eccleſiæ ; Pauca quidem ſed, ſunt tamen,quæ eam dubiam eſſe non ſinunt. In Concilio Regenſi Galliæ, irrita declarata eſt Ordinatio Epiſcopi Ebredunenſis, cui tamen indulgetur, exemplo Canonis *Niceni* VIII. *Chorepiſcopo* eſſe ; ſtrictis licet legibus *Can.* II. *&* III. Puta eum, ut jam Chorepiſcopum, *confirmare* tantum potuiſse ; Non hoc vi irritæ Ordinationis, niſi acceſſiſset Eccleſiæ, per hanc Synodum, conſenſus. *Leo P.* I. *ad Ruſtici Narbonenſis Inquis.* I. Ordinationes Clericorum à Pſeudo-epiſcopis quibuſdam factas, quas certum eſt ſeipſis irritas fuiſse, ita ratas eſse cenſet, ſi *cum conſenſu Epiſcoporum* factæ fuerint. Sane cum nihil majus quæri in hac tota re poſſit, quam ut rata ſint apud Deum, quæ fideli plebi miniſtrantur, ab ijs quorum dubia ſit Ordinatio ; nec plebis eſse, de rebus Eccleſiæ communibus iudicium, dictum ſit ; Statuendum eſt, non poſse fidelibus fraudi eſse ea apud Deum, in quibus ſequuntur fidem Eccleſiæ. Quod enim de Baptiſmo dictum eſt, ſuo loco, in eis, quæ minoris momenti ad ſalutem ſunt, quam Baptiſmus, Confirmatione & Ordinatione , multo magis obtinebit ; etſi in dubio ſit auctoritas Eccleſiæ, vim miniſterij & effectum in dubio non eſse. Eodem pertinet quod docent Juris Canonici Doctores ;

Doctores; Quorum ſententiis alia addit *Spalatenſis* 2 de *Rep. Eccleſ.* IV. 19. quibus probatur, Ordinationem ſola Ordinantis auctoritate, nulla adhibita ritus ſolennitate fieri poſſe. Sunt quidem propria, quæ adducit, Pontificis *R.* Sed ſi ulla eſſet Dei Lex, quæ ita ratas eſſe vetaret Ordinationes non rite factas, ut non poſſent,accedente Eccleſiæ Unitate,convaleſcere,non poſſet jus Pontificis ad ea pertinere, ad quæ Eccleſiæ jus non pertineret. Si auctoritate Eccleſiæ ratæ fiunt à Pontifice Ordinationes, quas Ordinandi ritus nullas facit, vel invalidas, non poteſt nova videri ſententia, qua Eccleſiæ defendimus, quod Pontifici quoquomodo aſſeritur; Pontificiæ auctoritati ſuos fines, jure tamen ac nomine Eccleſiæ, ſuo loco aſſignaturi. Quæ ſi vera ſint, cum in veteri Eccleſia, recipiebantur in ſuis Ordinibus Hæretici & Schiſmatici, cenſendum eſt potius, invalidas eorum Ordinationes, accedente Eccleſiæ conſenſu & auctoritate validas evadere; quam, cum ut Laici recipiebantur, validas Ordinationes non exerceri. Quid enim vetet, calicem Schiſmatici ſacrum eſſe; quod recte negat *Athanaſius*; ſi ipſius Conſecratio valeat? Sane non eſt dubium, longe minoribus de cauſis, irritas pronunciatas ab Eccleſia Ordinationes, quam Hæreſis eſt cauſa, aut Schiſmatis. Argumento ſint, graves admodum, de reſcindendis Formoſi *Papæ*, & *Photii Patriarchæ Conſtantinopolitani*, veteris Eccleſiæ contentiones. Quod nunquam factum fuiſſet, ſi ritu Eccleſiæ, ſed ſine auctoritate Eccleſiæ factam Conſecrationem, iterari religio eſſet. Sed cum, reſcindere quod ipſa auctore factum non ſit, Eccleſiæ jus eſſe neceſſe ſit; Intereſſe etiam poteſt boni communis Eccleſiæ effectum id ſortiri, cujus ipſa auctor non fuit. Nam cum ſumma Lex ſit Eccleſiæ unitas, non eſt mirum, rata haberi, quæ adverſus Unitatem Eccleſiæ geſta ſunt, etiam per Hæreſim & Schiſma,etiam per *Simoniam*, Lege reconciliandæ Unitatis. Eadem ratio eſt, cur efficacia ſint apud Deum malorum miniſteria, erga eos, qui fidem Eccleſiæ ſecuti,

Spiritus

Spiritus Sancti gratiam ab eorum miniſterio ſibi pollicentur, quos ipſos, tantæ dotis participes eſſe, ſperare non poſſunt. Nam & ſcelerum ſibi conſcij eſſe poſsunt, quorum ſi conſcia eſset Eccleſia, irrita eſsent, ex Legibus Eccleſiæ, ſceleſtorum miniſteria: Et incidunt tempora, in quibus pacis intereſt, irrita non eſse miniſteria, quæ irrita eſsent, ex Legibus Eccleſiæ. Qua igitur ratione rata ſunt apud Deum miniſteria peccatorum, quos *Deus non audit*, niſi Unitatis Eccleſiæ? Niſi quod ſecuram eſse oportet, ex inſtitutæ divinitus Eccleſiæ ſtatu, plebem fidelem, cum fidem Eccleſiæ in eis ſequitur, quæ fidei Eccleſiæ Deus permiſit? Igitur non eſt mirum, accedente Eccleſiæ auctoritate, ratas Ordinationes evadere, eas quæ, non accedente Eccleſiæ auctoritate irritæ erant. Scio quid hic obijci poſſit; rite ſacrata eorum *Thuribula* divinitus agnoſci *Num.* XVI. 36, 40. qui Koræ partes ſecuti fuerant. Neque mihi dubium videtur, eandem eſse hominum rationem, quoad ejus Religionis nexum, quo ipſi Deo obnoxii ſunt. Sed hic nexus, etſi ipſorum vitam teneat, reoſque faciat eos, qui profeſſionem, qua Deo ſacrati ſunt, violent; Eccleſiam non tenet, per quam Deo ſacrati non ſunt, ex ea profeſſione, quam ipſa edi jubet, ſed ex ea quam ipſi excogitaverint, per uſurpatam Eccleſiæ auctoritatem. Et hactenus quidem agnoſcendus eſt *character* Baptiſmi, Confirmationis, Ordinationis; Quatenus, ſcilicet, nihil aliud Character ſignificat, quam hominis *Notam* Deo ſacrati, per quam Deo vindicatur & Eccleſiæ. Nam ejus quod geſtum tranſit notam, in eorum animis, qui memoria non deſtituuntur, extare oportet. Itaque cum Baptiſmi, Confirmationis, Ordinationis Eccleſia teſtis ſit, eum ſibi vindicabit Eccleſia, quem his notis deprehendit; Non minus quam militem Imperator, in cujus corpus ſignum ſuum impreſſerat. At quem fugitivum Eccleſia retrahit, eum ſibi auctor Eccleſiæ Deus vindicat. Si quis, aliud hos Characteres eſſe velit, cum eo locus erit alius agendi; Quod ſtatui Eccleſiæ conſequens

ſequens eſt, id hic aſſerendum fuit. Nullam ſane Conſecrationem, niſi Eccleſiæ Catholicæ auctoritate geſtam, vel rite factam, vel legitimam videri debere, puto ex his conſtare.

Baptiſmum Schiſmaticorum, non Fides, ſed Eccleſia ratum eſſe juſſit.

Sed retractemus hoc loco,& exactius hæc diſputemus, quæ prius propoſita ſunt; ut omnem conſecrationem ab Eccleſiæ auctoritate, ſicut & auctoritatem Eccleſiæ à Fidei veritate, pendere conſtet; Quo ſemel definito, profligatum erit, quicquid dubium occurrere poteſt, de Sacramentis metu Sacrilegii non iterandis. Nam, etſi de Sacramentis, hoc loco definiri non poſſint,quæ inter partes controverſa, ex fundamentis hoc loco ponendis aſtruenda ſunt; Tamen, quaſi dato ſed non conceſſo, Sacramenta eſſe, quæ pro Sacramentis habenda contenditur, quid in eis iterandis Sacrilegii ſit, generaliter definiri poteſt. Neque enim alia eſt difficultatis ratio, niſi quæ Baptiſmum per Sacrilegium violari pertendat, cum in nomine Trinitatis datus, à S. *Cypriano*, *Cyprianicæque* ſententiæ ſociis repetebatur. Ut autem manifeſtum eſt, omnem eum ſolumque valere, qui in nomine S. Trinitatis datur, poſtquam hoc ſemel ab Eccleſia definitum eſt; ita, non damnata, ab Eccleſia, illorum memoria, qui, quamvis validum repetebant, non poteſt illis; ob violatum Sacramentum, ſacrilegium aſcribi, qui baptizabant, quos non rite baptizatos, non baptizatos, ſine Fidei errore putabant; priuſquam Schiſmatis ſacrilegium incurrerent, qui ratum Eccleſiæ decreto Baptiſmum iterando violarent. Non eſt opus hoc loco repetere, quæ ſupra adducta ſunt, ut conſtaret, Orientales, qui S. *Baſilii* ad *Amphilochium* Canones in Eccleſiaſtici Juris cenſum receperunt,irritum Baptiſmum in Schiſmate collatum putare, etſi per diſpenſationem, Unitatis cauſa factam, ratus ſit. Occidentales, S. *Auguſtinum* ſecutos, ita ratum Baptiſmum qui in nomine S. Trinitatis rite datus ſit putare, ut quamvis in Schiſmate collatus, ſine Sacrilegio inſtaurari non poſſit. Illud hoc loco dicendum

cendum eſt, cum Eccleſiæ Unitas obtinuerit, etſi hoc nunquam definitum conſtet, non poſſe nunc ejus definitionem ad Eccleſiæ Unitatem inſtaurandam neceſſariam videri. Quo minus mihi de Scholaſticorum Doctorum conſenſu laborandum ſit, ubi nulla totius Eccleſiæ vel Traditio vel decretum proferri poſſit. Nam ſi ratus ſit Unitatis cauſâ Baptiſmus, in Schiſmate acceptus, is ſi irritus haberetur, Sacrilegium nullum eſſet; ſi irritus ſit, qui Unitatis cauſa ratus eſſe debet, in eo violatæ Unitatis Sacrilegium eſt. Teneantur itaque hactenus S. *Auguſtini* præclaræ diſputationes, ut irritus habeatur Baptiſmus ſine invocatione Trinitatis, ut ratus ſit, cum invocatione Trinitatis datus, ex auctoritate Eccleſiæ; ut ratus eſſe poſſit ex decreto Eccleſiæ, cum invocatione Trinitatis datus, ſine auctoritate Eccleſiæ, ſive ab Hæreticis ſive Schiſmaticis. Nam qui ex decreto Eccleſiæ ratus eſſe poteſt, poſito decreto Eccleſiæ ratus eſſe debet, nec ſine Sacrilegio violari poteſt. Donatiſtæ autem rebaptizabant ab Eccleſia baptizatos, quod interiiſſe Eccleſiam putarent, propter communionem *Cæciliani*; à Traditoribus, hoc eſt, Apoſtatis baptizati. Quod ſi verum fuiſſe conſtitiſſet; (procul autem abfuit ut aliquando conſtaret) tamen, reconciliatis Eccleſiæ Apoſtatis, idque in ſuis Ordinibus, interiiſſe propterea Eccleſiam putare, inſaniæ potius fuit, quam erroris. Merito itaque S. *Auguſtinus*, ingens ſacrilegium objicit Donatiſtis, qui characterem Dominicum in eis reſignarent, quos in invocatione Trinitatis, ex auctoritate Eccleſiæ baptizatos, rebaptizarent. Sed ab hoc ſacrilegio longe abfuit *Cyprianus* & Socii, cum Baptiſmum in nomine Trinitatis, adverſus Eccleſiæ auctoritatem, à Schiſmaticis collatum, irritum putabant; quem irritum haberi, ſi unitas Eccleſiæ paſſa eſſet, non ſolum auctoritatis Eccleſiæ, ſed & Fidei interfuiſſet. Quod ſi putavit *Cyprianus*, ſacrilegium Schiſmatis in Baptiſmum per Schiſma collatum tranſire, in eo cedendum ipſi eſt S. *Auguſtino*, vel inſecutæ potius Eccleſiæ conſenſui.

Item de Ordinatione, & Confirmatione ſentiendum.

Hoc ſemel expedito, non poteſt videri obſtare, ſiquid reſtat difficultatis. Proximo loco, à Conſecratione Baptiſmi, qua univerſi Deo dedicantur, qui Fideles fiunt, cenſenda eſt Conſecratio, qua, ad aliquod Ordinis Eccleſiaſtici miniſterium dedicantur jam Fideles. Horum Ordinationes per Schiſma factas, multo magis irritas cenſeri poſſe ſtatuendum eſt, ſi id de Baptiſmo in Schiſmate dato conſtitui potuiſſe, probatum ſit. Neque alia reſtat ulla ratio tuendæ, non ſolum exiſtimationis, ſed vel integritatis Eccleſiæ Catholicæ; Adeo diverſa extant exempla ſeveritatis & indulgentiæ, diverſis temporibus & cauſis ab Eccleſia edita. Mittamus hoc loco Ordinationes *Formoſi P.* & *Photii* Patriarchæ, de quibus diximus; tanquam eis temporibus factas, quorum exempla non temere nobis aſſerenda ſunt, ad auctoritatis Eccleſiaſticæ originarias rationes conſtituendas. Nam multo magis hoc intelligi volumus, de iis temporibus, quibus, debellatis Imperatoribus Germanicis, Ordinationes ab ipſorum partibus, per Simoniacam Hæreſim, quam vocabant, factas, vel irritas faciebant per ſeveritatem, vel ratas per indulgentiam. Ordinationes Arianorum Concilium S. *Athanaſij* Alexandrinum ratas habuit, cum omnes in ſuis Ordinibus recepit, eo ſucceſſu, ut hoc facto, *Orbem ex faucibus Satanæ ereptum*, ſcribat S. *Hieronymus*. Contra, Concilium Capuenſe, Donatiſtas in ſuis ordinibus recipi vetuit; pro cujus decreti mitiganda ſeveritate, miſſas diximus ad Eccleſiam R. & Mediolanenſem legationes Africanorum. Hi enim, quantum de ſuo, tantum de Eccleſiæ jure, reconciliandæ unitatis cauſa, ſemper ſibi cedendum putabant. Si irritæ Donatiſtarum, divino jure, Ordinationes, quo jure ratæ Arjanorum? Si irritæ divino jure, quod divinum jus ratas eſſe non juberet, quæ Eccleſiæ auctoritate factæ non erant, & tamen ratas eſſe pateretur, auctore Eccleſia; conciliandorum ſibi invicem Eccleſiæ decretorum & geſtorum rationem inibimus, fruſtra, hac repudiata, quærendam.

Nam

Digitized by Google

Nam quod ad Confirmationem attinet, non videtur res difficilis. Nam neque Spiritum Sanctum dare Baptiſmus cenſeri poteſt, qui ratus non ſit; Et qui Spiritum Sanctum dabat, cum ratus haberetur, (Quod omnium Hæreſium Baptiſmo commune erat, quas Eccleſia per Confirmationem ſibi reconciliabat, ut dictum eſt) quomodo is ratus erat jure divino, citra auctoritatem Eccleſiæ? Quod ſi dubitari non poteſt, reliquas Hæreſes Confirmationem adhibuiſſe, ut ſibi ratum Baptiſmum, dote Spiritus Sancti, aſſererent; conſequens erit, quaſcunque Hæreſes Eccleſia ſibi per impoſitionem manuum conciliaverit, earum omnem Confirmationem irritam Eccleſiæ viſam, quamtumvis rata characterem imprimat. Quare, ſi de tribus Sacramentis, quæ characterem imprimunt (ut hoc dato non conceſſo, hic diſputemus) violandis, ita demum cavendum ſit, ſi rata conſtet; non poteſt ullum Sacramentum violatum videri, niſi Eccleſia auctore ratum cenſendum ſit.

De Ordinatione jure Presbyteri.

Quod autem de *Presbyteris Urbicis* ſequitur, in Canone Ancyrano, mirum eſt ita potuiſſe intelligi, quaſi mandato *alieni* Epiſcopi, jus ipſis daret ordinandi Presbyteros & Epiſcopos, in ejus *Parœcia.* Quis enim non legat ἐν ἑκάστῃ παροικίᾳ, potius quam ἐν ἑτέρᾳ, aſſerentibus totius Eccleſiæ conſenſum, qui Ordinationes Epiſcopis proprias facit, tam multis exemplaribus? Itaque, ad id, quod mandato Epiſcopi ſui, Presbyteris Urbicis per *Parœcias* facere liceret, hæc pars Canonis pertinet. Et nihil facere Presbyteros ſine conſenſu Epiſcopi, non ſolum omnibus *Ignatij Epiſtolis* inculcatur, ſed & *Apoſt. Can.* XL. *Laod.* LII. *Arelat.* I. 19. ipſis verbis conſtitutum eſt, quæ huic Canoni addenda, tot teſtantur exemplaria. Coluthus ſane, unus ex XII. *Alexandrinæ Eccleſiæ* Presbyteris, diviſis Ægyptiorum Eccleſiis in Catholicos, *Arianos*, & *Meletianos*, videtur ſuam Coluthianorum ſectam inſtituiſſe, cui ipſe Presbyteros ordinaverit. Nam apud *Epiphanium Hær.*

LXIX. ſic legimus; ὡς οὖν διηγεῖτο ἕκαστος ἐν τῇ ἰδίᾳ ἐκκλη-σίᾳ, ἄλλος ἄλλό τι, καὶ ἄλλος ἄλλο, ἐκ τῆς προσκλίσεως καὶ ἐπαίνου δὲ τοῦ περὶ αὐτῶν, οἱ μὲν Κολουθιανοὺς ἑαυτοὺς ὠνόμασαν, ἄλλοι δὲ Ἀρειανούς· καὶ γὰρ ὁ Κόλουθος τινὰ διαπεστραμμένα ἐδίδαξεν· ἀλλ᾽ οὐκ ἐνέμεινεν ἡ τούτου αἵρεσις, ἀλλ᾽ εὐθὺς διεσκορπίσθη. *Cum igitur tractarent ſinguli* (Presbyteri) *in ſuis Eccleſiis, hic quidem aliud, aliud ille, ex ſtudio & laudibus ſuorum, hi quidem Coluthianos ſe appellabant, illi autem Arianos. Nam & perverſa quædam docebat Coluthus; ſed non duravit ejus ſecta, ſed ſtatim diſſipata eſt. Athanaſius* autem *Apol.* II. ita non fuiſſe à Meletianis Ordinatum *Iſchyram* oſtendit; de quo quærebatur, num Presbyter eſſet, & Euchariſtiam celebraret necne; ut inde concludat, non niſi à Colutho ordinari eum potuiſſe. Coluthi autem Ordinationes irritas pronunciatas *Alexandriæ*, in Synodo, cui à *Conſtantino* miſſus *Hoſius* interfuit. Videtur igitur Coluthus, quem φαντασθεῖσαν ἐπισκοπὴν ſcribit *Athanaſius*, Epiſcopum ſe Presbyterorum, quos ſibi Ordinaverat, feciſſe. Num idem Carthagine *Tertullianus*, non poſſum dicere. Nam ejus ſectam, poſtquam ab Eccleſia ſeceſſerat, ad Aurelii Epiſcopi tempora Carthagine duraſse, ſub quo, à S. *Auguſtino* Eccleſiæ reconciliati ſunt, docet nos *Prædeſtinatus Sirmondi*. Satis probabile eſt, eos qui diſcedendum ſibi ab Eccleſia putabant, omnia ſibi facienda putaſſe, quæ ad tuendum Schiſma ſuum neceſsaria erant. Unitatis enim Lege violata, quæ multo maximi eſt, quis de minoribus ſolicitus ſit? Sed in Ordinibus ſuis receptos, qui, uſurpato ſchiſmatis cauſa jure, a Presbyteris Ordinati ſint, non legimus; cum ab Hæreticis etiam ordinatos, in ſuis ordinibus a veteri Eccleſia receptos, ſæpe legamus. Itaque jus unquam fuiſſe Presbyteris ordinandi Presbyteros, cum nihil ſit quod ſuadeat, neceſse eſt, Schiſmatis cauſa uſurpatum videri, ſi qui Presbyteri, ſine conſenſu Epiſcoporum ſuorum, tantam rem ſibi ſumant. Nam mandato Epiſcoporum quid poſſint, fruſtra eſt diſputare, cum nullum exemplum ejus facti extet.

Omnino,

Digitized by Google

Alia quæ objiciuntur per errorem Hiſtoriæ.

Omnino, per errorem Hiſtoriæ objiciuntur, quæ, a Presbyteris factas in Eccleſia veteri Ordinationes, probare videntur. Illud imprimis ineptum, quod Feliciſſimum, a Novato Presbytero Carthaginenſi Diaconum factum, apud *Cypr. Epiſt.* XLIX. legimus. Nam idem Novatus Novatianum *Romæ Epiſcopum fecit*, apud eundem *Epiſt.* LV. ſed manibus trium Epiſcoporum, de quibus in *Epiſtola Cornelii ad Fabium Antiochenum*, apud *Euſebium*. *Nicolaus Rigallius* vir *Doctiſſ.* ad *Epiſt. Cypr.* LXVII. teſtatur ſe vidiſſe Indicem *Romm. Pontt.* qui in *Cornelio* ſic ſcriptum habebat; *Sub Epiſcopatu ejus Novatus extra Eccleſiam ordinavit Novatianum in urbe Roma.* Non quod impoſuerit manus Presbyter Africanus in Epiſcopatum Eccleſiæ Romanæ; Sed quod per factionem effecerit ut ordinaretur. Tum igitur credendum erit Novatum (quem S. *Cyprianus Epiſt.* XLIX. Feliciſſimum Diaconum conſtituiſse ſcribit) Feliciſſimum Diaconum Ordinaſse, cum Novatianum a Novato Romæ Epiſcopum Ordinatum, credendum fuerit. Idem eſt quod apud Caſſianum *Collat.* IV. 2. Monaſterii cujuſdam Ægyptiaci Abbas, Presbyter ipſe, Monachum ſibi charum Presbyterum feciſse legitur; manibus ſcilicet Epiſcopi, apud quem, vel gratia vel auctoritate valeret. Cum relegato *Euſtathio*, Eccleſiam Antiochenam Paulinus cum compresbyteris adminiſtraret; cum poſtea relegato Meletio, *Diodorus* & *Flavianus*; ab his Presbyteris, ordinatos Eccleſiæ *Antiochenæ* Presbyteros, diſputatur. Nugæ. Quaſi defuerint Epiſcopi Catholici, ordinandis quos eligerent Presbyteri Antiocheni. *Theod. Hiſt. Eccl.* I. 21. II. 28. IV. 12, 14. *Philoſtorgius* II. 5. Gotthos multis ante *Ulfilam* annis Chriſtianos fuiſse refert, ſed ſine Epiſcopis. Quid mirum? qui ordinandos Presbyteros, & miniſtros ſuos, circumvicinis in Imperio Epiſcopis ſiſtere poterant. Quis Apollinarem Laodiceæ, quis Vitalem Apollinariſtarum Antiochiæ Epiſcopum fecerit *Theodoret.* V. 3. non magis ſolicitus ſum, quam quis *Tertullianiſtis* Carthagine, quis *Au-*

dianis

dianis Hær. LXX. *Epiph.* Presbyteros ordinaverit. Audium certe *Epiphanius* inveniſſe Epiſcopum refert, qui hoc faceret. Qui ſe cauſam Schiſmatis idoneam habere putet, quid eum mirum eſt, idoneam ſe cauſam habere putare, cur aliis Eccleſiæ Legibus ſuperſedere debeat? Neque enim alia ulla eſt unitatis Legi æquiparanda. Novatianis quidem, qui à tribus Epiſcopis cœperunt, Donatiſtis qui a LXX. ineptum eſt quærere, quis Presbyteros Ordinaverit. Sed Scotos, ſub *Victore* Papa Chriſtianos factos, ſub *Culdeis* Presbyteris, qui ſuo jure Epiſcopos ſibi pro arbitrio præfecerint vixiſſe contenditur. Quod ego nulla hiſtoriæ Fide conſtare poſſe affirmo. Certe cum Severi vallo diſcluſi ſunt a Provincialibus *Barbari*, Mæatas Britannos uſque ad Bodotriam & Glottam æſtuaria habitaſſe, ex *Dione* certa fides eſt; ulteriora Caledonios, ipſos etiam Britannos. De Romanis autem Beda locuples auctor *Eccl. Hiſt.* I. 11. *Ceterum ulteriores* (Severi vallo) *Britanniæ partes, vel eas etiam quæ ultra Britanniam ſunt Inſulas, jure dominandi poſſidebant*; de quibus, ſcilicet, cum indigenis bellabant. Quibus temporibus *Britannorum inacceſſa Romanis loca Chriſto ſubdita fuiſſe*, ſcribebat *Tertullianus adv. Jud.* VII. Fidem a Provincialibus acceptam, eiſdem quibus utebantur ipſi legibus cultam oportet. Minus centum inde annis *Eumenius in Panegyrico ad Conſtantinum* de patre Conſtantio, receptis que victo Carauſio Britanniis verba faciens; *Neque enim ille, tot tantiſque rebus geſtis, non dico Caledonum aliorumque Pictorum ſilvas & paludes, ſed nec Hiberniam proximam, nec Thulen ultimam — dignabatur acquirere.* Itaque Scotos, quos ex Hibernia advenas omnes agnoſcunt, Britanniæ tum incolas fuiſſe negat. Et cum *Scotorum Pictorumque ferarum gentium excurſu, rupta quiete condicta, loca limitibus vicina vaſtarentur*, Ammiano initio libri XX. referente (annis aliquot inde ſexaginta ſcilicet) non alii *limites* intelligi poſſunt, quam quos *Theodoſius* Pater *Theodoſii Aug.* Valentiæ Provinciæ a *Valentiniano Aug.* dictæ poſuit, cum Provinciam quæ in hoſtium

poteſtatem

Digitized by Google

poteſtatem venerat, priſtino ſtatui reddidit,eodem auctore Ammiano libro XXVIII.Limites autem ejus Provinciæ duo freta fuiſſe, dubium nullum eſt. Itaque vere *Beda* I. 1. *Eſt autem ſinus maris permaximus, qui antiquitus gentem Britonum a Pictis ſecernebat. Qui ab Occidente in terras longo ſpatio erumpit, ubi eſt civitas Britonum munitiſſima uſque hodie, quæ vocatur Alcluith*; (a Glottæ æſtuarii nomine) *Ad cujus, videlicet, ſinus partem ſeptentrionalem Scotti, quos diximus, advenientes ſibi locum patriæ fecerunt.* Nam S. Patricius, ortu ipſe Britannus, prope hanc civitatem natus argumento eſt, recte fines Britannis Scotiſque a *Beda* poſitos. Tum Niniani Epiſcopatus apud *Caſam Candidam* hodiernæ Gallovidiæ, & poſt Ninianum Kentigeni, utriuſque Britanni, non patitur nos dubitare uſque ad hos fines Britannorum Chriſtianiſmum pertinuiſſe. Præſertim cum etiam inſecutis *Bedam* ſeculis, non minus quam antegreſſis, Cumberlandiæ Brittannorum regnum viguiſſe, ſub quo Chriſtianiſmus viguerit, certa hiſtoriæ fides ſit. Vide Collectanea *Uſſeriana*, p. 661 -- 668. 683 -- 686. Jam, poſt fundatam in Hibernia fidem S. *Columbam* in Britanniam miſſum ab Epiſcopis Hiberniæ propagandæ Fidei cauſa, ratio nulla fert, aliis legibus, quam quibus ab auctoribus ſuis tenebatur propagaſse videri. Cum autem ad Fidem propagandam, non per Scotos Britanniæ incolas, ſed per Pictos, quorum converſio inochata fuerat a Niniano, miſſum *Columbam* certa fides ſit; manifeſtum eſt, a prædicatione Patricii Scotos non minus Britannienſes quam Hiberniæ indigenas Chriſtianiſmum ſuum accepiſſe. Vide *Bedam Eccl. Hiſt.* III. 4. V. 10. Equidem Culdeos Scotorum, ſive per Hiberniæ, ſive per Scotiæ Eccleſias, Canonicos fuiſse, quibus eligendorum Epiſcoporum jus fuerit, facile credet, qui quæ in Collectaneis *Uſſerianis* leguntur p.636. 659. recenſuerit. Sed jus ipſis fuiſse Ordinandi ſibi Epiſcopos nemo credat,niſi qui hodiernam Scotiam ſub Victore fidem accepiſse propterea credat, quod *Britannorum*

inacceſſa

inacceſſa Romanis loca Chriſto tum *ſubdita Tertullianus* ſcribebat, cum nullam fuiſse in Britannia noſtra Scotiam conſtat. Kebium Britannum, Epiſcopum factum a S. Hilario, ut ipſius Vita refert, primum Scotis, id eſt Hibernis prædicaſse, verum eſſe poteſt. Quid enim impedit, quo minus per Aremoricos ad Hilarium, per Britanniam ad Hibernos accederet? Quo minus, cum apud eos non proficeret, in noſtræ Britanniæ Mona Inſula religioſam vitam deinceps traduceret? Vide ibi p. 91, 786, 979. Cæterum, poſt fundatam in Hibernia Eccleſiam cujus inſtituta ſequi Scotos Albanios oportuit, Culdeos Presbyteros Epiſcopos ſibi Ordinaſſe putare, fidem communi hominum ſenſui abrogare eſt. Itaque fruſtra eſt, ne quid gravius dicam, quod Epiſcopos Dunelmenſes a Presbyteris Monaſterii S. Columbani in Inſula Hy factos conjiciunt; (quibus inde datum Aidanum Epiſcopum *Beda* ſcribit VII. 5.) eo quod hoc Monaſterium, inuſitato more, idem *Beda*, etiam Epiſcopos rexiſse referat. Vide *Eccl. Hiſt.* III. 10. Credat qui meridie non lucere credit. *Columbanus* ipſe a Synodo Hibernica miſsus eſt, ad convertendos ad fidem Pictos, pœnitentiæ cauſa; quod fundendo ſanguini cauſam præbuiſset. Vide ibi *Uſſerium* p. 904. Facta eſt Sedes Epiſcopatus Inſula, quæ pro Clericorum ſeminario Monaſterium habuit. Quid impedit, detuliſse Monaſterio Epiſcopos, propter auctoritatem doctrinæ, quamvis ipſos regendæ Eccleſiæ poteſtate præditos? Docendi ſumus nullos fuiſse, neque in hodierna Scotia, neque in vicina Hibernia, neque per Orbem Chriſtianum Epiſcopos, priuſquam a Presbyteris manus Aidano ad Epiſcopatum impoſitas credamus.

De Confirmatione per Preſbyteros.

Reſtat illud tantum, ad æquandos ab Origine Preſbyteros Epiſcopis, quod Confirmationem etiam interdum, Eccleſiæ moribus a Preſbyteris rite miniſtratam conſtare poſſit. Mitto, apud Græcos tralatitium hoc etiamnum eſſe. Manifeſtum eſt *Gregorium P.* I. cum, Chriſmate ſignandos in fronte Baptizatos, ſolis Epiſcopis Sardiniæ reſervaſſet,

Preſbyteris

Presbyteris interdixiſſet, ſcandalo permotum, veterem eis morem permiſiſſe; abſentibus nimirum Epiſcopis. Atqui hoc illud eſt quod *Ambroſianus in* IV. *ad Eph.* Commentarius, *& Auctor qq. Vet. & Novi Teſt. apud S. Aug.* affirmant; *in Ægypto, abſente Epiſcopo, conſignare ſolitos Presbyteros.* Et ſane Confirmationem apud *Gregorium* intelligi, Durandus teſtis eſt idoneus, erroris ipſum propterea inſimulans, apud *Bellarminum de Rom. Pont.* IV. 14. Præterea, diſertis verbis ipſe *Gregorius Epiſt.* III. 9, 26. permittit *Presbyteris in fronte ſignare Chriſmate.* Atqui hoc eſt *conſignare.* Permiſerat enim Presbyteris, Ungere Baptizatos in pectore, ut Epiſcopus poſtmodum ungere debeat in fronte; cum eis Confirmare inhibebat. Videant rerum Eccleſiaſticarum periti, an peculiaris Sardiniæ mos a Lucifero Caralitano ortus ſit; quem reliquæ Eccleſiæ non communicaſſe novimus. Denique, *redeuntes a Schiſmate a Presbyteris Chriſmari, in periculo mortis,* concedunt *Canones Arans.* I. *Epaun.* XVI. Atqui reconciliari Hæreticos per Confirmationem nuper dictum eſt. Itaque, cum miniſterium Confirmationis Presbyteris communicari poſſe diffitendum non ſit; tamen, propter mandandi miniſterii auctoritatem, ſalvam eſſe Epiſcopatus majoritatem contendendum eſt; Eadem ſcilicet ratione, qua *S. Paulus ad Baptizandum ſe miſſum* negat; cum munus Apoſtolicum verbis Domini nitatur; *Ite Diſcipulos facite omnes Gentes, baptizantes eos in nomine P. & F. Sp. Sancti.* Nimirum ut, Lege ſalutis, Deus Baptiſmum requirit, ita Lege Unitatis, Confirmationem ad omnes pertinere, Eccleſiæ votum fuit; Quatenus quidem ferret rerum humanarum neceſſitas. Quatenus hujus voti effectum aſſecuta ſit, ex his quæ dicta ſunt, judicari poſſe videtur. Cæterum ex eis quæ dicta ſunt, convenit definitioni noſtræ cum eorum definitione, qui Ordinem poteſtatem eſſe volunt id faciendi, quod ab inferiori Ordine factum non valeat. Verum enim dixiſſe *SS. Hieronymum* & *Chryſoſtomum* aſſerimus, cum Epiſcopo

propriam eſſe Ordinationem affirmant. Quod ſi quo Canone cautum eſt, a Presbyteris manus imponi ſimul cum Epiſcopis, manebit tamen Epiſcopi proprium, quod ſine Epiſcopo fieri non poterat; Etſi optimum factu videretur, ut Presbyterorum conſenſus teſtatus eſſet. Cum autem Epiſcopi proprium, non minore ratione, dici poſſit, quod vel miniſtrante ipſo, vel mandante fieri oportet; etiam Confirmationem hac ratione Epiſcopi propriam eſſe dicendum erit. Quod ſi addamus, Epiſcopi etiam proprium eſſe in Concilio locum habere, (Quod ad totius Eccleſiæ auctoritatem plurimi eſſe, ex ſequentibus conſtabit) recte jus Epiſcopi complexa videbitur definitio noſtra; Ne quid ſine ejus voluntate fiat, ad Eccleſiam ſuam, vel ut nunc loquimur, *diœceſim* pertinens. Minora enim, quæ mores Eccleſiæ Epiſcopo propria eſſe noluerunt, eo ipſo, voluntate ejus fieri videntur.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XXI.

Neque Petri, *neque R. Eccleſiæ Principatum Monarchiam fuiſſe, vel eſſe; Sed Canonicam ſupra reliquas Eccleſias auctoritatem.*

NUnc, ut aſſertionis noſtræ reſidua perſequamur; *Petrus* Apoſtolorum Princeps nobis primo loco agnoſcendus eſt, qui principe loco recenſetur ab Evangeliſtis *Matt.* X. 2. *Marci* III. 16. *Lucæ* VI. 4. puto quod primus, relictis omnibus, ſecutus Dominum fuerit, *Lucæ* V. 4—11; etſi primo a fratre *Andrea* ad Dominum adductus. Nam & a *Philippo Nathanael*; qui tamen Apoſtolus non fuit, *Joh.* I. 42—46. Hic enim notitia primum comparata eſt: Ibi diſcipulatus profeſſio. Hoc poſito, rationem reddimus, cur ſemper *Petrus* primo loco vel reſpondet, vel proponit, reliquorum nomine, *Matt.* XIV. 28. XV. 25. XVI. 16. XVII. 24. XVIII. 21. XIX. 27. XXIV. 33. *Marci* VIII. 29. X. 28. XI. 21. XIV. 29. *Lucæ* VIII. 45. IX. 20. XII. 41. XVIII. 28. XXII. 34. *Joh.* VI. 68. XIII. 6. *Act.* I. 13, 15. II. 14, 37. IV. 8. Nam hoc, utrum, ſi omnia æqualia fuiſſent, ſemper *Petrus* feciſſet, judicent rerum periti. Moveor Porphyrii teſtimonio, qui, libro primo adverſus Chriſtianos, reprehenſionem *Pauli* de reprehenſo *Petro* inſeruit, ut ex *S. Hieronymo*, Præf. Commentariorum in Epiſt. ad *Galatas* intelligimus; quaſi in majorem ſe efferendo, modeſtiæ fines tranſiverit. Neque enim inde argumentum duxiſſet Porphyrius, quod non palam agnitum fuiſſet Chriſtianis. Cujus tamen, eo minor non eſt, vel inſcitia vel audacia. Vidiſſet, communem Chriſtianiſmum pluris eſſe *Paulo* debuiſſe, quam *Petri* reſpectum. Vidiſſet verti in eo cauſam Chriſtianiſmi, ne quis lege *Moyſi* ſe juſtificatum putaret. Vidiſſet denique, nec *Petrum* noluiſſe ſibi palam obſtari, ne Chriſtiani, ex Gentilibus, exemplo ſuo, ad Judaizandum cogi ſe putarent; (quod prima

Petri *Principatus.*

rei facies præ ſe fert) Qui non alia ratione abſtinuerit Gentibus, quam ut diſcidio obviam iret, & exaſperatos in præſenti ex *Judæis* Chriſtianos, ad communicandum in omnibus cum Chriſtianis ex Gentilibus adduceret, ſuo tempore, & exemplo. Ceſsant his poſitis *S. Auguſtini* rationes. Veriſſimum enim erit, quod ait Scriptura, ὅτι κατεγνωσμένος ἦν, ad *Gal.* II. 11. Sed propter rationem quam ſubjicit; quod, qui prius cum Gentibus cibum ſumſiſset, poſtquam veniſsent a *Jacobo* miſſi, ſe ſubduxiſset. Damnatus eſt, ſcilicet, non peccati in Deum, ſed quod ſibi non conſtaret. Tum veriſſimum eſt, ὅτι οὐκ ὀρθοποδοῦσι πρὸς τὴν ἀλήθειαν τοῦ εὐαγγελίου· quod ad veritatem Evangelii profitendam rectam viam non inſiſterent. Quid enim *Paulus* ipſe, cum ſumtus faceret in ſacrificia, quæ impletum *Naziræatus* votum profitebantur *Act.* XXI. 20—27. num recta incedebat ad Evangelii veritatem? Quam cum nunquam negaret, non potuit tamen putare, intellecturos eos, quorum offenſionem vitabat, eam ſe ſibi ſuo tempore profitendam reſervare.

Monarchiam in Apoſtolos non continet.

Hoc cum ita ſe habeat, neque *Pauli* reprehenſio *Petrum* principem negat, neque tamen ſupremam *Petro* in Ordinem Apoſtolicum poteſtatem ac jus concedit. Afferuntur *claves regni cælorum Petro* ſoli datæ *Matt.* XVI. 16—19. affertur mandatum *gregis dominici paſcendi*; id eſt, totius Eccleſiæ; *Petro* ſoli datum, *Joh.* XXI. 15, 16, 17. Sed quid eſt quod affertur? Num claves Eccleſiæ, num regendæ univerſæ mandatum, imperium in coapoſtolos ſignificare? Quis hoc dicat? Quis dictum credi cogat? An vero, quod *Petro* ſoli datæ ſint, eo imperium ipſi in reliquos mandari, in communi exercendo munere? Oportuerat hoc alio ſigno declaratum, oportuerat voluntatem Domini, verbo ſuo definitam; nihilo ſe minus ſignificare voluiſse, cum *Petro* ſoli commune officium mandaret. Eſt enim idonea ratio præter hanc, cur ſoli claves; ſive quod ſolus reſponderit, ut princeps; ſive quod ſolus negaverat, ne videretur

videretur principatu exidiſſe. Sane cum *Auguſtus Principis* nomini Imperium *Romanum* in ditionem accepit, ut in initio Annalium ſcribit *Tacitus*, minus dixit quam ſibi volebat; Imperium principatus nomine affectabat. Tantum intereſt inter Monarchiam Eccleſiæ, & Principatum Apoſtolorum. Timent igitur ubi non eſt timor, qui fidem *Petri* velle Dominum volunt, cum *Petro* Eccleſiam inædificat: Vel ſeipſum innuere, cum *hanc Petram* dicit. Quibus quid opus eſt? *Inædificati fundamento Apoſtolorum & Prophetarum; Jeſu ipſo Chriſto lapide ἀκρογωνιαίου.* ait *S. Paulus* ad *Eph.* II. 20. Et de novis *Jeroſolymis Joannes Apoc.* XXI. 14. *Muri autem civitatis XII. fundamenta, quibus nomina inſcripta XII. Apoſtolorum agni.* Et Monarcha erit *Petrus*, vi tituli communis XII. Apoſtolis? Equidem facile patior, cum *portas inferorum Eccleſiam ſuperaturas* negat Apoſtolus, reſurrectionem à morte intelligi. Atqui mortem abolitam, non niſi propter abolitum peccatum, promulgat Evangelium. Et *portæ inferorum* civitatem hujus mundi innuunt. Itaque duraturam ad reſurrectionem Eccleſiam promittitur. Sane in totum gregem Chriſti Apoſtolis indiviſum jus eſt. Nam propterea *Petro*, *Joanni*, & *Jacobo*, cum *Paulo* conventum, *ut hic Gentibus, illi Circumciſioni prædicarent*, ad *Gal.* II. 9. & *ubi alieno fundamento non inædificabat*, in eos peculiarem ſibi ſumere *Paulum* auctoritatem vidimus, *a Jeroſolymis Illyricum uſque*, 2 ad *Cor.* X. 12—16. ad *Rom.* XV. 18, 19. Eodem argumento, *Joannem Judæos* ad Eccleſias *Aſiæ* adjunxiſſe conſtat, cum *Epheſi* ex Gentibus Eccleſiam *Paulus* conſtituiſſet; quod Epiſtola ad *Epheſios* oſtendit. Equidem, cum, reprehendens ſuorum de primore loco contentiones, majoratum ſuorum miniſterium eſſe omnium denunciat Dominus *Matt.* XX. 25, 26, 27. XXIII. 11. etiam inter Apoſtolos majoratum ſupponit; ne quis putet negari jus Epiſcoporum. Atqui miniſterium omnium in omnes majoratum Apoſtolis tribuit. Itaque totius gregis cura, *Petrum* Monarcham non facit. Nam quod

quod ad claves attinet, *poteſtate ligandi & ſolvendi*, Eccleſiæ, *Matt.* XVIII. 18. poteſtate *remittendorum & retinendorum peccatorum* XII. Apoſtolis datur earum jus omne *Joh.* XX. 21, 22, 23. *Petrus* ipſe cum *Joanne Samariam* legatur *ab Apoſtolis Act.* VIII. 14. qui circumciſionem docebant *ab Apoſtolis* mandatum habere negantur *Act.* XV. 24. non a *Petro.* Pſeudapoſtoli *Corinthi* videntur *Petri* nomen, non Apoſtolorum obtendiſſe, quem *Paulo* & *Apollo* opponebant, 1 ad *Cor.* I. 2. Sed ut Apoſtoli, & ejus Eccleſiæ cum *Paulo* fundatoris; *Dionyſio Corinthio* apud *Euſebium* affirmante, *Hiſt. Eccleſ.* II. 25. Apoſtolatum ſuum non ſoli *Petro*, ſed *Joanni* & *Jacobo* opponit *Paulus*, ad *Galatas* II. 9. non facturus, ſi mandato *Petri* reliqui Apoſtoli eſſent; Nam neque Domini Apoſtoli fuiſſent, ſed *Petri*. Fuerit *S. Paulus*, ut vocatione ultimus, ſic laboribus primus, 1 ad *Cor.* XV. 9, 10. 2 ad *Cor.* XI. 5. XII. 11, 12. Fuerit *S. Petrus coryphæus*, dirigendo Apoſtolici chori concentui. Dum omnes Apoſtoli Chriſti ſint, ſupremam in reliquos poteſtatem nemini concedunt.

Non minus Urbis, quàm S. Petri Principatum ad Eccleſiæ Rom. Principatum feciſſe.

Quod autem ad *S. Petri* ſucceſſores attinet, negandum eſt, poſſe ſolo *S. Petri* principatu niti Rom. Eccleſiæ Principatum; Aſſerendum, Civitatis *Romanæ* prærogativa niti. Nam quæ ratio Rom. Eccleſiam reliquis præfert, eadem, reliquas ab Apoſtolis fundatas Eccleſias, reliquis, quorum ſunt minores auctores, anteferret; ſi ea ſola ratio obtinuiſſet. Nunc Eccleſiarum reliquarum principatus, *Romanæ* quidem Eccleſiæ principatu inferiores, ſed tamen ſubditarum ſibi Eccleſiarum principatu ſuperiores, alia ratio definit; Civilis nempe Imperii ſedes; vel univerſi, quæ *Romanam* Eccleſiam omnium ab initio Eccleſiarum Principem; vel partis ejus majoris, quæ *Alexandrinæ* & *Antiochenæ* Principatum Rom. Eccleſiæ principatui ſupparem, ab initio aſſerit. Cum enim Principum Civitatum Principes Eccleſias eſse, tanquam primariam juris Eccleſiaſtici partem, aſserimus, ſecularis poteſtatis decreto conſtitutas

tas Civitatum Principatus ſupponimus; Sed hoc ſuppoſito, vel ab Apoſtolis conſtitutum contendimus, vel totius Eccleſiæ conſenſu receptum, ut ſeculi formam ſequeretur Eccleſia. Neque enim obſtat quod *Chalcedonenſis* Synodus, ſervari jubet ſeculi formam, & ſedes Epiſcoporum eſſe loca quæ a Principe Civitates fiunt, Can. XVII. vetat ſervari ſeculi formam, & Metropolitas eſſe, quorum Sedes Capita evadunt Provinciarum, cum Principis juſſu, Provincia in duas divideretur Can. XII. Quod &, *Innocentii P.* I. decretum XLVI. afferit. Quis enim neſcit,quantum neceſſe eſſet turbari regiminis Eccleſiaſtici rationem, novo introducto Archiepiſcopo, nulla, niſi mutati regiminis Civilis neceſſitate? Itaque non eſt quod hoc obſtet rebus manifeſtis; Quibus ſeculi formam ab Eccleſiæ receptam conſtat; Etſi ut ſunt res humanæ, non ſine exceptione interdum alicubi, quæ tamen unitati non obſtaret. Interea loci, *Roma*, *Alexandria*, *Antiochia*, *Epheſus*, quæ ab initio Fidei eandem in Eccleſiaſticis quam in Civilibus celebritatem habuerunt, argumento ſunt, rem tantum caſu non obtinuiſſe. Præſertim ſi *Carthaginem* & *Corinthum* addas; Quarum utraque,poſtquam à *Cæſare Julio* inſtauratæ ſunt, in eandem celebritatem ſurrexit. Illud exceptione majus, quod valuit tandem,& etiamnum valet Canon III. Concilii Oecum.II. quo Sedi *Conſtantinopolitanæ*, poſt *Romanam*, ejuſdem honoris privilegia tribuuntur, *quod & ipſa nova Roma ſit.* Tum Concilii *Taurinenſis* Canon II. de primatu, quem pro ſe utraque, *Arelatenſis* & *Viennenſis* Sedes ambiebat, perinde ſtatuit, ac ſe alterutra Sedes Metropolim eſſe probaret. Adeo nullus eſt gradus eminentiæ in Eccleſiaſticis,quem in civili regimine fundatum eſſe Eccleſia non agnoſcat. Utrumvis igitur concedas, mihi perinde eſt; cui jampridem conſtitutum eſt, univerſæ Eccleſiæ conſenſum inſtar eſſe decreti Apoſtolici, in rebus quidem poteſtati Eccleſiaſticæ ſubditis; Nimirum, quæ non plus faciant ad Legem Chriſtianiſmi, quæ ſalutem continet,

quam

quam quod ad cultum Deo in unitate Eccleſiæ,ex Fidei puritate exhibendum, & repræſentandum faciant. Propter hanc rationem, etiamſi mihi videor jus Epiſcopatus idoneis rationibus aſseruiſse, tamen, qui, propter rerum humanarum inconſtantiam, non credo, de his rebus, vel diſputari a me,vel ab Eccleſia quicquam decerni poſse,quod extra contradictionis aleam poſitum ſit; non laborabo, ſi quis univerſæ Eccleſiæ, non Apoſtolorum decreto, conſtitutum hunc principatum agnoſcat. Hoc certe ab eo negari nequit, qui aliquam univerſam Eccleſiam, ejuſque decretum aliquod agnoſcat. Neque enim minus nefas erit, univerſæ Eccleſiæ decretum ab Eccleſiæ parte loco moveri, quam Apoſtolorum. Quippe, cum neque idonea ratio eſse poſſit, cur pars toti ne cedat, in eis quæ totius poteſtati ſubdita ſunt; neque cauſam dicere poſſit pars quæ toti non cedit, cur diſcidii, quod ſequi poſſit, auctor habenda non ſit. Itaque ſi pars ab inſtitutis ac moribus totius diſcedat, ut retinendæ cum puritate fidei Eccleſiæ unitati ſerviat, ne juſtam diſcidii cauſam præbeat, cautio eſt; Hoc autem aliter obtineri nequit, quam originariis Eccleſiæ Legibus inſtauratis, non novis introductis.Neque enim aliter una erit, quam unis Legibus vivens; quo ad quidem, præſentis ſtatus a primævo diſcrimen vel poſtulet,vel ferat. Certe,cum Eccleſiaſtici juris antiquiſſimum caput ſit, quod eſt de unitate Eccleſiæ, ſi fidei puritatem exceperis; cumque hoc caput, & juris divini extra controverſiam ſit, & ad ſalutem omnium neceſſarium; (cujus ſcilicet violatio ſalutis jacturam inducat) non temere, tantam inſtituti, vel moris cujuſvis Eccleſiaſtici rationem habendam, conſequens eſt, quantam unitatis Eccleſiæ. Numnam igitur, peſſum euntibus inſtitutis ac moribus Eccleſiæ, eo uſque ædificari poſſit in ruinam, ut inſtauranda pars ejus ſit,ſine conſenſu totius; (quæ eſt cauſæ diſcidii noſtri, ut ego cenſeo, brevis conjectio) quoniam ſcopus eſt ac propoſitum inſtitutæ diſputationis,hactenus dicen-

dum

Digitized by Google

dum non eſt. Verum ut hoc ſatis ſit, cur non laborem; num Apoſtolorum decreto,an univerſæ Eccleſiæ conſenſu, Principatus EccleſiarumCivitatumPrincipatum ſequi debuerint;ſatis cautum eſt.Præterea cavendum,non omnem Principatus Civitatum mutationem Eccleſiarum Principatum mutare debere. Cum enim Eccleſiarum Principatus ad unitatem totius faciat, quibus modis fieri poſſit conſervandam, ut a Deo inſtituta eſt; Civitatum autem Principatus, ex ſeculi inconſtantia, perpetuis motibus obnoxii ſint; non poteſt putari, quemlibet ſeculi motum aut mutationem, idoneam eſſe, mutandi regiminis Eccleſiaſtici in aliam formam, rationem. Nec tamen a me poſtulet aliquis, ut, quæ idonea cauſa ſit, definiam; Ecce ſatis eſt, poſſe eſſe idoneam, poſſe etiam eſſe minime idoneam: Nec tamen mihi neceſſe eſſe, ultra modum diſputationis Theologicæ ſapere; ſed quæ reliqua ſunt, ſeculi & Eccleſiæ poteſtatibus ac proceribus, quibus publici ſtatus reddenda Deo eſt ratio, integra relinquere. Quod igitur de *Alexandrinæ*, *Antiochenæque* Eccleſiæ, poſt *Romanam*, principatu dictum eſt, exempli tantum loco dictum eſt. Neque enim dubium eſt, *Epheſinam* & *Carthaginienſem*, ab initio conditi apud utramque Chriſtianiſmi, exerere ſeſe ſuo tempore cœpiſſe, tanquam ſubditarum ſibi Eccleſiarum Principes; prout Eccleſiaſticæ unitatis modus vel definiri cœperit, Eccleſiæ, ſive decretis ſive moribus, vel rebus geſtis declarari. Sed de his mox.

Rom. Eccleſiæ tam Paulum *quam* Petrum *auctorem fuiſſe, &* Antiochenæ; Epheſinæ, Paulum *&* Joannem.

Interea loci, Eccleſiarum *Rom. Antioch. Epheſinæ*, rationem ineamus; quoniam à *Petro* & *Paulo* priorum, *Epheſinæ* autem, poſt *Paulum*, à *Joanne* fundamenta jacta, memoria vetus oſtendit. Neque enim hoc ad *Petri* Monarchiam, ſed ad Apoſtolorum conſenſum, de quo diximus, referri poteſt; tanquam pariter, aliis in rebus, Eccleſiaſtici ſtatus auctorem. Rom. Eccleſiam à *Petro* & *Paulo* fundatam, teſtes ſunt antiquiſſimi *Irenæus* III. 3. *Dionyſius Corinthius apud Euſebium Eccl. Hiſt.* III. 26. item

Cajus, vetuſtiſſimus Eccleſiæ ſcriptor, apud eundem; & *Tertullianus de Præſcriptione.* Itaque *Epiphanius Hær.* XXVII. ſeriem Epiſcoporum ab utroque deducit. Succeſſorem illis *Irenæus*, dicto loco, Linum dat; *Clementem Hieron. in Catallogo*, ſecundum Latinos, ut ait ipſe; Sic enim etiam *Tertullianus.* Sane de annis *Lini*, *Cleti*, *Clementis* ſecum ipſe confligit *Anaſtaſius* in Vitis Pontificum: Cui ſopiendæ liti, *Clementem Epiphanius*, Epiſcopum à *Petro* factum, ſubduxiſſe ſe conjicit, & ſedem ceſſiſſe; (*Lino*, ut opinor) deceptus verbis quæ in Epiſtola ejus ad *Corinthios* leguntur; quibus, authoribus ejus diſcidii auctor eſt, ut pacis cauſa loco cedant. Concedit autem *Epiphanius*, potuiſse fieri Romæ Epiſcopos viventibus Apoſtolis; quod ipſis ſæpe abeſse, & Eccleſiaſticæ neceſſitatis cauſa peregrinari neceſse eſset. Sed quomodo Epiſcopos, niſi *Linum Paulo*, *Clementem Petro* ſucceſſiſse ponamus? Nam *Timotheum* & *Linum Paulo*, *Petro Anacletum* & *Clementem* miniſtraſse, interpolata quidem *Ignatii* ad *Tarſenſes* Epiſtola, ſed ab antiquo tamen interpolata, (quod ex Prolegominis Uſserianis videtur conſtare) teſtis eſt. Conſtat quidem ex Epiſtola *Clementis* ad *Corinthios*, *Epiphanium* memoria lapſum eſse, cum ex ejus verbis, ſeceſſiſse *Clementem* conjiciebat, ne impedimento Unitati eſset, & ut locum *Lino* faceret. Nam quod *Clemens* ait, ἀναχωρῶ, ἄπειμι· non hoc ex ſua perſona loquitur, ſed ejus quem hoc facere vult *Corinthi.* Vide ejus *Epiſt. p.* 69. Sed hæc ſi vera ſunt, difficile omnino erit conciliandæ veritatis breviorem viam inire, quam ea eſt cui nos inſiſtimus. *Ignatii ad Romanos Epiſtola* inſcribitur Eccleſiæ ἥτις προκάθηται ἐν τόπῳ χωρίου Ῥωμαίων· τόπος quid hic ſit ex *Act.* XXVI. 2. diſcimus; μέλλοντες πλεῖν τοὺς κατὰ τὴν Ἀσίαν τόπους· *Aſiæ loca*, generali vocabulo, quæ Urbibus fortaſse minora eſsent; χώρα autem *ager.* Quid eſt igitur τόπος χωρίου Ῥωμαίων, quam *Vaticanum*, ubi erat ſedes Eccleſiæ Romanæ, propter *Petri* tumulum, qui Judæos Vaticanum habitantes ad fidem

ad-

adduxerat: *Philo, Legatione ad Cajum de Auguſto*; τὴν πέραν Τιβέρεως ποταμοῦ μεγάλην τῆς Ῥώμης ἀποτομὴν οὐκ ἠγνόει κατεχομένην καὶ οἰκουμένην πρὸς Ἰουδαίων· Ῥωμαῖοι δὲ ἦσαν οἱ πλείους, ἀπελεύθεροι ὄντες· αἰχμάλωτοι γὰρ ἀχθέντες εἰς Ἰταλίαν, ὑπὸ τῶν κτησαμένων ἠλευθερώθησαν, οὐδὲν τῶν πατρίων παραχαράξαι βιασθέντες. *Magnam Romæ partem, ultra Tiberim ſitam, a Judæis poſſideri & habitari non ignorabat, quorum plerique Romani erant, libertini. Captivi enim in Italiam ducti, a Dominis liberati fuerant, non coacti de ritibus patriis quicquam immutare.* Hæc igitur eſt *Synagoga libertinorum Act.* VI. 9. id eſt *Judæorum Romanenſium.* Inde *M. Tullius Orat. pro Flacco*; qui, quod *Judæorum* oblationes ex *Aſia Jeroſolyma* aſportari vetuiſſet Proconſul *Aſiæ*, graves eos habebat adverſarios; queritur cauſam agi in campo *Martio, prope gradus Aurelios*; Ibi enim, pons *Aurelius*, & porta *Aurelia*, in tranſitu *Tiberis* in *Vaticanum.* Atqui *S. Pauli* & tumulus & Eccleſia in via Oſtienſi, etiam *Caii* teſte, ſcriptore antiquiſſimo, apud *Euſeb. Hiſt. Eccl.* II. 25. ut hic fuiſſe conventiculum eorum, quos ex Gentibus ipſe converterat, rationi conſentaneum fuerit; *Ignatii* autem tempore, unitis ſub *Clemente* cœtibus, Sedem Eccleſiæ *S. Petri* tumulum fuiſſe. Jam, quod *Eccleſiam Antiochenam a Petro & Paulo fundatam*, interpolata *Ignatii Epiſtola ad Magneſianos*, teſtatur, mirandum in modum eis congruit, quæ ex ſecundo capite Epiſtolæ ad *Galatas* tractavimus. Nam quod *Petrus* ſubducit ſe Gentibus, *Paulus* ei ſe propterea opponit, primo duos cœtus oſtendit; deinde alteri *Petrum*, alteri *Paulum* præfuiſſe. Hujus etiam rei veſtigia ſub *Evodio* notavit *Baronius*, Anno XLV. 14. ex *Conſtit. Apoſt.* VII. 48. Ubi *Evodium Petrus*, *Ignatium Paulus* Ordinaſſe dicitur; Non, ut Latine perperam verſum legitur; *Evodio*, quem *Petrus* Ordinaverat, ſucceſſiſſe *Ignatium* à *Paulo* Ordinatum. De *Ignatio* idem teſtatur *Chryſoſtomus Orat. in Ignatium.* Itaque major his fides quam ſubditæ *Ignatio* ad *Antiochenos* Epiſtolæ; quæ *E-*

vodium ab Apoſtolis Ordinatum refert. *Epheſinam*, à *Paulo* ex Gentibus inſtitutam, dictum eſt. Ad Fidem *Judæos* a *Joanne* adductos, imprimis, quod cum *Judæis* poſtea Paſcha egerint, fidem facit; lucrandorum enim *Judæorum* ratione primo inſtitutum, manifeſta res eſt. Sane Conſtitutiones Apoſtolorum loco dicto *Timotheum* a *Paulo*, *Joannem* a *Joanne* Ordinatum referunt. Quomodo tertia *Johannis* Catholica idem innuat, non repetam. Plane, quæ ex auctoritate Apoſtolorum, ex pactis ſcilicet cum *Paulo* conventis, acta ſunt, ex *Petri* ſolius auctoritate acta non ſunt, ſed omnes Chriſti Apoſtolos auctores ſibi aſſerunt; quorum principem *Petrum* fuiſſe nihil prohibet.

Petrum *in perſona Eccleſiæ Claves accepiſſe.*

Non eſt prætereundum, hoc loco, quam multi ex ſcriptoribus Eccleſiaſticis, quos Patres dicimus, *Petrum* Claves Eccleſiæ in perſona Eccleſiæ, tanquam ejus formam gerentem, a Domino accepiſſe docuerint; *Cyprianus* quidem primo loco, quem reliqui ſecuti videntur, *Pacianus*, *Hieronymus*, *Auguſtinus*, *Optatus* quorum loca *Spalatenſis*, I *de Rep. Eccleſ.* VII. 17—30. VIII. 8,9. tractavit. Tu autem *Ambroſium* adde, *de dignitate Sacerdotali* cap. I. *in* Petro *omnibus Sacerdotibus datas Claves regni Cœlorum* aſſerentem: & cap. II. tractans verba Domini, *paſce Oves meas*; *Quas Oves*, *& quem gregem*, *non ſolum tunc beatus ſuſcepit* Petrus, *ſed & nobiſcum eas ſuſcepit*, *& cum eo nos ſuſcepimus omnes.* Adeo ut etiam *Bedas*, *in verba Domini*; *dic Eccleſiæ*; Hæc *poteſtas S. Eccleſiæ Epiſcopis ſpecialiter commiſſa eſt, generaliter vero omni Eccleſiæ data creditur. Nam quod Dominus alibi hanc ligandi ſolvendique poteſtatem* Petro *tribuit*; *utique in* Petro, *qui typum gerebat Eccleſiæ, omnibus Apoſtolis hoc conceſſiſſe non dubitatur.* Mox *Hieronymum & Auguſtinum* in eandem rem adducit. Et in illud; *Paſce Oves meas*; *Quod* Petro *dictum eſt*, *omnibus Chriſti Diſcipulis dictum eſt. Hoc namque fuerunt cæteri Apoſtoli quod* Petrus *fuit: Paſtores ſunt omnes, grex unus oſtenditur, qui & ab Apoſtolis tunc unanimi conſenſu paſcebatur, & deinceps a Succeſ-*

ſoribus

Digitized by Google

ſoribus eorum communi cura paſcitur. *Cyprianus* a quo reliqui hauſerunt *Epiſt. LXXII. ad Jubai. Manifeſtum eſt autem ubi & per quos remiſſa peccatorum datur, quæ in Baptiſmo, ſcilicet, datur. Nam* Petro *primum Dominus, ſuper quem ædificavit Eccleſiam, & unde unitatis originem inſtituit & oſtendit, poteſtatem iſtam dedit, ut id ſolveretur in Cœlis quod ipſe ſolviſſet in terris. Et poſt reſurrectionem quoque ad Apoſtolos loquitur, dicens; Sicut miſit me Pater & ego mitto vos. Hoc cum dixiſſet inſpiravit, & ait illis; Accipite S. Sanctum: Si cujus remiſeritis peccata remittentur illi, ſi cujus tenueritis tenebuntur. Unde intelligimus, non niſi in Eccleſia præpoſitis, & in Evangelica Lege, dominica Ordinatione fundatis, licere baptizare, & remiſſam peccatorum dare. Petrus* Claves Eccleſiæ accepit; ergo Eccleſiarum Præpoſiti remittunt peccata, concedendo Baptiſmum. Si Eccleſia una ſit omnium Eccleſiarum communione, quarum eadem forma ſit, valida conſequentia; non autem aliter. Nec refert, quod Hæreticorum Baptiſmum irritum hinc, & invalidum eſſe, infert *Cyprianus*. Nam ſi negemus, hoc conſequens eſſe poſitis a *S. Cypriano*, legitimum autem Baptiſmum non eſſe concedamus, ſatis hoc, ad jus ex inſtituto Dei natum aſſerendum, fuerit. Hinc aſſeritur, quod videtur audacter ſatis pronunciare *S. Hieronymus Epiſt.* LXXXV. *Ubicunq; Epiſcopus ſit, ſive Romæ, ſive Eugubii, ejuſdem meriti eſſe, ejuſdem Sacerdotii.* Nam quod ad animum attinet, & quod interius conſcientiæ forum appellant; Si vere dictum eſt, etiam Presbyteri minime errantis Clavem idem valere quod Epiſcopi, non erit dubium, idem efficere minoris Eccleſiæ Epiſcopum, quod majoris. Latitius autem pertinent Epiſcopi majoris Eccleſiæ Claves, quia & ejus Eccleſia: Sed idem tamen valent, quod minoris Epiſcopi Claves, erga ſuum gregem, ſcilicet. Et hoc eſt, quod in eodem *Ordine Juriſdictionis* diſcrimen dici ſolet. Quod autem figuram fuiſſe *Petrum* Eccleſiæ, cum ei ſoli hæc diceret Dominus, nonnulli eorum volunt; Non eſt ex ea myſtici ſenſus ratione intelligendum, ex qua Novum

Digitized by Google

vum Teſtamentum veteri, Evangelium Legi reſpondere dictum eſt; Sed quod Unitatem Eccleſiæ Apoſtolis, & per Apoſtolos Fidelibus commendare voluerit, propterea in eo ſitam Unitatis ejus rationem ſignificaſſe, ut eadem omnium Eccleſiarum, & Præpoſitorum Eccleſiis forma retineretur, quam ipſe ſervabat, cum reliquis præſentibus Apoſtolis, *Petro* pro omnibus mandata dabat.

Principem eſſe, non niſi Canonico jure, Rom. Eccleſiam.

Aſſerendus eſt nunc Rom. Eccleſiæ, quem definivi, principatus; Hoc eſt, non Monarchia in reliquas Eccleſias, ſed Canonica ſuper eaſdem eminentia, in tractandis, & definiendis, exigendiſque & exequendis eis quæ omnium communia ſunt, ſpectandus; eadem ratione, qua Catholicæ Eccleſiæ unitatem a Deo inſtitutam aſſerui; quæ omnium Chriſtianorum conſenſum in ſe continet, ut ibi diſputatum eſt. Itaque non eſt expectandum, ut quæ dehinc, regiminis Eccleſiaſtici formam ab initio ubique receptam deſcribentia, diſputabuntur a nobis, Scripturæ teſtimoniis, quorum ſenſum mos Eccleſiæ definiat, ſtatuantur. Memoria tenendum, Unitatem totius Eccleſiæ divinitus conſtitutam, majoris & fuiſſe & eſſe momenti ad omnium fidelium officium, quam quicquid parti Eccleſiæ debere poſſunt. Tum, quod, rerum geſtarum veritas obtinuiſſe palam facit, id Eccleſiæ auctoritate, intra limites juris ſui agentis conſtitutum, non aliter ſingulos tenere, ac ſi ab ipſis Apoſtolis conſtitutum conſtaret. Neque enim rerum geſtarum fides obtinuiſſet, niſi conſenſum Eccleſiæ, ſalva ejus Unitas oſtenderet. Antiquiſſimum eſt tempore hujus rei teſtimonium, quod *Marcion* a Patre, Epiſcopo *Sinopenſi*, Eccleſia pulſus, *Romæ* recipi non potuerit: *Epiphanius*, initio Hæreſis *Marcionitarum*. Ad cujus inſtar *Syneſius*, *Ptolemaidis Cyrenaicæ* Epiſcopus, *Epiſt.* LVII. *Andronicum* Provinciæ Præſidem, ſubmotum a ſe comunione fidelium, univerſis Epiſcopis ſignificans; Si quis ſuam, tanquam exiguæ Eccleſiæ ſententiam, violaverit, eum violatæ unitatis Eccleſiaſticæ reum futurum conteſtatur.

Quid?

Quid? Si hæc nulla idonea cauſa acta fuiſſent? Minime omnium. Sed quod nulla cauſa eſſet, cur retractaretur ſententia exiguæ Eccleſiæ, communi omnium Eccleſiarum jure lata. *Montanus*, ab *Aſiæ* Epiſcopis damnatus, cum adverſus ipſum *Soter* Urbis Epiſcopus librum ſcripſiſſet; agnoſci tamen ab ejus ſucceſſoribus *Spiritum ſuum*, magnopere contendit. Singulare hoc fateor, ſi conſtaret, *Montanum* de reliquis Eccleſiis ſolicitum non fuiſſe. Sed hoc perpetuus Eccleſiæ mos credi non patitur. Nam, quæ unquam quæſtio extitit, in qua, ad aſſequendum in alterutram partem Eccleſiarum conſenſum, utrinque, undiquaque non diſcurreretur? Quod mentio fit Rom. Eccleſiæ communionis, a *Montano* quæſitæ, argumento eſt, ejus præcipuam rationem fuiſſe; ut cujus auctoritas, ad univerſæ Eccleſiæ communionem plurimum faceret. Specta jam *Tertulliani* in *Zephyrinum* Urbis Epiſcopum ſcommata, ob conceſſum adulteris Pœnitentiam, initio libri *de exhortatione caſtitatis*. Vel illud potius ſpecta, quod *Hieronymus* in *Catal.* refert, irritatum contumeliis Cleri Rom. *Tertullianum*, ab Eccleſia *Carthaginenſi*, id eſt Catholica, diſceſſiſſe. Unde ſectam ejus, ad *Auguſtini* uſque tempora *Carthagine* extitiſſe, ipſe *in libro de Hæreſibus*, & *Sirmondi Prædeſtinatus* refert; Nam & ejus opera, ſub *Aurelio Carthaginis* Epiſcopo, Eccleſiæ reunitam. Vides igitur Schiſmatis *Tertullianæi* cauſam; quod Rom. Eccleſiæ ſententiam, in repudiando *Montano*, ſecuta *Carthaginenſis*, cum reliquis ſcilicet, fuerit. Victorem Papam communioni *Aſiaticarum* Eccleſiarum nuntium miſiſſe, quod Paſcha σταυρώσιμον, majorum ſuorum exemplo, XIV. *Luna* cum *Judæis* agerent, adeo manifeſtum eſt apud *Euſebium*, ut negandum non ſit; Etſi a decreto ſuo prudentius receſſiſſe videatur, quam pertinacius inſtitiſſe. Quis putet hoc facturum Victorem, ſi ipſius non fuiſſet, aliis in hoc faciendo præire, modo cauſa idonea fuiſſet? Quis putet *Victori* obtemperatum non iri, niſi reliquis Eccleſiis, num cauſa idonea eſſet necne, ſuum

judicium

judicium fuiſset? Equidem, ſecundum *Victoris* ſententiam Synodus *Nicena* pronunciavit, cum hanc litem ſuſtulit. Nam quod a *S. Joanne* conſtitui, adducendis ad fidem *Judæis*, opportunum fuerat, id importuno Zelo proſequebantur ſucceſsores ipſius; cum ipſos non alliceret, Eccleſiam ipſorum opprobrio exponeret. Itaque non eſt mirum, φιλονεικείᾳ moveri potuiſse *Victorem*, ut adverſarios in ſuam ſententiam adigeret; *Victoriam* enim ſequitur auctoritas. Verum, non tenuiſse reliquas Eccleſias ejus ſententiam, apud quas, adhuc celebris eſt *Irenæus* ob deductum inde *Victorem*; indicio eſt, antiquiorem eſse unitatis Eccleſiaſticæ, quam Sedis *Romanæ* rationem: Ac proinde, non eſse niſi canonicam ejus auctoritatem, quæ, niſi idonea cauſa ſubſit, in irritum cadat.

Inductio cauſarum Eccleſiæ vetuſtiſſimarum.

Cum Eccleſia Rom. Schiſma paſsa eſt, facto Epiſcopo contra *Cornelium Novatiano*; Ubi tum ejus ſuprema poteſtas? Stetiſse enim *Cornelii* cauſam reliquæ Eccleſiæ conſenſu, res ipſa docet. Certe, ſi non recipi lapſos juris divini fuiſset, judicante Eccleſia, *Novatianus* ſtetiſset; etſi a tribus ordinatus; adverſus *Cornelium*, qui, a XVI. Canon quidem Apoſtolorum primus ſatis habet, Epiſcopum a II. vel III. ordinari. Mentem autem ejus *Nicenus* IV. exponit: Provincialium ſcilicet Epiſcoporum majoris partis conſenſum ſpectatum. Quia hoc nimis operoſum erat, II. vel III. conſenſum, pro majoris partis conſenſu acceptum; Quod, repugnante majore parte pro *Cornelio*, locum hic non habebat. At juris divini prior ratio fuiſset, quam Canonici. Utrum autem jure divino recipi poſsent lapſi, quæſtionis res erat, per Eccleſiam. Inde & *Meletii* Schiſma, ſecundum *Epiphanium Hær.* LXVIII. Cum vero, de cauſa Eccleſiæ Rom. in qua juris divini quæſtio vertitur, reliquæ Eccleſiæ judicium fuit; ubi ſuprema ipſius poteſtas? Sane *Cornelium* ab initio agnovit *Cyprianus*; id eſt Eccleſia *Carthaginenſium*: *Dionyſius* & *Alexandrina*, poſtquam de cauſa cognoviſsent.

An-

Antiochena ſub *Fabio*,& quæ eam tum ſequebantur *Ponticæ*, magnopere nutabant; ut ex *Euſeb. Hiſt. Eccl.* VI. 44, 46. VII. 4, 5. conſtat; donec *Dionyſii* auctoritate permoti, etiam ipſi manus darent. Unde *Synodus Antiochena* in *Encæniis* Dominicæ aureæ, apud *Socr.* II. 5. *Sozom.* III. 8. vicem ſibi reddi à *Julio* Papa poſtulant, actis ſuis probandis. Adeo manifeſtum eſt, conſenſu totius rata eſſe acta partium Eccleſiæ. De rebaptizandis Hæreticis cauſa Eccleſiam diu ſolicitam habuit. *Romanæ* Eccleſiæ adverſabantur, (cum *Cypriano* Eccleſiiſque *Africanis*) qui in *Oriente* pro *Novatiano* ſteterant, ut ex *Firmiliani* ad *Cyprianum Epiſtola*, quæ eſt apud eum numero LXXV. intelligimus. Tum *Dionyſio Alexandrino de Bapt.* III. apud *Euſeb. Hiſt. Eccl.* VII. 7. unde etiam oblitum ſui *Euſebium*, receptam de ea re Traditionem a *Cypriano* primo in dubium vocatam, *Hiſt. Eccl.* VII. 3. ſcripſiſſe obſervavimus. Interea loci, ſi Eccleſiam *Romanam*; id eſt, ſi, Papam ſupremo eſſe jure in reliquam Eccleſiam, receptum tunc fuiſſet, nunquam *Cyprianus*, nunquam *Firmilianus* tam ſe animoſe adverſus *Stephanum* extuliſſent. Verum qui pacem Eccleſiæ, in tanto ſententiarum conflictu colendam putabant, ab ejus conſenſu, quamprimum obtineri poſſet, minime omnium erant diſceſſuri. Itaque & *Stephani* proclivitas, ad negandam adverſæ parti ſuam ſuorumque Communionem, fiduciam arguit principalis auctoritatis, quam ſecuturam ſperabat reliquam Eccleſiam: Et ſecutum temperamentum, de quo dictum eſt, oſtendit, imperium ei non fuiſſe in reliquas Eccleſias, quæ ejus auctoritatem ſecutæ non ſunt. Quod autem de *Dionyſio Alexandrino*, a *Pentapolitanis* quibuſdam Epiſcopis ad *Dionyſium Romanum* relatum eſt; ſuſcepto adverſus *Sabellium* certamine, eum pro adverſa ſententia, quam poſtea *Arius* propugnavit, ſcripſiſſe; de eo id dico, quod de Montano prius. Neque enim dubitabit, qui quæ hic tractamus apud ſe cogitaverit, non minus ad alias Eccleſias, quam ad Romanam, de tanti momenti ſcandalo relatum.

Digitized by Google

Quare, quod de relatione ad *Romanam* ſedem facta mentio ſuperſit, in monimentis Eccleſiæ, cum de reliquis ſileatur, indicio eſſe poteſt, plus momenti ad ſopiendam tantam offenſionem, ejus Sedis quam aliarum ſententiam habere viſam eſſe. Vide *Athanaſium de decretis Nicenis, de ſententia Dionyſii*, & *de Synodis.* In judicio *Pauli Samoſateni*, duo ſunt quæ ad propoſitam cauſam faciant. Primum, quæ ratio fert, ad omnes æque Eccleſias *Synodicam* dirigi, cujus vis & effectus ab una tantum pendeat? Cum autem Imperator, ita demum ſe *Synodi* decretum effectui mancipaturum reſpondet, ſi *Romæ Italiæ*que Epiſcopi conſentiant; primum, qui Chriſtianis gratum facere voluit, id ſecutus putari debet, quod Eccleſiæ probari poſſet: deinde, tutum fuit, *Romæ Italiæ*que Epiſcoporum ſententiæ acquieſcere; quibus ad ipſius *Synodi* ſententiam adjectis, non erat metuendum, ne apud reliquam Eccleſiam non obtineret. In *Epiſtolis S. Cypriani* occurrunt nonnulla quæ huc faciant. *Baſilides Aſturicenſis* Epiſcopus, cum in perſecutione ſacrificaſſet, damnatus a ſuis, ſucceſſorem acceperat. Subrepſit hic *Stephano Romano*; quem *Cyprianus Epiſt.* LXVIII. non damnat, quod de ſententia collegarum *Hiſpaniæ* Epiſcoporum cognitionem ſibi ſumeret; (damnaſſet enim ſeipſum, qui ab eis appellatus, ſententiam eorum afferat) ſed *Baſilidem*, qui ipſum circumvenerat. Rurſus, ab Epiſcopo *Lugdunenſi* certior factus *Cyprianus*, *Martianum Arelatenſem Novatiani* partes ſequi, *Stephano* ſcribit, ut ad *Galliarum* Epiſcopos det literas, exauctorando *Marciano*, & ſubrogando ei ſucceſſori, *Epiſt.* LXVII. Rurſus; Feliciſſimus & Fortunatus *Cypriani* Preſbyteri, aſcito Fortunato Epiſcopo, partes fecerant, reſtituendis, contra Eccleſiæ decretum, lapſis, quorum cauſa *Cornelio* reſervata fuerat; (ut ex *Cypr. Epiſt.* XXXVIII, & XL. diſcimus) Hic *Cyprianus Epiſt.* LV. permultis, terminandas, apud Eccleſias ubi ortæ ſunt, controverſias contendit. Si cauſam ſpectes, quis neget? Erat enim Schiſmatis ſpecies;

per

Digitized by Google

per Sedem *Romanam* obſequio erga Epiſcopum ſuum ſolvi velle ; neque extabat exemplum, appellatæ a Preſbytero Sedis *Romanæ*. Atqui quis *Baſilidis*, & ejus qui in eadem cauſa erat, *Martialis*, *Emeritenſis*, ut videtur, Epiſcopi cauſam, vel *Romam*, vel *Carthaginem* deferri, neſas fuiſſe diſputat? Quis *Arelatenſem* Eccleſiam, auctoritate vel *Romanæ*, vel *Carthaginenſis*, *Novatiani* Communione explicari? Nimirum ſic ſe res habet. Sunt cauſæ Eccleſiaſticæ neceſſario toti Eccleſiæ cognoſcendæ, quod ad totam pertineant; Qualis *Martiani*, eadem quæ *Novatiani*. *Baſilidis* & *Martialis* cauſa tota facti fuit; ſacrificaſſent necne; neque enim dubitabatur, ſi ſacrificaſsent, Epiſcopos eſſe non debere. Sed qui poteſtatem habet, jure poteſtatis ſuæ abuti poteſt: Et *Stephano* ſi jus fuerat de *Marciano* cognoſcendi, quis ei obſtabit, ne de *Baſilide* & *Martiale* cognoſcat? Quis *Cypriano* & Collegis, ne ſententiæ Epiſcoporum *Hiſpaniæ*, & Eccleſiæ cauſæ adſint? Idem ipſis facturis in cauſa *Feliciſſimi* & *Fortunati*, ſi, *Romanæ* Sedis auctoritati reliquæ Eccleſiæ auctoritas niſi opponeretur, jus ſuum obtinere non poſsent. Itaque cum, quæ cauſæ reliquam ſpectarent Eccleſiam, jure Eccleſiæ definitum non eſset; quæ cauſa eſt, quæ totius, id eſt *Romanæ Eccleſiæ* primo loco, intereſſe videri non poteſt? Hæc ſola hypotheſis rationem reddit omnium, quæ in Eccleſiæ monimentis, ſive *Romana*, ſive aliis Eccleſiis appellandis, geſta leguntur. Conſenſus Eccleſiarum, (*Romanæ* autem, primo loco) concuſſam Eccleſiæ unitatem affirmat, & inſtaurat. Donatiſtæ, oblato libello, qui apud *Optatum Libro primo* legitur, à *Conſtantino Auguſto* Judices poſtulant Epiſcopos *Galliæ*; quod ibi, ſub *Conſtantio Auguſto*, perſecutio *Diocletiani* locum non habuerat. Ille *Romanum* ac *Mediolanenſem* Epiſcopos, (quibus invidia libello fiebat, tanquam ſuſpectis, quaſi eſſet cur eis faverent, qui ſacrificaſſent) cum Judices dediſſet, ne propter latentem calumniam ipſorum auctoritatem inſuper habere videretur; *Gallos* tamen Epiſcopos illis adjunxit.

 Hic,

Hic, maximi momenti per *Occidentalem* Eccleſiam cauſa Sedes *Romanam* ac *Mediolanenſem*, (ſed primo loco *Romanam*) Judices poſtulat. Interpellatus ab eis poſtmodum Imperator, cum *Arelatenſem* primam *Synodum* cogi jubet, cauſæ retractandæ, appellationem non concedit; (Judices enim ſedebant iidem qui prius, etſi inter multo plures) ſed recognoſcendam & retractandam, ut dixi, priorum Judicum ſententiam mandat.. Unde manifeſtum evadit, quod dicit *Hieronymus*; *Orbem Urbe majorem eſſe:* Et *Synodum Arelatenſem* de Papæ judicio cognoſcere. Poterant Donatiſtæ *Generale Concilium* appellaſse, *Romanorum* Judicum ſententia gravati, ait *S. Auguſtinus Epiſt.* CLXII. Atqui, niſi etiam *Arelatenſis Synodus* majori adhuc auctoritate judicaſset, quam prius Judicium, cui Papa præfuerat, mirum ſi vel convocati fuiſsent, vel conventuri, a quibus nihil agi poſse conſtaret.

CAP.

CAP. XXII.

Jus Conciliorum, & Hierarchiæ rationem, ſecundum Diæceſes & Provincias Imperii Romani *conſtitutum eſſe.*

AD illud jam tempus rerum nos ſeries deduxit, cum, nova Regiminis civilis facie in *Romanum* Orbem inducta, ſub *Conſtantino Aug.*, Eccleſiæ etiam Hierarchia formam ſuam ac Leges accepit; Non novam illam quidem, cujus non ſolum elementa extiterant ab initio, ſed etiam rudimenta, diu eſt quod præformata apparebant. Nam illam Regiminis formam, quam poſtea introduxit *Conſtantinus*, ab *Hadriano* primum deformatam refert *Sextus Aurelius Victor Epit. de Hadr. Officia ſane publica*, inquit ille, *& Palatina, nec non militiæ in eam formam ſtatuit, quæ, paucis per* Conſtantinum *immutatis, hodie perſeverat.* Et cum *Aurelianus* de *Pauli Samoſateni* cauſa Judicium *Romæ* & *Italiæ* Epiſcoporum expectat, argumento eſt *Italiæ* Regimen, partim *Romæ* partim *Mediolani*, etiam tum ita conſtitutum, ut poſtea ſub *Conſtantino.* Extat apud *Vopiſcum*, fine *Floriani*, Epiſtola Senatus *Romani* ad *Carthaginenſes*, altera etiam ad *Trevirenſes*, de Taciti Imperio. Tum ſubjicitur; *Eodem modo ſcriptum eſt Antiochienſibus, Aquileienſibus, Mediolanenſibus, Alexandrinis, Theſſalonicenſibus, Corinthiis, & Athenienſibus.* Non eſt mirum *Athenienſium*, propter loci celebritatem, rationem habitam extra ordinem; Sedes enim ſunt maximarum Poteſtatum reliquæ Civitates, quibus ſcriptum eſt. Itaque *Ponticarum* Eccleſiarum conſpiratio cum *Antiochena*, in geſtis de quibus dictum eſt, adverſus *Samoſatenum*, de rebaptizandis Hæreticis, deque *Novatiano* & lapſis recipiendis, conſtitutam ibi Regiminis hujus formam indicio eſt: Quod & de *Africanis* Eccleſiis *Carthaginenſi*, in Concilio *Cypriani* unitis, dici poteſt. Cæterum neque *Epheſinam*, neque *Lugdunenſem*,

Majoritatem ſuppariam Eccleſiæ Romanæ *Eccleſiarum, non ad* Petrum, *ſed ad Civitates ſuas referendam eſſe.*

Digitized by Google

nenſem, neque *Corinthiacam*, aut *Theſſalonicenſem* exortes ejus eminentiæ fuiſſe ab initio, quæ ipſis hac *Conſtantini* conſtitutione accrevit, & res ipſa docet, & ratio; quod non fuerint tum in hunc finem conditæ, ſed electæ, tanquam etiam tum maxime idoneæ. Poſita erat hæc forma in *Præfectorum Prætorio*, & *Vices* ipſorum obeuntium poteſtate ac jure. Propterea quod eorum *Vicarii* majores quaſdam Imperii partes curabant, quæ *Diœceſes* appellabantur. Nam Civitates quæ Diœceſium Principes erant, propterea quod Vicariorum Sedes eſſent, earum Eccleſias, in reliquas per ſuas Diœceſes Eccleſias Principatum quendam habuiſſe, manifeſtum eſt. Itaque fruſtra ſunt qui Eccleſiam *Romanam*, propter *Petri* Principatum, qui *Antiochiæ* ſederit priuſquam *Romæ*, & *Alexandrinam* Eccleſiam per *Marcum* fundaverit, Eccleſiis *Europæ*, *Africæ* & *Aſiæ*, per *Alexandrinam* & *Antiochenam* præficiunt. *Epiphanius Hær.* LXX. erudite pronunciat, ſi de celebrando Paſchate controverſia orta fuiſſet, antequam Eccleſia *Jeroſolymitana Pellam* migraſſet, ad eam ejus definitionem ſpectaturam fuiſſe. Hoc vide quid valeat; Nimirum, Eccleſiam *Jeroſolymitanam*, quæ initio ſedes erat omnium Apoſtolorum, ſemper Principem Eccleſiam futuram fuiſſe, ſi nihil aliud ſpectandum fuiſset, quam quod Apoſtoli ibi ſediſsent. Et ſane veri ſimile mihi videtur, *Montani* Sectarios, rejectos ab Eccleſia, *Pepuzam Phrygiæ* vicum nova *Jeroſolyma* propterea appellaſſe, ut inde Eccleſiam de novo inſtituendam, propter repudiatum ab Eccleſia *Paracletum Montani*, profiterentur; Nimirum, inſtituendæ hujus de novo Eccleſiæ caput eſſe *Pepuzam* voluiſſe. Nam *Alexandrinam* Eccleſiam, cujus ultra *Ægypti* Diœceſim nulla unquam auctoritas fuit, *Africanarum* caput eſſe; *Antiochenam*, cujus, ultra Orientis Diœceſim, nulla unquam Eccleſia auctoritatem agnovit, *Aſiaticarum*, inter ſomnia numerandum eſt.

Dicendum

Dicendum eſt nunc de jure Conciliorum; quorum habendorum forma hoc inſtituto Canonica eſſe cœpit, per Orbem *Romanum*. Qua de re, cum extent aliorum non exiguæ molis volumina, mihi ſolicito eſſe non licet. Conventus Eccleſiæ *Jeroſolymitanæ*, quo Apoſtolus conſtitutus eſt *Judæ* loco *Matthias*, *Generale* totius Eccleſiæ *Concilium* haberi poteſt. Nam & in totam Eccleſiam munus eſt Apoſtoli; & totius Eccleſiæ Rectores convenerant. Idem de eo quo electi ſunt VII viri dicendum. Nam & *Diaconorum* Ordo totius Eccleſiæ ſtatum ſpectabat. Conventum *Jeroſolymitanum Act.* XV. *Synodum Generalem* fuiſſe, nemo negat. Nec idem de *Pauli* cum *Jacobo* conventu, *Act.* XXI. negandum eſt. Nam *Jacobi Presbyterium* videtur Eccleſiarum Principibus conſtitiſſe, qui ab initio *Diſcipulorum Chriſti* nomine veniunt, nondum autem in ſuas quiſque regiones diſperſi, *Apoſtolorum Chriſti & Diſcipulorum* quaſi corpus vel conſtituebant, vel repræſentabant. Recolendum eſt hic, quod ſuo loco obſervavimus, paſſim legi in Scripturis Apoſtolicis plures ejuſdem Provinciæ Eccleſias, unius & ejuſdem Civitatis Eccleſias plures nuſquam legi. Qua obſervatione conſtituta eſt Eccleſiæ Regula, Scripturæ Apoſtolicæ verbis expreſſa, quæ Civitatibus Eccleſias numero æquat; quas nunc Diœceſes appellamus. Nam perinde, Concilia Provincialia Eccleſiarum Provincialium conſenſu conſtabant, præeunte ac præſidente Principis Civitatis Principis Eccleſiæ Epiſcopo; quam Μητρόπολιν, ut in Coloniis *Græcorum*, ita Eccleſiæ uſu appellari placuit, quoniam, ut à matrice Civitate ſacrorum jura petebant *Græcorum* Coloniæ, ita à Metropoli Eccleſia Provinciales. Sed hoc etſi ſimile accidebat, rationem tamen inſtituti ac nominis non continebat. Metropoles enim Civilis Regiminis ratione dictæ ſunt Provinciarum Principes Civitates, priuſquam Eccleſiæ Metropoliticæ dici potuerint. Nam quod omnes unam totam reſpiciebant, peculiare fuit Eccleſiæ Chriſti, ſed hoc modo obtinendum erat. Cæterum, Provinciale

De jure Conciliorum, & Hierarchiæ ratione.

Digitized by Google

Provinciale Concilium conſtituere Provinciales Epiſcopos, diſerte ſequitur ex Apoſtolicis Scripturis, quibus Principes Provinciarum Eccleſiæ memorantur. *S. Paulus Eccleſiæ Dei* ſcribit *quæ eſt Corinthi*, *una cum omnibus Sanctis qui ſunt per totam Achaiam* 2 ad *Cor*. I. 1. Et 1 ad *Theſſ*. IV. 10. cum eorum charitatem erga *totius Macedoniæ Fideles* laudat, conſilium ſcribendæ Epiſtolæ ſuæ ad totius Provinciæ Eccleſias extendit. Quid enim aliud ſibi vult, quod ſcriptum eſt ad *Rom*. XV. 26. *Viſum eſt Macedoniæ & Achaiæ collectam facere, in pauperes Sanctos qui ſunt Jeroſolymis?* De qua etiam per Eccleſias *Galatiæ* & *Achaiæ* 1 ad *Cor*. XVI. 11. 2 ad *Cor*. VIII. Quid eſt inquam, quod *per Provincias* hæc fiunt, niſi quod inſtitutæ erant per Provincias Eccleſiæ? *Epheſi per biennium moratus Apoſtolus, ita ut audirent verbum Dei per Aſiam, omnes tum Judæi tum Gentiles*; *non ſolum Epheſi, ſed per Aſiam, permultos avertiſſe* accuſatur *Act*. XIX. 10, 26. Unde ab *ingreſſu in Aſiam* ſuo vitam ſuam afferit *Act*. XX. 18. nimirum, quod *Aſiæ* Provinciæ Metropolis eſſet *Epheſus*, & *Epheſo* ſubditæ ſeptem Civitates, quarum ſeptem Eccleſiis ſcripta eſt Epiſtola *Apoc*. II, & III. *Gortynam Cretæ* Provinciæ fuiſſe Metropolim, notum eſt, ex *S. Hieronymi* Catalago; Ubi cum *Dionyſii Corinthii* Epiſtolam quartam ad *Cretenſes* laudaſſet, ſubjicit *cap*. XXX. *Philippus Epiſcopus Cretenſis, hoc eſt, Urbis Gortynæ, cujus Dionyſius in Epiſtola ſua meminit, quam ſcripſit ad ejuſdem Civitatis Eccleſiam.* Hujus igitur *Titum* conſtitutum ab Apoſtolo Epiſcopum manifeſtum eſt, cui ſubditarum Civitatum Eccleſias ordinandas permittit Apoſtolus. Denique, quod, Synagogis in Eccleſias converſis *per Pontum, Galatiam, Cappadociam, Bithyniam, Aſiam*, primam ſuam Catholicam inſcribit *S. Petrus*, idque *Babylone*, unde pependiſſe videntur ejus diſperſionis Synagogæ 1 *Pet*. V. 13. (id eſt, cum Eccleſias compellat ſecundum Provincias) nonne aperte ſatis hunc ordinem ſignificat? Saltem ei qui noverit, quod nemo ignorat, qui unquam Eccleſiæ res attigit,

tigit, quanta religione plebis fidelis, quanta Canonum auctoritate, quandiu memoria Romani Orbis viguit, obſervatus ſit? Nam Provinciarum diſtributio, Conciliorum Provincialium conſtitutio erat; Conſtantium Epiſcopis Eccleſiarum Provincialium, de Eccleſiarum Parœciarumque ſuarum obſequio reſpondentibus. Quid enim intereſt de obſequio Fidelium quærere; quos, in rebus Eccleſiæ fidei creditis, Eccleſiæ fidem, in quam baptizati ſint, neceſſe ſit ſequi? Et ſane ſolennis erat horum Conciliorum cauſa, Ordinatio Epiſcoporum; quos conſenſu Provincialium conſtitui oportet, ſi jure Apoſtolus rationem eis oſtendit reddendam, eorum quæ ab eis peccantur, quibus manus imponunt 1 ad *Tim.* V. 22. Præterea, cum eorum fuerit, omni Eccleſiæ tempore, non ſolum jus dicere, Eccleſiaſticum nimirum, fidelibus, ſive Laicis, ſive Clericis, etiam Epiſcopis, ſed & condere, ſtatutis Canonibus; ſumma erant in Eccleſias Provinciales poteſtate, ſi quid earum proprium, totius Eccleſiæ ſtatum non ſpectaret. Itaque non pertinet ad infirmandam hanc rationem, quod Africanæ Provinciæ Metropolitas Epiſcopos non habuerint, præter Carthaginenſem; Quod Ordinationis antiquitate primus Epiſcopus Provincialium Epiſcoporum Primas erat. Hoc enim Eccleſiaſticæ antiquitatis peritis conſtare video. Cum enim pariter conſtet, antiquitate Ordinationis primum eodem jure fuiſſe in Epiſcopos Provinciales, quo fuerint per alias Regiones Metropolitæ; Neceſſe erit inprimis, regiminis Eccleſiaſtici rationem ſupponere Civitatum matricum magnitudinem, ut dictum eſt; Tum Hierarchiæ rationem, (cujus ex Scripturis idoneum argumentum habemus) hanc inquam poſtulaſſe, ut a Primate regerentur Provinciales Epiſcopi; Etſi in Africa Primas non eſſet Metropolita, ſed Ordinationis tempore primus Epiſcopus; Prorſus, ut de Civitatum Epiſcopis ſuo loco exceptum eſt.

Ggg Neque

De Conciliis Provinciarum & Diœceſium.

Neque enim mirum eſſe poteſt, unitis poſtmodum in Diœceſes Provinciarum corporibus, ſecutas hujus diviſionis commoditatem Eccleſias, Principibus Diœceſeon Eccleſiis ita detuliſſe, ut eis auctoribus in Synodos coirent; Sine qua auctoritate fuiſſet, ne Synodos quidem Provinciales, rite atque ordine coire potuiſſe, (niſi, ſcilicet convocante metropolita Epiſcopo) res ipſa docet. Moris hujus uſum, quatenus neceſſe fuit, quatenus commodum eſſe potuit, tam maturum tempore, poſt inſtitutas Diœceſes, tam paſſivum, tamque pervagatum per totam Eccleſiam fuiſſe reperiet, qui hoc ſtudio ſuo dignum putaverit, ut manifeſtam fidem inſtituti Apoſtolici faciat, Eccleſiaſticæ auctoritatis ex ſæculi majoritate conſtituendæ. Quid enim aliud *Epheſinam Eccleſiam* caput faceret Diœceſis Aſiaticæ, Orientalis Antiochenam, Illyricianæ Theſſalonicenſem; quod Corinthiaca, & Philippenſis, Coloſſenſiſque eſſe non potuerunt, etſi Apoſtolicæ pariter, pariter Apoſtolorum ſcriptis memoratæ? Quod Alexandrina pariter fuit, pariter Apoſtolica, licet non pariter Apoſtolicis memorata Scripturis? De Romanæ magnitudine ſermo rurſus futurus eſt, cum ei Conſtantinopolitanam contendemus. Sed ratio hujus conſtituti ea eſt, quam *Irenæum* ſecuta *Synodus Antiochena Can.* IX. reddit, *quod ad Metropolim undique concurratur:* Sic enim ad Caput Diœceſis ex Provinciis, ſic Romam undique, ut diſputat *Irenæus.* Itaque Concilia Diœceſium Orientalis, Ponticæ, Africanæ jam meminimus; Item Romanæ, Italicæque, quando conſenſus earum in damnationem Samoſateni, quem poſtulabat Aurelianus Auguſtus, non niſi per Synodos expedienda erat. Aſiaticæ Synodi teſtis eſt diſſidium de Paſchate. Sane Synodos Diœceſium Orientis, poſtquam ſcriptis Canonibus definiri cœptæ ſunt Eccleſiæ jura, quæ moribus prius obtinere cœperant, Antiochenus Canon XII. affirmat; Tum Conſtantinopolitanæ Oecumenicæ Synodi II. & VI. Chalcedonenſis IX. de Synodis autem Diœceſis Africanæ

Digitized by Google

canæ frequens eſt admodum memoria in Canonibus Africanis. Illyricianæ autem Synodi illuſtris extat apud *Theodoretum* memoria *Hiſt. Eccl.* IV. 8. Juſſu quidem *Valentiniani* I. coactæ, & cui ipſe cum *Valente* & *Gratiano*, Imperialis mandati vires addidit, cum ejus Synodicam ad Diœceſis Aſiaticæ Epiſcopus miſſam, *prædicari* per illam Diœceſim jubent. Et Lex utriuſque Codicis *Omni innovatione ceſſante*, eandem Synodum ſupponit, cum ab ea referri vult ad Sedem Conſtantinopolitanam. Nam *conventus Sacerdotalis*, *& ſanctum judicium* Diœceſis Synodum ſignificat, (ut recte cenſet *Gothofredus.*) Relationem autem ad Sedem Conſtantinopolitanam, quod,*non ſine ſcientia Antiſtitis Vrbis Conſtantinopolitanæ,reſervantur* dubia Synodo Diœceſis. Legem autem 23. Codicis *Theodoſiani de Epiſcopis*,a *Gratiano Treviris* datam ad Epiſcopos Gallicanos quoſdam, *Gothofredi* Commentarius oſtendit; quæ, cum negotia *ad Religionis obſervantiam pertinentia locis ſuis,& a ſuæ Diœceſeos Synodis* audiri jubet, eaſdem Occidentalium etiam Diœceſium Synodos ſtatum ſuum tum habuiſſe ſupponit. Nam ad Provinciales Synodos pertinet, quod *locis ſuis*; unde ad Synodos Diœceſium appellabatur. Vide quæ de Synodis Diœceſis Gallicanæ ſcribit *Petrus de Marca*, 6. *de Concordia* XVII. 1 -- 4. ut & de Illyricianis, Hiſpanicis, Italicis XVI. 6. Sane Eliberitanum Concilium non minus Nationis Hiſpanicæ Generale fuiſſe, quam Toletanum I. videtur, ex Epiſcopi Spalenſis, Emeritani, Legionenſis, Toletani, Cæſarauguſtani ſubſcriptionibus conſtare; Nam & Auxitani Bigerenſiſque ſubſcriptiones ex Aquitania etiam coactum oſtendunt. Idem fortaſſe de Cæſarauguſtano dici poſſet, ſi Epiſcoporum qui interfuerunt Sedes perinde memoraſſet ac nomina. Delphinum certe, cujus nomen extat, Burdigalenſem fuiſſe Epiſcopum facile credit, qui virus Priſcilliani, quod illo Concilio ſanari volebatur, ad Aquitaniam etiam pertinuiſſe intelligit. Sed hæc quamvis obſcuriora ſint, propter memoriæ veteris Eccleſiarum Occi-

dentis obſcuritatem, ſatis tamen oſtendunt, jura Nationalium Synodorum ab hac origine repetenda eſſe, ſi eandem Eccleſiam habere volumus, quam ab Apoſtolis Domini conditam credimus. Itaque eodem pertinet illa etiam Conſtitutio, qua vindicarunt decretum Synodi II. Oecumenicæ Imperr. *Gratianus Valentinianus* & *Theodoſius*, ad *Auxanium Proc. Aſiæ* data, quam Facundus memorat IV. 2. ubi *Concilii ſub Vicario Aſiæ conſtituti* mentio; item *Pontici*; ſicut *Orientalis* frequens admodum apud eundem Facundum. Sane, etſi manifeſtum ſit, Concilia Diœceſium Imperii Orientalis Canonibus Orientalibus conſtituta, perinde atque moribus antiquioribus inchoata eſſe; pariter tamen manifeſtum eſt, præceſſiſſe regimen ſeculi à *Conſtantino* inſtitutum: Tum, ſecutas Conſtitutiones, quæ his Canonibus vim & effectum tribuerunt. Ex quibus plena fides eſt, ut ab *Adriano*, pendere cœperunt ab Urbibus Diœceſeon Principibus Metropoles, ita ab Eccleſiis Principum Urbium Metropolitanas Provinciarum Principes Eccleſias; Inſtituto Eccleſiæ univerſæ, cujus vis, cum totam Eccleſiam occupaverit, (ut ad civilis regiminis formam componerentur Eccleſiæ, quatenus Eccleſiæ pax ferat) non niſi ad Apoſtolos auctores referri poſſe videtur.

Ratio vis ac juris Conciliorum.

Nec tamen abſolutam cogendorum Conciliorum neceſſitatem agnoſco: Nec ad habenda Concilia teneri Eccleſiam tum potuiſſe, cum nulla major opprimendi Chriſtianiſmi opportunitas eſse poſset, quam coactis in unum Eccleſiarum Principibus. Eccleſiam ipſam totam, ac omnem ejus partem, ſive majorem ſive minorem, ſtatam eſse Synodum contendo; cujus decretum, literarum & internunciorum commercio, quanto difficilius obtineri poſſit, tanto firmius ſit ad definiendum & ſopiendum, quicquid indefinitum unitatem Eccleſiæ in dubium vocat. Itaque jus ac poteſtas Conciliorum quod ſit, aut eſse poſſit, ſuppoſito Chriſtianiſmo, qui omnium ſalutis pariter interſit, ac eorum qui in Concilio ſuffragium ferunt, non eſt cur obſcurum

ſcurum ſit. Neque enim vel totæ Eccleſiæ convenire, vel conſenſum Eccleſiarum, qui conveniunt, decretis nunc primum factis, niſi intra terminos Eccleſiæ poteſtati conſtitutos, obligare poſſunt; nec niſi pro modo ac ratione, quam partes, ex quibus conſtat Concilium, ad totum habent. Non enim eſt putandum, illud jus quæri præſentibus propter præſentiam, quod eis decedat, quibus adeſse non licet. Præjudicii tantum locum habet conſenſus eorum qui adſunt, & auctoritatis, adverſus eos, quos ſingulos, repugnare conſtitutis, à collectis in unum multis Eccleſiarum Principibus, nec rationi humanæ, nec pietati Chriſtianæ conſentaneum eſse norunt. Quod ſi rationem ineamus rerumpublicarum quæ communi conſilio reguntur, & diſpiciamus, humanum genus, majorem partem, ad amplectanda ſequiora conſilia ſemper proclivius eſse; profeſſionem perfectioris Chriſtianiſmi, quæ ad Eccleſiarum Principatum requiritur, non eſſe ſatis conſtabit, ad afferendam Eccleſiis (ſive quicunque ſint, qui Eccleſiarum nomine ſuffragii jus habent in Conciliis) ab erroris periculo immunitatem, in decretis Conciliorum condendis. Nam hoc ſi eſſet, dubitari non poſſet, Dei ſpiritu condita. Quandiu an ita ſit dubitari poteſt, non poſſunt extra aleam erroris poſita cenſeri. Non quod periculum ſit errandi, in eis quæ ad omnium ſalutem neceſſaria ſunt, eis, qui infallibilitatem, non præſentis Eccleſiæ dotem, ſed totius conſequens eſſe credunt. Sed quod, hoc quidem teneri, incertum ſit, in reliquis autem, non conſtet, quomodo animati ad decernendum deſcendunt. Neque opus eſt plura de his hoc loco dici; ubi de vi decretorum *Synodalium* univerſim ſermo eſt. Nam & Oecumenicorum Conciliorum exemplis definienda ſunt, quæ de illis præcipue in quæſtionem vocari ſolent: Et, ad eorum vim definiendam, præmittenda, quæ ad ſtatum eorum pertinent; Minorum videlicet *Synodorum* jura, ex quibus conflari Generalia oportet. Interea loci manifeſtum eſt, decreta Conciliorum,

rum,

rum, pro ratione, non numeri Epiſcoporum, ſed Provinciarum, vel Gentium ad decreta concurrentium, valere. Eſt enim ab omni plane juris ratione abſonum, cedere majores Eccleſiæ partes minoribus, & majores minorum decretis teneri, quod plures adſint ex his quam ex illis. Cum autem Eccleſia una ſit, à primo ad ſecundum Chriſti adventum, neceſſe eſt auctoritatem Eccleſiæ, uſque ad finem ſeculi, ab auctoritate Eccleſiæ in Orbe Romano, ſecundum deſcriptam formam deſcendere; quamvis, diviſo in multos Principatus Imperio Romano, vel aſcitis in Chriſtianiſmum Gentibus nunquam Imperio Rom. ſubditis, rationem regiminis Eccleſiaſtici ad diſcrimen temporum accommodandam eſſe, ſæpius dictum ſit. His itaque præmiſſis, in quibus & Eccleſiaſticæ *Hierarchiæ* ratio, & Conciliorum auctoritas conſiſtit, ſequentia videamus, quomodo, infinitam poteſtatem *Papæ* excludant, Canonicam affirment; Id unum præfati, ipſam Conciliorum cogendorum moleſtiam alta voce clamare, inſaniviſſe omnes ab initio Chriſtianos, ſi & ſibi & omnibus tantam creandam moleſtiam putaſſent, decreti obtinendi cauſa, quod, nullo coacto Concilio, ab auctoritate *Papæ* obtineri potuiſſet, ſi idem valere creditum omnibus ab initio fuiſset.

Quid poſſint, in univerſum, Concilia.

Cæterum illud hoc loco omittendum non videtur; Provincialium Conciliorum cauſam pene perpetuam, & quaſi ordinariam fuiſse Epiſcoporum Provincialium creationem. Putidum eſset proferre antiquitatis teſtimonia ad illud probandum, quod eſt in omnibus Eccleſiæ monimentis tralatitium. Satis erit primum Apoſtolorum Canonem cum quarto *Niceno* componere, & contendere. Cum enim illo cautum ſit, Epiſcopum fieri a duobus minimum Epiſcopis, cum a tribus commode non poſſit; Hic, hujus inſtituti illud fuiſse conſilium exponit, ut ab Epiſcopis Provincialibus ſinguli fierent; Quatenus quidem, cogi omnes, Eccleſiæ commoditas ferret. Nam, quod hoc ſemper fieri non poſse manifeſtum ſit, idcirco a tribus, cum reliquorum conſenſu

Digitized by Google

conſenſu fieri, ſatis eſse decernit; Metropolitano, ſcilicet, ratum ſaltem habente. Neque enim abſurde vetuſtiorem morem Apoſtolis tribuere videtur; Cum, nondum conſtitutis paſſim per Provincias Eccleſiis, neceſſe fuit a minori numero geri, quæ ab omnibus rata habitum iri cenſendum erat: Et conſtitutis Civitatum Provincialium Epiſcopis, eorumque Principibus,in matricibus Civitatibus,omnium, id eſt majoris partis conſenſum ad voluntatem Metropolitani accedere, *Hierarchiæ* ratio poſtulat. Sed cum hæc fuerit ordinaria Provincialium Conciliorum cauſa, non eſt propterea negandum,de Fidei cauſis decernere Provincialia Concilia potuiſse. Revincuntur qui hoc negant, decretorio, Dioſpolitani Provinciæ *Palæſtinæ* Concilii exemplo; in quo *Pelagius, ne damnaretur*, ut S. inquit *Auguſtinus, errores ipſe ſuos damnavit:* Tum *Carthaginenſis* alterius, in quo damnatus eſt ejus hyperaſpiſtes *Cœleſtius.* Cujus acta refricavit Milevitanum illud Provinciæ *Numidiæ*, cujus ad Innocentium *P. I.* Synodica eſt inter Epiſtolas S. *Auguſtini* nonageſima. Neque enim animus eſt dicere, teneri poſſe reliquam Eccleſiam decreto Synodi Provincialis; Niſi quatenus communis Fidei Traditione aſſeri poſſit. Hac ratione ſi ſe probet, quid eſt, quo minus naſcentem *Hæreſim* opprimat, conſcia ſibi communis Fidei Synodus Provincialis? Itaque *Zoſimi P.* cunctationem, in eodem damnando Cœleſtio, non dicam Provinciæ alicujus Synodum, ſed certum eſt, *Africanæ* Eccleſiæ conſenſum diſcuſſiſſe. Dubium autem non eſt, majoris momenti eſſe Fidei cauſas, quam quicquid eſt, quod ad ſtatuendam Eccleſiæ Diſciplinam definiri Canonibus poſſit. Verum, cum non ſit neceſſarium ad ſalutem ſingulorum, Canonicum Eccleſiæ regimen, quatenus Fideles ſunt, ſed quatenus ad Unitatem Eccleſiæ pertinent; Unitas autem Eccleſiæ omnium conſenſum, in Eccleſiaſticæ Communionis Leges requirat; Propterea abſonum fuerit, præire majoribus minores Eccleſiæ partes in Legibus ferendis, quas eis, in opprimendis

primendis *Hæreſibus* præire, nihil vetat; Quod in Fide jus omnium par ſit. Sane Canones *Ancyrani*, *Antiocheni*, *Laodiceni*, & reliqui quibus conſtat *Codex* ille, quem univerſæ in Concilio *Chalcedonenſi* Eccleſiæ laudatum & agnitum legimus à Synodis *Aſianæ*, *Ponticæ*, *Orientalis* Diœceſis conſtituti primum videntur; Sed non ea mente, ut reliquam Eccleſiam tenerent. Debetur ſpontaneo Eccleſiarum conſenſui, uſuique ſecuto, quod in Eccleſias ὑπερορίους invaluerunt. Nam & in Occidente poſtmodum recepti ſunt; ut ſuo locum dicam; cujus tamen, in eis condendis, auctoritas nulla fuit. De judiciis Eccleſiaſticis, in cauſis propter quas movendi locis ſuis Epiſcopi videri poſſint, non videtur hoc loco dici quicquam poſſe. Videtur enim ea diſputatio ex eis definienda, quibus, majorum Eccleſiæ partium unitas Legibus ſuis, procedente tempore, conſtituta doceri poſſit. Hactenus igitur ſatis ſit, Conciliorum Eccleſiæ univerſum ſtatum ac jus, rationibus Eccleſiæ univerſæ conſtituendæ Apoſtolicis, ex Eccleſiæ uſu originario, fundatum declaraſſe.

De ſexto Canone Niceno.

Canon Sextus *Nicenus veteres* Eccleſiarum *mores* obtinere jubet. Exprimit autem *Eccleſiæ Alexandrinæ* jura in Eccleſias ſibi ſubditas, (Schiſmate tum Meletiano non minus concuſſa, quam *Ariana Hæreſi*; quæ occaſio habetur condendi Canonis) quibus *Antiochenæ* jura comparat; cum exceptione *Jeroſolymitanæ* Eccleſiæ, propter cauſam quam diximus: Tum *Romanæ* jura in *Suburbicarias*; Sic enim tranſtulit Ruffinus. Jam, regiminis forma quam in Imperium a *Conſtantino* introductam diximus, in Præfectorum Prætorio poteſtate juris dicundi, ſupremo loco a Principali, ſita fuit. Nam præfecto Prætorio *Galliarum* ſuberat *Galliarum Vicarius*, qui *Treviris* ſedebat: *Vicarius Hiſpaniarum*, qui, ut videtur, *Tarracone*; *Vicarius Britanniarum, qui Eboraci*; Propterea enim Concilio *Arelatenſi* primus ſubſcribit *Eboracenſis*. Præfecto autem Prætorio *Italiæ*, *Vicarius Illyrici*, *Theſſalonicæ*; *Africæ*, *Carthagine*; *Italiæ*, *Mediolani*;

Nam

Digitized by Google

Nam Præfecto Urbi excipiebantur fines *C. Milliarium* ab Urbe, per quos jus diceret. Monendum hoc loco, ad *Conſtantini* tempora pertinere, quod vernaculo ſcripto, auctore *Zoſimo libro* II. ſuum *Illyrico* Præfectum Prætorio aſſignavit. Nam, poſtquam cæſo Magnentio *Illyricum* cum *Italia* in *Conſtantis* poteſtatem venit, exinde, eidem *PP. Italiæ* paruiſſe *Illyricum* ex *Theodoſiano* Codice conſtare poteſt, & Notitia dignitatum, adjecta ad eum à *Gothofredo*; donec ſub *Theodoſii* M. liberis diviſum eſt *Illyricum* in Orientale & Occidentale; quod paucis poſt annis coaluit, cum *Valent.* III. ducta in uxorem *Theodoſii* minoris filia, *Illyricum quod tueri non poterat ſocero* conceſſiſſet, ut *Caſſiodorus* in Chronico ſcribit. Quod ad ea quæ ſequuntur aſſerenda magnam vim habet. Sed Præfecto Orientis Prætorio, in Ægypto, loco *Vicarii* ſuberat *Alexandriæ præfectus Auguſtalis*; *Comes Orientis, Antiochiæ: Vicarius Ponti Cæſareæ, Vicarius Aſiæ, Epheſi.* Nam *Thraciæ*, *Vicario Præfecti* videntur paruiſſe. Hic, Præfectis Prætorio nihil reſpondere poterat in Eccleſiæ regimine, magis quàm Principi; quippe cujus Reſpublica Ariſtocratia erat, non Monarchia; (quod & hactenus rebus ipſis declaratum, & adhuc declarandum reſtat) niſi Chriſtum ad dextram Patris imperantem Eccleſiæ in terris militanti, tanquam inviſibile viſibili corpori caput, adſciſcas. Tum, innovato Imperij regimine, innovatum non fuiſſe ſtatum Eccleſiæ, demonſtrat hic *Canon*, veteres ritus confirmans. Neque enim induci poterat in ſedes Præfectorum Prætorio, Eccleſiarum illi reſpondens eminentia, niſi vetuſtis moribus innovatis: Quare neque innovandum fuiſſe; quod eadem inſtituto divino Eccleſia, à primo ad ſecundum *Chriſti* adventum eſſe debeat; manifeſtum ſit. Vicariorum ſedibus reſpondentia Privilegia Eccleſiarum *Alexandrinæ* & *Antiochenæ*, *Canon* ipſe confirmat, vetuſtatis nomine. *Romanæ* Eccleſiæ, quæ jura affirmet incertum eſt. Sunt enim qui eas ſolas Eccleſias *Romanæ* ſubdunt, quibus *Præfectus Urbi* jus dicebat;

Sed hoc rationem non habet. Cum enim *Canon Alexandrinæ* Diœceſim Ægyptiacam, Orientalem *Antiochenæ* ſubdat, omnes extra centeſimum *lapidem Eccleſias* Romanæ eximere, neque vetuſtus mos patitur, nec ratio communis. Sunt qui *ſuburbicarias* totius Orbis Eccleſias, *Romani* ſcilicet, dici volunt, quod *Roma* Orbis caput eſſet. Alii, qui Occidentis totius Eccleſias *ſuburbicarias* dici velint, quas *R. Sedi* ſubeſſe jus ſit. Quaſi unquam omnibus Orbis *Romani* Urbibus *Roma* jus dixerit; Vel omnibus Occidentis Diœceſibus. Itaque optime ſentire videntur, qui X. Provinciarum *Italiæ* Eccleſias, *Romæ* Vicario ſubditarum, *Romanæ* ſubjiciunt *ſuburbicariarum* nomine; ita ut Mediolanenſi, ſeptem reliquarum *Italiæ* Provinciarum, quæ *Italiæ* Vicario parebant, Eccleſiæ ſubeſſent. Sed hoc ſi obtineat, *Romanæ Eccleſiæ*, ultra *ſuburbicarias* & Diœceſim *Romanam* jus nullum erit. Gravis difficultas fateor; cui tamen cedendum non puto. Nam, qui jura *Alexandrinæ Eccleſiæ* in ſuam Diœceſim, exemplo jurium *Romanæ Eccleſiæ* in *ſuburbicarias* inſtaurat *Canon Nicenus*, non debet videri *Romanæ* ea jura negare, quæ *Alexandrinæ* non vindicat. Tum qui generaliter, antiqua jura affirmat, non negat fuiſſe Romanæ Eccleſiæ alia jura, ultra ea quæ *Alexandrinæ* ſpecialiter inſtaurat. Præterea neque res ipſæ hoc patiuntur, ex *Cypriano*, de *Africanis*, *Gallicanis*, *Hiſpanienſibus Eccleſiis*, eorumque ad *Romanam* reſpectu, relatæ. Preſertim autem quæ de *Montani*, *Novatiani*, *Samoſateni*, *Dionyſii Alexandrini*, Donatiſtarum cauſis, de tempore Paſchatis, de rebaptizandis Hæreticis, dicta ſunt. Neque enim ea, vel ad univerſam Eccleſiam de jure ſpectaſſe, vel ad *Romanam* de facto, primo loco, negari poteſt. Præterea, *Concilium* ſecundum Generale, quid eſt quod Generale fecerit, cui *Occidentis Eccleſiæ* prorſus non interfuerint? Quid, niſi *Synodi Romanæ* ſub Damaſo conſenſus; cui nempe ſuffragatas reliquas *Occidentis Eccleſias*, credendum eſt, licet literis proditum non ſit? Nam ad Synodicam apud *Theodoretum XC.*

Italiæ

Digitized by Google

Italiæ & *Galliæ* Epiſcopi ſuffragia contulerunt. Et *Cornelius* apud *Hieron. in Catal.* Flaviano (puto legendum, Fabio) Antiocheno, *nomine Synodorum Romanæ*, *Gallicæ*, *Africanæ* ſcribit. Itaque ex ratione *S. Hieronymus*, *Epiſt.* LXXVII. *Hæreticum ire cum Occidente*, *Hæreticum cum Ægypto, hoc eſt*, cum *Damaſo Petroque condemnent*. Et tamen idem alio loco, totius ſe Orbis Epiſtolis, pro Damaſo reſpondiſſe. Aliter enim totius Eccleſiæ, aliter Occidentalis Princeps Romana; *Baſilij* vocabulo ſcilicet, qui Romanam τῶν δυτικῶν κορυφαῖον, appellat, *Epiſt.* X. & *Auguſtinus adverſus Julianum* I. 2. *Puto tibi eam partem Orbis ſufficere debere, in qua primum Apoſtolorum ſuorum voluit Dominus glorioſo Martyrio coronare. Cui Eccleſiæ Præſidentem B. Innocentium, ſi audire voluiſſes* —. In Concilio *Epheſino* minatur *Joanni* Antiocheno *Cyrillus*, niſi Romanæ in Neſtorium Synodo conſentiat, Occidenti communicare non poſſe; Parte I. capite XXI. Synodica *Agathonis* ad Imp. in VI. *Gen.* Synodos *Longobardorum*, *Sclavorum*, *Francorum*, *Gothorum*, *Britannorum* Romanæ ſuffragari ſupponit: Et extat apud *Bedam* Synodica *Theodori* Cantuarienſis, quæ Anglicanæ Eccleſiæ conſenſum in Synodum Romanam *Martini* I. *P.* continet; Hoc eſt in VI. Synodum. *Joannes* quidam ab *Agathone P.* miſſus Synodo interfuit, Synodicum retulit, *Eccleſ. Hiſt.* IV. 17, 18. Et eodem tempore Romæ præſens *Wilfridus* Eboracenſis *Agathonis P.* Synodo eadem de cauſa coactæ ſubſcribens, *pro omni Aquilonari parte Britanniæ & Hiberniæ inſulis, quæ ab Anglorum & Britonum, nec non Scotorum & Pictorum gentibus incoluntur, veram & Catholicam Fidem confeſſus eſt, & conſcriptione ſua corroboravit*; Pro eis, ſcilicet, reſpondens, quorum Communione utebatur. *Beda Eccleſ. Hiſt.* V. 20. Itaque Romam primi Epiſcopi Sedem, etſi alio jure erga Patriarchas Orientis, alio erga Diœceſes ac Nationes Occidentis, earumque Eccleſias, negari non poteſt. Etſi quo jure ab initio, tum, quibus modis ac rationibus procedente tempore aucto, liberum eis eſſe oporteat diſquirere,

qui ad ſcientiam veritatis,propter Unitatem Eccleſiæ contendunt. Quod ad nominis uſum attinet,facile eſſet oſtendere,ſedis R. Epiſcopum recte interdumprimum V. Patriarcharum recenſeri. Et tamen non eſt mirum ſi rarius ei quam reliquis Patriarchæ nomen tribuatur, cujus Primatum reliquorum Primatibus longe potiorem cenſebant. Neque enim mirum eſt, ſi exortem communis nominis Romanum voluerunt, quod *majores Diœceſos teneret*; quod *Sylveſtro Rom.* Patres Arelatenſes adjudicant, etiam tum, propter rationem quam hic aſſerimus. Nec tamen, eodem jure quo Alexandrinus & Antiochenus erga ſuos, Romanus erga totum Occidentem; Neque enim Epiſcopos eorum conſecrabat, extra Diœceſim Urbicam, (ut per Ægyptum Alexandrinus, per Orientem Antiochenus; Excepto Salaminio, cujus privilegium Epheſino Concilio affirmatum eſt.) In eo enim commune fuiſſe videtur trium Sedium Privilegium, ut omnes totius Diœceſis Epiſcopos ipſi Ordinarent; Hoc eſt,ut ſine ipſorum conſenſu non Ordinarentur. Salvum enim eſſe debebat jus Metropoliticum *Can.*4. Niceno firmatum, ut neque abſque Metropolitæ conſenſu Ordinarentur. Atqui hoc,ultra Diœceſim Vicario Urbis ſubditam, ne per *Italiam* quidem, extendi poteſt. Itaque non eſt ex *Synodi* VIII. *Act.*X.*cap.* XVII. Canon hic interpretandus; Qui univerſos Metropolitas à Patriarchis *promoveri, ſive per manus impoſitionem, ſive per Pallii dationem* ſupponit. Nam hunc morem *Niceni* Concilii tempore per Occidentem non fuiſſe, certum eſt. Patriarchica autem jura hoc Canone ea tantum affirmari, quæ tum more recepta erant, manifeſtum eſt. Neque ea minus, quæ *R.* Sedis propria fuerint in Occidentem, quam quæ *Alexandrinæ* & *Antiochenæ* Sedi communia,in ſuas utrique Diœceſes. Itaque non vagatur extra ſenſum Canonis vetus Verſio apud *Juſtellum*, quæ *de Primatu R. Eccleſiæ*, huic Canoni titulum præponit: Tum ſic infit; *Antiqui moris eſt,ut Urbis R. Epiſcopus habeat Principatum, ut ſuburbicaria loca, & omnem Provinciam*

vinciam ſua ſolicitudine gubernet. Nam, ad *omnem Provinciam* in Occidente ſitam hanc ſolicitudinem pertinuiſſe, jam dudum probamus. Quòd autem ad Rufini Verſionem pertinet, non videtur hæc ſolicitudo ad univerſum Occidentem *ſuburbicariarum Eccleſiarum* nomine extendi poſſe. Nam prius ſubeſſe rationem oportet, cur *ſuburbicaria* loca dicantur, quam intelligi poſſit *R.* Sedes ſolicitudo hoc nomine ad ea pertinere. Hæc autem ratio non videtur melius intelligi poſſe, quam ſi in regimine civili ſub Vicario Urbis conſtituta dicatur. Sane in reſcripto Valentiniani Valentis & Gratiani, apud Sirmondum in Appendice *Cod. Theod.* quo Urſicinus *ſuburbicariis regionibus* abſtinere jubetur, hanc ſignificationem intelligi ratio jubet; Quod per totam Diœceſim ſolicitare Damaſi Pontificatum poſſet, qui ſe ipſe Pontificem ferret. Itaque Primatus *R.* Sedis ita hoc Canone affirmatus videtur, ut cum veteres mores valere jubet, intelligantur Patriarchæ jura, quibus tum utebatur in Occidentis Diœceſes, non minus quam in reliquam Eccleſiam, *R.* Sedi peculiaria. Nam in *Conc. Chalced. Act.* XVI. *Paſchaſinus* Legatus *R.* Sedis ita legebat; SS. *Patrum* CCCXVIII. Canon ſextus, *Eccleſia Romana ſemper habuit Primatum*; Secundum titulum *Codicis* quem *Juſtellus* edidit. Et *Glorioſiſſimi Judices* (reſpondentes) *dixerunt, ex Geſtis videri, ante omnia primatum, eximiumque honorem antiquæ Romæ Dei amantiſſimo Archiepiſcopo conſervari.* Neque alius intelligi poteſt Canon, qui vetet ſine *R.* Sede Κανονίζειν τὰς Ἐκκλησίας, quod *Socrates Eccl. Hiſt.* II. 8. affirmat, niſi vel ſcriptus hic ſextus *Nicenus*, vel quod idem eſt, vetuſtus mos quem affirmat. Primatus autem more conſtitutus aliter Occidentem, aliter reliquam Eccleſiam ſpectabat. Sed quod ad *Suburbicariarum* regionum ſignificationem attinet, notandum eſt edictum quod diximus ad Præfectum Urbi, ſimul & ad Vicarium Romæ miſſum eſſe; & ita ad hunc, ut *ſingularum Urbium atque Regionum, quibus temporarie præeſt, primores atque incolas propria ſcriptione convenire jubeatur.* Ad

Præfectum

Præfectum autem Urbi, *ne ad Urbem Romam, vel certe ſuburbicarias regiones pedem inferat.* Quod indicio eſt, non fuiſſe cautum ne ad ſuburbicarias Regiones accederet, priuſquam mandatum eſſet Vicario Urbis, ut per totam Juriſdictionem ſuam hoc curaret. Idem oſtendit *L. unica, ſi per obreptionem Cod. Theod.* à Valentin. Jun. Probo *PP.* inſcripta, quo tempore *Illyricum Africam Italiam* totam *PP. Italiæ* paruiſſe dictum eſt; ſic enim ibi; *Igitur ſinceritos tua idipſum per omnem Italiam, tum etiam per Urbicarias Africanaſque regiones, ac per omne Illyricum, prælata oraculi hujus auctoritate firmabit.* Nam cum ejus tota Jurisdictio *Illyrico, Africa, Italiæ*, Urbiſque Vicariatu continebatur; quale eſt, ut Urbicarias regiones *Italiæ* oppoſitas, Jurisdictionem Præfecti Urbis intelligamus, potius quam Vicarii Romæ, cui Urbica Diœceſis parebat? Denique *Conſtantius A. L. 9. de extraord. muneribus* ad Taurum *PP. Italiæ*; *Non enim per Italiam tantum, ſed etiam per Urbicarias regiones & Siciliam, patrimonialium & emphyteuticorum fundorum vires ſervandas eſſe perſpeximus.* Ubi, quod *Sicilia* ab *Urbicariis* excipitur, cauſam ſuam habet, quam *Notitia Imp.* oſtendit, cum Procuratores per Diœceſes ita diſtinguit; *Rationalis rei privatæ per Italiam: Rationalis rei privatæ per Urbem Romam, & ſuburbicarias regiones, cum parte Fauſtinæ. Rationalis rei privatæ per Siciliam,* (cum Sardinia & Corſica, quæ Vicarianam Urbis Juriſdictionem complebant) *Rationalis rei privatæ per Africam.* Nam quod tres Inſulæ ſuum procuratorem haberent, propterea reliquis Suburbicariis Provinciis opponuntur. Ejuſdem modi rationes alibi occurrunt, cum de quibuſdam, non omnibus ſuburbicariis regionibus ſermo eſt. Itaque cum ex Pontificum *Innocentii* I. *Leonis* I. *Gelaſi* I. *Gregorii* I. aliorum Epiſtolis res explorata ſit, alio jure harum Provinciarum, alio reliquæ Italiæ Eccleſias ad Primatum R. Sedis pertinuiſſe, neceſſe eſt *ſuburbicarias Eccleſias*, apud *Rufinum*, & in Codice quem laudamus, ex hac ratione inelligendas videri. Ita autem ad eundem Pri-

matum

Digitized by Google

matum univerſum Occidentem pertinuiſſe, ut in univerſæ Eccleſiæ inſtitutis; quæ ab initio non Lege ſcripta, ſed more & uſu ſtabant, ut dictum eſt; vel conſervandis, vel in uſum revocandis, in eis ejus primarias partes fuiſſe dicamus, quatenus ad unitatem totius Occidentis earum definitio neceſſaria eſſet. Hæ cauſæ ſunt, quibus & creſcere potuit Rom. S. potentia, & crevit. Extant a *Syricio* Indubitatæ auctoritas *Reſcripta Pontificum, Syricii ad Himerium Tarraconenſem & Africanos, Innoc* I. *ad Victricium Rhotomagenſem, Exuperium Toloſanum, alios*; Extant ſucceſſorum exinde omnium; Quorum etiam Reſcriptorum Capitula in eum *Codicem Canonum* relata ſunt, quem *Adrianus* I. *P. ad Carolum M.* miſit, cum Epiſtola, quam apud Sirmondum in Conciliis *Galliæ* legimus. Putant autem merito viri docti eundem eſſe, qui *Moguntiæ* MDXXV. excuſus, *Pariſiis* MDCIX. recuſus legitur, *Codicis Canonum Eccleſiæ Rom.* nomine; Additis ſcilicet, ad eum Canonum *Codicem*, quem *Dionyſius* Exiguus, ex eo quem diximus *Codice* Canonum Eccleſiæ univerſæ conflavit, tum Apoſtolorum Canonibus L. *Sardicenſibus*, & *Africanis*; (quos *Carthaginenſis* Synodi nomine *Græci* appellarunt, poſtquam ab eis etiam, in Synodo *Trullana* in auctoritatem recepti ſunt) tum *Pontificalium Reſcriptorum Capitulis*, ab ipſo *Dionyſio, ad Gelaſium P.I.* adjectis; quibus acceſſerunt poſtmodum, quæ a ſecutis *ad Gregorium* uſque *Juniorem PP.* decreta, in ejus *Codicis* calce leguntur. Hæc igitur, cum in Legum auctoritatem univerſi Occidentis conſenſu recepta ſint, videntur ſupremum jus *R.* Sedi in Occidentis Eccleſias aſſerere, a quibus in auctoritatem recepta ſunt. Quis enim ſupremum jus a jure Legis ferendæ avellat? Tum reſcripta *Impp.* quibus reſpondebant relationibus, conſultationibuſque, quos ad eos referebant Provinciarum Præſides, ſupremum eis jus aſſerunt. Sed Pontificum decreta, cum ea definiunt, quæ ab initio moribus recepta, niſi minutius definiantur, laboret Unitas, non niſi conſenſu recepta Canonicum jus faciebant.

Ad

Unde Profecta, decretorum Papalium auctoritas, quantum valeat.

Ad *Nicenum* enim Canonem referenda eſt, & moris vetuſtatem,tota hæc *R.* Sedis auctoritas. Neque enim dubium eſt, vel *Epheſinæ* vel *Carthaginienſis*, vel aliarum Eccleſiarum Principum ac Matricum ; ex quibus in Provinciarum Principes inferiores Eccleſias,propagatus eſt ab initio, totius Eccleſiæ inſtituto Chriſtianiſmus ; jura quædam fuiſſe in ſibi ſubditas, ad continendam Eccleſiæ unitatem ſpectantia, quæ Canon *Nicenus* affirmat. *Italiæ autem, Galliæ, Hiſpaniæ, Africæ, Siciliæ, & interjacentium Inſularum Eccleſias, auctoritate Romanæ primum inſtitutas, Innoc.* I. *Ordinem ejus ſequi debere* affirmat, *Epiſt. ad Decentium.* Conſentiunt ei de *Africa Tertul. de Præſcript. cap.* XXXVI. & S. *Gregorius libro* VII. *Ind.* I. *Epiſt.* XXXII. Neque aliud eſſe *Cypriano* puto, quod *Sacerdotalem unitatem* ab Eccleſia Rom. ortam affirmat ; Nimirum per *Africam.* De *Gallia*, habemus eruditiſſimam Archiepiſcopi Pariſienſis ad *H.Valeſium*,initio nuper a ſe editi Euſebii Epiſtolam. Ex *Gallia* autem propagatum in *Hiſpaniam* Chriſtianiſmum, ne ipſis quidem negari video ; Quod & de *Britannia* noſtra eo probabilius affirmatur, quod & incolæ ejus, ab initio, non aliunde veniſſe videri poſſunt. Neque alia eſt ratio, Originum Chriſtianiſmi noſtri a fabulis vindicandarum. Hæc igitur, juris Eccleſiaſtici per Occidentem conſtituendi ratio, caput Eccleſiarum Occidentis *R.* Sedem facit ; ſed jure Canonico, non arbitrario. Sane ad Imperii *R.* Principem referri ſolebat, a Provinciarum Præfectis, & Legis vim habere quod ille reſcriberet. Sed hoc, ubi unius hominis arbitrii omnia erant. Aliam Eccleſiaſtici regiminis formam Concilia oſtendunt, unde Eccleſiæ Canones profecti ſunt. Cum enim a Domino Fidem, Baptiſmum, Euchariſtiam, Eccleſiæ Claves ; ab Apoſtolis leges, moribus Fidelium inſerendas, ſummatim traditas acceperint Eccleſiæ ; neceſſe eſt antiquiorem,non ſolum Fidei,ſed Apoſtolicæ Traditionis auctoritatem eſſe,quam Eccleſiæ ſuperioris. Eſt igitur ejus Fidei, quam univerſæ Eccleſiæ Apoſtolicæ inſtitutionis nomine

debent

Digitized by Google

debent ſingulæ, ne quid recipiant, niſi quod ad perficienda earum inſtituta pertineat. Itaque à ſuperiori arbitrio, niſi hac Lege,pendere non poſſunt. Verum, cum quæ omnium ſunt non niſi omnium conſenſu valeant,quid eſt quod valere poſſit, niſi prima Sede præeunte? Itaque neceſſe erat, ad primam Sedem referri de iis, quæ vel cognitu, vel obſervatu dificilia exiſtebant; Ut ſcirent omnes, ſubalternis Sedibus immorigeri, damnatum iri a Prima, ſi qui ſe ad eam reciperent. Itaque non eſt mirum,in primis quæ extant *Syricii P.* capitulis, *cap.* XV. ſic legi; *Scituri poſt hac Provinciarum omnium ſummi Antiſtites, quod ſi ultra ad ſacros Ordines quemquam de talibus crediderint aſſumendum, & de ſuo, & de eorum ſtatu, quos contra Canones, & interdicta noſtra provexerint, congruam ab Apoſtolica Sede promendam eſſe ſententiam.* Nam & Canonum auctoritatem, (etſi maximam partem, in moribus utentium poſitam) interdictis ſuis præmittit: Et ab eadem pendebat Epiſcoporum ſtatus; Quamvis non agnoſcente eos prima Sede, firmus non eſſet. Itaque, a Communione primæ Sedis, omnium Eccleſiæ Ordinum ſtatus pendebat; Sed quem, niſi reliquis conſentientibus, labefactare ſola non poſſet. Longe plurimi erat auctoritas Primæ, ad conſenſum totius; Si Canonum ratio conſenſui obſtaret, nihili. Itaque in Canonibus exequendis, inque vim & uſum deducendis, ita erat hæc ſita auctoritas, ut ad novos condendos; id eſt, ad ea definienda,quæ nec uſu nec ſcripto definita erant, nihil ſola valeat. Neque mirum eſt ita eam præire, ut ſubeſſe potior ratio poſſet, cur repudiaretur. Itaque reſcripto *Nicolai* I., quo ratas Chorepiſcoporum Ordinationes fecit,ut ſupra dictum eſt, contradixit Synodus Metenſis anno 889; Ne quis de anterioris temporis uſu dubitet. Neque dubium eſt, reſcripſiſſe conſultis Epiſcoporum antiquiores Syricio Pontifices; In quo ſe Damaſo, ejus deceſſori, miniſtraſſe ſcribit S. *Hieronymus*. Sed aucta Fide, difficiliorem factam Diſciplinæ Eccleſiaſticæ obſervationem; vel fortaſſe, minuti-

Digitized by Google

oribus exiſtentibus quæſtionibus obſcuriorem, neceſſe eſt. Quare, nec ſtabilem dubiorum definitionem eſſe poſſe, niſi ſcirent immorigeri, nullum ſibi ad primam Sedem receptum patere. Cum enim vis omnis Eccleſiaſtici regiminis in Excommunicationem deſinat; ita demum firma eſt Excommunicatio, ſi ad reliquas Eccleſias Excommunicato acceſſus non ſit; Ita non erit ad eas, ſi neque ad Primam. Neque putandum eſt illa ſola a Prima Sede reſcripta manaſſe, a *Syricio* ad *Dionyſium* Exiguum, quæ ipſe *qua valuit cura diligentiaque collegit, & in quendam redigens ordinem titulis diſtinxit compoſitis*; ut in *Præfatione* ſcribit. Non eſt obſcura *R.* Sedis cautio, ex verbis Vigilii *P.* quæ *Facundus libro adverſus Mocianum* refert; *Quid apud nos reſervamus iſta contraria Synodo Chalcedonenſi reſponſa, ut inventa quandoque in Eccleſiæ R. ſcrinio, a nobis approbata credantur?* Ne mirandum ſit, non occurriſſe *Dionyſio*, quæ utentium moribus non valebant. Itaque Primatus *R.* Sedis Canonici, non arbitrarii, ſatis eſt clarum, a Reſcriptorum Pontificiorum in Occidente uſu & auctoritate, argumentum.

Digitized by Google

CAP. XXIII.

Canones Concilii Sardicenſis per Orientem non valuiſſe. Qui de appellationibus Epiſcoporum damnatorum ad R. Sedem, ab Afris *recuſati, ab* Italis *&* Gallis *quomodo recepti. De obſequio erga Sedem R.* Hiſpanicarum *Eccleſiarum,*Britannicarumque.

A Concilio *Niceno*, cum *Synodus Antiochena* in Encæniis Symbolo Fidei *Niceno* aliud ſuum ſubſtituiſſet, *Athanaſio* ſucceſſorem dediſſet, nuntio ad Julium Romanum, ad quem ſe *Athanaſius* receperat, miſſo, ejus judicium poſtularunt; in *Synodo* ſua ſcilicet. [*Concilij Sardicenſis cauſa.*] Culpat enim eos, quod *Synodo* non interfuerint, quam ipſorum Legati, quod *Athanaſio* reſpondere non poſſent, poſtulaverant. Et recte omnino tum Julius ipſe queritur, in *Synodica* apud *Athanaſium Apol.* II., de ſtatu Eccleſiæ *Alexandrinæ*, deque *Athanaſio*, inconſulta Sede *R.* ſtatutum eſſe, quod ad Fidem ea res communem magnopere pertinueret; Tum *Socrates* II. 8. violatum eo facto Canonem Eccleſiaſticum ἐπιφωνεῖ. Neque recte *R.* Sedi objiciebant damnatum olim ab Orientali *Synodo R.* Sedis cauſa *Novatianum*; Quaſi Fidei *Nicenæ* derogare deberet ipſa, ut par pari referret. Cæterum recte etiam *Synodus* Orientalis apud *Sozomenum* III. 7. *Athanaſium* & *Marcellum Ancyranum* in communionem a *Synodo* Romana receptos, adverſus ſuum decretum queritur; Quod in eo præjudicaretur cauſa ad totam ſpectans Eccleſiam. A *Marcello* enim obreptum *Synodo* res ipſa docuit, cum eum Catholicum non eſſe conſtitit. Itaque verum eſt quod affirmant apud *Socratem* II. 15. μὴ δεῖν κανονίζεσθαι παρ᾽ αὐτοῦ. Quod non minus reliquam Eccleſiam quam alterutros res ſpectaret. Hæc eſt cauſa convocatæ Synodi Sardicenſis; Nulla illa quidem, ſi infinita Papæ poteſtas, valida, ſi Canonica. Hic

eſt Concilii Sardicenſis ſtatus & cauſa. Cum Synodus *Antiochena* in *Encæniis Nicenæ* Fidei, ſubrogato novo Symbolo, derogaſſet, *Athanaſio* ſucceſſorem dediſset, cum ab *Arianis* inſuper gravia paſſi eſsent Catholici; Poſtulante Conſtante, (qui tum, occiſo fratre Conſtantino, Occidentem tenebat) annuente Conſtantio, qui Orientem, convenit Synodus Sardicam in finibus utriuſque. Ibi Orientales, qui retractari decreta *Antiochiæ* nolebant, cum ſe Philippopolim ſubduxiſsent, (in Oriente ſitam, etſi propinquam) Synodum egerunt nomine Sardicenſis; quaſi vitio haberetur, quæ Sardicæ eo nomine agebatur. Conditi tamen Canones, inter quos numerantur, qui, abdicatis *Synodi* judicio Epiſcopis, appellationem ad Sedem *R.* concedunt: De his adeo ſunt extremæ ſententiæ, ut quibuſdam doctis ſuppoſititii videantur. Neque enim cum rebus in Eccleſia geſtis ſtare poſse. Sed quis credat, quos agnoverit Juſtinianus, quos Juſtiniani tempore, *Dionyſius* Exiguus in eum *Codicem* retulerit, quo receptos tum Eccleſiæ Canones *Latine* complectebatur; quos poſteritas omnis Sardicenſi *Synodi* tribuerit, eos poſſe toti Eccleſiæ impoſitos, hodierna antiquitatis Eccleſiaſticæ cognitione deprehendi? Quis non credat abrogare ſibi eos fidem, in novis aſserendis ſententiis, qui tam aliena a fide ſibi credi poſtulent? Nec tamen verum erit, quod ab altero extremo, per totum Occidentem, vel quod majus eſt, per totum Orbem Chriſtianum, abdicatis Epiſcopis, jus datum appellandi Sedem *R.* contenditur? Quæ hoc jus per *Illyricum*, (ut tum, ab Iſtro & *Norico Achaiam* aduſque, & Cretam, & *Cycladas* Inſulas, cenſebatur *Illyricum*) hinc obtinuiſse demonſtrent, infinita extant indicia in Eccleſiæ monumentis. Qui *Ponti. RR. Innocentii* I. *Leonis* I. *Gelaſii*, *Hormiſdæ*, *Gregorii M.* decretales Epiſtolas legerit, nunquam hoc in dubium vocabit. Edita ſunt ex *Biblioth. Vaticana*, ab obitu *Lucæ Hoſtenii*, collecta nuper ab eo quædam, quæ idem apertum faciunt. *Leonis* I. ad *Anaſtaſium Theſſalonicenſem Epiſt.* LV. præter cæteras memorabilis, quæ *Theſſalonicenſem*

nicenſem Epiſcopum, ſupremæ Sedis *Illyrici*, *R.* Sedis ab *antiquis temporibus Vicarium* aſserit. Cum Fides non Roma *Illyricum* venerit, quæ per *Illyricum* Romam tranſitum fecit; non poteſt ea reddi ratio, cur *Illyricianæ* Eccleſiæ Romanam reſpexerint, quam de reliquarum Occidentis diœceſium Eccleſiis reddidimus. Neque ullum extat indicium hujus reſpectus, Sardicenſis Concilii temporibus antiquius. Prætorio Orientis ſubeſse juſsum eſt *Illyricum* a Conſtantino, teſte *Zoſimo libro* II. Poſtquam *Illyricum* cum reliquo Occidente obtinuit Conſtans, ex eo tempore *Illyricum* Occidenti accenſeri ſolitum, in Eccleſiaſticis quidem, aperta res eſt. Extat apud *Holſtenium* Synodus *Romana* ſub *Bonifacio* II., in qua, ſtudente *Epiphanio* Conſtantinopolitano de Lariſſenſis Theſſaliæ Provinciæ Metropolitæ Ordinatione cognitionem ad ſe vocare, proferuntur Damaſi, Syricii, *Innocentij* I., *Bonifacij* I. Cœleſtini, Urbis Epiſcoporum ad *Aſcholium*, *Anyſium*, *Rufum*, Epiſcopos *Theſſalonicenſes* literæ, quibus eis cauſarum per Illyricum exiſtentium curam, *datam a Domino & ſacris Canonibus* Sedi Apoſtolicæ, *ſpecialiter per Illyricum*, ipſis commendant. Tum reſcriptum ad Honorium *Theodoſii*, ſubjectum *Bonifacij* I. literis ad Epiſcopos Illyricianos, quo privilegia Eccleſiæ Urbis à veteribus conſtituta affirmat. Interea loci, cum nihil fuiſſe conſtet Damaſi Pontificatu antiquius, quo hoc privilegium affirmaretur, quis dubitet, initium ejus Sardicenſibus Canonibus antiquius non fuiſſe? Illyricum autem quid intelligeret, *Innocentij* ad *Rufum* Epiſtola definit; Quæ cum Achaiæ, Macedoniæ, Daciæ Provincias enumerat, ſatis oſtendit, excipi à ſe Illyricum Occidentale, quod ab obitu Patris *Honorio* ceſſerat, cum Orientalis Illyrici Provincias Arcadius occuparet; Qua de re vide *Petrum* de *Marca*, de Primatibus 36. Nam quod Provinciarum Occidentalium potiori parte ceſſit *Theodoſio* juniori *Valentinianus* tertius, cum ejus filiam in uxorem acciperet; Quod *Caſſiodorus* Variarum XI. I. commemorat; ſedecim poſt annis factum non diu

obtinuit.

obtinuit. *Poſtea* enim, cum *Attilanis temporibus* (verba ſunt *Juſtiniani Nov.* XI.) *eiſdem locis devaſtatis*, *Appennius Pr. Prat. de Sirmitana civitate in Theſſalonicam profugus venerat*; *tunc & ipſam Præfecturam ſacerdotalis honor ſecutus eſt*; *Et Theſſalonicenſis Epiſcopus non ſua auctoritate*, *ſed ſub umbra Præfecturæ meruit aliquam auctoritatem.* Quod ita verum eſt, ſi intelligatur de auctoritate in Eccleſias earum Provinciarum, quas *Theodoſio* ceſſit *Valent.* III., de reliquo Illyrico ſi intelligi voluerit *Tribonianus*, rerum fidei repugnat, dum Legis inſtituto ſervit. Nam & *Conſtantius* recepto Occidente Illyricum Occidenti adjectum voluit in Eccleſiaſticis, cum *Ariminum* Synodum Occidentis, (quo conveniſſe Illyricianos conſtat) Seleuciam, Orientis, coire juſſit: Et ſub *Theodoſio* majori Synodus Capuana (cui interfuerunt Orientales, quia de inſtauranda Eccleſiæ Antiochenæ pace agebatur.) de Bonoſiacis, Photinianorum per Illyricum reliquiis ſtatuiſſe videtur, propter ſecutam ſtatim Arelatenſem II., cujus Canone XVII., de iis non rebaptizandis, conſtitutum diximus. Sane Syricius P. (cujus eſſe Epiſtolam quæ inter *Ambroſianas* LXXIX. legitur, non dubitatur) *Anyſio* Theſſalonicenſi reſpondet, non eſſe ſuum de Bonoſo judicium, quod Capuenſis Synodus *finitimis Epiſcopis cum Theſſalonicenſi* delegaverat. Denique ſub *Gratiano*, Synodus Aquileienſis, S. *Ambroſio* præſidente, Palladium Epiſcopum Illyricianum damnavit, non ſine Orientis Epiſcopis damnandum ſe fruſtra contendentem. Generalis igitur Concilij jus ex convocatione fuiſſe Sardicenſi, Orientis cum Occidente conventus demonſtrat. Quæſitæ ſolvendæ ejus auctoritatis cauſæ, pacis reſpectu valuerunt. Irrita eſſe acta debuerant diſcedentium, ſi jus merum obtinuiſſet. Canones tamen Concilij in Encæniis, ab eis factos, in Codicem totius Eccleſiæ receptos videmus. Uſus valuit unitatis ſuffragio. Interea loci, quare Theſſalonica Romam, potius quam Roma Theſsalonicam inſtitutæ appellationes, niſi Originaria Rom. Eccleſiæ magnitudo & eminentia obſtitiſset?

ſtitiſset? Et tamen non contenditur, propagatum *Romæ*
in Illyricum Chriſtianiſmum, ut de reliquis Occidentis
Diœceſibus. Quod Occidentis pars eſset Illyricum, id-
circo Canonibus Sardicenſibus propagata eſt Rom. Eccle-
ſiæ in Illyricum auctoritas; fortaſse major, quam in reli-
quas. Nimirum ad ſedem R. ſpectare appellationes Ec-
cleſiarum Illyrici, rerum Conſtantis intereat, qui Illyri-
cum Occidenti adjecit, ut dictum eſt. Itaque judicatus
eſt *Palladius a S. Ambroſio, in Synodo Aquileienſi, Gratiano*
Aug. auctore coacta; Scilicet, qui ad Occidentis Eccle-
ſiam pertineret. Non tamen recepti ſunt in Codicem Ec-
cleſiæ Canones *Sardicenſes*, niſi multis poſt annis. Syno-
dus enim Orientalis *Sardicenſis Orientem ab Occidente judica-*
ri inauditum eſſe contendunt. Recte quidem; Sed utro-
que in Synodum coacto, totum ab utroque judicatur;
Et penes illos cauſa eſt Schiſmatis, qui diſcedebant ne ju-
dicarentur. Idem ſcribit *Conſtantius ad Synodum Ariminenſem*;
Nimirum quia *Seleucienſem* Synodum, pro Oriente, *Arimi-*
nenſem pro Occidente ipſe juſſerat. Utrumque apud *Hila-*
rium in Fragmentis. Sed *Conſtantius* voluit *Seleucienſem* cum
Ariminenſi pro Concilio *Niceno* obtinere; Quod &,
quantum fieri potuit; id eſt, facto & vi, non jure obtinuit.
Hæc ut regularem *Papæ* poteſtatem aſtruunt, ita infinitam
deſtruunt, quod ejus in *Illyricum* auctoritatem ad *Sardi-*
cenſem Synodum referunt. Itaque eam non agnoſcit *Pal-*
ladius in Concilio Aquileienſi, cum ſe abſentibus Orientali-
bus judicandum negat. Sed ea de re, ſatis eſt huic loco,
Palladium, qui Occidentalis Synodi judicium recuſare non
potuit, quaſi ipſe *Illyricianus* ad Occidentem non pertine-
ret; Ideo recuſare potuiſſe, quod cauſa ad Fidem; hoc
eſt, ad totam Eccleſiam pertineret. Valuiſſet enim excep-
tio; niſi *Nicenum* decretum validum præceſſiſſet. Inde
reſpondente *Ambroſio*, Orientis Synodum in Oriente, Occi-
dentis in Occidente, jure de *Palladio* judicare; judicatu-
ram de ſe Synodum, de facto quidem ipſi expectandum
erat,

erat, de jure autem, propter validum decretum *Nicenum*. A *Syricio* extant reſcripta Pontificum, ex quibus, meliorem fuiſſe R. Sedis in *Illyricum*, quam in reliquas Occidentis Diœceſes auctoritatem, quæ ſtatim ſequuntur oſtendunt. Quin, admodum credibile videri fateor, Canones *Sardicenſes* nunquam eo conſilio conditos fuiſſe, ut totum Occidentem tenerent, ſed ſolum *Illyricum*: Ejus ſolius cauſa conditos, in quo Concilium habitum eſt. Nimirum ita viſum eſt; Hac ratione, *Illyricum* in eandem cum reliquis regiminis formam cogi poſſe.

Canones* Sardicenſes *in Oriente non obtinuiſſe ab initio.

Sed ſi *Sardicenſibus* Canonibus, pendere juſſæ ſunt a Sede R. Illyrici Eccleſiæ, num propterea putandum erit, in omnibus Epiſcoporum abdicandorum cauſis, appellationem ad eam Sedem iis conſtitutam? Reclamat Codex Canonum Eccleſiæ univerſæ, quem *Dionyſius* Exiguus, Præf. ad Codicem de quo dixi, Latinum, ſic deſcribit; *Regulas Nicenæ Synodi, & deinceps omnium Conciliorum, ſive quæ ante eam, ſive quæ poſtmodum facta ſunt, uſque ad Synodum centum quinquaginta Pontificum, qui apud Conſtantinopolim convenerunt, ſub ordine numerorum, id eſt, a primo capite uſque ad centeſimum ſexageſimum quintum, ſicut habentur in Græca auctoritate digeſſimus.* Nam cum Synodus Chalcedonenſis, *Act.* IV. & XI. Antiochenos Canones III. IV. XV. XVI. Codicis ex quo ipſa jus dicit LXXXIII. LXXXIV. XCV. & XCVI. numeret; cum ultimum Conſtantinopolitanum, centeſimum ſexageſimum quintum Dionyſius; manifeſtum eſt, Sardicenſibus locum in eis non fuiſse, ex quibus Synodus Generalis jus dicebat. Itaque ſequitur apud *Dionyſium*; *Tum, ſancta Chalcedonenſis Concilij decreta ſubdentes, in his Græcorum Canonum finem eſſe declaramus. Ne quid præterea notitiæ veſtræ credar velle ſubtrahere, ſtatuta quoque Sardicenſis Concilii atque Africani, quæ Latine ſunt edita, ſuis a nobis numeris cernuntur eſſe diſtincta.* Igitur cum *Nov.* CXXXI. Juſtinianus quatuor Synodorum Generalium Canones, & ab eis confirmatos, τάξιν νόμων ἐπέχειν jubet, id eſt, *legum vim habere*; eoſdem

hos

hos intelligit,quos etiam *Chalced. Can.* I. complexus fuerat, & agnoverat. Præterea *Adrianus P.* I. cum ad *Carolum M.* Epitomen Canonum mittit, quæ in Conciliorum farragine legitur,*Photius* etiam P. *Conſtantinopolitanus* in *Epiſt.* ad *Nic. P.*I. *Sardicenſes a Græcis non recipi*,uterque teſtis eſt. Neque valet quod contra diſputat *Nicolaus* ; *Quomodo non ſunt penes vos Canones Sardicenſes*, *quando inter L. titulos*, *quibus Concordia Canonum apud vos texitur*, *ipſi quoque reperiuntur?* Eſt enim hæc ea Canonum Concordia,à *Joanne Scholaſtico* Eccleſiæ Antiochenæ Preſbytero, qui poſt à *Juſtiniano Aug. Eutychio* ſuffectus eſt *P. Conſtantinopolitanus* ; privato conſilio in *L.* titulos digeſta, quam nunc *Chr. Juſtelli* beneficio legimus. Itaque quod intexti ſunt *Sardicenſes*, auctoritatem eis apud Græcos nullam afferit. Neque valet quod à *Trullanis PP.* recepti ſunt, *Can.* I. ſaltem pro eis qui *Trullanos* Canones non recipiunt; hoc eſt pro Romana Sede. Eſt enim putandum, idcirco receptos, ut ad recipiendos *Trullanos R.* Sedes alliceretur; Cui nihil in votis prius eſſe debebat, quam ut Illyriciana Juriſdictio litem nullam pateretur. Nam cum *Theodoſius* minor, filià *Valentin.* III. *Aug.* nuptum data, Illyricum Orienti poſtliminio junxerat,ne ad *Conſtantinopolitanæ* Sedis juriſdictionem Illyricum propter viciniam revocaretur, ſemper *R.* Sedi metuendum fuiſſe res ipſa docet. Sed *Sardicenſes* Canones a *Trullanis* in eam auctoritatem receptos, quam *R.* Sedes velit, quæ *Trullanos* repudiat, illud ut abſurdum ſit; Ita ſatis oſtendit, eam *Sardicenſibus* auctoritatem *Trullanis* datam intelligi, quam in Illyricum exerceri tum a *R.* Sede palam eſt; non quam in univerſam Eccleſiam advocati ejus nunc ipſi deberi contendunt. Neque adverſus hæc quicquam valent, quæ ad obſcurandam perſpicuam veritatem adducta ſunt. Abrogant ſibi fidem ſcilicet, qui a Synodo Generali agnoſci eum potuiſſe Codicem *Canonum* autumant, qui revera vim, niſi uſu nactus non eſſet. Nec valet,quod *Arianos* fuiſſe qui Antiochenam Synodum habue-

Digitized by Google

runt, vel omnes, vel quoſdam, vere dictum eſt pro *S. Joanne Chryſoſtomo*, non minus quam pro *S. Athanaſio*; qui ex *Canone* ab eis condito damnatus eſt, quod damnatus a Synodo Tyrenſi, miniſterium, Synodi nullius auctoritate reſtitutus, ſibi uſurpaverit; Quo eodem damnatus eſt & *Chryſoſtomus*. Neque enim ſatis eſt cauſari hæc, vel ſcriptores vitæ *Chryſoſtomi*, vel *Innocentium* I. *P.* in literis quas refert *Sozomenus* VIII. 26. quos non mirum eſt, in ejuſmodi ſcriptis, invidioſa jactare, quæ cauſam continebant non premere. Neque enim vel *S. Athanaſius* vel *S. Chryſoſtomus* hoc *Canone* damnari recuſaſſet, ſi jure damnati miniſterium ſuum attrectaſſent; Quippe qui inter Apoſtolicos cenſetur XXIX. Sed ut *S. Athanaſio*, injuria damnato a *Tyrenſi Concilio*, fraudi eſſe non debere contenderet *S. Chryſoſtomus*, quod ſuum miniſterium, contra ſententiam jure irritam uſurpaſſet; ita neque ſibi, quod, propter irritam *Concilij* qua damnatus eſt ſententiam, miniſterio ſuo non abſtinuiſſet. Certe hoc habet *Canon* Apoſtolorum XXIX. *Si quis Epiſcopus aut Presbyter aut Diaconus, depoſitus juſte ſuper certis criminibus, auſus fuerit attrectare miniſterium ſibi dudum commiſſum; hic ab Eccleſia penitus abſcindatur.* Itaque, quod ab *Arianis* latum *Innocentius P. I.*, & pro *Chryſoſtomo* alij cauſantur, non hoc valet, quaſi Eccleſiaſticum non ſit, quod *Antioch. Can.* IV. conſtitutum eſt; Sed quod ab *Arianis* adverſus *Athanaſium* locum habere juſſus eſt, cum tamen re ipſa, irrita eſſet *Concilij Tyrenſis* ſententia. Neque mirum eſt, a *Concilio*, non quidem *Ariano*, ſed cui partim *Arianorum* admiſtum erat, relatum in *Canonem* Apoſtolicum morem, locum inter Eccleſiæ *Canones* habuiſſe. Equidem recte conjicere viri docti videntur, *Canones* Apoſtolicos, qui dicuntur, in Diœceſi Orientis primum ſcriptos fuiſſe; ut dictum eſt. Nam per Ponticum etiam receptos, non eſt mirum; cujus cum Orientali conſpirationem, in *S. Cypriani* rebus notavimus. Tum, quod de Hæreticorum Baptiſmate ſtatuit XLVI^us, ad *S. Baſilij* quam *S.* *Auguſtini*

Auguſtini rationes propius accedit. Itaque quid prohibet, receptiorem *Chryſoſtomi* tempore *Canonem*, & adverſus eum urgeri, nec adverſus eum valere ; Non ſatis, ſcilicet, per Eccleſiam adhuc receptum ?

Sane non eſt proprii nominis appellatio ad *R. Sedem*, a Synodalibus Illyrici judiciis, Canonibus Sardicenſibus conſtituta. Neque enim aliud volunt, quam, *arbitrij eſſe Papæ, num inſtaurari velit judicium depoſiti necne ; Sive miſſis a ſe Legatis, ſive a ſolis Provincialibus.* Multo minus, proprii nominis appellationes ad *R.* Sedem cenſendæ ſunt, quæ in Epiſcoporum cauſis, ejuſmodi fiunt, quæ ad totam Eccleſiam pertinent ; ſive quod ad Fidem pertinent, (quas, ſive Clericorum ſint ſive Laicorum, neceſſe eſt totius Eccleſiæ intereſſe, non minus quam ſi Epiſcoporum eſſent) ſive quod ad unitatem Eccleſiæ. Itaque neque dici poteſt inſtauratum Sedi *R.*, Canonibus Sardicenſibus, originarium in totam Eccleſiam jus ; ut ab Epiſcopis omnibus appellari poſſit. Appellavit eam *Athanaſius, Cæcilianus, Theodoretus, Flavianus*, alii, ſive Epiſcopi ſive Presbyteri ; quod adverſus ejus conſenſum, lata, in cauſa, quæ totius Eccleſiæ interſit, ſententia valere non poſſit. Hoc ipſa contendit adverſus Antiochenos *PP.*; quod hiſtoricus *Socrates* ἀντιφωνεῖ· Nimirum, citra ejus ſententiam οὐ κανονιστέον εἶναι τὰς ἐκκλησίας. Sed & hoc contendunt Antiocheni adverſus ipſam. Utrique recte ; Quod in re totam Eccleſiam ſpectante, qualis erat Nicena Fides, & *Athanaſii* jus in Eccleſiam *Alexandrinam*, non poſſet valere partis ſententia, ſive conſenſu reſiduæ. Si ſolius *R.* Sedis ſententia terminari potuiſſet cauſa *Cæciliani*, inſanire oportuit *Conſtantinum*, qui Arelatenſem Synodum coire juſſit poſt eam ; Inſanire *Conſtantium* & *Conſtantem*, qui Sardicenſem, ad terminandam cauſam, quam *R.* Sedes pro ſuo jure definiverat. Idem de *Flaviani* & *Theodoreti* cauſis dici poteſt. Itaque non ſunt hæ proprie appellationes, quæ ab eo qui appellatur ſolo judicari non poſſunt ; cujuſmodi ſunt quo-

Nullam eſſe, proprii nominis appellationem ad Sedem R.

dammodo quæ ex Canonibus Sardicenſibus à *R.* Sede judicantur. Hoc tantum valebant, ut Sede *R.* appellanda, ad judicium perveniretur, cujus eſſet legitimum, juſtumque de tanta cauſa cognoſcendi jus; Nimirum Synodi, ejus in Eccleſiam auctoritatis, ut ejus ſententia terminari poſſent. Itaque non eſt diffitendum, Canones iſtos Sardicenſes eſſe XV. *Antiocheno* ὑπεναντίυς; Qui ſcilicet, à judicibus a Metropolitano datis appellationi locum non relinquit. Nec tamen fatendum, tollendo Canoni *Antiocheno* latum Sardicenſem; etſi fatente Balſamone. Nam quanto melius eſt dicere, ſatis habere *Antiochenum* Canonem XII. ſi locus ſit appellationi ad Diœceſis Synodum in Oriente; Sardicenſes in Occidente, *R.* Sedem adiri velle, ut inſtauretur etiam Synodi *Illyricianæ* judicium? Itaque non habebant vim in Oriente Canones Sardicenſes, ubi valuiſſe *Antiochenos* certa res eſt.

De Fide Synodicæ Carthaginenſis, *Anni* 419.

Nunc videndum, quam vim per *Illyricum* habuiſſe Canones Sardicenſes dictum eſt, num eandem per reliquum Occidentem habuerunt; Videndum autem, ex illuſtri cauſa appellationum *Africanarum*. *Apiarius*, Presbyter Eccleſiæ *Siccenſis*, damnatus a Synodo *Numidiæ*, appellata Sede *R.*, cum legatis remiſſus eſt, quibus mandatum, ut Canonibus *Nicenis* locum eſſe per *Africam*, poſtularent; Eis cautum eſſe, ut damnato Epiſcopo, *R.* Sedem, Presbytero, vicinæ Provinciæ Primatem & Epiſcopos appellandi jus eſſet; Cum *Africanus* Canon ſolam Provinciæ Synodum appellari juberet. Hic *Africani PP.*, cum hos Canones pro *Nicenis* non agnoſcerent, legat[illegible]s ſe, & legari petunt a Sede *R.* ad Sedes *Conſtantinopolitanam* & *Alexandrinam*, qui vera exemplaria *Nicenorum* Canonum afferrent; Interea ſtare eis parati, quos Sedes *R.* pro *Nicenis* afferebat. Itaque *Apiarium* ea Lege Presbyterio reddunt, ut ubicunque poſſit, in alia quam *Siccenſi* Eccleſia miniſtret; Qui a *Tabracenis* receptus eſt. Hæc *Synodica Carthaginienſis ad Bonifacium P. I. III. Kal. Jun. poſt Conſ. Honorii XII. & Theod. VIII.* Cum

obiiſſet

obiiſſet *Zoſimus*, a quo miſſa fuerat legatio dicta. Jam, in Synodo ſequentis anni, decretum contra *Pelagianos*, ſummo conſenſu Sedis *R.* cum *PP. Africanis*, recte colligitur; Ex Fide ſcilicet Codicis *Africani*, qui hujus Synodi Canones XIX. continet. Male autem inde; fictitium eſſe, quicquid de appellationibus Epiſcoporum in præfatione, & in Synodica poſterioris Synodi, cum Legatis a *Zoſimo* miſſis geſtum narratur. Nam de Cœleſtio Presbytero reſpondendum eſt, *Zoſimum P.* a *Carthaginenſis* Synodi, quo damnatus eſt, judicio appellante; Non eſſe mirum, tum, de inhibendis Presbyterorum & inferiorum Clericorum appellationibus tranſmarinis actum fuiſſe in Synodis *Africanis*, cum *Pelagii* & Cœleſtii cauſæ, ad Fidem (hoc eſt, ad Eccleſiam totam) pertinentes, ad Sedem *R.* ſponte Eccleſiæ *Africanæ* referebantur. Hoc jus, non *Nicenis* Canonibus, ſed ipſi Eccleſiæ conſtitutioni aſcribendum eſt; Quæ una eſſe non poſſit, niſi majorum Sedium auctoritate, conſenſum totius, in eam Fidem eaſque Leges aſſequi poſſit; quibus unitatem contineri oportet. Quod ſi Presbyterorum, & inferiorum Clericorum *Africanorum* cauſæ ita terminatæ fuiſsent, ſi Epiſcoporum ipſorum, ut appellationi tranſmarinæ locus non eſset, quis dicat periturum aliquid unitati Eccleſiæ, vel Fidei communi fuiſse? Tum quis neget, de jure Eccleſiaſtico diſſidere potuiſse eos, quorum ſummus erat de Fide conſenſus? Merito *Petrus* de *Marca* 5 de Concordia II. 6. honorem habitum Legato *Zoſimi Fauſtino* cenſet, ut gerendis rebus ſibi mandatis intereſset, ut Can. IV. proponeret, ut proximo a Primatibus Provinciarum loco tum ſederet, tum cenſeret; Quorum ei nihil, vel *Zoſimi* mandato, vel Eccleſiæ jure, utpote Epiſcopo ὑπερορίῳ, debebatur. Nam & hæc eorum erant, quibus conſtitutum eſset, de jure ſuo ita contendere, ne ſimultatis cauſa repugnare Superiori viderentur. Videntur igitur *PP. Africani* in hac Synodo, Codicem illum quem legimus *Africanorum* Canonum meditati, quem poſteriori aliqua

Synodo;

Synodo; quæ tamen Synodicam ad Cœleſtinum præceſſerit; ſanciverunt. In hunc cum eos Canones referrent, quos Generales *Africæ* ſub *Aurelio Carthaginis* Epiſcopo Synodi repetendos recenſendoſque putaverant, non eſt mirum de judicandis tum Epiſcoporum, tum Presbyterorum inferiorumque Clericorum appellationibus in eum relatos eſſe, ab eis diverſos, quos eſſe *Nicenos* contendebant Legati; Quamdiu quidem hoc in dubio erat. Nec magis mirum ſi Canon XXVIII. ſic legatur; *Quod ſi & ab eis provocandum putaverint, non provocent ad transmarina judicia, ſed ad Primates ſuarum Provinciarum, aut ad Univerſale Concilium*; (Africæ;) *Sicut & de Epiſcopis ſæpe conſtitutum eſt. Ad tranſmarina autem qui putaverit appellandum, a nullo intra Africam ad Communionem ſuſcipiatur.* Nam quod in ea collectione, quam male Concilio *Milevitano* II. tribui demonſtrarunt viri docti; in qua XXII. loco hic Canon legitur; non comparet clauſula; *Sicut de Epiſcopis ſæpe conſtitutum eſt*; Putandum ejus Synodi juſsu additam, à qua ſancitus eſt Codex. Quod autem nullus extat Canon *Africanus*, quo conſtitutum hoc ſit; plurimos *Africanarum* Synodorum Canones interiiſse. Cum igitur ratio reddi poſsit eorum, quæ in rei geſtæ hiſtoria minus ſibi invicem congruere videntur, non eſt quod, propter objectiunculas quaſdam, laborare debeat Codicis primum *Dionyſiani* Fides, cujus auctoritate receptæ ſunt hæ literæ, in Eccleſiæ primum Romanæ Codicem Canonum. Poſtmodum enim, receptis Can. II. *Trullano*, Canonibus *Africanis*, in Oriente, memoratam *Apiarij* cauſam Actis Octavæ Synodi Gen. legimus. Nam ejus *Act.* VII. & profertur a *Photianis* adverſus *R.* Sedem, & pro *R.* Sede excuſatur, ex ſententia Concilii potius quam ex rei veritate. Sed rei geſtæ integra Fides eſt, ex utriuſque partis ſententia. Tum, creſcente quotidie Schiſmate inter Orientem & Occidentem, objecta eſt *R.* Sedi, loco probri, cauſa hæc a *Zonara* ac *Balſamone*, qui his literas, in ſuis Codicibus, & legebant & exponunt; objecta ab eis,

qui

Digitized by Google

qui ſub *Hugone Capeto* in *Francia* Synodum *Rhemenſem* adverſus Epiſcopum *Arnulſum* agebant. Ac noſtro demum, ac primum tempore inventus eſt, qui literarum fidem in dubium vocaret.

Sed reverſis ex Oriente Legatis, miſſiſque ad *Bonifacium P.* Canonibus *Nicenis*, ejuſdem anni die VI.Kal.Dec., venit altera a Cœleſt. I. P. ejus ſucceſſore Legatio pro eodem *Apiario*; quem rurſus, (damnatum, ut videtur, *Tabracenorum* criminationibus) Cœleſtinus in Communionem receperat. Cum igitur adeſſent ei in Synodo legati, preſſus tamen conſcientiæ teſtimonio, in apertam criminum ſuorum confeſſionem erupit. Hæc cauſa alterarum ad Cœleſtinum literarum, quarum fide nititur Eccleſiæ *Africanæ* jus appellationum ad *S. Romanam* recuſandarum; quod ut ſumma cum humilitate & charitate, ita non ſine gravitate & conſtantia quæ *PP.* deceat, ab eis aſſeritur. Itaque levia ſunt, quæ ipſis objiciuntur. Poſtulatur quidem, tanquam a ſublimiori Sede, ut *deinceps, ad veſtras aures hinc venientes non facilius admittatis, nec a nobis excommunicatos, in communionem ultra velitis accipere; Quia hoc etiam Concilio Niceno definitum, facile advertet venerabilitas tua. Nam etſi de inferioribus Clericis, vel de Laicis videtur ibi præcaveri, quanto magis hoc de Epiſcopis voluit obſervari, ne in ſua Provincia a Communione ſuſpenſi, a tua ſanctitate, vel præpropere, vel indebite videantur communioni reſtitui?* Neque enim ita hic diſputant, quaſi inhibendæ potius eſſent Epiſcopis appellationes, quam Clericis; quod neque ratio fert, neque juri Canonibus *Sardicenſibus* ſtatuto convenit. Sed majori cautela in illis, quam in his Communioni reſtituendis opus eſſe; Quorum cauſæ magis Eccleſiæ interſint. Itaque ſequitur; *Presbyterorum quoque & ſequentium Clericorum refugia improba, ſicut ſe dignum eſt, repellat Sanctitas tua; Quia & nulla PP. definitione hoc Eccleſiæ derogatum eſt Africanæ, & decreta Nicena, ſive inferioris gradus Clericos, ſive ipſos Epiſcopos ſuis Metropolitanis apertiſſime commiſerunt.* Equidem, Metropolitanis,

De Fide Synodicæ ad Cœleſtinum.

tropolitanis ſuis Epiſcopos commiſiſſe Conc. *Nicenum*, recte aſſeritur eo ipſo, quod tranſmarinam appellationem, *Sardicenſi* Canone conſtitutam non conceſſit. Neque enim ſolis Metropolitanis commiſſos volunt, qui ſtatim ad Generale; totius Africæ ſcilicet; Concilium provocari poſſe cauſantur. Qui autem, *teſtium neceſſarias perſonas* tranſmarino judicio adeſſe non poſſe, merito afferri neget, pro terminandis intra *Africam* cauſis *Africanorum*, merito communi hominum ſenſui renunciare nos jubeat. Quæ cum ita ſe habeant, quam eſſe fiduciam dicemus, fidem tantarum rerum in dubium vocare, propter eas literarum ſententias, quæ propterea ineptæ videantur, quod minus intelligantur? Nimirum, quæ ex deſperatione naſcitur, tuendæ cum rerum veritate ejus auctoritatis, quam *R.* Sedi invita veritate aſtruimus. Nam de literarum fide, qua auctoritate conſtet, dictum eſt.

Canones Sardicenſes per Africam non valuiſſe.

Cum igitur de rei geſtæ fide nulla ſubſiſtere diſputatio poſſit, agendum eſt cum eis proximo loco, qui *Sardicenſibus* Canonibus, *Nicenorum* nomine, jure poſtulatum a *Zoſimo Africanorum* obſequium contendunt; Pertinent enim Canones *Sardicenſes* III. IV. VII. XVII. ad rem de qua agimus. Sed ne hoc quidem videtur diſputationem pati poſſe, ſilentio *R.* Sedis præjudicatum. Quis enim cauſam dicat, cur *Nicenorum* nomine oblati ſint, ſi pari jure, vel meliori fuerint *Sardicenſes* apud *Africanos*? Quis, veris *Nicenorum* quærendis exemplaribus, deſtinatum iri legationem *Conſtantinopolim* & *Alexandriam* credat; atque ita, ut omnes ſcirent, laboraturam Sedis *R.* fidem, non comparentibus inter *Nicenos*, qui pro *Nicenis* oblati fuerant; ſi *Sardicenſibus* obtemperandum fuerit ab *Africanis?* Itaque, quod in Concilio *Carthag.* VI. *Sardicenſes* appellantur, gloſſematium eſſe omnes conſentiunt, quod ex margine in textum irrepſerit. Et qui apud ſe cogitet, non auſos fuiſſe *R.* Sedis legatos, in Synodo *Africana*, de auctoritate Synodi *Sardicenſis* agere, is, ſi hominis ſenſum aut pudorem habeat, com-

comperiet, nimis ſero ea ſe cauſari, quæ tum ſi valuiſſent, nunquam commiſiſſet Sedes *R.*, ut deſiderari videri poſſet fides ſua, ſi ea ſilentio tranſegiſſet. Itaque quod *Nicenorum* Canonum nomine *Sardicenſes* appellant non ſolum *Zoſimus*, ſed etiam *Innocentius I. P. Epiſt. ad Victricium*, *cap.* III. Voluiſſe ipſos indicat *Nicenorum* Canonum vim habere *Sardicenſes*; Quod non valeat quod voluerunt, contradictio *Africanorum PP.* oſtendit. Quærendum igitur *Zoſimo*, cur Canonem de Presbyterorum inferiorumque appellationibus pro *Niceno* habendum contendere voluerit; cui ſatis erat, ſi pro *Niceno* haberetur de Epiſcoporum appellationibus *Sardicenſis*. Nam *Apiarii* ſingularis erat cauſa, pro quo, per legatos intercederet. Non poteſt *Africanis* Actis fides deeſſe, quorum auctoribus Officii ratio conſtat. Nam qui putant, Canone XVII. allegando, quæſitam eam ipſi interpretationem, ut ad Papam, tanquam vicinum Epiſcopum, Presbyterorum, ut *Apiarii*, cauſæ judicandæ pertinerent; (quæ eſt Canonis XVII. Latini ſententiæ.) Etſi ſententiam ſuam mihi non probant, non eſt tamen, cur eis refellendis, quæ mihi non obſunt, tempus eximam. Illud merito mirum fuiſſet, ſi perinde interfuiſſet Sedis R. *Sardicenſium* auctoritas ac *Nicenorum*, cur *Sardicenſes* Canones *Nicenorum* nomine appellandos putaverint. Neque aliquis a me exigat, ut, cur non valuerit per *Africanas* Eccleſias Concilium *Sardicenſe*, perinde affirmem, ac non valuiſſe affirmari poteſt. Dicat qui hæc quærit, cur in Oriente Concilium *Sardicenſe* non valuerit, quod ex Oriente, perinde atque ex Occidente conflatum, injuria *Arianorum* ſciſſum fuerit. Dicet opinor, non ſemper legitima Concilia valuiſſe, ſi unitatis interfuit, novis decretis reſarciri. Quod ſi hic locum non habet, quia nihil vetabat, quo minus per Occidentem valerent Canones, quibus ſanciendis nullum Occidentis inter ſe conſenſum defuiſse videri poſſit; videant qui conſtare poſſit, eo conſilio conditos, ut totum

Occidentem, ac non ſolum *Illyricum* tenerent. Certe tribus a Concilio *Sardicenſi* annis, agebat *Carthagine* Concilium, quod *Carthag.* I. nunc dicitur, *Gratus Epiſcopus*; cujus c. V. cum ſuggereretur, *nemini Epiſcopo licere debere, alienum Clericum vel Laicum uſurpare*, ſequitur in hæc verba; *Gratus Epiſcopus dixit; Hæc obſervantia pacem cuſtodit. Nam & memini in Sanctiſſimo Sardicenſi Concilio ſtatutum, ut nemo alterius plebis hominem uſurpet.* Quæro an hæc ejus verba ſint, qui jam teneri hoc Canone, in *Sardicenſi* Concilio ſtatuto, ſe ac ſuos noſset. Nam *Sardicenſi* Concilio, ipſe cum Epiſcopis *Africanis* ſex & triginta interfuerat. Tum, quod LXX poſt annis, in literis Synodi *Carthaginenſis* ad Cœleſtinum P. poſitum eſt; *Nam ut aliqui, tanquam a tuæ ſanctitatis latere mittantur, nulla invenimus PP. Synodo conſtitutum*; Quomodo ab eis dici potuit, quibus hoc *Can.* VII. *Sardicenſi* ſtatutum eſt, ſi ipſis conditus fuit? Sane cum XX. *Illyricianis* ſolis conſtitutum lectio oſtendat, argumento eſt idem de XIV. & XV. eodem pertinentibus ſentiendum. XI. Autem etſi alio pertinere poſſit; (quod alibi *Canalis* fuerit quam in *Illyrico*) ſatis eſt tamen, quod non poſſit non ad *Illyricum* pertinere. Itaque non eſt mirum, ſi reliquum Occidentem Sedes *R.* eodem jure ſibi ſubditum eſse debere, videri voluerit, quo, ex Canonibus *Sardicenſibus Illyricum*. Sed, cur tentare voluerit *Africanorum* patientiam *Zoſimus*, non credo rationem probabiliorem afferri poſse, quam ſi hoc eum, fiducia auctoritatis ſuæ apud poteſtates ſeculi, feciſse dicamus. Quid enim aliud ſibi volunt, quæ in Epiſtola ad *Cæleſtinum* P. leguntur? *Executores etiam Clericos veſtros quibuſque petentibus nolite mittere, nolite concedere; Ne fumoſum typhum ſeculi in Eccleſiam Chriſti — videamur inducere.* Aut quid aliud, quæ in eundem ſenſum, in Epiſtola ad *Bonifacium* P. poſita ſunt? *Hæc utique uſque ad eventum veriſſimorum exemplariorum Niceni Concilii inſerta geſtis ſunt; Quæ ſi ibi, quemadmodum ipſo, quod apud nos fratres ex Apoſtolica Sede directi,*

directi, commonitorio allegaverunt, continentur, eoque ordine, vel apud vos in Italia cuſtodirentur, nullo modo nos talia, qualia commemorata jam nolumus, vel tolerare cogeremur. Sed credimus, adjuvante miſericordia Domini Dei noſtri, quod tua ſanctitate R. Eccleſiæ præſidente, non ſumus jam iſtum typhum paſſuri. Quem enim typhum dicunt, niſi poteſtatum ſeculi; quæ auctoritate *R.* Sedis permotæ, decreta ejus & ſententias militari manu ratas eſſe volebant, prout Eccleſiæ *R. Clerici*, *executores* miſſi, mandandum ipſis putarent? Manifeſtum eſt, ex *Epiſt. S. Aug.* CCLXI. qua *Antonii Fuſſalenſis* Epiſcopi cauſam ad eundem *Cæleſtinum P.* referunt *Africani. Minari* enim *eum ſuis* dicit, *poteſtates ſeculi*, & *vim militum*, quaſi exequendæ Sedis Apoſtolicæ ſententiæ venturorum; *Adeo ut miſeræ plebes Chriſtianæ & Catholicæ graviora ab Epiſcopo Catholico metuerent, quam quondam ab Imperatoriis Legibus Hæretici.* Hæc igitur vis cum *Zoſimo* præſto eſſet, propter auctoritatem Sedis ſuæ apud Principem, *Ravennæ* tunc ſedentem; quid mirum eſt, ſi *Sardicenſibus* Canonibus pro *Nicenis* obſecutum iri putaverit ab *Africanis*, potius quam ut in contentionem ſe cum Sede *R.* conjicerent; Etſi ſecus accidit? Neque enim inſolitum fuiſſe, judicari a Sede *R.* cauſas *Africanorum*, ipſa hæc Epiſtola argumento eſt, & ipſa cauſa Epiſtolæ, quæ cauſa erat Epiſcopi *Africani*; Sed quam, non ſolum S. *Auguſtinus*, qui de ea primo cognoverat, ſed & Provinciæ Primas ad *R.* Sedem ita referunt, ut exemplis rerum, in cauſis Epiſcoporum *Africanorum* a *R.* Sede judicatarum, ſententiam ſuam tueatur S. *Auguſtinus*. Eodem etiam modo *ſecularem typhum* intelligit vita S. *Fulgentii* c. XXV. & Concilium *Epheſinum*, in decreto pro *Cypriis* adverſus *Joannem Antiochenum*, actorum Tomo II. C. IV. in Appendice. Sed quod ſponte faciebant *Africani*, quoties expediret, quid mirum, ad id ſi Lege teneri nollent? Itaque neque dicendum eſt, tenuiſſe hoc jus Sedem *R.*, quia de cauſa *Lupicini* Epiſcopi *Africani* cognovit

paucis poſt annis *Leo P.* I. *Epiſt.* VIII. aut quod *Fulgentius Ferrandus*, in ſuum Canonum *Africanorum* Breviarium videatur *Sardicenſem* de appellationibus Epiſcoporum Canonem referre, titulo LVII. & LIX. Quid enim mirum, ſi *Leoni* ceſſerint *Africani*; dominantibus *Africæ Vandalorum* Regibus *Arianis*; (quos ad *Cœleſtinum* ſponte retuliſſe *Antonii* cauſam videmus) quem, qua auctoritate apud Principem fuerit, demonſtrant Epiſtolæ *Chalcedonenſi* Synodo præmiſſæ? Nam neque adverſum Canonem Canoni *Sardicenſi* conſtituerunt, quo minus Epiſcoporum cauſas ad *R.* Sedem tranſmittere integrum ſibi eſſet; qui in cauſis Preſbyterorum, & inferiorum Clericorum, etiam ante reditum Legatorum, hoc fieri vetarunt. Fortaſſis, ut obſtarent ei interpretationi, quæ Canonem *Sardicenſem*, (qui ad Presbyterorum judicandas appellationes, vicinæ Provinciæ Epiſcopos vocat) ad Sedem *R.* extendendum eſſe, tanquam vicinum Epiſcopatum, videbatur pertendere, cum hunc Canonem, tanquam ſuſceptæ *Apiarii* cauſæ rationem, apud Synodum *Africanum* allegabant. Tum, cur, appellationes Epiſcoporum inhibere Canone condito, conſultum non putarent, opinor jam dictam cauſam eſſe; Certe Legem in eo nullam agnoſcunt, quod ipſi citra Legem uſurpatum contendunt. Præterea, neque in eo violatos Canones queritur *Leo*, quod alius in *Lupicini* locum, pendente appellatione ordinatus eſſet, quod tamen Canon *Sardicenſis* prohibebat; (Non omiſſurus hoc facere, ſi tum *Sardicenſes* Canones recepiſſent *Africani.*) Sed quod pendente appellatione, pro abſente dejiciendus non fuerat, nec Communione ſummovendus, quem ipſe in Communionem recepiſſet. Vide ejus *Epiſt.* LXXXII. 2. Et *Joannem Antiochenum* in ſuum Canonum συναγωγὴν *Sardicenſes* Canones retuliſſe dictum eſt; qui tamen, tum temporis, a Græcis non agnoſcerentur. Nam quo conſilio *Ferrandus* hoc fecerit, videant qui Canones *Antiochenos* XIV. & XV. in idem ab eo *Breviarium* relatos legunt, titulo LVIII.

&

& LXIII. tum *Africanum* LXI. quibus, diverſam formam conſtitui manifeſtum eſt, a *Sardicenſi.*

Quæ ex Synodica ad *Bonifacium* produximus, quemadmodum in editione *Juſtelli* leguntur, merito ita emendat *Petrus* de *Marca*, 7. de Concordia XV. 2. ut reliquis manentibus; *Quæ etſi ibi— & continerentur*, legendum eſſe doceat; Aliter enim quem ſenſum illis tribuas? Sic autem lecta, Canonem *Sardicenſem*, cui obſtabant *Africani*, in uſu tum per *Italiam* fuiſſe oſtendunt. Hoc ut aliis argumentis confirmari poteſt, ita *R.* Sedem, non niſi arte quadam ac methodo obtinuiſse docet, ut per Occidentem valeret. Sane, *R.* Sedis auctoritati ſupparem fuiſse auctoritatem Sedis *Mediolanenſis*, non ſolum ſub *S. Ambroſio*, ſed & ſub *Simpliciano* & *Venerio* qui ipſi ordine ſucceſserunt, oſtendunt Relationes pariter ad utramque miſsæ ab Eccleſiis *Africanis*, *Gallicanis*, & *Hiſpanicis*; Prorſus ad eundem modum, quo olim *Aurelianus* de *Samoſateni* cauſa decreverat, ex ſententia Epiſcoporum utriuſque Diœceſis, *Rom.* & *Italiæ.* Cum *Priſcillianum Maximus* gladio percuſſiſset, Epiſcopis quibuſdam proſequentibus, receſsit ab eorum Communione *S. Martinus Turonenſis*; ſive propter capite plexam Hæreſim, ſive quod capitalis ſententia lata fuerat proſequentibus Epiſcopis. In hac ſolutæ Communionis cauſa, ad Sedem *Mediolanenſem*, non ſecus ac ad *Romanam* miſsæ Relationis, apud *Sirmondum*, *Conciliorum Galliæ* Tomo I. extat memoria; Nam, literarum ab utraque ad Synodum *Taurinenſem* ſcriptarum, Canon ejus VI. meminit. Ad *Syricium* & *Simplicianum* miſſæ conſultationis meminit *Can. Africanus* XLVII. ad *Anaſtaſium* & *Venerium* miſſæ Legationis idem Codex, poſt *Can.* LVI.; utriuſque in cauſa eorum, qui a *Donatiſtis* baptizati infantes, prohibebantur ab utraque Sede ad Clericatum ſuſcipi, *ex decreto Synodi tranſmarinæ*, ut ait *Can.* LXVIII. quam eſſe *Capuenſem*, manifeſtum videtur; Adeo utriuſque Sedis conſenſus ad hanc diſpenſationem requirebatur. In cauſa *Priſcillianiſtarum*, duplicis

Canonem Sardicenſem per Italiam receptum fuiſſe.

duplicis Relationis ab *Hiſpanicis* Eccleſiis ad utramque Sedem miſsæ, in Actis *Concilij Toletani* I. memoria extat, quæ *Profeſſiones* habent ad calcem poſitas; ſub *Syricio* ſcilicet & *Ambroſio*; tum ſub *Anaſtaſio* & *Simpliciano*. Præterea, Sedem *Romanam*, *Alexandrinæ* & *Antiochenæ*, in eo jure æquat *Canon Nicenus*, quod habebant Principes unius Diœceſis Eccleſiæ in ſubjectas. Nam *Alexandria* & *Antiochia* ſuæ tantum utraque Diœceſis caput erat. Hæc ratio *Mediolanenſi* Sedi illud jus aſſerit, ne a *Romano* ordinaretur ejus Epiſcopus; Qua de re, ut etiam de Epiſcoporum *Italicorum*, *Africanorum*, *Hiſpanicorum*, *Gallicanorum* Ordinationibus, ſine conſenſu *R.* Sedis fieri ſolitis, vide *Petrum* de *Marca* 6. de *Concordia* IV. 6-9. Denique in *Concilio Symmachi P.*, cum vocati a *Theodorico R. Italicæ* Diœceſis Epiſcopi expoſtularent cum eo, quod a *Symmacho* vocati non eſſent, oſtendit eis Rex, etiam ejus conſenſu, de quo agebatur, vocatos. Unde manifeſtum eſt, idem tum fuiſſe utriuſque *Diœceſis Concilium*; quod ſub *Ambroſio*, ut opinor, non obtinebat, cum ad eum mitteret *Syricius Joviniani* damnationem, Synodi ſuæ ſententia confirmandam. Utramque Synodicam in farragine *Conciliorum* legimus. Sed, multo minus hoc obtinuiſſe, cum de *Novatiano* ſcribebat *Cornelius* ad *Sedem Antiochenam*, ex ſententia *Synodi Italicæ*, *Africanæ*, & *Gallicæ*; referente *S. Hieronymi Catalogo in Cornelio*. Ex quibus cum manifeſtum ſit, creviſſe cum tempore *R.* Sedis jus auctoritatemque in *Mediolanenſem*, non erit mirum, *Canonem Sardicenſem*, hoc tempore, per *Italiam* vim & effectum aſſecutum eſſe. Extat enim *Concilij Rom. ad Gratianum Valentinianumque Impp. Epiſt.*, *a Sirmondo ad Appendicem Cod. Theod. adjecta*; tum, Reſcriptum Impp. XXX. admodum annis poſt *Conc. Sardicenſe*, quo diverſam omnino ineunt rationem terminandarum cauſarum Epiſcopalium, a ratione *Canonis Sardicenſis*. Cum autem *Zoſimus P.* decreto III. *Canones Sardicenſes* appellare videatur, non facturus ſi tum vim non habuiſſent

Digitized by Google

ſent; quid prohibet, loco hujus reſcripti, quo tantundem *R.* Sedi auctoritatis tribuitur, introductos eos videri? Nam quo tempore, idem eſſe ac unum utriuſque Diocœſis Concilium, mos obtinuerat, quid erat, cur in ejus judicium, omnes omnium Clericorum cauſæ non ultimo definerent?

Quomodo per Gallias receptus.

Quo tempore nolebant *Africani PP.* appellari Papam a damnatis Epiſcopis, ut pro ejus arbitrio inſtauraretur judicium domi, ex *Canone Sardicenſi*; eodem, nimirum ſub *Bonifacio P. I.* conceſſum hoc a *Gallicanis* Epiſcopis in cauſa Maximi *Valentini*, docet ejus decretum III; Unde etiam, a deceſſoribus *delegatam* fuiſse *cognitionem Provincialem*, intelligimus. Nimirum valuit apud eos, quod *Innoc. I. ad Victricium Rhotomagenſem* ſcripſerat, c. III. *Si quæ autem cauſæ vel contentiones, inter Clericos, tam ſuperioris Ordinis, quam etiam inferioris, fuerint exortæ; ut ſecundum Synodum Nicenam, congregatis ejuſdem Provinciæ Epiſcopis jurgium terminetur, nec alicui liceat, (ſine præjudicio tamen R. Eccleſiæ, cui debet in omnibus cauſis Reverentia cuſtodiri) relictis his Sacerdotibus, qui in eadem Provincia Dei Eccleſiam nutu divino gubernant, ad alias convolare Provincias. Si autem Majores cauſæ in medio fuerint devolutæ, ad Sedem Apoſtolicam, ſicut Synodus ſtatuit, & vetus conſuetudo exigit, poſt judicium Epiſcopale referantur.* Ad hunc locum ſic *Hincmarus Epiſt.* IX. 12. *B. quoque Innocentius, ad Victricium Rotomagenſem Epiſcopum, duo capitula magni Concilij Niceni, & capitulum Sardicenſis Concilij, de Epiſcoporum ad S. Apoſtolicam appellatione, uno capitulo ſagaciter atque patenter explicat.* Nam quæ alia Synodus a *Sardicenſi*, poſt judicium Epiſcopale, ad S. Apoſtolicam referri voluerat? Etſi de cauſis inferiorum etiam Clericorum, eiſque poſt judicium Epiſcopale, ad Apoſtolicam S. referendis ſermonem eſse *Innocentio* videmus? Sane, cum in cauſis etiam inferiorum Clericorum, *R. Eccleſiæ reverentiam cuſtodiri* poſtulat, quid aliud quam *Apiario* Presbytero *Africano* præluſit, *R.* Sedem

a Synodo

a Synodo *Africana* appellanti ? Itaque ſagacius *Innocentius* quam *Zoſimus*, inſinuando obtinuit ut valeret apud *Gallos*, quod *Zoſimus*, tanquam jure Sedis ſuæ, fruſtra poſtulavit ab *Africanis*. Indefinita quidem eſt *Majorum cauſarum* ſignificatio, quia nihil eſt, docente *Ariſtotele*, niſi relatione ad aliud & aliud, vel majus vel minus. Quæ ſi eas ſolas contineat, quæ totius Eccleſiæ intereſunt, poſtulabit totius Eccleſiæ ſtatus, ne ſine Principis Eccleſiæ conſenſu definiantur. Hujuſmodi ſunt, quæ Fidem, quæque Communionis Leges continent; Quo nomine, ſi quid tanti ſit in Eccleſiæ moribus, ut indefinitum Eccleſiæ Communionem in dubium vocet, ejus definitionem ad Eccleſiam Principem primo loco referri, ratio exigit. Itaque Canonum executionem, & Eccleſiaſtici moris obſervationem exigere, Unitas Eccleſiæ poſtulat, ut *R.* Sedis ſit. Nam etſi idem ubique mos eſſe non poſſit, tamen ubi nihil eſſet commune, quæ eſſet Lex communionis ? Sed quis dicat, Epiſcopalium appellationum cauſas omnes totius Eccleſiæ intereſſe ? Sit igitur *Innocentij* ſagacitas, *Majorum cauſarum* inſinuatione obtinuiſſe appellationum Epiſcopalium relationes à *Gallis*, quas ab *Afris* fruſtra exigebat *Zoſimus*. Certe non conſtabit aliter ratio, delegatæ cognitionis Provincialis à deceſſoribus *Bonifacij*; Nam ejus deceſſores *Innocentius* & *Zoſimus*. Tum, non fuiſſe ſub *Damaſo* receptos in Occidente Canones *Sardicenſes*, eadem ratione conſtat, qua tum in *Italia* receptos non fuiſse dictum eſt. Nam poſt hæc, tanquam receptis Canonibus *Sardicenſibus* per *Gallias*, videmus fuiſse appellatum à *Contumelioſo* Epiſcopo *Rejenſi Joannem P. II.*, ejuſque cauſam ad Provinciale judicium remiſsam, ex Canone *Sardicenſi*, miſſis una Canonum *Capitulis*, ex quibus judicanda eſset; Quorum extat in Conciliis *Gallicanis* memoria. Deinde autem, à *Salonio* & *Sagittario Gallicanis* Epiſcopis, domi damnatis, appellatum *Joannem* III., nemine accuſante ipſos abſolviſse, mirum non eſt, recepto in uſum, quod

Innocentij

Innocentij ſagacitate obtinuerat. *Greg. Turonenſis Hiſt.* V. 20. *Proculus* autem *Maſſilienſis* damnatus eſt prima cognitione a *Zoſimo*; Sed non ex Canonibus *Sardicenſibus*, qui primam cognitionem *R.* Sedi non tribuunt, ſed judicium, utrum ſtare velit an inſtaurari Provincailium Epiſcoporum de cauſa cognitionem; vide *Zoſimum Epiſt.* VI. Sed notandum, non ſtetiſſe hic *R.* Sedis ambitionem, cum de judicio S. *Hilarij Arelatenſis* Epiſcopi ſibi cognitionem ſumpſit *Leo P. I.*, damnatumque S. virum Primatu exuit quem tenebat. Vide *Sirmondi* Concilia Tomo I. p. 27, 42, 79. Neque enim de Metropolitis mentionem faciunt Canones *Sardicenſes*, neque de cognitione *Romæ* inſtauranda. Quod ſi dicatur, Canones *Sardicenſes* eo conſilio conditos, ne neceſſe eſſet Eccleſiaſticas cauſas ex reſcripto Principis refricari; de Metropolitis autem, cum nulla Diœceſis Synodus cognoſcere poterat, (quod tunc in *Galliis* videtur uſu veniſſe) non potuiſſe alium quam præſentem Papam cognoſcere; *Gratiani* fortaſſe *A.* Conſtitutione valere potuit, Canonico tum jure nullo obtinere poterat. Cum autem offenſus libertate *Hilarij Leo P. I.* non ſolum de Ordinationibus aliis ejus, ac ſententiis cognoviſſet, (poſtquam ille, ut videtur, non expectata ſententia, ſed oblata, ſumma cum humilitate ſuggeſtione, diſceſſiſſet) ſed & Primatum abſtuliſſet *Arelatenſi* Sedi, *Viennenſi* adjudicaſſet, (quo tum *Arelatenſis* utebatur, ex ſententia *Zoſimi P.*) Cauſatus pro tempore datum; hoc certe, ita Canonico jure valebat, ſi *Zoſimum* jure ſtatuiſſe dicamus, adverſus *Conc. Taurinenſis Can. II.* Et ſane alio jure nitebatur *Zoſimi*, de *Proculis Maſſilienſis* cauſa, cognitio prima, ut dictum eſt; Præterquam quod & *Arelatenſis Patrocli* ſtudio, ad eum delata ſit. Quod veram cauſam oſtendit, receptorum a *Gallicanis* Epiſcopis Canonum *Sardicenſium*. Nam cum capti a *Francis Treveri* Metropolis eſſe *Galliarum* deſiiſſent; cum *Arelatenſis* Civitas caput VII. Provinciarum eſſe cœpiſſet, *Honorij Aug. Conſtitutione*, (quam *Cuſanus* in libris de Con-

cordia, quam *Scaliger in Auſonianis* Lectionibus, quam *Sirmondus* in Notis ad *Sidonium* ediderunt, cum perinde *Arelatenſis* Epiſcopus caput eſse earum in Eccleſiaſticis pertenderet, reclamante *Viennenſi*, cujus res agebatur; cum eſset difficile, ſubnaſcentes cauſas a diſſidentibus terminari; quid mirum, ad *R.* Sedem referri, quæ Canones non juberent, ſed nec vetarent referri, ab eis, ad quorum ſtudia favore *R.* Sedis opus erat? Itaque non eſt mirum, ſecutam Conſtitutionem *Valentiniani* III. *Aug.*, ratum eſse jubentem quicquid *R.* Sedes judicaret; Quæ tamen ipſa, cum *tentari* quicquam *contra conſuetudinem veterem* vetat, *ſine* Urbis Epiſcopi *auctoritate*, ejus auctoritatem eis finibus continet, quos Canonum auctoritas conſuetudine firmata definiret. Cum autem addit Imperator; *ſed illis*, (*Gallicanis* Epiſcopis) *omnibuſque pro Lege ſit, quicquid ſanxit ſanxeritve Apoſtolicæ Sedis auctoritas*; Nimirum hoc eſse videtur, quod tum petebat *R.* Sedes, ut Canonicum eſset, quod ipſi videretur, etſi Canonibus non expreſsum. Cum autem hæc Conſtitutio, ſimul cum reliquo *Codice Theodoſiano*, apud *Francos* vim Legis obtinuiſſet, manifeſtum eſt, quo jure Canon *Sardicenſis* obtinuerit, Imperio ſc. Regis, non decreto Eccleſiæ; quo jure, *graviora Catholicas plebes ab Epiſcopo Catholico metuere* ſcribebat S *Auguſtinus*, quam ab Imperatoriis Legibus Hæreticos. Quare, non eſt mirum, *Innocentium P. I.* Hincmaro videri, *Sardicenſibus* Canonibus ad *Nicenos* adjunctis, in Clericorum cauſis *R.* Sedi reverentiam cuſtodiri, majores autem cauſas poſt judicium Epiſcopale ad eam referri poſtulare. Idem fecit *Leo P. I. Epiſt.* ad *Theod. A.* quæ Concilio *Chalcedonenſi* num. XIX. præmiſsa legitur; cum appellationem *Flaviani* Synodo *Romæ* habenda judicari poſtulat; *Canonum Nicææ decretorum decreta* teſtatus, quæ *a totius mundi ſunt Sacerdotibus conſtituta*, *quæque ſubter annexa ſunt.* Hic enim ad marginem Editionis *Vaticanæ* ſic ſcriptum; *Intelligere videtur III. IV. & V. Canonem Concilij Sardicenſis*

dicenſis; *Cujus Canones ſub nomine Concilij Niceni*, *ab aliis antiquis Patribus citatos reperimus*; In quo, ut ab inſtituto deceſſorum ſuorum non receſſit, ita, quo jure ex Canonibus *Sardicenſibus*, inſtauranda ſit, in Synodo Oecumenica, de Latrocinio *Epheſino* cognitio, nobis divinandum reliquit. Inſinuat *Sardicenſes* Canones per *Nicenos*, *Innocentius*; quod & *Leonem* feciſſe diximus; *Zoſimus*, cum hoc aſſeruiſſet, invenit ſimpliciores quam qui decipi poſſent. Quod ſi quis quærat, qua ratione, quo juris prætextu hoc fecerint; Procul abeſt ut id reſpondeam, quod quidam innuunt; in Codice quem *Juſtellus* edidit, *Sardicenſes* Canones ſtatim *Nicenis* ſubjici. Hoc enim temporis ordini tribuendum eſt, non Canonum *Sardicenſium* auctoritati. Itaque etſi hic Codex eſſe videatur., quem *R.* Eccleſiæ ſcrinium ſervabat, tempore *Conc. Chalcedonenſis*: Etſi *Sardicenſes* Canones perinde ac *Nicenos* valere voluiſse *R.* Sedes videatur; Ridiculum tamen fuerit, valere hoc dicere, quod ipſa, cujus res agebatur, valere voluerit, *Africana* Synodo contradicente. Cur ipſa valere eos voluerit, duplicem mihi videor rationem præmiſiſse. Nam, cum *Nicenus* Canon *veteri more* R. Sedis privilegia definiat, non ſcripto jure; *majores* autem *cauſas* eſse quaſdam, quæ ex veteri more ad *R.* Sedem referendæ ſint conſtet; Facilius videtur veteris moris prætextu, quam ſcripti juris, quamlibet cauſam *R.* Sedi cognoſcendam tribuere. Quod an reipſa evenerit, judicent rerum periti. Sane *Innocentius* ipſe, cum ſententiam latam de *Bubaliano* & *Tauriano* Epiſcopis *Illyricianis Romæ* reſcidit, (quod ipſe factum *Epiſt.* VII. excuſat potius quam aſſerit) limites Canonum *Sardicenſium* tranſgreſſus eſt. Tum vero, utrum Canones *Sardicenſes* uſu ipſo valuerint, ſtatim ac conditi ſunt, utrum eo conſilio conditi ſint, ut extra *Illyricum* valerent, merito ex præmiſſis dubitatur; cum de *Nicenis* dubitandi cauſa nulla ſit. Sane *Bonifacius P. I.* literis ad Epiſcopos *Illyricianos*, quibus Synodum vetat, retractando *Perigenis Corinthij*

Digitized by Google

Epiſcopatui indictam, apud *Holſtenium* X. ſic ſcribit; *Recenſete Canonum* Sanctiones; *Reperietis quæ ſit poſt Eccleſiam R. ſecunda Sedes, quæve ſit tertia.* Quibus ſubjicit *Alexandrinæ*, *Antiochenæ*, Conſtantinopolitanæ Eccleſiarum cauſas, de quibus ad *R.* Sedem relatum fuerat. De *Illyricianis* tacet, deque Canonibus *Sardicenſibus*; quibus utendum fuerat, ſi ſcripto jure contendendum cenſuiſſet. Moris autem vetuſtati cauſarum diſcrimen etiam nunc recte objicitur. *Innocentius* autem ipſe, Epiſtola ad Metropolitanos apud *Sozom.* VIII. 20. Solos *Nicenos* agnoſcendos, *Antiochenos*, (quibus damnatus eſt *Chryſoſtomus* VIII. 20.) *Sardicenſi* Concilio damnatos contendit. Vide ibi *Valeſium.*

De Hiſpanicarum *Eccleſiarum uſu.*

De *Hiſpanicis* Eccleſiis, nullum adhuc legi, appellatæ *R.* Sedis a damnato Epiſcopo exemplum ante Concilium *Chalcedonenſe*; Cujus Canone IX. non libenter videtur *R.* Sedes ſibi appellationes ſive Epiſcoporum, ſive Metropolitarum vindicatura, propter diverſum Patriarchatus Occidentalis ſtatum a ſtatu Orientalium; cujus ratione, appellationes Metropolitarum tributæ ſunt Sedi Conſtantinop. *Can.* XXVIII. quam *Romana* repudiabat. Et ſatis eſt nullum legiſse. *Baſilidis* & *Martialis* cauſam *Carthaginem* non minus quam *Romam* relatam vidimus. *Priſcilliani* cauſam, non minus *Mediolanum* quam *Romam.* Neque enim minus damnato *Priſcilliano*, *Mediolani* ab *Ambroſio*, quam *Romæ* a *Damaſo* negata audientia eſt; Referente in II. Hiſtoriæ ſacræ Sulpicio, cui *Idacius* in Chronico, ad *Theod.* annum VII. conſentit. Digniſſima quidem animadverſione ſunt quæ mandat *Syricius Himerio* Cap. XV. Ut non ſolum Provinciæ ſuæ Epiſcopis, ſed etiam *Carthaginenſibus*, *Bœticis*, *Luſitanis* atque *Gallicis*, quin & vicinis quibuſcunque decreta ſua nota faciat. Sed hoc ita accipiendum eſt, quaſi conſulenti reſpondeatur, & auctorem Sedem *R.* poſtulanti obſervationis Canonicæ. Aliud enim tinniunt *Eliberitani* Canones, antiquiſſimi *Latinorum*, ut & *Arelatenſis*

Digitized by Google

tenſis I. Synodi ; Ipſi etiam *Nicenis* antiquiores. Sed *Eliberitani* ſolas *Hiſpanicas* Eccleſias auctores ferunt multorum, quæ ab uſu *R.* Eccleſiæ aliena , eis decreta ſunt. Itaque non poſtulant *R.* Sedem eis auctorem fieri : neque vero *PP. Arelatenſes*, cum *Sylveſtrum majores Diœceſes obtinere* præſcribunt , aliud quam a *ſe conditos* Canones ad eum mittunt ; ut ipſo exigente, vim & effectum ſortiantur. Itaque relationis ad *Syricium Himeriana* communem cauſam fuiſset oportet, tum Sedis *R.* tum Eccleſiarum *Hiſpanicarum*; ut ſcirent , ſcilicet , immorigeri , connexis inter ſe Canonum vinculo Eccleſiis , non patere ſibi ad alias Eccleſias receptum. Idem de *Gallicanis Victricij*, *Exuperiique* conſultationibus dicendum ; Quamvis communis neceſſitas in morem verſa *R.* Sedis auctoritatem neceſſario amplificavit. Sane cum Concilio *Toletano* I. ſubſcribunt Epiſcopi *Nebridius* & *Juſtus*, *ſalva auctoritate priſcorum Canonum* ; cum in Concilio *Bracarenſi* I. relecti ſunt, & firmati *Can.* XL, Canones antiqui *tam generalium Synodorum quam localium*, ſatis conſtat , auctoritatem tam generalium Canonum quam ſuorum jampridem ſecutas *Hiſpaniæ* Eccleſias. Nam & *Gallicanos* Canones ſibi eos in auctoritatem aſcivisſe docet *Conc. Tarrac. Can. XI. Ilerdenſe* III. *Valentinum* II. Quomodo & *Gallicanæ Africanos*, ut ex *Matiſconenſis* II. Canone VI. conſtat. Itaque non eſt mirum , ſi decretales *Romm. Pontt.* Epiſtolas in auctoritatem utræque receperint ; (eas dico , quæ ad ſe ſcriptæ non fuerunt) etſi quo primum tempore hoc factum ſit, vel ab his vel ab illis , liquido pronunciari non poſſit. Nam & in dicto Concilio I. *Bracarenſi* , poſtquam Epiſcopi , de antiquis Canonibus in uſum & vim revocandis , conſenſiſſent , ſubjiciunt ; *Præcipue, cum & de cæteris quibuſdam cauſis , inſtructionem apud nos* Sedis *Apoſtolicæ habeamus , quæ ad interrogationem quondam venerandæ memoriæ prædeceſſoris tui Profuturi , ab ipſa beatiſsimi Petri Cathedra directa eſt.* Certe *Sardicenſes* Canones,ante Collectionem *Dionyſianam*,neque

que *Gallos* habuiſſe dici poteſt, (Nam in cauſa Prætextati *Rothomagenſis* Epiſcopi, apud *Gregorium Turonenſem Hiſt. V.* 18. repudiatus eſt Canon Apoſtolorum XXV. quaſi ad Codicem receptum non pertinens, quem tamen *Dionyſij* Collectio, una cum *Sardicenſibus* aſciverat) neque *Hiſpanos.* Nam *Martini Bracarenſis* Collectio Canonum, quæ ex ſecundo *Bracarenſi* Concilio ad Epiſcopum *Lucenſem* miſſa eſt, Canonem nullum *Sardicenſem* uſurpat. *Quintus* enim ejus Collectionis eſt palam *Nicenus* decimus quintus, etſi idem *Sardicenſi* primo inſtauratus. Sane *Gregorius P.* I. cum *Joanni* defenſori *R.* Eccleſiæ cognitionem mandat, de appellationibus *Januarij* & *Stephani* Epiſcoporum *Hiſpanicorum* Epiſtolarum XI. 52, 56. non utitur Canone vel *Sardicenſi*, vel *Chalcedonenſi*, ſed *Juſtiniani Nov.* 123. 22. qua *Chalcedonenſis* Canon confirmatur. Quod autem addit; *Contra hæc ſi dictum fuerit, quod nec Metropolitam habuerit nec Patriarcham; dicendum eſt quia a Sede Apoſtolica, quæ omnium Eccleſiarum caput eſt, cauſa hæc audienda ac dirimenda fuerat; Sicut & prædictus Epiſcopus petiiſſe dignoſcitur, qui Epiſcopos alieni Concilij habuit omnino ſuſpectos*, Indicare videtur, latam ab alieno Concilio ſententiam, quod *Stephanus* Epiſcopus *Metropolitam* in *Romani* Imperij territorio nullum haberet. *Comitiolum* enim *Judicem R.* Imperatoris commemorant Epiſtolæ. Cæterum vide *Petrum* de *Marca* 7. de Concordia XVIII. 11. Quod autem neque Patriarcham eum habuiſſe ſcribit; (Ad formulam ſcilicet *Can. Chalcedonenſis*, ex qua loquitur *Juſtinianus*) reſpicere illud videtur, quod de *Eruigio* Rege, (etſi poſt hæc tempora) *Lucas Tudenſis*; *Romani Pontificis aſſenſu ſtatuit, ut nullus Archiepiſcopus Hiſpaniarum ſubderetur alicui Primati, niſi Romano. Turbatis* enim *Gotthorum* rebus ſub *Viterico* ſcriptæ ſunt *Gregorij* Epiſtolæ; Et cum partim *Romanis*, partim *Gotthis* parerent *Hiſpaniæ*, non eſt mirum ex Canonibus non judicatum. Quod ſi ſeculi poteſtate ſubditæ ſtatim ſunt *R.* Sedi *Hiſpaniæ*, non tenebantur hoc jure aliæ ab *Hiſpanicis*

Eccleſiæ.

Eccleſiæ. Sane *Gregorius* fatetur, ad *Hiſpaniarum* Primatem, ſi Primatem habuiſſent *Hiſpaniæ*, ex *Chalced.* Canone cauſam pertinuiſſe. His igitur, quæ de Canonum *Sardicenſium*; tum etiam Generalium, ſive moribus Eccleſiæ, ſive *Niceno* totius Eccleſiæ decreto; & localium, ſingularum Provinciarum vel Nationum auctoritate conditorum, vi & uſu dicta ſunt, ſecum invicem collatis, manifeſtum erit, ante adjectum Occidenti *Illyricum*; (quod ſeculi poteſtate, non Eccleſiæ auctoritate factum conſtat) R. Sedis auctoritatem ad *Illyricum* propagatam non fuiſſe; Quod ex *Sardicenſis* Concilij ſententia ac mente obtinuit. Tum, ejus univerſam auctoritatem, in retinendis, & inſtaurandis, inque uſum revocandis inſtitutis Eccleſiæ, ſive moribus ſive ſcripto conſtantibus, ſitum fuiſſe. Denique Eccleſias Occidentis, (quas & Orientales Canones ſibi ipſis in auctoritatem aſciviſſe conſtat, & proprios condidiſſe, quibus generales mores ad propriarum cauſarum ſtatum definirent) quoties in eis ſive retinendis, ſive inſtaurandis, ſive etiam agnoſcendis difficultas incideret, ad R. Sedis auctoritatem confugiſſe, eamque ſecutas eſſe. Certe omnes Fidei cauſas ad eam, quoties res poſtulat, referendas eſſe, jam dictum eſt; Quo nomine, cum ad Eccleſiæ Communionem magnopere pertineat, quibus legibus recipiantur ad Communionem omnium Eccleſiarum, qui ab Hæreſi redeunt, non eſt mirum, in *Priſcilliani* cauſa, ſine ejus conſenſu, inſtaurari unitatem violatam non potuiſſe.

Quatenus apud Eccleſias Britannicas *obtinuerit jus* R. *Sedis.*

Video eſſe qui hæc vetuſtæ *Britannicæ* Eccleſiæ exemplo improbent; quarum Epiſcopi, cum a *S. Gregorio* miſſus *Auguſtinus* ab earum Epiſcopis agnoſci & recipi vellet, reſponderunt, ſe *Romanum Pontificem non noſſe.* Sive hoc exemplo *Cypri*, quam ἀυτοκέφαλον *Epheſina* Synodus pronunciavit; (de quo etiam *Ravennatem* Eccleſiam *Romanæ* aliquando adverſatam legimus.) Sive quod *Britanniæ Romani* Orbis Diœceſis fuerint; quarum omnium principes Eccleſias *Romanæ* non fuiſſe ſubditas putant illi, qui-

buſcum

buſcum nunc agimus, ſed æquales. Utrumque, fateor, me nolente. Nam qui *Gregorij* ad *Auguſtinum* mandata apud *Bedam* legerit, inveniet mandatum IX. loco, ut ipſi, *Britannici* Epiſcopi, tanquam Epiſcopo etiam ſuo, non minus quam *Anglorum* Epiſcopi, ſubeſſent. In quo Canon Apoſtolicus XXXV. ipſis adverſus Sedem *Romanam* auxilio erat. Nam cum, ſingulas Gentes ſuos habere Epiſcopos, ibi conſtitutum ſit, nullibi magis obtinere hoc debuerat, quam apud eos, inter quos erant hoſtilitatis cauſæ; quales tum temporis *Britannis* cum *Anglis* intercedebant. Noverant igitur *Britanni Pontificem*, cum duæ Synodi, quibus renaſcentem Hæreſim *Pelagianam* S. *David* damnavit, Eccleſiæ *Romanæ* auctoritate confirmatæ ſunt, ſi *Sylveſtro Giraldoni* vita S. *Davidis* credimus. Vide apud *Uſſerium* p. 475. Noverant, cum S. *Kentigernus Romam* profectus eſt, ut violati Canonis Eccleſiaſtici reatum purgaret, cum ab uno Epiſcopo factus eſt Epiſcopus, ut ejus Vita refert; Quam, licet fabulis contaminatam, nemo tamen, qui veritatem Hiſtoriæ de *Cumbrenſi* Regno in ejus narratione extantem obſervaverit, tanquam prorſus fabuloſam rejecerit. Vide Collectanea *Uſſeriana* p. 683 - 686. tum p. 663. 667. Noverant, cum deceſſor *Kentigerni Ninianus*, *Caſæ Candidæ* poſtea Epiſcopus, *Romæ regulariter Fidem & myſteria veritatis edoctus eſt*; referente Hiſtoricæ fidei ſcriptore *Beda* noſtro Eccl. Hiſt. III. 4. Noverant multo prius, cum a Synodo quidem *Gallicanâ*, ſed & *Cæleſtini* Papæ auctoritate miſſi *Germanus* & *Lupus*, Hæreſeon offendiculis ipſos liberarunt: Cum, poſt irritum *Palladij* ad *Scotos* in *Hibernia* legationem, idem Papa, cum *Francorum* Epiſcopis, Patricium per *Britanniam* ad *Hiberniam* lucrifaciendam miſit; poſtquam *Kebius*, a S. *Kilario*, ut dictum eſt, fruſtra miſſus, in Monam *Britanniæ* noſtræ ſe receperat. Noverant, cum, tranſlata, ad S. *Davidem* a *Landavo*, Sede Principali, *Samſon*, (ut mihi quidem videtur, ex conjectura tamen) Dolenſis *Britanniæ Aremoricæ* factus Epiſcopus,

Pallium

Pallium ſecum ſe aſportaſſe ferret; id eſt, Metropoliticum ſibi honorem, à Legionenſi, (id eſt Landavenſi) Sede ad Meneuenſem, ab Arturo Rege, in gratiam avunculum S. *Davidis* tranſlatum, ſibi in Dolenſi Sede collocato deberi. Turbant quidem hanc hiſtoriam *Arturidæ Galfridi* Monumethenſis fabulæ, de alio *Samſone*, *Arturi* Regis *Capellano*, *Eboracenſi* Eccleſiæ à Rege præpoſito, qui poſtmodum in *Walliam* ſe noſtram recipere coactus fuerit, Gentilium *Saxonum* armis. Cæterum, qui offenſiones inde natas, inter *Britannos* & Sedem *Turonenſem*, ob Archiepiſcopatum *Aremoricæ Britannicæ*, ab hoc tempore Dolenſi Sedi vindicatum, conſideraverit, non improbabile putabit quod conjicio. Nam cum *Turonenſi* Concilio I. ſubſcribens *Manſuetus Britannorum Epiſcopus*, ſuffraganeum ſe ejus Archiepiſcopi tulerit; ab hujus *Samſonis* tempore, uſque ad *Innoc.* III. Papam, detrectaſſe eos hoc obſequium, & Archiepiſcopo ſuo ſubeſſe voluiſſe conſtat. Hujus rei rationem, qui narrationum diſcrepantiam, quas ſub uno intuitu exponit *Uſſeriana Collectio* p. 1130, 1132. ad veritatis lineam conciliari poſſe deſperat, nunquam idoneam reddi poſſe credet, niſi ſecandum nodum acie conjecturæ noſtræ concedat; Cujus conjecturæ hæc eſt ratio. Cum, obſoleſcente Sedis Legionenſis claritate, per Eccleſiæ *Landavenſis* obſcuritatem, ubi ſedere cœperat Legionenſis, *S. Davidem* propinquum ſuum Legionenſis Archiepiſcopatus honorem habere vellet, ac vim, Rex *Arturus*, in Eccleſia ſua *Meneuenſi* ſedentem; *Dubricius Landavenſis* Epiſcopus in eremum ſeceſſit: Sponte quidem, ſed ordinato ſibi ſucceſſore *Samſone*; quem ut à *Dubricio* ordinatum referunt, ita *Dubricio* non ſucceſſiſſe conſtat, quia Sedem non retinuerit, cujus honore frui non potuerit. Cum igitur in *Aremoricam* ſecedens *Samſon*, & Epiſcopus factus *Dolenſis*, (ut ejus Vita refert, quam in Bibliotheca *Floriacenſi* editam legimus) *Pallium* uſurparet, cujus uſu Archiepiſcopum ſe ferebat, (*Pallii* enim uſum ſibi tum ſponte ſumebant Archiepiſcopi, non ſolum, ut poſtea, *R.* Sedis indul-

tu, (ut notum eſt, de *Gallicanis*, *ex Petro de Marca*, 6 *de Concordia* VII. 2.) videntur hoc initio *Dolenſes* Epiſcopi,& *Britanni Aremoricani*, Genti ſuæ jus Archiepiſcopatus vindicaſſe. Sane quod *Samſonem Eboracenſem* Archiepiſcopum in *Dolenſi* Eccleſia *cum Archiepiſcopalibus inſignibus* miniſtraſſe ſcribit *Innocentius* III.*Regeſti Epiſt.* II. 79. quod *Britanni* ſuum ſibi Regem conſtituiſſent, magnopere huc facit. Nam quod *Samſonem Eboracenſem* facit Archiepiſcopum, *Britannicæ Galfridi* Hiſtoriæ Fidei tribuendum eſt. Vide apud eundem p. 1150, 1151. quæ de *Theliao Landavenſi*, Legionenſem Archiepatum ſibi poſtliminio vindicante. Tum Theliai ſucceſſor *Oudaceus*, quod hoc obtineri non poſſet, *Landavenſis* factus Epiſcopus, propter ſuæ Sedis injuriam, non dubitavit ab Archiepiſcopo *Cantuarienſi* conſecrari; Idque, plebe ſua & poteſtatibus, cum triumpho, reverſum excipientibus. Hunc tamen *Britanni* Sanctis ſuis aſcribunt. Vide apud eundem p. 1155. Quorum nihil eſſe poteſt, niſi perpetua fuiſſet *Romanæ* Sedis apud *Britannos* obſervantia; etſi non eis finibus, quas ipſa ſtatueret, ſed quas reliqua Eccleſia agnoſceret. Itaque, quod ob controverſiam de Paſchate non abſtinuerit communione *Aſiaticorum Romana* Sedes, exemplo eſſe debet, earum controverſiarum, quibus manentibus, Eccleſiæ unitas immobilis manere debeat. Quare & de *Britannis* eadem ratio fuerit. Qui enim ſubtilius in ejus cauſæ fundum inquirunt, inveniunt eam celebrandi Paſchatis rationem, pro qua tum cum *Britannis Scoti* dimicabant, non ſine *Romanæ* Sedis auctoritate introductam. Quam cum emendare vellet *Romana* Sedes, rudiores populos; cum ſuam rationem Chriſtianiſmi communis intereſſe putarent, licet falſo; ejus auctoritati non ceſſiſſe. Vide eundem *Uſſerium* à p.925. Ubi ex *Cyclo* 84. Annorum, ut Eccleſiæ *R.* ante receptum novendecem annorum *Cyclum Alexandrinum*, ita *Britannorum* & *Scotorum* acta Paſchata oſtendit. Qui, licet interpolatus aliunde in eorum uſum receptus fuerit, oſtendit tamen, non potuiſſe ipſos

ſos credere, deſciſcere ſe à *R.* Sede, eo Canone ſervando, quem in ejus Communione receperant. Itaque quod *ſibi notum* Papam negarunt *Britanni*, hactenus intelligendum, ne mandatis *Auguſtino* a *S. Gregorio*, propter ejus auctoritatem, ſibi cedendum putarent, Eccleſiæ totius Canone non jubente; In quo, inſigne extat, Canonicæ, non immenſæ Sedis Romanæ poteſtatis exemplum.

De Ordinationibus Anglicanis.

Reſtat huic loco, veteris Eccleſiæ *Saxonicæ*, Rom. Sedis auctoritate inſtitutæ cauſa quædam; quæ, cum viſa ſit turbarum noſtrarum incentoribus, Epiſcopos a Presbyteris Ordinatos in *Anglia* probare, recte intellecta, ut opinor, Canonicam *R.* Sedis auctoritatem non infinitam probabit, Eccleſiæ *Anglicanæ* facto, ejus auctoritate inſtitutæ. *Winus Winceſtrenſis*, ſolus inter *Anglorum* Epiſcopos regularem Ordinationem habuit; ait *Beda* III. 28. Quare? Quia prius a Presbyteris Ordinati? Hoc enim dicitur; audaci ad ſtuporem uſque commento. *Culdei* ſcilicet Presbyteri, ad *Turgotum* uſque Archiepiſcopum, *Fani Andreæ* Epiſcopos ordinaverunt; Hactenus hoc eis jus ab initio Fidei in *Scotia* ſalvum fuit, quod inde abrogatum eſt. Atqui, Ordinandorum Epiſcoporum jus ſolis Epiſcopis, totius Eccleſiæ conſenſu aſſertum eſt. Quod autem & *Ninianum*, *Candidæ Caſæ Britannorum* Epiſcopum, a *Culdeis* Ordinatum conjicitur, portenti ſimilius eſt quam conjecturæ. Quid enim ad *Ninianum Britannum Scotorum Culdei*; Cum neque *Britannis Scoti* ordinarent, neque *Saxonibus Britanni*? Itaque cum *Saxonibus Cumbriæ* regnum ceſſiſſet, novo initio a *Saxonibus* ordinatus eſt *Plecthelmus*; non quod priores a Presbyteris. De *Culdeis* autem, ab initio Fidei, per *Scotiam* Eccleſiarum Principibus, quod à recentioribus narratur, fabulam eſſe dictum eſt, non veritatem hiſtoriæ. Cur igitur *Anglicanorum* Epiſcoporum Ordinatio irregularis? Quod ab uno Epiſcopo *Auguſtino*. Conſtat enim, nullum alium veniſſe ab initio Epiſcopum. Et ipſe *Gregorius* ad *Auguſtinum* Reſponſo VIII. *Et quidem in Anglorum Eccleſia, in qua*

adhuc ſolus tu Epiſcopus inveniris, Ordinare Epiſcopum non aliter, niſi ſine Epiſcopis; potes. Neque dubito hoc ipſum feciſſe, quod non vulgaris Epiſcopus, ſed Sedis *R.* mandato venerit. Nam decretum hoc a *Syricio* P., qui primus decretales ſcripſit minime ſuppoſititias, docet nos *Fulgentii Ferrandi Breviarium Canonum*, cujus hic eſt ſextus titulus; *Ut unus Epiſcopus Epiſcopum non Ordinet, excepta Eccleſia Romana.* Propter hoc privilegium, ſolus *Auguſtinus* miſſus videtur Epiſcopus; Cum non eſſet difficile, ejus etiam comites Epiſcopos feciſſe, ut ex Canone Apoſtolico Ordinarent Epiſcopos. Fortaſſis, *Britannorum* Epiſcopos ſuffragaturos *Auguſtino*, ſumptum eſt pro conceſſo. Cum illi renuerent, ob dictam cauſam; ab uno profectum *Anglorum* ab initio Epiſcopatum, manifeſtum eſt. *Winus* quidem in *Francia*, ex Canone ordinatus fuit, ut ſcribit *Gul. Malmsburienſis de geſtis Pont.* II. Ipſe itaque duos *Britannorum* Epiſcopos ſibi in Ordinando adjunxit. Sed & ipſi *Britanni* irregulariter ordinari potuerunt. Sic enim *Kentigernus*, ut dictum eſt; Cujus Vitæ locus apud *Uſſerium* p. 684. ignorantiæ Canonum illud tribuit, quod *Kentigernum Romam* profectum ſcribit, ut purgaret. *Joannes* autem Major ibidem p. 672. argumento eſſe vult, *non eſſe de eſſentia Epiſcopi, ut a tribus ordinetur*, quod a ſolo *Palladio S. Servanus* Epiſcopus ordinatus referatur. Quanquam hoc eodem *R.* Sedis privilegio factum conjici poteſt, propterea quod *Palladium* a *R.*Sede miſſum conſtat. Quare quod *Wilfridus* in *Anglia* Ordinari noluit, in *Francia* ordinatus eſt, eodem referente *Beda*; qua ratione factum putari poteſt, quam quod de privilegio, quo Canonibus derogabatur, non conſtaret? Neque enim dici poteſt, propterea non acceſſiſse ad Sedem *Cantuarienſem Wilfridum*, ne jus ejus in *Eboracenſem* agnoſceret, *Bernicienſibus* ſolis ordinandus Epiſcopus; cum *Ceadda*, *Deirenſibus* ordinandus Epiſcopus, ad *Cantuarienſem* miſsus, quod de Canonibus violatis ſoliciti non eſſent, propterea a *Wino* ordinatus ſit, quod moruus eſset

Deuſ-

Deuſdedit *Cantuarienſis*, teſtante loco dicto *Beda*. Semper autem reddenda eſt ratio ejus quod *Beda* ſcribit; *Non enim erat tunc ullus, excepto illo Wino, in tota Britannia Canonice Ordinatus Epiſcopus*; Cujus quæ alia reddi poteſt ratio? Quod igitur *Salamis Cypri*, ex more antiquo, αὐτοκέφαλος extitit, judicio Synodi *Epheſinæ*, ad jus *Britannicæ* Eccleſiæ non facit. *Cyprus* enim Provincia fuit Orientalis *Diœceſis*; *Britanniæ*, *Diœceſis*. Neque aliud indicat αὐτοκεφαλία, niſi Archiepiſcopum *Cypri*, privilegio ſuo, propter maris pericula, a ſuffraganeis ſuis Ordinari. Hoc ipſum non eximebat jure *Antiochenæ* Eccleſiæ in reliquis; multo minus Synodi generalis jure, quo privilegium ſuum obtinebat. Sic & *Ravennas*, qui quondam ipſe idem petebat, ut refert *Anaſtaſius*. *Diœceſes* autem, & earum Principes Eccleſias; *Romanæ* Sedi impares eſse, dictum eſt. Quod autem *Wilfridum Eboracenſem* Epiſcopum, appellata *R.* Sede, ſuam Sedem poſtliminio recepiſse afferri poteſt ex *Beda* & *Gulielmo Malmesburienſe* res ejus referentibus; Ideo valet, ne dubitari poſſit agnitam ab *Anglis*, *R.* Sedis auctoritatem, (per quam factum fuerat, ut eſsent Chriſtiani) definitam tamen ſuis finibus. Nam qui reſtitutus prima ejus Sedis ſententia, Sedem ſuam non receperit, cum ſecundo *Romam* profectus, ejus auctoritate ſuam Sedem poſtlimino obtinuerit, argumento eſse debet, alia tum ſibi *Anglos*, præter *R.* Sedis auctoritatem ſpectanda putaſse; Cum nihil jure, niſi ex Eccleſiæ Canonibus ſpectare poſsent.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XXIV.

De jure Sedis Conſtantinopolitanæ. *Sedem* R. *in Synodis Oecumenicis præſediſſe. Schiſmatis* Acaciani *cauſam non minus penes ipſam, quam penes* Acacium *reſidere. De judicio in PP. Symmachum & Honorium. Ambitionem R. Sedis, recepta Quinta Synodo in Ordinem redactam. Quibus gradibus Primatus ejus, ex Canonico ſui arbitrii evaſerit.*

Canonem Chalcedonenſem *adverſus Sedem* R. *valere.*

SED de jure Sedis *Conſtantinopolitanæ* dicendum eſt; de quo, conflictus Synodi *Chalcedonenſis* cum Sede *R.* aliquot ſeculis ſtatum habuit. Equidem, decretum ſecundæ Synodi, qua, ad ſecundum poſt *Romanam* Sedem locum evecta eſt, ſoli Orienti tribuendum videtur; Occidente in decretum de Fide ſolum conſentiente. Nam quis jure factum negabit, quod Orientis Eccleſiæ ſibi conſtituunt? Quamvis, quod inde, non ſolum *Alexandrina*, ſed & *Romana* Eccleſia vel doleret ſibi, vel metueret, præfracte & præpropere damnatus a Cœleſtino & *Cyrillo Neſtorius*, magnas videri poſſit Epheſino decreto difficultates objeciſſe. Nam in Concilio *Chalcedonenſi*, non fuit integrum *R.* Sedis Legatis, propoſitum, de ejus in *Aſianæ Ponticæque Diœceſeon* Eccleſias auctoritate, Canonem ſilentio tranſigere; Cum tamen *Conſtantinopolitanus*, de ſecundæ Sedis prærogativa, cum privilegiis *R.* Sedi ſupparibus, nec ſuffragante nec contradicente *R.* Sede, tum invaluiſſet. Itaque, adverſus eum palam conteſtati ſunt. Sed ideone invalidus? Puto quidem, ſi omnium temporum literæ Eccleſiaſticæ replicentur, nunquam ampliora *Romanæ* Sedi auctoritatis ellogia tributa repertum iri, ab Orientalibus, quam cum facerent, quod ipſi omnium rerum ingratiſſimum ſciebant. Et ſane, irritatum Pontificis animum rerum aſperitate, verborum honore lenire, ad retinendam

Ec-

Digitized by Google

Eccleſiæ unitatem ſpectabat. Sed quod de decreto *Conſtantinopolitano* prius, idem nunc de *Chalcedonenſi* quærendum; Quid impediret Orientales, de ſuis Sedibus, hoc eſt, de ſua inter ſe auctoritate conſtituere? Scilicet metus erat, ne in *Alexandrinam* etiam & *Antiochenam* idem juris *Conſtantinopolitanæ* tribueretur: Ne procedente tempore, in *Illyricum* Sedis *R.* jura ſibi affereret: Ne denique, cum *Roma* Sedes amplius Imperii non eſſet, ipſam cum ſubdito Occidente ſibi ſubjiceret. Nam hoc conatos aliquando *Conſtantinopolitanos*, *S. Gregorii*, de *Joanne* & *Cyriaco Conſtantinopolitanis, Oecumenici Patriarchæ* nomen affectantibus querelæ oſtendunt. *Epiſt.* VI. 24, 28, 30, 31. VII. 30. Sane, quod delatum ad *R.* Sedem eundem titulum deceſſores ſuos non uſurpaſſe ſcribit, argumento eſt, Primatum eo intellectum. Nec mirum, leviorem rem viſam *Eulogio Alexandrino*, ut ex ipſo *Gregorio* Reg. VI. 24. intelligimus; Quia non tantum profitebatur, quantum volebat intelligi. Sic enim *Paulus de Geſtis Langobardorum* IV. 37. *Hic, rogante P. Bonifacio, ſtatuit Sedem R. & Apoſtolicæ Eccleſiæ caput eſſe omnium Eccleſiarum; Quia Eccleſia Conſtantinopolitana primam ſe omnium Eccleſiarum ſcribebat.* Ecce, nihil aliud *Phocas*, de quo ſermo eſt, *R.* Sedi contulit, quam ut recederet ab afferendo Sedi *Conſtantinopolitanæ* Primatu; ad quam, ſub Oecumenici Patriarchæ titulo, viam affectabat, *Paulo Langobardo*, non diu poſt ipſa tempora affirmante. Et ſane quid aliud vult *Gregorius*, cum *Lucifero* confert *Conſtantinopolitanos*, quam ipſos Primatum affectaſſe? Equidem, ut ſunt res humanæ ſemper mobiles, ut animi hominum ambitionis inexpletæ, non eſt dubium hæc in mentem veniſſe, & *Conſtantinopolitanorum* quibuſdam ut cuperent, & *Romanorum* ut metuerent. Et huic ſive metui, ſive cupiditati, eas vel verborum vel rerum aſperitates tribuet, quæ his inter ſe Sedibus acciderunt, qui de rebus Eccleſiaſticis ſequentium temporum cum judicio tractaturus ſit. Cæterum, quæ a ratione proficiſcuntur, quam Chriſtiana pietas non agnoſcit, ſi idoneam auctorita-

tem

tem præ ſe ferant, non deſinunt propterea valere, & jus creare. Itaque decretum *Chalcedonenſe* rebus ipſis ſemper validum fuit, etiam *Romana* Sede non conſentiente: Et ſilentio poſtea in Codicem ejus receptum, ſilentio damnat eos, qui nunc temporis irritum volunt, quod infinitam Papæ poteſtatem non ferat. Equidem non poſſum non ambabus amplecti, ac deoſculari virorum doctorum φιλαλήθειαν & candorem, conciliantium inter ſe Occidentem cum Oriente, ex ipſis rerum geſtarum monumentis; quatenus quidem conciliari poſſunt, qui nullum inde diſcidium paſſi, perpetuam hanc diſſidendi materiam habuerunt, donec in id quod hodieque durat diſcidium erupit. Cum enim negari non poſſit, ſtatim ac conditus eſt invaluiſſe hunc Canonem, quacumque intererat Sedis *Conſtantinopolitanæ*; quis neget, vere dici *R.* Sedem, (cui hoc dat Primatus, ne quid ſine ejus conſenſu Eccleſiam totam teneat) non ſolum per Occidentem, ſed & per univerſam Eccleſiam, jure ſuo uſam, cum caveret, ne merito dici poſset, ſuo conſenſu *Niceno* Canoni derogatum fuiſſe? Quis enim dubitet, Eccleſiæ ſtatum tum demum inviolatum manere, manentibus inviolatis Eccleſiæ Canonibus? Verum quis inde *Leoni* auctoritatem aſtruat in Concilium, cujus auctoritate conditus eſt, quod ejus condendi auctor eſſe noluit, quem conditum valere paſſus eſt, quod vetare non poſſet? Et licet Sedes Apoſtolica nunc uſque contradicat, *quod a Synodo firmatum eſt Imperatoris patrocinio permanet quodammodo*; ait *Liberatus cap.* VIII. Contradicebat tum, cum hæc ſcribebat *Liberatus*, *R.* Sedes, quod in cenſum Canonum ſuorum XXVIII. *Chalcedonenſem* non reciperet; Ut ex *Dionyſii* Exigui Codice manifeſtum eſt. Valuiſſe tamen medio tempore, (Si *Baſiliſci* tyrannidem excipias, qui Synodum prorſus damnabat) quis negare auſit? Itaque accipio, quod *R.* Sedem diſſenſiſſe ſcribunt eo conſilio, ut *Conſtantinopolitanorum* ſuperba elatio, ſi quando limites egrederetur, hac una exceptione reprimi poſſet; Propter quam

toties

toties urget *Gelaſius*, Eccleſiam *Conſtantinopolitanam* inter Sedes minime numerari. Sed hoc quod Schiſmatis cauſa tum obtinentis objectum videtur, ad jus illud minuendum, quod *Conſtantinopolitanæ* Sedi, Canone ſive ſecundæ ſive Quartæ Synodi quæſitum aſſeritur, prorſus nihil pertinet. Quod autem ad fidem tuendorum Canonum ſemel poſitorum, Primæ Sedi, ipſo Eccleſiæ ſtatu & conſtitutione annexam attinet; Num violatam cenſendum fuiſſet, ſi in eos autore *R.* Sede conſenſum fuiſſet, quos valere vetare non poſſet, puto eis exemplis ſatis definitum, quibus etiam Apoſtolorum inſtitutis, mutatione ejus rerum humanarum ſtatus, cui condita conſtare poſſit, derogari dictum eſt. Nam cum ab eis Eccleſiæ tota auctoritas profecta ſit, cujus eſſet pudoris, ampliorem eam in fluvio, quam in fonte ferre? Quod ſi quis à *Petro,Romanæ* indultum Sedi dicat,non ſolum ut prima ſit ipſa, ſed ut Secunda non ſit quam ipſa nolit, etſi vetare non poſſit; attendat *Conſtantinopolitani* Canonis auctoritatem, qui cum Civitati *Conſtantinopolitanæ* ſecundam Sedem aſſignat, *eo quod Imperii Sedes eſſet*, totius Orientis conſenſu, *Romanæ* Urbi Primatum, ea de cauſa aſſerit, quod matrix Imperii Sedes eſſet. Attendat etiam ſereniſſimum rationis jubar, vetantis ſolum *S. Petrum* ejus juris auctorem ferri, cujus reliqui Apoſtoli, reliquis a ſe conſtitutis Sedibus auctores non fuerunt; ne cum eo quidem diſcrimine, quod ipſis cum *Petro* interfuit; propterea quod aliud Urbium magnitudo poſtularet. Attendat denique, non aliter *Petro* Primatum *R.* Sedis acceptum ferri poſse, manentibus quæ dicta ſunt, niſi *Petrum*, propter Primatum ſuum, Primam Urbium Cathedræ ſuæ Sedem elegiſse dicamus: Ex conſenſu,ſcilicet Apoſtolorum; Abſque quo fuiſset, quis communi hominum ſenſu præditus, idem per omnes Imperii Civitates, pro ſuo quamque modo, obtinere potuiſse credat? Qua una ratione, ſi quis ſententiam noſtram rejiciat, ſatis erit, conſenſum Eccleſiæ, uſu Primorum ejus temporum firmatum, ſine Schiſmatis nota a nemine mortalium violari poſse.

Digitized by Google

R. Sedem præſediſſe in Octo Synodis Generalibus.

Cum igitur Canonicam eſse, non arbitrariam, Epiſcopi *Romani* in Occidentis Eccleſias auctoritatem, ſic conſtet, videndum nunc, idem multo potiori ratione obtinere, ſi *R.* Sedem, cum reliquis principibus, id eſt, cum Generali Concilio comparemus. Nam, ſine ejus conſenſu poſse Generale Concilium dici, ἀῤῥωςία fuerit διανοίας, quam vocat *Ariſtoteles*, dubitare; cum Totum dici nequeat, cui princeps pars deſit. Mihi aſsentiendum inſuper videtur eruditæ *P. de Marca* diſputationi, libro quinto de Concordia a cap. III. ad XIV. inditæ; Papæ eſse, vel ipſum, vel per legatos, Synodis Generalibus præſidere; ſi *præſidere* ſolam προεδρείαν ſignificet. Aliud enim erat *Judicis* loco eſse, cauſæque tractandæ, ferendorumque ſuffragiorum ordinem exequi; Quod cujus fuerit, poſtea dicendum, quod ad diverſam rationem pertineat. Neque ſic tamen, nudam eſse προεδρείαν, ſed cum ea auctoritate, quam, ferendi primum ſuffragium *prærogativa*, ut a *Tertulliano* appellatur, poſtulat. Quantam fuiſse, ſententiæ *Principalis*, in Senatu *Romano*, temporibus Imperii auctoritatem, ad condendum Senatus conſultum ipſo referente, cenſendum ſit, non contendo. Eandem fuiſse *R. Sedis* ad decretum Concilii Generalis, non puto temere concedendum. Obſtat ſumma *Principis* poteſtas; cum *R. Sedis* auctoritas, in condendis decretis Generalium Conciliorum, Fidei Traditionem, & Eccleſiæ Canones ſuperiores agnoſcat. Itaque quod Impp. *Romani*, in Relationibus ad Senatum, ut auctoritatem ejus Ordinis, etiam ſub Principibus integram tueri viderentur, liberum ſuffragiorum jus permittebant, ſuo jure hoc faciebant in eis, quæ ſummæ poteſtati pro ſuó jure decernenda veniebant. Atqui in Eccleſiaſticis, non ſolum communis Fidei ratio potior eſt jure Concilii Generalis, ejuſque decretis excipienda; ſed etiam Canonum Eccleſiæ univerſæ; quatenus quidem Unitatem totius, mutata eorum forma labefactari neceſſe fuerit. Hos intra limites ſtare Primatus *R.* Sedis jura oportet. Cæterum, his auctoritatis quas dixi finibus,

Digitized by Google

finibus, Præſediſſe Conciliis Oecumenicis *R.* Sedem, videtur ex *Epheſina* II. Synodo ſumi poſſe; Vel potius ex damnatione Dioſcori, male geſti muneris cauſa; cum Synodo *Epheſinæ* II. præſideret, una cum *Juvenali Jeroſolymitano* & *Thalaſſio Cæſarienſi*, in Concilio *Chalcedonenſi* ſecuta. Neque enim dicitur, neque dici poteſt, propter ſuſceptum Præſidendi Officium damnationis ſententiam accepiſſe. Neque ſi conſtaret, Imperatorem *Theodoſium*, cum eos Concilio præeſſe juberet, non fuiſſe memorem, *Cyrillum* propterea *Epheſinæ* I. præeſſe juſſum a ſe, quod Legationem *Cæleſtini P.* gereret, propterea putandum eſſet, injuria ipſos præſidere juſſos. Nimis hoc ſero diceretur nunc dierum, quod tum conteſtatum fuiſſe quenquam dici non poſſit. Itaque, quod ab ipſo intra Canonicæ auctoritatis limites geſtum non fuiſſe, recte probatum videtur. Itaque Legatos *R.* Sedis ita vel præſediſſe *Niceno* I., vel *Epheſino* II. præſidere debuiſſe, quemadmodum præſederunt *Chalcedonenſi*, dici non poteſt; Ita ſcilicet, ut ordinem rerum gerendarum ipſi gubernarent. Quod ſi verum ſit, datum hoc oportet Imperatoris arbitrio, & ſtudio conciliandi Sedem *R.* decreto de ſecundo loco Patriarchæ *Conſtantinopolitani*; ad quod, per illud Concilium, affectabatur via. Sane quod ante Concilium *Leo*, damnata *Eutychis Hæreſi Epiſt.* XL. ad *Anatolium*, ejuſdem damnandæ Concilio auctor fuit, ideo recte factum, quod ad communem Fidem res pertineret. Nam & cum *Pelagius*, ab *Afris* damnatus, à *Zoſimo P.*, eorum ſententiam ſecuto, damnatus eſt, non eſt cauſandum, auctoritatem ſibi ab *Afris* in *R.* Sedem ſumptam; Sed eorum Hæreſis, hoc facto, *per totum Orbem proſcripta eſt*, (ut ſcribit *Proſper* in Chronico) cujus damnatio *Africam* prius non excedebat. Itaque cum Epiſtolæ *Leonis* refragarentur in Concilio *Chalcedonenſi* Epiſcopi *Palæſtini* & *Illyriciani*, priuſquam de ejus ſententia ipſis ſatisfactum fuiſſet, *Act.* II. & IV. in eo oſtendebant, non ſolum liberum eſſe, ſed & ad Officium omnium pertinere, quamvis auctoritatem, infra communis Fidei rationem du-

Digitized by Google

cere. Neque mirum eſt, tantum honoris habitum Vigilio, *Conſtantinopoli* tum præſenti, ut Quintæ Synodi præſidere vellet; qui ſuam auctoritatem parem non futuram videbat conſenſui ejus, ſi intereſſet. Hoc tamen oſtendit, non potuiſſe Synodi decretum Oecumenici Concilii auctoritatem habere, niſi ex conſenſu *R.* Sedis. Neque aliud de *R.* Sedis auctoritate in Synodo VI. dicendum videtur, quam quod de *Chalcedonenſi* dictum eſt. Quod enim Canonibus *Trullanis* reclamatum eſt pertinaciter à Sede *R.*, quamvis, Legatos ejus, Synodo qua lati ſunt interfuiſse, negari non poſſit; Videtur mihi ſimile cauſæ de Canone *Chalcedonenſi*, cujus auctor eſse *R.* Sedes noluit. Nam ſive Legati qui interfuerunt eis perferendis non ſubſcripſerint, ſive mandatum idoneum non habuerint, quo *R.* Sedes obligata teneri dici poſſit; Cum tamen poſtea, etiam exceptionibus adhibitis, ſicubi diverſum ſtatuerent ab eis quæ mores Eccleſiarum Occidentis receperant, pertinaciter recuſati ſint, quid eſt, quo minus, ut de Schiſmate *Acaciano* ſtatim dicemus, majorem auctoritatis ſuæ quam Unitatis Eccleſiæ rationem habuiſse *R.* Sedes dicenda ſit? In ſeptima autem Synodo, quod rerum gerendarum Ordini toti præſedit *Taraſius P. Conſtantinopolitanus*, cum neceſsarium fuerit propter linguæ diverſitatem, non eo tamen valet, ut mandato Legatorum *R. Sedis* hoc feciſse videri debeat. Quis enim in eo mandatum cauſetur, in quo Legati *R.* Sedis ad Concilium *Epheſinum* II. nihil cauſantur, quod a ſe mandatum non ſit? Sed omnino jus ſuum *R.* Sedi integrum fuiſſe oſtendit, etſi rebus gerendis non præfuerit. De Octava Generali nihil dicam, hoc quidem loco; Propterea quod, per mobilitatem ingeniorum Græcorum, inter ſe ſtudiorum extremitate diſſidentium, & ſuis ſubinde decretis repugnantium, videtur potius Pœnitentiam ab eis expreſſiſſe, quam in auctoritatem recepta fuiſse. Atqui, etſi facile ſit eorum mobilitatem damnare, qui a ſuis ipſi decretis diſcedunt, non eſt tamen facile, in auctoritatem recepta aſserere, quæ, Ca-

nonicæ

Digitized by Google

nonicæ modeſtiæ limitem tenuiſſe, aſſeri non poſſit.

Vide nunc, quid *Leonis P.* I. prudentiam in recuſando *Canone Chalcedonenſi*, cum pari modeſtia conjunctam, ſecutum fuerit. Nam ego non video, cur prudentiæ tribui non poſſit, ejuſque ſancto Epiſcopo neceſſariæ, quod efferendi ſe *Conſtantinopolitanæ* Sedi auctor eſſe noluerit; Quam, ut eſt ambitio hominum inexplebilis, non eo fine ſtaturam prævidere poterat, ſed ad Primatum viam affectare, cum periculo Unitatis. Prudentiæ laudem habeat, cui modeſtiæ ratio conſtat. Cujus rationem ſucceſſoribus *Leonis* non conſtitiſſe, oſtendunt quæ ſecuta ſunt. Cum enim factus *Alexandrinæ* Eccleſiæ Epiſcopus *Joannes*, *Zenoni* Imp. ſuſpicionem, *Acacio Conſtantinopolitano* invidiam moviſſet, querelam *Romam* detulit, *Antiochenæ* Sedis literis munitus, de *Petro Mongo* in Sedem ſuam intruſo; Qui, *Chalcedonenſis* Synodi hoſtis, ſimulato ſtudio, *Henoticon Zenonis* (quo abſciſſam Eccleſiæ *Ægyptum*, ſopita ejus Synodi auctoritate reconciliare ſtudebat) ad hunc effectum promovendi, ab *Acacio* in communionem receptus fuerat. Hic hic apparuit vis regulæ Eccleſiaſticæ, ut qui Hæretico communicet, ipſe Eccleſiæ Hæretici loco ſit. Neque enim prius reſarcita eſt Eccleſiæ *Romanæ* cum *Conſtantinopolitana* communio, quam poſt XL. aliquot annos, conſenſum eſt, ut omnes ab *Acacio* Epiſcopi *Conſtantinopolitani* de tabulis delerentur, e quibus, functorum in ſpe ſalutis Epiſcoporum nomina in Euchariſtia celebranda commemorabantur. Quod eos erat, Eccleſiæ, Hæreticorum loco cenſeri; quorum nonnullos conſtabat, & de Fide recte ſenſiſſe, & pro Fide gravia paſſos fuiſſe. Hic, quanto minus cauſæ erat, cur hunc rigorem Sedes *Romana* retineret, tanto manifeſtius ejus jus eſt, in Canone Eccleſiæ ad vim revocando. Nam & Imperio, & Sedi *Conſtantinopolitanæ*, legibus a ratione alienis cedendum fuit, ut unitas obtineret; propter quam cum Canones conſtituti ſint, ob eam revocandam, ſemper Chriſtianiſſimis præſulibus relaxandi viſi ſunt. Interea loci, quod *Zeno* & *Acacius*,

Quæ hinc ſecuta cenſendum ſit.

Acacius, decreto *Chalced.* Synodi, id eſt totius Eccleſiæ, ſilentio damnato, *Henotico*, auctoritate Imperiali conſtituto, revocare *Ægyptum* ad Eccleſiam voluerint, merito ſucceſſores ſuos, Eccleſiæ auctoritati, quam violaverant, obnoxios reliquiſſe cenſendi ſunt.

Schiſmatis Acaciani *cauſam penes ipſum fuiſſe.*

Sed hæc rationibus aſſerenda ſunt. Grave quidem *Acacii* crimen, nec diſſimulandum, quod *Petrum Mongum*, ab Hæreticis *Timotheanis* Ordinatum, Epiſcopum *Alexandriæ* agnovit, & in Communionem ſuſcepit; quem, ſuis literis ad R. Sedem damnatum, ab ipſo, niſi Sede *Romana* auctore, recipi nefas erat. Nam neque alia ratione recipi potuit, etiam *Romana* Sede auctore, niſi irritam ejus Ordinationem, tanquam per Hæreſim factam, conſenſu reliquarum Sedium ratam evadere potuiſſe ſtatuamus; Secundum ea quæ ſuo loco dicta ſunt. Gravius adhuc crimen *Acacii*, quod *Zenoni* auctor fuerit *Henotici*, quo derogabatur Synodo *Chalcedonenſi*, ſpe reconciliandæ Eccleſiæ *Alexandrinæ*; Quod, totam Eccleſiam luxare erat, ut ei pars reſolidaretur ſua ſolius auctoritate; Scilicet, ut tantum facinus auctoritati ſuæ incremento eſſet. Sane *Henoticon*, poſt Fidei *Chalcedonenſis* ſatis claram profeſſionem, decreto *Chalcedonenſi* his verbis derogabat; *Hæc ſcripſimus, non innovantes Fidem, ſed vobis ſatisfacientes. Omnem vero, qui aliud quicquam ſapuit aut ſapit, aut nunc aut aliquando, aut in Chalcedona, aut in quacunque Synodo, anathematizamus; præcipue vero prædictos Neſtorium & Eutychem, & quæ eorum ſunt ſapientes.* Sic verſum legimus apud *Liberatum cap.* XVIII. quod *Græce* extat apud *Evagrium*, & *Leontium* de *Hær. Act.* V. Sciendum enim, *Alexandrinis* perſuaſum fuiſſe, fraude eorum qui Dioſcorum ſequebantur, Synodum *Chalcedonenſem* pro *Neſtorio* decreviſſe; Ac fortaſſe, hic error nunquam ereptus eſt eis qui *Alexandrinam* Eccleſiam ſequuntur. Certe, qui, memoriam *Dioſcori* nunc foventes, *Abyſſini*, *Chalcedonenſis* Synodi memoriam damnant, eos Eccleſiæ Fidem agnoſcere, rerum earum periti

riti contendunt. *Timotheus* autem, cui ſubſtitutus eſt *Petrus*, etſi a Synodo abhorreret, *Eutychem* tamen averſatus, eſt, ut apud *Evagrium* III. 6. legimus; Ex Fide quidem *Zachariæ* Hiſtorici *Acephali*, ſed cui ſuffragatur *Gennadius de Script. c.LXXXI.Samuel Syrus,Edeſſenæ Eccleſiæ Presbyter, ſcripſit Syro ſermone adverſus Neſtorianos, Eutychianos, Timotheanos; novellos, ſed ſibi diverſos Hæreticos.* Hac ratione potuit *Petrus* anathema dicere *Eutychi*, non minus quam *Neſtorio*, ex *Henotico Zenonis.* Nam & hac ratione *Acephali* dicit, ab *Eutychianis* diverſi; qui ſi *Eutychem* caput habuiſſent, non fuiſset cur *Timotheo*,(a quo *Timotheani,Eutychianis* adverſi)*Petrus Mongus* ſuccederet. Sed ex his conſtat,non fuiſse cauſam Fidei ſed Schiſmatis, inſtauratam Communionem ex formula, quæ Fidei non derogabat; auctoritatem Eccleſiæ, *Chalcedonenſi* decreto expreſsam, irritam eſse,tanquam Hæreſis *Neſtorianæ* affinem, patiebatur. Sed gravia ſunt quæ *Joannis* cauſam premebant, etſi legitime ab Orthodoxis ordinati. Fungens enim Eccleſiæ *Alexandrinæ* Legatione *Conſtantinopoli*, ac *Zenoni Acacioque* viſus Epiſcopatum per largitionem ambire,juramento a ſe hanc ſpem abdicaverat. Tum, quaſi dubius, adverſus partes Catholicas, ad *Timotheanos* inclinare viſus fuerat; vide *Liberatum cap.* XVII, XVIII. Denique quod ſpei ſuæ ſecretum apud *Illum* Magiſtrum depoſuerat,(qui,tum Comes Orientis,cum electus *Joannes*, Imperio ſuſpectus evaſerat) ipſe etiam,cum Calendione *Antiocheno*, (qui apud *R*. Sedem ipſi ſuffragabatur, nec mulo poſt relegatus *Oaſim* ſucceſsorem accepit,) Imperio etiam ſuſpecti erant. Nam quod electionem ſuam per aulicum potius *Illum*, quam per *Acacium*, renunciare *Zenoni* maluerit, etſi non ad infirmandum quod Canonice factum fuerat, pertineret, tamen infirmabat conſenſum Sedium. Gravabat eandem cauſam ſpes de *Petro* concepta, poſse ejus opera partes in unam Eccleſiam *Alexandriæ* inſtaurari, edicti formula, quæ Fidei non obſtaret,etſi Eccleſiæ auctoritatem non aſsereret; partibus ad ſe trahentibus

quod

quod pro ſe faceret, adverſas non repudiantibus. Sed exitus docuit, Fidei ſimplicitatem edicti ambiguitate juvandam non fuiſſe; bonæ Fidei opinione amiſſa, propter eam detectam ambiguitatem, quam, ſtultum erat putare, ſuſpicioſam ex religionis cauſa plebem latere potuiſſe. Nam neque ſatisfacere ſuis potuit *Petrus*, donec liquido Synodum ejeraſſet; (quo facto Catholicos adverſarios experiri neceſſe habuit) neque Sedibus reliquis, niſi Synodum ſe amplecti, mentitus eis interea fuiſſet. Quod tamen vere dicere potuit, ſi animi ſui ſenſum ſpectaret, cum aliud ſuis profiteretur. Sed hoc, tam ſibi quam Eccleſiæ pernicioſum, propterea expertus eſt, quod in profeſſione ſitam Baptiſmi Fidem, ſuo loco probatum eſt. Nimirum, ita demum Eccleſiæ pro Hæretico habendus eſt, qui Hæreticis communicat, ſi palam profiteatur id Fide tenere, quod Eccleſia pro Hæreſi habendum ſtatuit. Si ſciat ſe aliud credere, reddenda eſt ipſi Deo diſſimulationis ſuæ ratio; Erit autem apud Eccleſiam Hæreticus, ſi Hæreſim profitentibus communicat. Tum, violatæ unitatis Eccleſiæ ratio ipſi reddenda eſt; quod adverſus ipſius decretum hoc faciat. Hæc cauſa extitit ſententiæ, in Synodo *R.* a Felice *P.* in *Acacium* latæ; qua, non ſatis habuit pro Epiſcopo eum habere nolle, non Communionem ipſi negare, niſi *anathema* eum omnibus eſſe juberet. Succeſſit *Felici Gelaſius*, *Acacio Euphemius*; qui cum ad *Gelaſium* comnicatorias dediſſet, recepit eam, quam legimus *Gelaſii* primam recuſantem Communionem, niſi *Acacii* memoriam damnaret, nomen e tabulis deleret. *Macedonius* ſucceſſor *Euphemii Petrum* damnabat, ut ante ipſum *Euphemius*; Synodum aſſerebat, *Anaſtaſium Aug.* ea cauſa adverſarium experiebatur, *Acacii* memoriam retinebat. *Anaſtaſius P.* II. qui *Gelaſio* ſucceſſit, medius inceſſit; ſatis habens *Acacium* damnari, ut *Euphemio* non minus quam *Macedonio* communicaret. Liquet ex ipſius decretis, & *Juſtini Aug.* ad *Hormiſdam* Epiſtola, qua eandem veniam Orientalibus poſtulat. Quid enim eſt quod Epiſt. ejus I. 3.

legi-

legimus lemma; *Ut in Eccleſia ſpecialiter taceatur nomen Acacii*; Quam ut *Euphemii* & *Macedonii* nomina recitarentur? Sane Schiſma inde natum in Clero *Romano*, quod *Anaſtaſius* in ejus vita memorat, jampridem modeſtiam Pontificis crimen eſſe oſtendit, ubi de Sedis *R.* jure agatur. Itaque modeſtia *Anaſtaſii* irrita fuit. *Hormiſda* cum *Juſtinianum*, qui ſub avunculo *Juſtino* res moderabatur, pacis cupidum inveniſſet, (ſpe recipiendæ *Italiæ*, nutantibus jam *Gotthorum* rebus) nihil quicquam de rigore remiſit, donec conceptæ à ſe formulæ, qua, omnium ab *Acacio Conſtantinopolitanorum*, eorumque qui *Acacio* communicaverant Epiſcoporum memoria damnabatur, ut ab omnibus ſubſcriberetur, conventum eſt.

Sed & R. Sedi imputandum eſſe.

Nunc, non fuiſſe jure latam *anathematis* hujus ſententiam, aſſerendum eſt; Hoc eſt, non fuiſſe Clerico cuiquam aut Laico metuendum ſalutis diſpendium, eo quod *Acacio*, vel *Acacio* communicantibus communicaret, quibus Epiſcopus ſuus, vel Metropolita, vel Patriarcha communicaret; Valuiſſe jus ſuæ Communionis Orientalibus eis ad ſalutem, qui *R.* Synodi decretum ſpernerent. Neque enim jure latam ſententiam videri, quæ apud Deum non valuerit; Neque apud Deum valuiſſe, quæ peccati *Acaciani* vinculo communicantes *Acacio* non tenuerit. Ad *Alexandrinos* pertinere hoc nolo; Quos, poſtquam, (rejecta palam Synodo *Chalcedonenſi*, & diſſimulatione edicti *Henotici* damnata) Schiſmatis palam rei fuerunt; damnata Synodo *Chalcedonenſi* Fidem ejus integram tenuiſse, juſta ſperandi ratio nulla eſt, quamvis ab ea deſciviſſe dici non poſſint. Quod & ad *Antiochenorum* paria tempora pertinet. Aio *Acacio*, in ſpe reconciliandorum Eccleſiæ *Alexandrinorum* defuncto, (etſi inſtituto à Canone Eccleſiæ alieno) multo minus communicantibus *Acacio*, ſed ab ejus conſilio alienis, non fuiſſe apud Deum fraudi, ſi quis propterea communicaret, ne, *R.* Sedis communionem ejus communioni præoptando, à ſuorum communione per Schiſma diſcederet.

Ppp Nimirum,

Digitized by Google

Nimirum, quod unitatis Eccleſiæ ſumma lex ſit; Unitatis autem ejus tuendæ eadem lex, quæ Hierarchiæ; Ne quid ſine Epiſcopo, vel plebs, vel Clerus, ſine Metropolita Synodus, ſine Primate *Diœceſis*, ſine Pontifice Concilium aliquid ageret, ad ſtatum Eccleſiæ, Provinciæ, *Diœceſis* totius pertinens. De Epiſcopi jure dictum ſuo loco. De jure Sedis *R*. paſſim, hac diſputatione, nobiliſſimis Eccleſiæ totius & vetuſſimis exemplis actum. De Metropolitarum jure, (in *Tito* & *Timotheo*, *Aſiaticarumque* Eccleſiarum Angelis in Apocalypſi memoratis indicato) ex Canonibus Eccleſiæ multis, antiquis, receptæ auctoritatis, (ſecundum *Nicenum*, qui eorum conſenſum requirit, ut rata ſit Ordinatio Epiſcopi) conſtare debet. Ex quibus, de Patriarchis, Exarchiſque *Diœceſeon*, eorumque jure, dubium eſſe non poteſt, eandem formam ſequendam eſſe. Itaque cum Patriarcha, niſi conſenſu Patriarcharum accedente, judicio Eccleſiæ damnatus cenſendus non ſit, participaſsent diſcidio Eccleſiæ Epiſcopi *Acacio* ſubditi, ſi renunciaſsent ejus Communioni, ut Sedi *R*. communicarent. Neque enim dici poteſt aliam vulneratæ Fidei medicinam nullam fuiſſe, niſi exemplum ſtatueret *R*. Sedes in *Acacium*, cujus exemplum nullum fuerat. Negaverat quidem Communionem ſuam *Victor Aſiaticis*, *Stephanus Africanis* & Orientalibus, ſed ſuſtinuerant, vel revocaverant ſententias ſuas; ne, ſi reliqua Eccleſia ſecuta non fuiſſet, ſeipſos potius quam adverſarios excommunicaſſent. Seipſos enim excommunicaſſent, ſi communioni eorum renunciaſſent, qui ipſorum cauſa non renunciaſſent eorum Communioni, quos ipſi excommunicaverant. *Anathema* ipſis dicere, ut ad ſalutem Epiſcoporum & plebium pertinere videretur, ab adverſariorum Communione ad ſuam ſe recipere, neutri in mentem venerat. *Athanaſio* Communionem *Julius*, ex Synodi ſuæ ſententia impertivit, Synodo Orientis *Anathema* non dixit, etſi *Romæ* ſe judicandam non ſteterat; quod *Julius*, ex legatorum ejus conſenſu, potius quam jure ſuo poſtulaverat.

Itaque,

Itaque, pro rata tantum parte abſolutus eſt a *Julio Athanaſius*, etſi Occidenti præiverit. Nec tamen ſuæ Sedi reſtitutus eſt, niſi dante hoc Synodi *Sardicenſis* ſententiæ *Conſtantio*. Neque refert, huc Claves *S. Petro* conceſſas afferre, niſi Eccleſia tota in hunc ſenſum conſentiente. Atqui,& nullum exemplum *Fœlici* præiviſſe, hactenus diſputamus, & *Illyricianos* multos Epiſcopos, *R.* Sedi ſubditos, ut dictum eſt, *Acacianæ* tum communioni hæſiſſe conſtat; Et Orientales illos, quorum ad *Symmachum P.* ſupplices literæ in farragine Conciliorum leguntur, non eſt mirum, ita ab *Antiochena* Sede ad *R.* defeciſſe, propter Epiſcopos ejus aperte Synodi *Chalcedonenſis* hoſtes, ut eam tamen flebiliter, de diſcidio propter *Acacium* integrando, interpellent. Itaque, etſi peccaſſe *Acacium* negandum non ſit, ejus factum apud Deum reputanti; apud Eccleſiam anathema eſse non potuit, *R.* Sedis ſolius judicio, ſine cujus judicio abſolvi non poterat. Sed cum Eccleſiæ tempora diſpenſationem potius quam rigorem quærerent, reconciliandis partibus, quas rei geſtæ, potius quam Fidei error abduxerat; quod jure factum a *Fœlice* negamus, perperam etiam factum cenſeri debet, quod ad eas *Acephalorum* propagandas Sectas pertineret, ad quas extinguendas unitas Eccleſiæ faciebat. Quod accidiſse per *Ægyptum* & Orientem, ipſa rerum geſtarum fides, & *Liberati Breviarium* oſtendit. Quod ſi accipiatur, quod a nobis invictis rationibus poſitum eſt, idem valere totius Eccleſiæ factum, ac decretum Synodi Generalis; errantibus utriſque partibus in Schiſmate *Acaciano*, quid eſt quod errare poſse Generalem Synodum dubitetur? Sane & *Petrus Mongus*, & ipſius ſucceſsores unus ac item alter communicarunt Sedibus *Conſtantinopolitanæ*, *Antiochenæ*, *Jeroſolymitanæ*, Lege *Henotici Zenoniani*; Etſi *Petrus* apud ſuos anathematizaret Synodum *Chalcedonenſem*, apud *Acacium* communicare ſeipſi palam ferret. *Liberatus cap.* XVIII. In tanta rerum obſcuritate, ac confuſione, quis actum de ſalute Fidelis populi credat, quod Sedis *R.* ſententiam non

ſequeretur, de qua, magnam ejus partem nunquam credi poteſt vel fando accepiſſe? Quod ſi, reliquas Sedes tandem *Hormiſdæ* ceſſiſſe dicas, non erit argumento, ſaluti propriæ datum hoc, quod ejus ſpe excidiſſe ſe putaſſent, in *anathemate Fœlicis* defuncti; ſed quod, unitati Eccleſiæ, cedendo injuſtis etiam adverſarum partium poſtulatis, conſulere, ſaluti propriæ conſulere ſit. Nam & cum *Hormiſda* de *Conſtantinopolitana* Sede triumphaſſet, ſcripſit ei *Juſtinus*, Catholicus undiquaque Princeps, multos *Aſianæ*, *Ponticæ*, Orientalis *Diæceſis* Epiſcopos pati non poſſe, deceſſorum ſuorum, qui *Conſtantinopolitanis* communicaſſent, memoriam damnari; Se, ut hoc facerent, cogere eos armis & ſanguine non poſſe; plebibus ſcilicet idem volentibus. Hoc autem, magnam *Euphemio* & *Macedonio* cauſam fuiſse aſserit, cur *Acacii* nomen retinerent; Sive, ne *Zenonem* & *Anaſtaſium* ἐπαμφοτερίζοντας, alienos haberet Eccleſia, ſive ne in plebe tumultus, & ex tumultu cædes accideret. Itaque non fruſtra hoc cauſatus eſt *Anaſtaſius A.*, literis ad *Hormiſdam*, quod *Theſſalonicæ* accidiſse, non minus *Hormiſdæ* rigori, quam *Theſſalonicenſis* cleri fraudi imputandum eſt. Extat quidem *Hormiſdæ* ad *Epiphanium Conſtantinopolitanum* Epiſtola, qua ſuas ipſi partes mandat, in reconciliandis Epiſcopis, de quibus ſcribebat *Juſtinus*, ea Lege, ut libello ſuo ſubſcriberent. Sed niſi proferatur ex ſcriniis *Vaticanis*, unde conſtet, ſuſceptam hanc legem, & obſervatam ab *Epiphanio*, inuſta erit nota memoriæ *Hormiſdæ*, exigentis eam legem a Sede *Conſtantinopolitana*, quam apud longinquiores *Diœceſes* perferre, & ad effectum perducere non potuerit. Sane *Facundus*, in libro contra *Mocianum*, *Acacii* nomen totius Eccleſiæ conſenſu damnatum ſcribit, de *Euphemio* & *Macedonio* tacet; Quod argumento eſt, temperamentum a *Juſtino* propoſitum obtinuiſse. Et Primatum quidem *R. Sedis*, delata Epiphanio ejus legatio oſtendit; ut & *Simplicii* ab *Acacio*, & *Agapeti* a *Menna* acta. Cæterum cum, paucis abinde annis, mota trium capitulorum

rum

Digitized by Google

rum quæſtione, non amplius libello *Hormiſdæ* ſubſcribi ſolitum, ab eis qui Epiſcopi ordinabantur; queritur eodem loco *Facundus*, invidiam rigoris *Hormiſdiani* ad Eccleſiæ perniciem, potius quam ad augendam *S*edis ſuæ poteſtatem profeciſse, dicendum eſt.

Papam a Synodo legitime damnari poſſe.

Primum hoc tentamentum, Canonici juris *R.* Sedis in arbitrarium erigendi, traxit poſt ſe *Symmachi P.* cauſam; cum *Feſtus* Senator *R.* (qui, ad *Anaſtaſium* a *Theoderico Gottho*, *Italiæ* tum Rege, legatus, fruſtra Imperatori receperat, *Anaſtaſium P.* adducere, ut *Henotico Zenonis* ſubſcriberet, ſi *Theodoro Lectori Collect.* II. credimus) Schiſma conflavit in electione *Symmachi.* Nam etſi rata fuit ejus electio, ex ejus tamen diſcidii cineribus conflatum eſt *Symmacho* poſtmodum adulterii crimen; Quod cum *Theodoricus*, a Synodo *Italiæ*, *Romæ* judicari juſſiſset, teſtati ſunt Epiſcopi, qui Regis *Ariani* juſſis obſequebantur, non legitime ſe ad Synodum, niſi a Symmacho vocari. Reſpondente *R.*, ejus etiam conſenſu indictam, ita in Synodo de cauſa cognoverunt, ut ſtatuerent, primam Sedem judicari a ſe non debere; Quod, quatenus Papa a Concilio judicari poſſit, nobis diſputandum relinquit. Cum enim dictum ſit, neque Synodum ſine Synodi Præſide, neque ſine hoc illam judicare, quomodo ad ſententiam venietur, cui altera pars obſtet? Et tamen, laborante Capite corpus ſine remedio eſse, non poteſt ab Apoſtolis, quibus Hierarchiam aſcribimus auctoribus, profectum videri. Neque ego Eccleſiam, aut Eccleſiæ partem, jure Canonico nexam, (puta Provinciam, aut *Diœceſim*) ſine remedio eſse concedam, quodcunque capiti vitium inſit; quamdiu Communionis jus, ad reliquam Eccleſiam aditum laborantibus aperit. Sed *Italiæ S*ynodi judicio, cui tum *S*edes *R.* præerat, damnari eum, quem reliqua Eccleſia primæ *S*edi præſidentem agnoſceret, quid aliud quam *S*chiſmati viam aperiebat? Itaque invalidam rebus ipſis, & de facto ut aiunt, quamvis jure ipſo validam, poſse eam ſententiam eſse neceſse

ceſse erat, quæ aliis, ad quos ſpectaret, invalida videri poterat. Quo minus mirum eſt, noluiſse Synodum ſententiam ferre, quæ invalida eſse poterat, & Unitati propterea obſtare. Quod ſi hic metus non obſtaret, quid obſtaret, Synodi judicio inſtaurari labem Eccleſiæ, innocenti ſubſtituto Pontifice? Demonſtratum enim eſt, conſenſu Eccleſiarum valere, quicquid Synodo conſtitui poteſt. Quod ſi quis idem eſse dicat, remedium eſse nullum Eccleſiæ malis, ac in totius conſenſu poſitum eſse, quem conſtet obtineri non poſse; Is ſatis habeat, hoc loco, ex originario Eccleſiæ ſtatu haberi poſse legitimam, omnibus ejus malis medendi rationem. Nam ſi quid delinquere dicatur Pontifex, cujus nomine, Fideli ex *Plebe* cuiquam carendum ſit Communione Eccleſiæ, is ſi retineat Communionem Eccleſiæ per Pœnitentiam, Pontifex tamen eſse non poterit, qui Pœnitentiam profiteatur; quia Pontifex eſse non debeat, ſi Pœnitentiam profiteri neceſse habeat. Itaque ſummæ Poteſtatis judicio obnoxius erit eis de cauſis, de quibus Poteſtatibus Fidelibus cognoſcendum eſt. Canonicis autem de cauſis, cum nullum ſit ex Dei Fideique Lege cognitio niſi Canonica; Cum tamen Epiſcopi Urbis ſtatus Canonicus ſit ex ſuæ Synodi judicio, ejuſdem deſtituendi Canonicam ex eodem judicio rationem eſse oportet. Ac etſi ſemper obſtet rationi quam hic tractamus, difficultas ineundæ exequendæque Canonicæ cognitionis; Quod difficile ſit de ſententiæ veritate omnibus quorum intereſt ſatisfacere; Satis tamen eſset continendæ in Officio tam circumſpectæ Poteſtati, ſcire ſe rationi obnoxiam, toties reddendæ quoties poſtulari eam expediat. Satis continendæ Synodi temeritati, quod ſententiam ſuam ratam eſse non poſse ſciat, ſi reliqua repugnet Eccleſia. Quæ igitur ratio juris aſsequendi, hoc rerum ſtatu, iniri poſſit, cum ſuo loco in liquidum fuerit deductum, tum vero, quid ſingulis ſequendum, ubi univerſi officium negligant, conſtitui poterit. Itaque ſententiam Synodi, qua cauſam *Deo Ju-*

dici

Digitized by Google

dici reſervarunt, quam a ſe judicari non debere cenſuerunt, non tam juſtitiæ, quam prudentiæ rationibus conſuluiſſe contendo. Nam quæ ratio ferat, proferri in *Symmachum* ſententiam, quam irritam apud Eccleſias *Gallicanas* futuram, *Aviti Viennenſis* quam habemus ad *Symmachum* Epiſtola oſtendit? Quæ hoc tamen male, quod, quaſi probatam hac ſententia *Symmachi* cauſam, nimis obnoxie jactet. Nam, quæ Eccleſia Deo *Judici* reſervat, ea fere ſunt, quibus æterna hæret imfamiæ ſuſpicio; etſi juſtitiæ rigorem, vel Eccleſiæ pax, vel *Judicis* incompetentia vetet. Sic apud *Optatum* libro I. *Numidiæ* Epiſcopi, qui poſtea Ordinato adverſus *Cæcilianum Majorino* Donatiſtarum Schiſma conflarunt, in Concilio, quo de Traditoribus cognoſcebant, Apoſtaſiæ crimen, quod Ordinatoribus *Cæciliani* impingebant, a ſeipſis amoliti ſunt, relatis ad Deum *Judicem* cauſis Epiſcoporum præſentium, quos innocentes ſe probare non poſſe videbant. Sic *Innocentius* I. in Epiſtolis haud ſemel, cauſas eorum ad Deum refert, in quibus unitatis cauſa diſpenſabatur. Nam & Synodus ipſa *Symmachi*, cum decretum de converſatione Clericorum, ut ab Adulterii ſuſpicione immunes eſſent, etiam *R. Sedi* condidit, ſuſpiciones eas *Ennodii* Apologetico elui non potuiſſe oſtendit, quibus in poſterum, auctore ipſo, cujus res agebatur, occurrendum fuit. Nam qui auctor ſententiæ in ſeipſum ferendæ non fuit, qua Synodus ipſum, quo auctore vocata eſt, damnaſſet, decreti auctor habendus eſt, a Synodo conditi, auctore ipſo vocata. Sed etſi totius *Italiæ* Synodus damnare Papam non debuit; damnata tamen a Synodo Generali VI. memoria Honorii Papæ ſatis oſtendit, Generalis Synodi judicio damnari etiam Papam & poſſe & debere. Nam & ſententiæ ferendæ auctor ipſe Papa fuit, qui Synodum Canonice judicaturam, per Legatos, præſens ipſe ac præſidens probavit; &, quicquid omnium refert, definit quæ ex omnibus conſtat. Non quod contendendum mihi putem, pertinacem fuiſſe in aſſerendo dogmate Hæretico

Ho-

Honorium; Qui non eſt ante mortem damnatus, cum integrum amplius non eſſet, verba ſua in Catholicum ſenſum interpretari. Quis enim præſtabit, ſtudio erga dogma Hæreticum, ſive ſtatum ſuum, ſive memoriam indulgere voluiſſe Honorium; cui neque lucrum conſequens erat, neque nominis amplitudo, neque quicquam eorum quæ Hæreticos faciunt? Satis eſt, Hæretici dogmatis nomine ejus damnatam memoriam, qui ei non reſtiterit, cum deberet. Ego ſane, utrum fuerit, futuruſve aliquando ſit Papa, qui dogma aliquod, ſalutis Fidelium communis peremtorium, legitimo Sedis ſuæ decreto definitum pertinaciter foveat, non laborabo, ſi concedantur mihi, quæ de Traditione Fidei Eccleſiæ auctoritate antiquiori, neceſſariis rationibus demonſtrata ſunt. Hoc dico, errante in Fide Papa, non ſolum a Generali Concilio, ſed & a *Thoma Albio*, ſive Laico ſive Sacerdote, dici poſſe, quod *Liberio* a *S. Hilario*, *anathema tibi Papa Liberi.* Vide Epiſtolas *Liberii ad Presbyteros & Epiſcopos Orientales, & ad Urſacium Valentem & Germinium*, de quibus *S. Hilarius* Anathema ipſi dicit, in Fragmentis. Is autem quem dixi, in Introductione ad quæſtionem de libertate arbitrii & efficacia Gratiæ; *Quiſquis itaque eſt, ſive Doctor, ſive docta Societas, ſive Epiſcopus, ſive Papa; Si Dei gloriam creaturæ communem facit, ſi a ſeſe, ſaltem aliqua ex parte, vel umbra partis, a Deo non per ſe derivatæ, bonum habere contendit; Hæreticus eſt, Pelagianus eſt, Lucifer eſt, ſit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus.* Si recte VI. Synodus, ob aliam ab Hæreſi cauſam, memoriam Honorii damnavit, quas ob cauſas damnari a Synodo Papa poſſit, ex profeſſione quam ſtatus ipſius & Officium poſtulat, habendum eſt. Interea loci, cupidius quam neceſse fuit damnatus a VI. Synodo Honorius argumento eſſe poterit, par pari a *Græcis* relatum, & Honorii memoriam *Acacii* memoriæ immolatam fuiſse. Semper autem, Hæreticum eſse *P.* poſse, ab Eccleſia agnitum, quæ memoriam Papæ Hæreſis nomine damnaverit.

Idem

Idem de *Vigilio* potiori jure dici poteſt. Neque enim dubitandum videtur, rigoris *Hormiſdiani* memoriam penitus *Juſtiniani* animo inſediſſe; idque *Vigilium* Papam expertum, cum poſt *Africanos* & *Illyricianos* Epiſcopos auctoritate ſua confirmatos, ne damnandis tribus Capitulis conſentirent; (cui rei Imperator quintam Synodum tandem convocavit) ipſe poſtmodum, *Conſtantinopoli* præſens, non potuit facere quo minùs decreto Synodi conſentiret. Sed cum *Africani*, ut docet luculentum Facundi *Hermianenſis* ſcriptum, ab ejus auctoritate propterea diſceſſerint, *Iſtriani* autem, per tot annos, poſtea à *Romanæ* Sedis Unitate; non ſunt hæc infinitæ poteſtatis tum agnitæ indicia, quæ Canonicam etiam violant. Sed hæc altius repetenda ſunt. Cum in *Epheſina* Synodo *Cyrillus Neſtorium*, non expectato *Joanne Antiocheno*, ejuſque XV. Provinciarum Synodo, damnaſſet, is *Epheſum* cum veniſſet, *Cyrillum* & *Memnonem* in Synodo ſuorum damnavit; Non *Neſtorii* cauſa, cui ipſe, in Epiſtola quam habemus, B. Virginis θεοτόκȣ appellandæ auctor fuerat; ſed propter anathematiſmos *Cyrilli* Synodo ſancitos, ut ex *Facundo* conſtat, quibus ipſe anathematiſmos *Andreæ* & *Theodoreti* Epiſcoporum Orientis oppoſuerat. Huic ſententiæ, novem Provinciarum præterea Epiſcopos hæſiſſe, ex *Facundo* diſcimus; (Vide Librum VII. 6. Sed & alibi ſæpiuſcule *Orientalium aliarumque Provinciarum Epiſcopos* nominat.) Quibus reclamantibus, actam Generalem Synodum videri non poterat. Opportunæ hic Imperatoris minæ, quibus motus *Cyrillus*, cum de ſententia anathematiſmorum ſuorum *Joanni* & Orientalibus ſatisfeciſſet, (Hos enim, contentio cum *Apollinariſtis*, quibus *Eutychis* dogma affine fuiſſe omnes conſentiunt, prohibebat eam perſpicere) conſentientibus ipſis decretum *Epheſinum* perlatum dici poteſt. Sed *Chalcedonenſis* Synodus, cui perperam acta *Epheſi*, in Synodo *Dioſcori*, retractanda erant; cum *Theodoretum Cyrrhi*, Ibamque *Edeſſæ* Epiſcopos Orientales, à *Dioſcoro* damnatos, reſtituiſſet, ſcriptum *Theodoreti*,

Cauſa trium Capitulorum, & Quintæ Synodi ſtatus.

reti, quo anathematiſmos *Cyrilli* impugnaverat, Epiſtolam *Ibæ*, qua ejuſdem famam, nondum Patriarchæ ſuo reconciliati, læſerat, ita probavit, (propter auctores, quos, *Neſtorio* damnato, Catholico ſenſu nunquam non fuiſſe, merito videri volebat) ut per diſpenſationem ſilentio potius tranſegiſſe dicenda ſit, ut docet *Facundus*. Quippeni? Cum *Theodorum Mapſueſtenum*, ejuſque memoriam, ad ſe delati, quod ejus multis ſcriptis *Neſtorianum* ineſſe dogma dubium non eſſet, in communione tamen Eccleſiæ, luminumque ſui temporis defuncti, etiam *Epheſina* Synodus manere maluerit, quam damnari. Hæc illa eſt famoſa *trium* Synodi *Chalcedonenſis Capitulorum* cauſa. Cum enim *Juſtinianus Aug.*, ſuggerente *Pelagio R.* Sedis *Apocriſiario*, (quem nunc *Nuncium* dicunt) *Origenem* & *Origeniſtas*, Edicto, ex ſententia Epiſcoporum quos adhibuerat ſcripto, damnaſſet; *Theodorus Cæſareæ Cappadociæ* Epiſcopus, ad ſuam hoc injuriam, *Origeni* faventis, pertinere ratus, ſuggeſſit Imp., cujus gratia florebat, adverſus *Acephalos* ſcripturienti, facile reconciliatum iri ipſos Eccleſiæ, ſi tria *Capitula* damnaret, propter quæ *Acephalos*, *Neſtorianum* dogma *Chalcedone* conſtitutum queri, ipſe in *Acephalos* propenſus, ſi *Liberato* & *Facundo* credimus, videri volebat. Itaque ut damnandorum mortuorum exemplum extaret, acceſſit Quintæ Synodi cauſis damnatio *Origenis* repetenda; quam olim factam, ut dictum eſt, *Origeniſtæ* per *Palæſtinam* monachi interpellabant.

De Vigilii conſenſu in Quintam Synodum.

Vigilius, cum emptum flagitioſis pollicitoribus Papatum ſanguine deceſſoris *Sylverii* ſanciviſſet, in Inſula, ſub cuſtodia ſua mortui; (In quem, *Hormiſdæ* olim *P.* filium, expetiviſſe videtur ſuperbiæ ejus & rigoris ultio, ac νέμεσις, qua Sedem *Conſtantinopolitanam Hormiſdam* triumphaſſe dixi) ita ſententiam de hac cauſa protulit, ut damnantes tria capitula *anathema* eſſe juberet. Hoc nos docent *Venetiæ* & *Rhetiæ* ſecundæ Epiſcopi, in libello ad *Mauricium Aug.*, quem a *N. Fabro Pariſiis* acceptum, *Baronius* edidit. Poſt,

Juſtiniani

Digitized by Google

Juſtiniani juſſu, *Italiæ* tum ac *Romæ* dominantis, *Conſtantinopolim* adductus, in itinere metum intentabat Sedium etiam ſummarum Epiſcopis, tanquam a ſe damnandis, ſi tria Capitula, propter ſtudium *Juſtiniani*, damnare pergerent. Non dicam, ut carius ſententiam ſuam venderet; quanquam *Facundo* hoc, in libro contra *Mocianum*, inſinuante; Sed *Conſtantinopoli* præſens, vocata præſentium Occidentalium Synodo, *Judicatum* edidit, quo tria *Capitula* damnavit; cui σοφὸν φάρμακον appoſuit, *ſalvo Chalcedonenſis Synodi honore.* Cum propterea, non ſolum *Africani*,(ex quibus *Facundus*, luculentum pro tribus *Capitulis* librum tum ſcribebat) & *Illyriciani*, ut videtur, ſed & Diaconi ipſius *Sebaſtianus* & *Ruſticus*, ab ipſius communione deſciviſſent; (quos ipſe propterea damnavit) Conventum eſt cum Orientalibus, (quibus etiam adjecta clauſula ſatisfactum non erat) ut ipſe *Judicatum* reciperet, rem integram eſſe Generali Concilio juberet. Rem ita geſtam Fidem facit *Encyclica Vigilii*, tum, Clericorum *Italiæ* ad Legatos *Francorum Conſtantinopoli* tum agentes literæ, a *Sirmondo*, in *Appendicem Cod. Theod.* & Conciliorum *Galliæ* συναγωγὴν relatæ. Continent enim querelas malorum quæ paſſus eſt, ad Eccleſiam *Latinorum Conſtantinopoli* primum, deinde ad *S. Euphemiæ* baſilicam *Chalcedonem* fugere coactus, quod in hanc violandam legem conſentire nollet eis, qui *Juſtiniano* Edicti auctores fuerant, quo violabatur; Sed *Mennam* propterea *Conſtantinopolitanum* a communione ſuſpenderet, *Theodorum* damnaret, cum ſociis utrumque. Itaque, tuente hanc conſtantiam aſyli jure *Vigilio*, (quæ primatus argumentum non levius præbet, quam reliqua Canonici) conſenſum eſt in Synodum, receptis in communionem damnatis, per libellos, qui apud *Baronium* extant, ſe excuſantibus. Quod autem abſens Synodo *Vigilius Conſtituto* ſententiam dixit, quod ex *Ant. Auguſtini* Bibliotheca edidit *Baronius*; cauſam cur promiſſo defuiſſe in *Actis* ejus culpetur, non video cur non credamus hanc fuiſſe, quod tam

Digitized by Google

frequentes intereſſe *Latinos* non videret, ac ipſe expectaverat & promiſſum fuerat. Interfuit quidem *Sextilianus Uticenſis* Epiſcopus, nomine *Primoſi Carthaginienſis*; *Primaſius Adrumetinus* excuſavit abſentiam Papæ, *Illyriciani*, Epiſcopi ſui *Theſſalonicenſis*. Itaque edictum edidit *Juſtinianus*, poſt *Synodum*, in *Afros* & Synodum *Illyricianam*, ut ex *Iſid. de Viris Illuſtribus in Juſtiniano* cognoſcimus; Quaſi hi quidem omnes, partim autem illorum decreto Synodi obſtarent: *Vigilius* autem, cujus Conſtitutum aliud a Synodi decreto decernebat, exulare primo juſſus, poſt in reditu mortuus *Syracuſis*, edicto Imperatoris, in ejus gratiam, pro *Italis* edito, ſemper cenſendus erat in Synodum tandem conſenſiſſe, etſi in itinere mortuus, mutatæ ſententiæ fortunam *Romæ* præſens expertus non eſt. Nam & *Pelagius*, auctore *Juſtiniano* ei ſubſtitutus nunquam fuiſſet, niſi *Vigilio* mutandæ ſententiæ auctor fuiſſet. Itaque eo nomine, vix invenit qui ſibi manus imponerent; & *Francis* per Epiſtolam ſatisfacere coactus, de Fide ſuſpectum habentibus, etiam *Italiæ* Epiſcopos ad *Tuſciam* uſque Schiſmaticos expertus eſt; donec ſedatis tempore offenſionibus, reliquis reconciliatis, in Patriarchatu tantum *Aquileienſi*, propter nata ex reconciliatione *Iſtrianorum* privilegia, vulneris hujus cicatrix remanſit. Ex quibus Luce clarius conſtat, hujus Synodi exemplo, non eſſe perlatum Generalis Concilii decretum, priuſquam Eccleſiarum conſenſu receptum fuerit. Sed quomodo, quibuſque allatis rationibus *Vigilius* in Synodum conſenſit, ex Epiſtola ejus hauriendum eſt, quam ſuperioribus annis, ex *R.* Chriſtianiſs. Bibliotheca erutam, *Lutetiæ* grandis Conciliorum editio accepit.

Quam recte decretum ſit, quaque ratione valeat, quod decretum eſt.

Hic ego, hujus Synodi exemplo, ſummam eſſe Eccleſiaſticæ Unitatis & communionis Legem, poſt Fidei veritatem; cujus per Baptiſmum profeſſione ſingulis Fidelium tam Communionis quam ſalutis jus conſtat; manifeſtum eſse aio. Enimvero aliud eſt quærere, num jure reſcindi poſſit Generalis Synodi decretum, aliud, num conſultum

eſse

eſse poſſit hoc facere. Tum, quod de Fide, ex totius Eccleſiæ Traditione decretum eſt, id vero infirmari non poſse, ex dictis conſtat. Quod auctoritati Eccleſiæ ſubditum, auctore Eccleſia definitum eſt, id vero eadem auctoritate retractari & refingi poſse, ſi de jure quæſtio ſit, ridiculum fuerit dubitare. Sed & hoc facto, Eccleſiæ in loco conſuli poſse, quid melius *Facundum* docuerit, quam hæc ipſa Synodus? Cujus decretum, ne ipſi quidem, qui *Vigilium* omnia recte feciſse volunt, ſive diſsentientem, ſive conſentientem, bono Eccleſiæ retractari potuiſse negaverint; Scilicet, reconciliandis *Acephalis* inefficax, *Iſtrianorum* Schiſma continens. *Anathematis* autem ſententiam duo quædam ſignificare cavendum; Nam cavendam reliquæ Eccleſiæ communionem illorum, tanquam æterno exitio devotorum, intelligi vult, vel propter peccatum illorum qui notantur anathemate, vel propter peccatum quod ipſi facturi ſint, qui ſententiæ non obſequantur. Primum quidem intelligi voluiſse Papas qui *Acacio* anathema dixerunt, oſtendunt *Gelaſii* Epiſtolæ, ſimul & *de anathematis vinculo* libellus. Sed id, ne *Illyricianis* quidem omnibus, qui *R.* Sedi ſuberant, agnitum, Orientalium multo paucioribus, oſtendunt quæ dicta ſunt. Itaque Eccleſiæ ab initio agnitum dici non poteſt. Alterum ſi intelligatur, quid aliud *Vigilius* quam ſibi *anathema* dixerit? Qui communione ſua omnibus interdixit, quibus ipſo auctore antiquior erat Synodi *Chalcedonenſis* auctoritas, jubente ipſo, quam ipſius, vetante. Quorum ſalutem, quis propterea periclitaturam credat? Adeo certum eſt Schiſmatis periculum, ſi quis communis ſalutis legem in arbitrio ſuo, cui Scriptura, ex Eccleſiæ ſolius ſenſu intellecta auctor non ſit, poſitum velit. Nam qui nihil definiat, non eſt cur hoc periculum metuat. Quod autem de mortuis damnandis, *Andabatarum* more pugnatum eſt; quid opus eſt dicere, ligandi ſolvendique jus, Eccleſiæ in ſeculo militanti indultum, ad ſtatum vitæ mortiſque æternæ defunctis ſeculo

mu-

mutandum, non valere? Quid, memoriam ipſorum, ſive aſſertam, inſtauratamve, ſive damnatam, ad vivorum ſalutem pertinere? Scilicet ut ſciant, defunctorum errores, (qui ipſis, in Eccleſiæ Communione defunctis, fraudi apud Deum fortaſſe non fuerint, quod pertinaciam erroribus ad Eccleſiæ ſcandalum non adjecerint) fraudi futuros, tuendorum eorundem pertinaciam Eccleſiæ paci antehabentibus. Merito igitur *Gelaſium P.* I., anathema in *Acacium* eo tuentem, quod de mortuis nihil habet quod agat indulta Eccleſiæ a Domino poteſtas Clavium; redarguit in faciem *Vigilii* in *Origenis* & *Theodori* damnationem conſenſus. Quis enim dicat, immerito hujus Synodi decreto repugnatum ab Occidentalibus, qui, ipſo *Vigilio* paulo antea auctore, repugnabant? Quis eum putaret, tantos ipſis animos aſſerendorum trium capitulorum ideo feciſſe, ut, ad eandem cum ſe auram non mutantibus, fraudi apud Deum eſſet? Denique quis, decreti hujus auctoritas quare ſancta eſse debeat, poſtquam invaluit; (quod bono Eccleſiæ factum, ne ipſi quidem negant, qui a *Vigilio* recte confirmatum volunt) quis inquam aliam hujus rei cauſam edat idoneam, præter Unitatem Eccleſiæ? Sane, ſi unquam erratum eſt decreto Concilii Generalis condendo, quis neget errare Concilium Generale, qui in eo, cujus cauſa coactum ſit, erratum agnoſcat? Num ſatis videtur, excuſando ab errore Concilio Generali, quod nihil Fidei pernicioſum definiat? Præſertim cum, niſi prius definiatur, quid ad ſalutem neceſsarium ſit Fide teneri; (Quod, quis unquam definitum iri credat?) in eo quod ad ſalutem neceſse ſit Fide teneri erratum non eſse, conſtare nunquam poſſit. Proxima cauſæ Fidei cum ſit Communionis cauſa, cum decreto facto ſecutum *Iſtrianorum* Schiſma ſit, quod nullo facto decreto ſecutum non fuiſset, quis decernendo erratum neget? Sane cur *Vigilius*, ante profectionem, Occidentalibus aſserenda eſse neceſsario capitula perſuaderet, in itinere, damnantibus Orientalibus minas intentaret; quis ido-

neam

neam cauſam edat, poſtquam & decretum eſt, & non neceſse fuiſse conſtat, ut decerneretur? Nam *Leonem* & *Cœleſtinum* ſententiam de Fide ante Synodum protuliſse, non eſt culpæ Schiſmatis affine, quod repugnantibus aliis ſequi potuerit; Quia, nimirum, de Fide in Eccleſia dubitari nunquam debet. Ubi de Fide non laborabatur, ſalvum erat Primæ Sedi jus ſuum, etiamſi, ſuſtinendo ſententiam ſuam, neque Eccleſiæ pacem, neque ſuam conſtantiam in quæſtionem vocaret. Edita ſemel ſententia, qua, tuenda Capitula Occidenti perſuaſum erat, in eo erraſſe *Vigilium* dicendum eſt, quod de ea cauſa decrevit, de qua decerni non erat neceſſe, ad Fidei integritatem; quem editæ ſententiæ conſtare, jubebat Eccleſiæ Unitas, cujus proxima ratio erat. Quid enim prohibebat, ſuſtinente ſententiam ſuam Occidente cum *Vigilio*, in Oriente damnari Capitula, quibus damnatis, reconciliatum iri diſſentientes obtendebatur? Certe, non videri neceſſarium, quod ſalva Communione, hinc quidem fiebat, inde non niſi ferebatur, multo magis & Fidei & Unitatis intererat, quam cum periculo ſecuturi Schiſmatis decerni. Nam quod & ſic, laboratura fuiſſet *Chalcedonenſis* Synodi auctoritas, cui per Orientem derogaretur, damnatis Capitulis, facile reſpondetur *Facundo* huc refugienti; manifeſtam eſſe in *Theodoreti* & *Ibæ* cauſis *Chalcedonenſis* Synodi *diſpenſationem*. *Diſpenſatio* autem omnis, cum ad pacem Eccleſiæ, non ad Fidei veritatem comparata ſit, non eſt cur rata ſit, ſi ad pacem Eccleſiæ facere videatur, ut irrita ſit. Si autem erraſſe *Vigilium* negari non poteſt, multo magis erraverit reliqua Synodus, quorum auctoritate, invitus ac renitens ad decernendum adductus eſt. Si ipſi conſtantia defuit, cui ferenda omnia erant, potius quam a ſententia, non mala, ſed immaturius edita, diſcederet; Quid eos dicemus, qui eum malo huc adegerunt? Non dubito verum eſse, quod ab *Onufrio* ſcriptum ex *Calviſii Chronologia* intelligo, ad annum Chriſti, 555. expreſſum a *Vigilio*, actione hac, *Juſtiniani* auctoritate, ut ratus,

ratus eſſet ipſius conſenſu Primatus *Conſtantinopolitanæ* Sedis poſt *Romanam*, cui contradixerant Pontifices hactenus. Neque enim vel ante *Vigilium*, ſecundum ei locum a Pontificibus tributum memini; vel negatum poſt *Vigilium*. *Gregorius* certe *P*. I. in Epiſtola ad Patriarchas de Ordinatione ſua, quæ eſt libri I. 24. *Joannem Conſtantinopolitanum* primo loco ponit; Quod tum fieri non poterat, cum ejus Primatum non agnoſcerent. Nam *Bonifacius P*. I. quarto eum loco ponit, ut dictum eſt. Et *Leo* I. indignatur plus quam ſemel, *Anatolium Conſtantinopolitanum* ſecundo loco ſediſſe in Concilio *Chalcedonenſi*. Laudari poteſt pro tempore, quod tamen mutatis temporibus ſequendum non ſit *Leonis* conſilium, diſſentientis decreto, ut haberet quo *Conſtantinopolitanæ* Sedis ambitionem frænaret; cum tamen præſtaret fræno injici, finibus ejus πρεσβείοις, totius Eccleſiæ decreto poſitis. Nam quod inviolabilem eſſe Canonem *Nicenum* debere obtendit, cum inſtituta etiam Apoſtolorum, mutatione temporum ad ſalutis cauſam non pertinentia, mutationi ſubdita eſſe dictum ſit; reſtabat tantum quærendam, num tanta accidiſſet, *Conſtantinopoli* condita, rerum in Imperio mutatio, ut Eccleſiæ primatus ad bonum totius facere videri poſset; Quod poſteritatis conſenſu decretum eſt.

Canonica R. Sedis majoritas à Concilio Sardicenſi *aucta eſt.*

Quod metum fuiſſe dictum eſt, ne *Illyricum*, ab Occidente avulſum, Sedi *Conſtantinopolitanæ* ſubjiceretur in Eccleſiaſticis, *Theodoſii Junioris* lege *Omni innovatione ceſſante*, quæ etiamnum in Codice utroque comparet, quæſitum eſt. Impp. *Honorius* & *Theodoſius l.* 45. *C. Theod. de Epiſcopis*, *L.*6. *C.* de Sacroſanctis Eccleſiis: *Omni innovatione ceſſante, vetuſtatem, & Canones priſtinos Eccleſiaſticos, qui huc uſque tenuerunt, per omnes Illyrici Provincias ſervari præcipimus.* *Tum* (ſic in C. Theod.) *ſi quid dubietatis emerſerit, id oporteat, non abſque ſcientia viri reverendiſſimi Sacroſanctæ legis Antiſtitis Urbis Conſtantinopolitanæ, quæ Romæ veteris prærogativa lætatur, Conventui Sacerdotali, Sanctoque judicio reſervari.* Judicium

Sa-

Digitized by Google

Sacerdotale, cui emergentia dubia reſervat, recte ad Synodum *Diæceſis Illyricianæ* referri videtur. Quòd ſi inde natæ Relationes ad Sedem *Conſtantinopolitanam* mittendæ fuiſſent, quis dubitat, *Conſtantinopolim Romæ* loco futuram *Illyricianis* fuiſſe, Concilio *Sardicenſi* non obſtante? Quis igitur dubitet, *innovationem* quam cauſatur lex, ad Concilium *Sardicenſe* referre, a quo annexum eſt Occidenti *Illyricum* in Eccleſiaſticis, & *Romam* miſſæ appellationes *Illyricianæ*? Sane *Theodoſius Echinienſis* Epiſcopus, in Synodo *R.* poſt Conſulatum *Lampadii* & *Oreſtis*, quam nuper edidit *Holſtenius*, Epiſtolas profert *Damaſi, Syricii, Innocentii, Bonifacii, Cæleſtini*, aliorum, quas ex ſcrinio Eccleſiæ *R.* relegi poſtulat, ut *Illyricum* Sedem *R.* agnoviſſe conſtaret. Cur non & anteriorum Conc. *Sardicenſi*, ſi antea *R.* Sedem agnoviſſet *Illyricum*? Satis eſſe debuerat *Oſii* pronunciatum, honorari memoriam *S. Petri* poſtulantis, cum Canonem III. proponeret, de appellanda á damnatis Epiſcopis *Romana* Sede. Sed ſubjicitur Epiſtolæ *Bonifacii P.* I. ad Epiſcopos *Illyricianos*, *Hon.* XIII. *Theod.* X. *Coſſ.* datæ, de qua dictum eſt, (nimirum biennio poſt datam Legem de qua ſermo eſt) Epiſtola *Honorii* ad *Theodoſium*, qua petit ut *hæc privilegia, quæ dudum a PP. conſtituta, uſque ad tempora noſtra ſervata ſunt, inconcuſſa perdurent. Ne ſub Principibus Chriſtianis perdat R. Eccleſia, quod ſub aliis Impp. non amiſit.* Cui ſic reſpondetur; *Unde omni ſupplicantium Epiſcoporum per Illyricum ſubreptione remota, ſtatuimus obſervari, quod priſca Apoſtolica diſciplina & Canones veteres eloquuntur.* His enim revocantur *nova tentamenta* de quibus *Bonifacius* II. *Epiſt.* VIII. ibi, hanc Legem innuens. Atqui, *Leo P.* I. *Epiſt.* LV. ad *Anaſtaſium Theſſalonicenſem, ab antiquis temporibus, Theſſalonicenſes* Epiſcopos *R.* Sedis per *Illyricum Vicarios* fuiſſe ſcribit; Quod ejus Epiſtola apud *Holſtenium* XXII. a *Syricio* primum inſtitutum teſtatur. Neque videtur annorum ſpatium, a *Sardicenſi* Synodo ad hanc Legem latam actorum, obſtare, quo minus *innovatum* dicatur, cujus nullum vetuſtius ea Syno-

do veſtigium extet? Igitur hanc Legem, etſi in utrumque Codicem relatam, vim non habuiſſe, res certa eſt. Sedem quidem *Exarchicam*; id eſt, principis *Illyrici* Eccleſiæ; *Theſſalonica Achridam* tranſlatam à *Juſtiniano*, quod ibi natus eſſet, non tamen niſi *Vigilio* Papa conſentiente. Vide ejus *Novellam* XI. Sed quamdiu extabunt *S. Gregorii* Epiſtolæ, ne de aliis verbum dicam, nunquam dubium erit, *R.* Sedis in *Illyrici* Eccleſias, eam ejus temporibus, quam *Sardicenſibus* Canonibus conſtitutam oſtendi, auctoritatem fuiſſe. Manifeſta res eſt, ab *Iconomachis* Imperatoribus fuiſſe eas *Conſtantinopolitanæ* Sedi ſubjectas. *Anaſtaſius Bibliothecarius Præfatione in Synodum octavam* idoneus teſtis eſt; etiam in vita *Hadriani* II. conſulendus. Sed & *Adrianus* I. *Apologia pro Imaginibus ad Carolum M. idem* queritur. Tum *Nicolaus*. I. *Epiſt.* I. Sed & in octava Synodo, nihil antiquius fuiſſe, quam, hinc quidem, ut *Bulgariæ* Eccleſiæ hoc titulo *Romanæ* ſubjicerentur, inde autem, ut *Conſtantinopolitanæ* ſubditæ manerent, manifeſtum. Et in *Joannis* Papæ VIII. Epiſtolis multa leguntur in eandem ſententiam. Itaque ſi rem recte putamus, cum *Pepinus*, coronatus a Papa in Regem *Franciæ*, poſtmodum, ademptum *Longobardis* *Exarchatum*, non reſtitueret *Græcis*, ſed *Romanæ* Eccleſiæ attribueret; nihil viſum eſt rectius, quam ut ademptum Eccleſiæ *Romanæ*, per *Illyricum Siciliamque*, patrimonium, (ne de juris Eccleſiaſtici imminutione quicquam nunc dicam) hoc modo cumulate recompenſaretur.

Incrementa Canonicæ poteſtatis R. *Sedis, in Occidente reliquo.*

Non contemnendum quidem additamentum accepit *R.* Sedis per *Gallias* & *Hiſpanias* auctoritas, inſtitutis ejus *Vicariis*, per *Gallias* quidem Epiſcopo *Arelatenſi* à *Zoſimo Epiſt.* V., per *Hiſpanias*, *Tarraconenſi*, & *Hiſpalenſi* ab *Hormiſda Epiſt.* XXIV. & XXVI. poſt *Simplicium Epiſt.* I. Antiquius eſt, quod *Theſſalonicenſes Leo* Papa I. *Epiſt.* LXXV. Sedis R. *Vicarios* jampridem fuiſſe teſtatur. Hoc enim ea affirmat quæ diſputavimus, de *R.* Sedis in *Illyricum* auctoritate, propagata *Sardicenſis* Synodi decretis. Neque facile reperietur

tur antiquius *Vicariatus R.* Sedis exemplum. Nam ex *Syricii Epiſt.* IV. nullus haberi videtur per *Africam R.* Sedis *Vicarius*; quod quidam contendunt. Quanquam & hoc ejuſdem temporis eſt. Itaque mirum non eſt, idem exemplum in *Gallias*, ab eis, quibus eoſdem per *Gallias* obtinere cordi erat, propagatum videri. Cæterum, nihil admodum a *Zoſimo* mandatum *Patroclo* videtur, quam ne quis *ſine Formatis Epiſcopi Arelatenſis* peregrinaretur; Quod, non tam *Gallicanis* Epiſcopis jubere erat, quam, quod ſui juris erat, ipſos, per *Italiam*, & in Imperatoris comitatu, quo pleroſque res ſuæ trahebant, ſine formatis pro Epiſcopis, qui peregrinarentur, agnitum non iri, denunciare. *Vicarios* quidem *R.* Sedis Canonum obſervationi invigilare, Concilia ſopiendis litibus habere, majores cauſas *Romam* referre, hæc quidem ea erant, quæ *R.* Sedes ſpectabat, quæque Pontificum literis inculcari tralatitium eſt; Obtinuiſſe autem, mandante *R.* Sede, eatenus videri debent, quatenus Eccleſiæ Canones moreſque ferrent. Cum autem diſcuperet *R.* Sedes, Metropolitatiorum Ordinationem eatenus ad ſe trahere, ut a ſe *Confirmari* viderentur; Quod extra *Italiam* neceſſarium ab initio non fuiſse, manifeſtum eſt; obſtupefactos initio novæ rei miraculo Epiſcopos, huc tandem adegerunt. *Pallium* Patriarchis indulſerant Imperatores, auguſtioris notæ veſtem; ut, qua ipſi utebantur, eadem & in ſolennioribus uterentur capita Eccleſiæ. *Conſtantinum* hoc *Sylveſtro* indulſiſſe, ficta ejus donatio, ſed quam, *Caroli Calvi* tempore extitiſse, manifeſtum eſt, affirmat. *Juſtiniano Pallium* ab *Anthimo Conſtantinopolitano* redditum, demptum. *Paulo Alexandrino Pallium* juſſu *Juſtiniani*, *Liberatus Capp.* XXI. & XXIII. auctor eſt. Hanc igitur veſtem, Metropolitarum præcipuis indulgere inſtituerunt Pontifices; ſed, ſtante Imperio, non ſine conſenſu Imperatoris: Sic enim ſcribit *Arelatenſi Auxanio Vigilius Epiſt.* I. Sed cum pro ſe quiſque Metropolitæ dignitatem imaginarium ambirent, *Bonifacius*, ad inſtaurandam collapſam

Eccleſiarum *Franciæ* diſciplinam legatus à *R.* Sede miſſus, obtinuit in Synodo, anno 742. ut omnes *Roma Pallium* acciperent, in ſignum *Canonicæ obedientiæ*, quam ab ipſis promiſſam refert *Bonifacius Epiſt.* CV. Idem conſtitutum VIII. Synodi decreto, ſub *Hadriano* II., Canone, quem, etſi *Græce* non legatur, *Anaſtaſii* verſio exhibet. Sed de hac re tota vide *P. de Marca* 7. *de Concordia* VI. 1—. ubi ſic ſcribit; *Verum, quia ubique receptum erat, Conſecrationes extra Italiam fieri poſſe abſque eorum conſenſu, vim ei Legi palam adferre noluerunt; Sed Metropolitanos novæ rei cujuſdam miraculo velut obſtupefecerunt; Quæ in initio magnifica, paulatim tamen antiquam eorum libertatem per cuniculos infregit, & Synodorum Provincialium auctoritatem peſſumdedit.* Itaque etſi *R.* Sedis in reliquos *Patriarchas*, hoc eſt, in univerſam Eccleſiam, inque Fidei cauſas auctoritas, redacta videri poſſit ſub *Vigilio* in eum Ordinem, quem ante *Hormiſdam* tenuerat; tamen ejus in Occidentem reliquum πρεσβεῖα augebantur indies, donec ejus auctoritate, uſurpatum *Pepino Francorum* Regnum benedictionem accepit. Neque enim hoc ſine pactis conventis factum eſt, quibus, ereptus *Longobardis Exarchatus*, quem de *Græcis* cœperant, *R.* Sedi eſt redditus. Hoc ſcilicet opum, ſimul cum auctoritate incrementum, gradus fuit Sedi *Romanæ*, ad egrediendos Canonicæ poteſtatis limites; Cum obligatam *Carolinam* ſtirpem, Regno ipſius benedicendo, teneret. Cæterum ſub *Carolo M.*, & *Ludovico* ejus filio, damnata VII. Synodus, cujus auctor fuerat *Romana* Sedes, Eccleſiam adhuc ea Sede majorem oſtendit. Quod & ex negotio de proceſſione Sp. Sancti conſtare poteſt. Nam per Eccleſias ditionis *Carolinæ*, tum temporis, in Symbolum inſitum eſt *Filioque*; cum *Leo* III. Papa, graviſſimis rationibus uſus, nihil innovandum cenſeret. Sane his temporibus, cum accipiendi *Pallii* neceſſitatem Metropolitæ ſubiiſſent, exactum eſt, ut Canonicam *R.* Sedi obſequium ſcripto pollicerentur; Quod eadem docet *Bonifacii* ad *Cutbertum* Epi-

Epiſtola. Nam antea ſatis erat *Fidei profeſſio*, obſervandorumque Canonum, Provincialibus Epiſcopis edita. Idem docet *Formula* XIV. earum quas *Appendix Sirmondi* ad *Tomum* III. Conciliorum *Galliæ* habet. Canonum tamen limitibus etiam tum definiebatur, ut docet *Zac. P. Epiſt.* I. ad *Bonifacium*; Quem & ſibi in eo cavere oſtendit Epiſt. ejus CXXXII. ad *Zachariam*. Iiſdem temporibus tribuendæ Epiſtolæ, quas primis à *S. Petro* Urbis Epiſcopis, *Hiſpanicus* ſcriptor *Iſidorus*, ſive *Mercator*, ſive ut alii *Peccator* ſuppoſuit; Quod virorum doctorum induſtria oſtendit. Sane in ea *Canonum Collectione* editæ, quæ *Iſidoro* Mercatori tribui ſolet, à *Riculfo Moguntino* Epiſcopo, per ditionem *Francorum* ſtudioſe invulgatæ ſunt, & in Capitularia Regum tranſumptæ. Idem dicendum de Collectione LXXX. Capitulorum, quam *Hadrianus P.* anno 785., *Ingilramo Metenſi* traditam in Franciam miſit; Quibus, cum ſæpe addatur aut detrahatur Canonibus, quod ad inſtitutum Sedis *R.* faciat, in Capitularia Regum relata ſunt. Oſtendemus, ſi res tulerit, in ſequentibus, quatenus immutata Canonum diſciplina ſit Epiſtolis his & Capitulis; Ne dubium eſſe poſſit, quibus artibus, ad aſſerendum immenſum jus Sedi *R.* pro Canonico, perventum ſit.

Poſtquam autem *Germani*, ſub *Othone M.*, cum Sede *Romana*, primore loco, de ſuſcipiendo *Italiæ*, quod *Longobardorum* fuerat, Regno, certis legibus tranſegiſſent: Succedentes autem *Germanorum* Principes, *Othoni* neque viribus neque auctoritate pares, de legibus regni diffidere ab ipſa cœpiſſent; adhibita ad terminandam ſecularis juris litem Eccleſiæ poteſtate, & redactis in Ordinem *Germanis*, non eſt mirum, obliteratis juris Canonici limitibus, infinitam poteſtatem *R.* Sedi uſurpari cœptam. Sed hæc poſterius. Illud hujus loci; nullam eſſe veteris Eccleſiæ inſtitutis, Sedis *R.* appellationem, niſi Canonibus *Sardicenſibus* conſtitutam. Quod appellationes dici ſolent, cum in *Athanaſii* cauſa, verbi gratia, aut *Joannis Alexandrini*, primo loco adi-

Quomodo, ex Canonica, in infinitam evaſit.

tur

tur Eccleſia *Romana*, ut ejus auctoritate jus obtineatur; ſtatuendum eſt, non eſſe eam *appellationem* Sedis *R.*, cujus ipſa cauſam ſola judicare non poſſet. Relationes, quibus minores Eccleſiæ auctoritatem ejus requirunt, non tanquam ſolius, ſed tanquam primæ conſenſum ſpectare, ad quem ipſæ etiam, pro rata parte, concurrant. Itaque in veteris Eccleſiæ rebus, nullam infinitæ, infinita, Canonicæ poteſtatis, principe loco *Romanæ* Sedi tribuendæ, argumenta extare: Eccleſiam *Conſtantinopolitanam*, poſtquam totius ſibi ſubjiciendæ Eccleſiæ voluntatem non obſcure prodidiſſet, *Romanæ*, Occidentalis ſibi ſubjiciendæ exemplum dediſſe, cui auctis viribus ſucceſſus non defuerit. Duo eſſe cauſarum genera, quæ ad *Romanam* Eccleſiam ex conſtitutione totius Eccleſiæ pertineant; alterum Fidei, alterum Unitatis: Et quia nulla cauſa eſt tam levis momenti, quæ, propter hominum vel inſcitiam vel iniquitatem, Unitatem Eccleſiæ in dubium vocare non poſſit; Propterea nullam eſſe cauſam, quæ ad *Romanam* Eccleſiam pertinere non poſſit, etſi pertinere non debeat. Nam quod Canon *Sardicenſis* omnes damnatorum Epiſcoporum cauſas ad *R.* Sedem remittit, in eo, veri nominis appellationem inſtituit; quatenus quidem, an inſtaurandum Provinciæ judicium videatur, ei ſoli judicandum permittit; Sed non ultra valituram, quam valeat Canon *Sardicenſis*; non, ut *Nicolaus* Papa diſputat, tanquam inſtitutæ Eccleſiæ originarius, ubique & ſemper ab initio mos fuerit, ut de univerſis damnatorum Epiſcoporum cauſis appellari *S. Romana* potuerit. Nam, cum de cauſa ad totius Eccleſiæ ſtatum non pertinente, damnari Epiſcopi poſſint, Provinciæ ſuæ, vel, prout olim conſtitutæ res erant, *Diœceſis* Synodo terminanda; Quis dicet, cujuſvis momenti cauſam, propter quam damnari Epiſcopus poſſit, tantum Eccleſiæ totius intereſſe, ut niſi de ea Principi Sedi cognoſcendi jus fuerit, minus communi Fidei conſultum videri debeat? Quis non dicat, minores cauſas ibi terminari ubi natæ ſunt,

ita

ita totius Eccleſiæ intereſſe, ut neque Epiſcopo impune eſſe debeat, non acquieviſſe? Nam, in minoribus cauſis majores Poteſtates appellari non poſſe, publicæ tranquillitatis ratio, & rerum uſus civilium neceſsarium eſse oſtendit. Quod in Eccleſiaſticis tanto potius locum habet, quanto majus eſse debet Eccleſiæ totius corpus, quam unius cujuſvis Civitatis, aut Imperii; Cujus unitati vix poſſit conſuli, tranquillitati omnino non poſſit, ſi minores cauſæ, niſi Principe Sede cognoſcente finiri non poſſint.

Cæterum, cum *Originariæ* communis Chriſtianiſmi cauſæ ad *R.* Eccleſiam, ex inſtitutione univerſæ, pertineant; tamen, cum totam ab initio Eccleſiam, cujus unitatem colere omnes debemus, ſequeſtrem habeamus juris communis, non eſt ejus auctoritas reformidanda, cujus fines communis Chriſtianiſmus determinat. Sane, quid ad ſalutis neceſſitatem pertineat, cum ſine Eccleſiæ Traditione conſtare non poſſit, merito ejus declarandæ Traditionis penes eam major auctoritas eſt, penes quam, neceſse eſt majorem ſcientiæ Scripturarum, rerumque Eccleſiaſticarum facultatem eſse. Interea loci verum erit, quod quidam ex eis, quos infallibilitatis univerſæ Eccleſiæ auctores citavimus pronunciarunt; etiam *Laici*, Scripturam pro ſe efficaciter allegantis, (id eſt, ſecundum ſenſum totius Eccleſiæ) majorem quam Generalis Concilii auctoritatem & eſse, & eſse debere, ſine Verbo Dei pronunciantis. Quid in hoc genere definiendum ſit, cum inter eos quæri poſſit, quibus quid verum ſit convenit; id ita majori auctoritati conceſſum eſt, ut non Fidem ſibi, tenenda ejus ſententia, ſed charitatem, retinenda Eccleſiæ Unitate præſtandam noverint, qui cum veritatem non videant, poſſint tamen alienæ ſententiæ offenſionem diſſimulare, ipſi, unitati offendiculo non eſse. Nam quod Eccleſiæ inſtituta attinet, parum eſt dicere, totius inſtituta, vero partis Chriſtianiſmo non poſse eſse offendiculo: dicendum eſt inſuper, quæ veteri Eccleſiæ

Quos terminos jus ipſius agnoſcat.

Digitized by Google

cleſiæ, etſi non toti, uſurpata conſtare poſſit, ea tum Chriſtianæ pietati noxia haberi poſſe, ſi à vetuſtiore & originario univerſæ Eccleſiæ more defectionem continere conſtet. Tum, propter quæ vetus Eccleſia ab Unitate non diſceſſerit; qualis eſt Paſchalis ritus controverſia, rebaptizandorum hæreticorum, pacis lapſis dandæ; (nam, propter quas hæretici habiti qui receſſerunt, propter eas, ab unitate non recedendi, vetus Eccleſia auctor eſt) in eis ferendos, qui, revocandi veteris Chriſtianiſmi cauſa, Eccleſiæ inſtituta ſine totius auctoritate innovant, in quibus probabile ſit in pejus prolapſum. Quanto magis ſi prolapſum conſtet? Quando probabili opinione ductos, quod prolapſum fuerit, abdicari pravum ſit, modo communionem colere paratos, quouſque, commercio communionis, de veritate eorum, quæ offenſionem pariunt, certiores fieri poſſint. Quamvis autem hæc ſententia eis finibus terminata ſit, de quibus novas exiſtere poſſe lites neceſſe fuerit; Tamen quia obſcuros, (ut in rebus humanis, quarum Geometrica neceſſitas nulla eſſe poteſt) juris regundi fines eſſe præſtat, quam nullos; gratias eis habendas putem, qui rationem regundorum hujus juris finium illam demonſtrant, quam communis Chriſtianiſmi ratio afferat.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XXV.

De auctoritate Patrum, *in dogmatibus decretiſque Eccleſiæ conſtituendis.*

HUic etiam loco reſervavimus, quod de auctoritate Patrum, in eis quæ de Fide, Canonicaque diſciplina Eccleſiæ in quæſtionem veniunt, ſtatuendum videtur. Nam quod eorum auctoritatem hactenus uſurpari neceſſe fuit, teſtimonii auctoritas fuit, potius quam dogmatis Eccleſiaſtici. Communis eſt omnibus fere fundandis ſcientiis monimentorum Hiſtoriæ Fides, ut vera credantur, quæ ab eis geſta narrantur ſua fide, quos latere verum non potuerit. Hanc hactenus adhibuimus, ad rationes inſtitutæ Eccleſiæ indagandas. Nam, quod, ad myſticum Scripturæ ſenſum ab hiſtorico diſcriminandum, eorum etiam conſenſus adhibitus eſt, non debet propterea, ad ea quæ Chriſtianis inter ſe controverſa ſunt definienda, adhibitus videri; ſed ad illud, in quo tota ſtat Chriſtianiſmi cum Judaiſmo contentio. Ad dogmatum autem Fidem; ſive de viribus inſtitutorum Eccleſiaſticorum agatur, non de dogmatum Fide; quicquid auctoritatis Eccleſiæ Patribus tribui poteſt, ab eo loco petendum, quem in Eccleſiæ Hierarchia ſuo tempore obtinuerunt; Propter quem idonei cenſendi ſunt, qui Eccleſiaſticæ Traditionis fidem faciant. Nam qui Eccleſiarum ſuo tempore capita fuerunt, præſertim majorum, præcipue maximarum, eos Eccleſiaſticæ Traditionis ignaros videri eis, res ipſa non patitur, qui paucos admodum, ante ætatem in Eccleſiæ inſtitutis penitus perſpiciendis actam, ad eum locum venire potuiſſe ſciunt. Hanc rationem ſatis appoſite indicat *Socrates Hiſt. Eccl.* II. 40. Ubi *Eleuſio Cyziceno* reſpondet, tanquam Patrum Fidem tenendum id

Auctoritatem PP. Eccleſiæ Hierarchiam fundum habere.

Symbolum contendenti, in *Seleucienſi* Synodo, quod *Antiochiæ* in *Encæniis* conditum fuerat. Sic igitur *Socrates*; Πῶς τοὺς ἐν Ἀντιοχείᾳ συνελθόντας Πατέρας ὀνομάζεις Ἐλεύσιε, τοὺς καὶ ἐκείνων Πατέρας ἀρνούμενος; οἱ γὰρ ἐν Νικαίᾳ συνελθόντες, καὶ τὸ ὁμοούσιον τῇ πίστει συμφωνήσαντες, κυριώτεροι ἂν Πατέρες λέγοιντο, τῷ καὶ προαναβεβηκέναι τοῖς χρόνοις, καὶ ὅτι οἱ ἐν Ἀντιοχείᾳ γενόμενοι ὑπ' ἐκείνων εἰς τὴν ἱερωσύνην προεβέβληντο. εἰ δὲ οἱ ἐν Ἀντιοχείᾳ τοὺς ἰδίους Πατέρας ἠθέτησαν, λελήθασιν οἱ μετὰ ταῦτα ἑαυτοὺς Πατραλοίαις ἑπόμενοι. πῶς δὲ καὶ ἐκεῖνοι, ὧν τὴν πίστιν ὡς ἀδόκιμον ἠθέτησαν, τὴν χειροτονίαν ὡς δοκίμην ἐδέξαντο; *Quomodo Patres eos appellas, qui* Antiochiæ *convenerunt*, Eleuſi, *qui eorum Patres rejicis? Nam qui* Nicææ *coacti*, *Conſubſtantiali Fidei inſerendo ſuffragati ſunt, juſtius Patres dicantur*; *ut & tempore priores, & a quibus* Antiochenſes *ad Sacerdotium provecti ſunt. Qui ſi Patres ſuos repudiaverunt, non vident ſe parricidis ſuccedere, qui ipſos ſequuntur. Quomodo autem & illi, quorum Fidem tanquam improbabilem repudiant, eorum Ordinationem quam ſuſceperunt, probare ſe ſperant?* Succeſſionis jus, nimirum, eorum crimen oſtendit, qui à deceſſoribus deſciſcunt. Idem oſtendit gravior auctor *S. Hilarius* fine *l. de Synodis*; *Cogitemus tot Sacerdotes ſanctos, & quieſcentes jam. Quid de nobis Dominus judicabit, ſi nunc anathematizentur a nobis? Quid nobis erit, qui rem eo deducimus, ut quia Epiſcopi non fuerunt, nos quoque non cœperimus? Ordinati enim ab his ſumus, & eorum ſumus ſucceſſores. Renunciemus Epiſcopatui, quia officium ejus ab Anathemate ſumpſerimus.* Majoritatem Epiſcopatus, & ſucceſſionem, pro ratione auctoritatis Patribus Eccleſiæ tribuendæ, adhiberi a tanto viro, ut opinor, omnes intelligunt. Sed & *Antiochena* ipſa Synodus, initio *Symboli* ſui apud *Socratem* II. 10. Ἡμεῖς οὔτε ἀκόλουθοι Ἀρείου γεγόναμεν· πῶς γὰρ ἐπίσκοποι ὄντες ἀκολουθήσοιμεν πρεσβυτέρῳ; οὔτε ἄλλην τινὰ πίστιν παρὰ τὴν ἐξ ἀρχῆς ἐκτεθεῖσαν ἐδεξάμεθα. ἀλλὰ ἡμεῖς, ἐξετασταὶ καὶ δοκιμασταὶ τῆς πίστεως αὐτοῦ γενόμενοι, μᾶλλον αὐτὸν προ-

προ-

Digitized by Google

προσηκάμεθα, ἤπερ ἡμεῖς ἠκολουθήσαμεν. *Nos neque Arium ſecuti ſumus; Quomodo enim ſequeremur Presbyterum Epiſcopi? Neque aliam Fidem, ab ea quæ ab initio expoſita eſt, ſuſcepimus. Sed cum examinate & probare ejus Fidem noſtrum ſit, admiſimus eum potius quam ſecuti ſumus.* Igitur ſucceſſorum deceſſores, Presbyterorum Epiſcopi, propter Eccleſiæ auctoritatem quam penes ſe habent, *Patres* ſunt ab Origine.

Quæ Scriptorum auctoritas, quos Patres appellamus.

Nam cum poſtea, multiplicatis Eccleſiaſticorum ſcriptorum monimentis; quibus condendis, neceſſe fuit, non minus Presbyteros & Diaconos, quinetiam & Laicos vacare, quam Epiſcopos; non eſt mirum, aliam eruditionis, & eloquentiæ, aliam auctoritatis rationem ducendam eſſe. Quorum enim ſcripta poſteritas probavit, tanquam ad Eccleſiæ ſententiam facta, eos neceſſe eſt, ad auctoritatem etiam dogmatum *Patres* cenſeri, propter eorum auctoritatem, ſine quibus probari Eccleſiæ ſcripta eorum non potuerint. Intelligitur hoc optime, ex eorum diverſo genere, quorum ſcripta in *Apocryphorum* cenſum relata ſunt, in egregio antiquitatis Eccleſiaſticæ monimento, Concilii *Romani* ſub *Gelaſio P.* I., quod in farragine Conciliorum legitur, & apud *Gratianum* in decreto. Subeunt enim hunc cenſum, non ea ſolum, quorum ignoti eſſe ſcriptores voluerunt, quod probari ſcripta ſua Eccleſiæ poſſe deſperarent; Sed etiam quorum, etſi noti eſſent ſcriptores, ſuſpenſam tamen eſſe Fidem voluit Synodus, neque ea ſe auctore legi. Itaque non interpellatur auctoritas Patrum, ad dogmatum Fidem, ſcriptorum etiam Eccleſiaſticorum exemplo, quibus Eccleſia auctoritatem non tribuit; etiamſi ſcriptores ipſi in ejus communione mortui ſint. Aliud enim eſt docendæ Eccleſiæ auctoritas, aliud jus Communionis. Neque infirmatur dogmatum Fides, eo quod diverſum docuiſſe videantur, quibus Eccleſia auctoritatem non tribuit. *Juſtinus, Arnobius, Lactantius Eccleſiæ homines* fuerunt, ſed Laici. Summus quidem vir *Juſtinus,* &

inſtituti nunquam ſatis laudati; qui cum Fidei hoſtibus agendo, martyrium ſibi conciliavit. Sed ſicubi erravit, quid ad auctoritatem Eccleſiæ e plebe fidelis? *Arnobius Catechumenus*, ſi in Hæreticorum libros inciderit, & eorum dogmata, quaſi ad Fidem pertinentia, Fidei hoſtibus oppoſuerit, (quod ab eo factum libro II. omnes fatentur) quis hoc Eccleſiæ intereſſe putet? Quid, quod *Lactantius*, cenſente *S. Hieronymo*, aptior refutandis Gentilibus, quam Fidei confirmandæ reperiatur? Quid, quod in exponendo Trinitatis dogmate erroneus? Nam *Tertullianus*, quem *S. Hieronymus*, *Eccleſiæ hominem non fuiſſe*, eleganter judicat, tantum valebit, quantum vel hiſtoriæ fide refert, vel argumentando conficit. Quid *Alexandrinus Clemens*? quem, ſatis eſt, quod *Apocryphis* accenſet *Gelaſius*. Quid *Origenes*? cujus caſum, tam præclare, tam ſupra modum de Eccleſia meriti, deplorant merito, cum *Lerinenſi Vincentio*, omnes Eccleſiæ ſtudioſi. Nimirum laudanda Eccleſiæ patientia, quæ hæreticorum dogmatum auctorem, ſed qui hæreticum in eis publicandis audaciam, tuendis pertinaciam, non adhiberet, præſertim de Eccleſia bene meritum, ad calculos non vocare optimum cenſuit. Sane, ab amico *Ambroſio*, miſſa ad ſe ſolum ſcripta publici juris facta, quibus hæc, nec niſi quærendo, afferebantur, merito excuſanti *Hieronymo* credimus. Non obſtare autem vel Traditæ Fidei, vel Communionis Legi, quod *Origenis* multas ſententias in utramque incurrere conſtet; argumento eſt, quod eorum nomine, vivente etiam *Origene* lis conteſtata ſit, licet propterea, neque Eccleſiæ communione, neque Sacerdotii honore caruerit. Nam cum ſopire diſſidium quod partes facere poterat, prudentiæ fuerit & ſimplicitatis eorum temporum, quibus perſecutio quotidie metuebatur; Quis neget alienam fuiſſe ab eis erroribus Eccleſiæ profeſſionem, quorum nomine etiam *Origeni* tacendum fuerit? Itaque cum ab initio, quoties partes facerent ſuper eis in Eccleſia *Origenis* ſtudioſi, toties damnati ſunt, vel *Alexandriæ*

à

à *Theophilo*, vel *Romæ* ab *Anaſtaſio*, vel in Quinta Synodo *Conſtantinopoli*,toties originariam Eccleſiæ Fidem vindicatam cenſendum eſt; Etſi quid ſit,quod qui pertinaciter aſſerat, in Hæreſis crimen,proprio nomine dictæ, incurrat cum *Origene* ſentiens,id vero ex eis judicandum ſit,ex quibus,quid ad ſalutem Fide teneri neceſſarium ſit judicandum fuerit.Hæc, ut opinor,hoc loco reddenda erant, quia hoc locc reddenda erat ratio, cur non ſit *Patribus* Eccleſiæ accenſendus *Origenes*; quibus tamen accenſetur *Hieronymus*, *Origeni* gradu Presbyterii non plus quam æqualis. Nunc, cum Patres, ut opinor, Concilii *Chalcedonenſis* communem Patrem *Leonem P.* I. agnoverunt, tribuendum hoc *R.* Sedis primatui, Cum Epiſcopi *Euſebii*, vel *Fauſti* Presbyteri, *Clementis*, vel *Tertulliani*, *Caſſiani* Diaconi ſcripta, *Gelaſii* decretum pro Apocryphis haberi jubet, non eſſe Patrum ſcriptis annumeranda conſtat, quibus Eccleſia auctoritatem abrogat; quamvis ſcriptores ipſi, dum Eccleſiæ communicarent, inferiorum ſuorum reſpectu *Patres* appellandi fuerint. Non eſt omittendus hoc loco inſignis *Hormiſdæ* Papæ ſententia, ex Epiſtola, qua Poſſeſſori reſpondet, Epiſcopo *Africano*, libros *Fauſti de gratia & libero arbitrio*, quo loco habendi eſſent, quærenti. *Non improvida, PP. veneranda ſapientia, Fideli poſteritati, quæ eſſent Canonica dogmata definivit; Certam librorum, etiam veterum, in auctoritatem recipiendorum Sancto Spiritu inſtituente ſummam præſcribens; ne opinioni ſuæ lector indulgens, non quod ædificationi Eccleſiaſticæ conveniret, ſed quod voluntas ſua concepiſſet, aſſereret. Quid ergo calumniantibus opus eſt? extra conſtitutos Eccleſiæ terminos porrigere quæ rationis*. Et de his quæ ita habentur, quaſi dicta non ſint, litem movere? Cum Chriſtiana Fides Canonicarum legum, & Synodicarum diſciplinarum, & Patrum regulis conſtitutis, ſtabili & in concuſſo tramite limitetur.* Nam quod ad Apocryphorum ſcriptorum lectionem attinet, in præcedentibus ſic definitum eſt. *Nec tamen improbatur diligentia per multa diſcurrens, ſed animus a veritate declinans. Sæpe ex iis*

ne-

Digitized by Google

neceſſaria providentur, de quibus ipſi æmuli convincantur. Inſtructioni nec vitio dari poteſt, noſſe quod fugias. Atque ideo, non legentes incongrua in culpam veniunt, ſed ſequentes. Quod ſi ita non eſſet, nunquam Doctor ille Gentium adquieviſſet adnunciare fidelibus; Omnia probate, quod bonum eſt tenete. Unde manifeſtum eſt, quantum ſit eorum diſcrimen quæ legi patitur tantum Eccleſia, ab eis quibus probatorum Doctorum auctoritatem addit.

Etiam diſſentientibus Patribus, de Fide conſtare poſſe.

Colligenda igitur ſunt quæ diximus, ut conſtet, Patrum auctoritatem, ut apud Veterem Eccleſiam accipiebatur, Eccleſiæ auctoritatem ſive in docendo, ſive in decernendo continuiſſe; ut nunc accipi ſolet, non pluſquam Eccleſiæ Communionem ſignificare, quæ ad docendi auctoritatem non valeat; Nimirum quatenus nihil obſtabat, quo minus Eccleſiæ Communione potirentur, quorum ſententias Eccleſiæ auctoritas non præſtabat. Nam qui cum Ordinationis ſucceſſione docendi etiam auctoritatem propagabant, eos non eſt mirum Eccleſiæ *Patres* cenſeri; Qui non ſolum erga plebem Eccleſiæ Patrum loco eſſent, ſed & eos propagabant, qui Eccleſiæ plebi Patrum loco eſſe deberent. Sane univerſum Cleri Ordinem paterna in Plebem auctoritate cenſeri, non minus ratio poſtulat, quam Eccleſiæ intereſt. Quid enim refert, fieri interdum poſſe, ut Laicus plus ſciat de Scripturis quam Clericus; Cum nihil obſtet, quo minus Medicinam teneat, vel Juris ſcientiam, qui Medicinam non faciat, nec de Jure reſpondeat? Abunde eſt ad auctoritatem, quod Clericalis vitæ educatio, & per gradus promotio, Scripturarum peritiæ, ut aſſequendæ commoditatem, ita ſecutæ profeſſionem contineat. Nam quod apud *S. Paulum doctores* ſuarum cujuſque Eccleſiarum Epiſcopos intelligendos dictum eſt, id, ab hoc initio, per Eccleſiam ita locum habebat, quod promoverent quiſque ad Presbyterium, quos, in Scripturarum morumque Eccleſiæ ſcientia; vel inſtituiſſent ipſi, vel in Eccleſiis inſtitutos ſciebant, quibus communicarent. Sic

ſe

ſe *S. Baſilius* de Spiritu *S.* C.XXIX. ab eo Fidem, Baptizandique formam, cui Fides innexa eſſet, edoctum diſputat, à quo ad Presbyterium promotus ſit. Sic *Facundus Hermianenſis*, cum *Chryſoſtomo Theodorum Mopſueſtenum*, *Flaviani Antiocheni* Diſcipulos, ab ipſo Fidem accepiſſe. Sic *Emeſenum Euſebium*, cum à teneris Scripturas didiciſſet, in eorum ſenſu ab *Euſebio Cæſarienſi* & *Patrophilo Schythopolitano* inſtitutum fuiſſe refert *Socrates* II. 10. & *Sozomenus* III. 6. Hæc enim erat ab initio diſcendæ Theologiæ ratio. Adeo erat innexa Hierarchiæ rationi, Fidei morumque Eccleſiæ, quibus Unitas ejus continebatur, Traditio; Ad quam reſpici oportet, quoties agitur de ejus inſtaurandæ Eccleſiæ ratione, quam a primo ad ſecundum Chriſti adventum eandem eſſe oporteat. Hac igitur ratione, *Juſtini*, *Clementis*, *Arnobii*, *Lactantii*, *Tatiani*, *Athenagoræ* ſententias non eſſe præſcribendas Eccleſiæ Traditioni contendo; tanquam Eccleſiæ Patrum, quorum auctoritate propagata videri debeat; quorum partim Laici fuerint, Eccleſiæ tantum Communione gaudentes, partim non pluſquam Presbyteri; *Tertullianus* autem Eccleſiæ Communionem propter Montani Prophetias repudiaret. In *Origene* hæret difficultas; Sive ob ingentia in Eccleſiam merita, (qui ad Scripturarum interpretandarum ſtudium; utrum ingenii vim an eruditionis copiam majorem attulerit, incertum eſt) Sive quod, in Fidei Regula labefactanda, non ſolus eſſe videri poſſit. Nam quod Filium & Spiritum Sanctum Patre minores facere videtur, id ei, non ſolum cum eis quos diximus, commune videtur, ſed & antiquioribus *Irenæo* & *Theophilo*, locique in Eccleſia ſublimioris; Tum & *Dionyſio Alexandrino*, & *Neocæſarienſi Gregorio*, diſcipulis ſuis, magnæ poſtmodum in Eccleſiæ auctoritatis. Quod autem præmiorum pœnarumque æternitatem in dubium vocat, in eo ſi neminem alium conſentientem habeat, difficile tamen ſit *Gregorium Nyſſenum* excipere, quo minus ad ejus ſententiam accedere videri debeat; quem certum eſt,

magnæ

Digitized by Google

magna in Eccleſia exiſtimatione & vixiſſe & defunctum eſſe. Hæc cum ita ſint, non tamen obſtant, quo minus extiterit etiam tum Eccleſiæ Traditio, quæ & antiquiorum Eccleſiæ Scriptorum ſententias, interpretationeſque Scripturarum, vel limitibus eis contineat, quas ipſa definit, vel repudiet, ſi contineri nolint. Semper enim valebit, quod *Eunomio Gregorius Nyſſenus* initio primæ adverſus ipſum diſputationis, *Baſilium* fratrem in libro de Spiritu Sancto ſecutus præſcribit; Pariter ab initio unius veri Dei gloriam Filio Spirituique Sancto aſcriptam cum Patre; Quod & in profeſſione Fidei, & in Baptiſmo ſive conferendo, ſive ſuſcipiendo, ſemper manifeſtum fuerit. Ac merito ſic *Gregorius* adverſus *Eun.* III. ἀρκεῖ γὰρ εἰς ἀπόδειξιν τοῦ ἡμετέρου λόγου τὸ ἔχειν πατρόθεν ἥκουσαν εἰς ἡμᾶς τὴν παράδοσιν, οἷόν τινα κλῆρον, δι' ἀκολουθίας, ἐκ τῶν ἀποστόλων διὰ τῶν ἐφεξῆς πατέρων παραπεμφθέντα. *Sufficit enim ad noſtræ ſententiæ demonſtrationem, quod habeamus a Patribus venientem ad nos Traditionem, velut hæreditatem quandam, per ſucceſſionem ex Apoſtolis per Patres ſequentes tranſmiſſam.* Nam, cum, cultu veri Dei proprio, Filium Spiritumque S. cum Patre ab initio cultum negari non poſſit; manifeſtum ſemper erit, deſciſcere ab originaria Fide, quicunque proprietatem Deitatis Trinitati minuit. Itaque adulterium eſſe, quicquid Scripturas in alium ſenſum interpretatur. Cum autem perinde traditum manifeſtum ſit, Deitatem in Filio a Patre ortam, in Sp. autem Sancto, ſive a Patre ſolo, ſive ab utroque; perinde manifeſtum erit, communem Deitatem a Patre cum *originis auctoritate* haberi, ut loquitur *S. Hilarius*, quomodo a Filio & Sp. S. haberi non poſſit. Cum igitur neceſſe ſit, aliquam majoritatis rationem in ſe habere *originis* in Patre *auctoritatem*, quæ Filio & Spiritui Sancto communis eſſe non poſſit; Si ad hanc rationem reduci poſſint antiquorum ſententiæ, quibus *Patri miniſtrare* fertur Filius, (ut hoc exempli loco ſit) non erit quo minus *bonum factum* aſcribamus. Integra certe erit Trinitati

tati

Digitized by Google

tatis in Unitate Traditio. Nam ſive novi *Samoſateniani* contendant, integrum ſibi eſſe,ſolutis Traditionis mænibus,novas Scripturæ interpretationes comminiſci ; Sive quis novus *Arianus* exiſtat, qui ſibi licere contendat quod Origeni, quem *Ario* præluſiſſe ferunt ; Damnatus cum *S*abellio *Samoſatenus* (cujus Hæreſim aſciſcere *Samoſateno* ſemper neceſſe fuit,ut de Spiritu Sancto, ex ſua de Filio ſententia reſponderet) oſtendit aliud traditum tenuiſſe tum Eccleſiam. Cum autem Origenem Eccleſiæ ab initio ſuſpectum fuiſſe conſtet, cum *Dionyſium Alexandrinum* (qui contra Sabellium ſcribens, rationes adhibuerat, quæ ad *Arianum* qui poſtea fuit ſenſum inclinare viſæ ſunt) a ſuis Presbyteris ad *R*. Sedem delatum fuiſſe, quaſi Regulam Fidei non teneret, ſeque ipſum excuſaſſe ; Quis ſanus receptam Eccleſiæ Regulam neget,ad quam exacta ſint quæ *Dionyſius* ſcripſerat ? Quis ad eandem exigenda eſſe, quæ ab antiquioribus ſcripta, ſive humiliori, ſive altiori Eccleſiæ loco conſtitutis,inde aberrare videri poſsint ? *Tertullianus* certe, qui Fidem tam clare a peritia Scripturæ diſtinguit,non poteſt non agnoſcere, rationem ſibi reddendam Theologiæ ſuæ , (quæ peritia eſt ſcripturarum) ut integra ſit Fidei Regula ; Cum Sapientiam Patri coæternam ponit,Verbum tum prolatum,cum ad condendam creaturam adhibendum eſſet. Vide illum adv. *Hermog*. c. III. adverſus Praxeam *cap*. V, VI, VII. Eadem ratio eſt *Gregorii Nyſſeni*,de mortis vitæque æternæ Fide, hoc eſt, de communis Fidei capitulo alternantis. Quem enim conſtet, nec raro nec obſcure communem Fidem aſſeruiſse, quis eum miretur in auctoritate apud Eccleſiam eſse potuiſse , etiam ſi ſubobſcure interdum de communi Fide dubitare videretur; cujus Profeſſionem non poterat alia lege lædere , niſi ut ſtatum ſuum in dubium vocaret, quod Origeni contigiſse ſciebat ? Nam quod ejuſdem ſententiæ affines eſse *Baſilium* & *Gregorium Nazianzenum* volunt, qui nulla Fidei, nulla Veritatis Eccleſiaſticæ, lege vixiſse Eccleſiam Catholicam volunt,

quæ ex Patrum ſcriptis deprehendi poſſit, malignitatis eſt, quam ipſorum ſcripta repudiant. Fruſtra ſane *Nyſſenum* Origenis dogmati affinem volunt, qui animarum προϋπάρξιν ex profeſſô oppugnat, de Opificio hominis *cap.* XXVIII. loco quem Juſtinianus in Epiſt. ad Mennam allegat. Tum, in diſputatione de anima & Reſurrectione. Quod ſi in Catechetico *cap.* VIII. XXVI. XXXV. igne, qui Deum in fine ſeculi Iudicem præceſsurus ſit, excoctum iri ſordes peccati animabus admiſtas tradit, hoc ipſi cum *Nazianzeno* commune eſt, Origenem hac in parte ſecutis. Quod & alii multi Eccleſiæ Patres fecerunt. Nam & ipſe Oratione XXXIX. eundem excoquentem ignem etiam *Novatianis*, ſi forte, concedit; Qui tamen *Orat.* XL., ignem cujus vermis non moritur nunquam exinctum iri pronunciat. In Apologetico autem, immortalis animæ pœnas coæternas ad exhortationem virtutis confirmandam adducit. In Oratione autem de Plaga grandinis, pluribus, non eſse ibi amplius excoquendi tempus ſed torquendi, aſtruit. Idem etiam *Nyſſenus* facit Orat. III. de Beatitudinibus; Ubi ab æterno gaudio æternum etiam ſupplicium, ſecundum *Lazari* & *Divitis* parabolam aſtruit. In Orat. autem de Pauperibus amandis, aliaque in Magdalenam citante Leone Allatio libro de Purgatorio *p.* 172. (ego enim eam me vidiſse non memini) ignis æterni cruciatum diſertis verbis premit; Etſi neutra niſi Latine legatur. Quantum autem a veritate ſemel Traditæ Fidei abſit peccati per ultimum ignem purgandi dogma, non eſt hoc loco ponendum; cui diſputando ſuum eſse locum oportet. Quod ſi videri poſſit *Nyſſenus* purgationem iſtam, ad omnes materiæ mundanæ inolitas ex peccato ſordes eo uſque extendere, ut Deum omnia in omnibus eſse poſse neget, niſi excoctis omnibus liberarum voluntatum ſordibus; (quod in diſputatione de anima & reſurrectione videtur dicere.) Nimirum hoc illud eſt, quod multis aſtruit doctiſſimus *Huetius* in Origenianis. *l.* 2. *cap.* II. quæſt. XI. 25. multis Eccleſiæ Patribus

in

Digitized by Google

in mentem veniſſe, benignius de clementia Dei ſperari poſſe, quam Lex Fidei Symbolo expreſſa profitetur; Etſi hoc palam ferre, vitandæ in agone Chriſtiano negligentiæ nomine, Doctoris Eccleſiaſtici non ſit. Sed cum Origenes ipſe, ab initio, adulteratos ſcriptorum ſuorum codices excuſans, a ſuo ipſe aſſerendo dogmate deſtiterit; cum SS. *Auguſtini* & *Chryſoſtomi* concionibus ſerpenti in vulgus huic ſententiæ contradictum ſit, cum decreto VI. Synodi damnatum ſit, non eſt concedendum, non fuiſſe ab initio Traditum, quod nullius unquam ſcriptoris ingenio labefactari potuerit. Nam quod ad S. *Baſilium* attinet, legantur tantum quæ in Regulis compendio traditis ad interrog. 267. reſpondet; nunquam cuiquam, hujus eum ſententiæ affinem eſſe, in mentem veniet. Sed luculenta prorſus eſt pro Fide Eccleſiæ apologia, (Scriptorum Eccleſiaſticorum de hoc dogmate qualemcunque hæſitationem ſilentio tranſigentis) quam Facundi Hermianenſis pro Theodoro Mopſueſteno, in ſcripto pro tribus Capitulis diſputatio exhibet. Quem cum, obſcurum non eſſet, *Neſtorii* dogma multis ſcriptorum ſuorum locis tradidiſſe, negari tamen non poterat, alibi eum ſæpenumero Eccleſiæ Fidem, quam *Neſtorius* oppugnabat aſtruxiſſe. Nimirum huc redit communis Origeni cum Theodoro πολυγραφία, ut cum ex tempore vel dictando vel ſcribendo Scripturas exponerent, non ſatis vel attenderent, quid recepta Eccleſiæ Fides poſtularet, vel eorum memores eſſent, quæ ſibi aliquando ſcribentibus excidiſſent. Quæ, quamdiu nullam Eccleſiæ offenſionem crearent, diſſimulari ſatius erat, quam labefactanda clarorum virorum opinione, Eccleſiæ auctoritatem in dubium vocare. Itaque in Concilio Epheſino, in quo contra *Neſtorium* decretum eſt, non eſt tamen damnata Theodori Mopſueſteni memoria. Ac etſi nemo recte neget, damnari eam potuiſſe; quod Quintæ Synodi decreto factum eſt; tamen Eccleſiæ expedire potuiſſe ut non fieret, quod Facundi diſputatio contendit, ex iis quæ a

 nobis

nobis ſuo loco dicta ſunt, intelligi poteſt. Hæc ſi ad *Nyſſeni Gregorii* ſententiam adhibeantur, argumento eſſe poſſunt, ejus auctoritatem Eccleſiæ Traditioni non officere. Nam quibus ipſe adverſa docuerit, non poteſt ea videri aſſerendi animo diſputaſſe. Itaque etſi, à πολυϛεαφίας temeritate alienus, nihil ab eruditionis ſuæ exiſtimatione alienum diſputaverit; Tamen cui vivo integra fuit apud Eccleſiam auctoritas, quæ, quo conſilio ſcripſerat, perſpectum habere potuit, non poteſt mortui ejus auctoritas Eccleſiæ Traditioni officere videri. Ex quibus colligitur, quam vim habeat quod excuſari ſolet; Prius quam decreviſſet Eccleſia diſputari potuiſse, quæ, poſtquam decretum fuerit, ſine noxa aſseri non poſſint. Nec enim eo valet, ut putemus, decernendo Eccleſiam facere potuiſse, ut ad aſsequendæ ſalutis Legem pertineret ea Fide tenere, quæ priuſquam decernerentur ad eandem non pertinerent. Communem enim omnibus Legem eſse ſalutis oportet, ſemel à Domino & ab Apoſtolis traditam. Sed propter auctoritatem Eccleſiæ, qua Unitas continetur, non eſse amplius integrum decretis ejus repugnare; quæ Fidem ſemel traditam tuendam ſibi proponant, ea ſemper integrum eſſe ad ejus ſenſum ac conſilium revocare. Itaque neque ad labefactandam ſemel traditam Eccleſiæ Fidem, neque Eccleſiæ Patrum auctoritatem pertinet, quod, ante exortas Hæreſes, ſecurius locutos Eccleſiæ Scriptores, excuſari ſolet. Nam, neque Patrum auctoritatem in eis cerni manifeſtum eſt, quæ feruntur tantum in eorum ſcriptis, quos quia communione Eccleſiæ gaudent, ab ejus auctoritate non diſcedere merito ſumitur; Quam auctoritatem, aſſerendæ communi Fidei inſtitutam, ſatis dictum eſt. Quod autem auctoritatem in docendo nactus ſit S. *Hieronymus*, exempli loco, quam ejus in Eccleſia gradus non ſecum ferat, qui Presbyter tantum vixit, hoc ſecutæ approbationi Eccleſiæ tribuendum eſt; Quam non eſt mirum, ſcriptis ejus ac ſimilium ejus auctoritatem addidiſse, quam aliis, propter dogmata poſterius damnata

nata, quibus affinia ſcripſerant, detraxit. Nec tamen propterea, pariter omnia probare cenſenda eſt, quæ ab eis ſcripta ſunt quos probet; ſed, propter probatam eorum in tuendis Eccleſiæ dogmatibus operam, non improbare quæ ferat.

CAP. XXVI.

Exponuntur Scripturæ, tam quæ hinc, indefinitam Scripturæ claritatem, quam quæ inde, erroris immunem Eccleſiam aſſerere videntur.

Mediam ſententiam aſſeri ab eis quæ proferuntur pro extremis.

QUid igitur Eccleſia ſit, cujus unitatem colere omnis Eccleſia debeat; hoc eſt, cujus auctoritati acquieſcendum ſit, in eis quæ unitatem in dubium vocant terminandis; intra communis ſcilicet Chriſtianiſmi fines; ſic habendum eſt. Nunc, quoniam mediam ſententiam ſtatuimus, de ratione terminandi controverſias, quæ communem Chriſtianiſmum, non modo pacem Eccleſiæ in dubium vocant; Reſpondendum eſt eis, quæ, ſive ex Scripturis, ſive ex Eccleſiæ monimentis adducuntur, hinc quidem ad infallibilitatis privilegium, & jus immenſæ poteſtatis, inde ad Scripturam, omnibus quorum intereſt in omnibus ad ſalutem neceſſariis perſpicuam, aſſerendam. Ubi primo loco obſervandum, utramvis ſententiam, ſi valeat, non tantum ut veram valere debere, ſed etiam ut primam veritatem, in quam omnium veritas, quæ veritatem Eccleſiæ in dubium vocant, reſolvi debeat. Apertius quidem priorem, quia nihil eſſe poſſit, quod Eccleſiæ decreto definiri non poſſit: Sed, quod ad cauſam diſcidii noſtri attinet, ut poſterior reconciliandæ unitati non minus obſtet. Nam qui ſciſſa in partes Eccleſia, Scripturam perſpicuam aſſerunt, in eis, ob quæ diſceſſum in partes ſit, perſpicuam intelligi volunt.

Itaque

Itaque non poſſe ab eis recedi, quibus Scriptura perſpicuum fert teſtimonium. Interea loci, neque hinc negatur, Eccleſiæ auctoritatem ad mentem Scripturæ definiendam adhiberi debere; (ut, quæ ſolicite quotidie in lucem profertur, ea de cauſa.) Neque inde remiſſius, univerſæ Eccleſiæ Traditioni infallibilitas, in definiendo Scripturæ ſenſu aſcribitur, quam ſi poſſet ſimul præſentis Eccleſiæ decreto aſcribi. Quod ſi utrinque, Eccleſiaſtica ſua inſtituta ad inſtituta univerſæ Eccleſiæ exigerent partes, tum demum, & ad univerſæ Eccleſiæ Traditionem, exiſtentis Eccleſiæ decreta inſtaurari fas eſset: Et Scripturam univerſam, nec opinantibus nec ſperantibus diſcidiorum pertæſis Fidelibus, in id conſentire deprehendi poſset, quod ſic inſtauratum eſset. Itaque reputandum erit, quæ utrinque ad extremas ſuſtinendas ſententias afferuntur, cum ne id quidem valeant, ut veras aſserant, quantum ab eo abſint, ut diſcidii Eccleſiæ cauſam præbere debeant. Cum autem, ad mediam quam tuemur aſserendam, utrinque conſentiant, quam ea opportuna ſit, ad unitatem Eccleſiæ ex fidei veritate reconciliandam.

Quid ſit legi addere vel detrahere.

Solet itaque proferri, *Deut.* IV. 2. *totum quod vobis mando cavebitis facere. Non addetis ei, neque detrahetis.* Idem, *Deut.* XII. 32. *Non addetis eis quæ mando vobis, nec detrahetis: Ut obſervetis præcepta Domini Dei veſtri, quæ vobis mando.* Cui propter ſimilitudinem, appono clauſulam illam Apocalypſis, atque adeo totius Scripturæ, qua quidam repeti putant, in fine libri, quod initio a Moſe propoſitum fuerat. XXI. 18, 19. *Si quis adjiciat verbis Prophetiæ hoc libro comprehenſæ, adjiciet ei Deus plagas in eo ſcriptas; ſi quis detraxerit, detrahet ejus partem Deus libro Vitæ, & civitati ſanctæ, & rebus in hoc libro ſcriptis.* Sed hunc locum, ſi quis conferat *Irænei* verbis, quibus librum ſuum de *Ogdoade* clauſiſse memoratur ab *Euſebio Eccleſ. Hiſt.* V. 21. idem voluiſse S. *Joannem* perſpiciet. Ὁρκίζω σε τὸν μεταγραψόμενον τὸ βιβλίον τοῦτο, κατὰ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ

κατὰ

κατὰ τῆς ἐνδόξου παρουσίας αὐτοῦ, ἧς ἔρχεται κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρούς, ἵνα ἀντιβάλλῃς ὃ μετεγράψω, καὶ κατορθώσῃς αὐτὸ πρὸς τὸ ἀντίγραφον τοῦτο, ὅθεν μετεγράψω, ἐπιμελῶς. Καὶ τὸν ὅρκον τοῦτον ὁμοίως μεταγράψῃς, καὶ θήσεις ἐν τῷ ἀντιγράφῳ. *Adjuro te qui tranſcripturus es hunc librum, per Dominum noſtrum J. Chriſtum, & per glorioſum ejus adventum, in quo venturus eſt ut judicet vivos & mortuos; ut conferas, quod tranſcripſeris, & diligenter emendes, ad exemplar ex quo deſcripſiſti: Utque adjurationem iſtam ſimiliter exſcribas, & codici tuo inſeras.* Idem voluit S. *Joannes*; Adjurare nempe omnes librum deſcripturos, ne ab exemplari diſcederent. Nam neque veteris ac novæ Scripturæ corpus aliquod fuiſſe tum temporis, cum hæc a S. *Joanne* ſcripta ſunt, eis libris conſtans, quibus conſtare debet, probari poteſt; & nullum fuiſſe, multa ſunt quæ probent. Sed ad intelligendam præcepti Moſaici ſententiam, ponenda ſunt quæ ſequuntur *Deut.* IV. 3, 4. *Viderunt oculi veſtri, quid fecerit Dominus cauſa Baal Peor. Nam quicunque ſecutus eſt Baal Peor, eum Dominus exterminavit de medio tui. Vos autem, qui Domino Deo veſtro fidi adhæſiſtis, vivitis hodie.* Tum quæ præcedunt. *Deut.* XII. 30, 31. *Cave tibi ne laqueo tibi ſit eos ſequi, poſtquam exterminati fuerint coram te. Ne Deos eorum requiras, dicens; Quomodo coluerunt Gentes iſtæ Deos ſuos, ſic etiam faciam ego. Non ſic facies Domino Deo tuo; Nam ſi quod Deo abominabile ipſi odio eſt, id fecerunt Diis ſuis. Nam & filios, filiaſque ſuas Diis igne uſſerunt.* Hinc enim ſequitur; *quicquid ego tibi præcipio* & reliqua. Præterea, conferenda huc ſunt, quæ de auctoritate Tribunalium eorum cauta ſunt, quibus, Dei lege, de omnibus ex lege ortis cauſis cognoſcendi jus datur; Ne ſcilicet unquam in partes ſecederet Dei populus, prætextu cujuſcunque ex lege ortæ cauſæ, *Deut.* XVII. 8—12. Nam cum, eis de lege decernentibus quos adiri lex jubet, pareri etiam jubet; qui ipſis de lege decernentibus paruerit, non ipſis ſed Deo paruerit, propter quem ipſis. Itaque hoc non erit *addere legi vel detrahere*, obſer-

obſervare id,ad quod ipſi Lege teneri dicant,vel non obſervare; certe non de noſtro, quod ipſis auctoribus,qui lege auctore, quæ lege definita non ſint definiant. Itaque neque male *Solomon Jarchius* ad *Deut.* IV. 2. לא תוסיפו כגון ה׳ פרשיות בתפלין ה׳ מינין בלולב וה׳ ציצית וכן לא תגרעו *Juberi ait hac lege, quinque legis Sectiones phylacteriis inſcribere, quinque arborum ramos ligare in faſciculum quem ferre jubentur in Feſto Tabernaculorum, quinque filis frimbrias veſtis, quas lex poſtulat, componere,* nec plus nec minus; Quamvis non minus Traditione quam lege teneantur. Et recte quidem, quatenus Scribas & *Phariſæos,* Moſis cathedram occupantes, audiri jubet Dominus. Sed eos Dominus, quatenus juſtitiam ex operibus legis ſuis pollicentur, audiri vetat. Itaque Abeneſdram habemus; quem *Solomoni* opponamus; לא תוסיפו מדעתכם ותחשבו כי היא עבודה לשם׳ גם כן לא תגרעו *Non addetis; Putantes eſſe hoc Deum colere. Item non detrahetis. Addunt* itaque legi Traditiones ſuas Judæi,quatenus, eis obſervandis, juſtos apud Deum ſe putant; Abſque quo eſſet, Fidem non repudiarent. Detrahunt autem, cum ſolam ſpiritualem Legem Legem eſſe ſalutis æternæ negant. Moſes autem, ſi carnalem legem reſpiciamus, vetat addere legi inſtituta Idololatrarum, vel eorum nomine, minus quam Lex habet ſervare; Ne, ſcilicet, ſimilitudine inſtitutorum, ad eorum colendos Deos, abducerentur. Definitiones autem Synedrii, auctore Deo inſtituti, addere legi vel detrahere non dicit. Quod ſi legem ſpiritualem reſpiciamus; (quam ſub lege Moſis intelligendam eſſe probatum eſt) Cum lege Chriſtianiſmi, conſtitutum Chriſtianis jus ſalutis æternæ, ex Evangelio Dei gratiæ certa fides ſit; qui, quod Evangelio præceptum non ſit vel credi vel ſervari, tanquam, jubente Domino Chriſto,ad ſalutis Legem quoquo modo pertinens, obſervet, is legi Dei vel addiderit, vel demſerit; cum nulla ſit alia Dei Lex ſub Evangelio, quam Evangelica. Interea loci, quæ Eccleſiaſticæ auctoritati definienda Deo auctore relicta ſunt, eis qui vel fidem ſubjiciat, propter veritatem

tem

tem Eccleſia auctore patefactam, vel obſequium, propter Eccleſiæ unitatem, qua maximæ partis ſalus continetur, is verbo Dei nec adjecerit nec detraxerit; cum innumera, quæ verbo Dei ſcripta non ſunt, propter Dei verbum, vel obſervaverit, vel non obſervaverit. Qui eo animo obſervet, quaſi, his rationibus ſepoſitis, obſervandis rebus ex ſe adiaphoris Deo cultum præſtet, & gratum faciat, Deumve demereatur, is Synagogæ ἐθελοθρησκείαν mutuo ſumet, ut eam in Eccleſiam introducat. Idem S. *Paulo* reſponſum fuerit, *Anathema* ei dicenti, qui *aliud Evangelium* prædicaverit, ab eo quod a ſe prædicatum fuerat, ad *Gal.* I. 8, 9. Nam qua ratione Legi vel addi vel detrahi cenſendum fuerit, de quo hactenus dictum eſt, eadem prorſus ratione, eodemque modo, Evangelio quod *Paulus* prædicaverat, Evangelium aliud, vel diverſum, vel adverſum cenſendum fuerit.

Quod ad verba S. *Pauli* attinet, 2 ad *Tim.* III. 16, 17. *omnem Scripturam divinitus inſpiratam utilem eſſe ad docendum, ad corripiendum, ad corrigendum, ad inſtituendum ad juſtitiam; Ut perfectus ſit Dei homo, ad omne bonum opus aptus*; manifeſta & vera eſt Origenis aliorumque interpretum ſententia, ad ſolum Vetus Teſtamentum totum hoc pertinere; Vetus autem Teſtamentum ad *Dei hominem*, cujuſmodi fuit *Timotheus*. Hic enim eſt, quem perfici vult, & ſuo operi aptum fieri, Scripturarum peritia; ideoque *ſapientem ad ſalutem*; quam à *Timotheo*, niſi *Timothei* opere præſtando, nefas ſit putare obtineri poſſe. Nam Scripturæ peritiam *ſapientem ad ſalutem* reddere affirmat, *per fidem in Chriſtum Jeſum.* Itaque de eis Scripturis non loquitur, quæ in fide inſtruant. Sunt enim veteres Scripturæ; ad operis *Timotheani* perfectionem, eo neceſſariæ, quo, ad explicandam, aſſerendamque Evangelii fidem, per quam ſalutem prædicabat *Timotheus*, faciunt. Itaque caput quæſtionis (quatenus declaratum ſit Scripturis, omnibus quorum intereſt, quicquid ad ſalutem tenendum eſt) prorſus non attingit. Minus

Quæ de utilitatibus Scripturæ ad Timotheum S. Paulus.

multo quod de *Berrhœanis* refertur *Act.* XVII. 11. ne ea quidem, quæ *Paulus* diſſeruerat, recepiſſe, priuſquam ad Lydium Scripturæ lapidem exegiſſent. Scilicet *Paulo* ſeipſum Chriſti Apoſtolum, Jeſum autem Chriſtum ex Scripturis aſſerenti, mirum niſi ſine Scripturis credendum eſſet. Nam quatenus hoc ex Scripturis habendum ſit, dictum eſt. Quatenus autem ei parendum, qui pro Chriſti Apoſtolo receptus ſit, hoc tota noſtra diſputatio agit.

Quibus damnatur quæ Deus non præceperit.

Hactenus, ne verbo quidem, multo minus verborum Scripturæ ſenſu, Scripturæ perſpicuitatem, in eis quæ ad ſalutem pertinent, deſcriptam legimus. Numquid quod *Joannes* XX. 30, 31. ſcripta à ſe Chriſti miracula refert, *ut credant homines, & credendo vitam adipiſcantur*, ſatis eſſe ad ſalutem putandum eſt, Jeſum Chriſtum credere; (quæ quorumdam) Numquid, quod *Jeremias* VII. 31. XXXI. 35. in mentem unquam Deo veniſſe negat, *de colendis Idolis Judæis mandare*; nihil ad ſalutem facere poſſe putandum eſt, niſi quod in Scripturis legi poſſit; quæ aliorum apud nos inſania fuit? Sane, recepto ſemel Jeſum Chriſtum eſſe, non putare ad ſalutem neceſſarium eſſe, quicquid ipſe ad ſalutem neceſſarium eſſe docuérit, inſani hominis fuerit ratióne contendere; Etiamſi, ne neceſſarium ſit ea facere, quæ fieri, Chriſtus ad ſalutem neceſſarium eſſe docuerit, ab omnibus undiquaque contendi videamus. Itaque, & ſatis eſſe Chriſti miracula ad ſalutem, fatendum eſt; (quod, qui eis obtemperet, non habeat cur non omnia ſequatur, quæ Chriſtus ad ſalutem neceſſaria fuiſse docuerit) Neque tamen quicquam ad ſalutem non neceſsarium eſse eorum, quæcunque Chriſtus ad ſalutem neceſsaria eſse docuerit. Qui autem, quæ Scripturis non leguntur omnia, Idololatriæ Judaicæ æquanda putet, quod eam Deus, non niſi quod eam non præceperit, repudiare ſe dicat; Si minus literas, quibus, eos qui hoc diſputant præditos fuiſse, negari non poteſt, tamen communem hominum ſenſum conſuluiſsent: Reperiſsent profecto, ſatis intelligi, etiam ab illiteratis & idiotis,

idiotis, eos, qui cum minus dicant, plus tamen ſibi velle, idoneis argumentis deprehendi poſſint. Quod an hic deprehendi poſſit; (nunquid ſcilicet, Idololatriæ Judaicæ eo tantum ſuccenſeat Deus, quod non præceperit, an præterea, quod ſub fracti fœderis Lege vetuerit) diſputare, non multo melius ratione uti fuerit, quam qui manifeſta ſub diſputationem cadere videri volunt.

Quæ de inſita Scripturis claritate.

Reſtant quæ Scripturas, propter perceptum Lege Chriſtianiſmi Chriſti Spiritum, Chriſtianis faciles eſse docent, haud pauca: Atque idcirco, eis tantum obſcuras, qui Spiritum Dei non habeant. Hujuſmodi ſunt, quæ de *Unctione*, ex prima S. *Joannis* Catholica prius adducta ſunt; Unde ibidem IV. 1. *examinare Spiritus* jubet, *utrum ex Deo ſint, necne*, nec *omni Spiritui credere*; quaſi quibus datum ſit divinitus, hoc poſse: Et *Paulus* 1 ad *Theſſal.* V. 23. *Omnia probare, quæ bona probata ſint retinere* jubet; Probare autem, quomodo idem, 1 ad *Corinth.* II. 15. *Spiritualem omnia judicare, ipſum a nemine judicari*; (Dei Spiritu nempe inſtinctum) affirmat. Nam propterea *Eſaias* LIV. 13. de temporibus Evangelicis loquens, *omnes iri doctum a Deo* promittit: Et *Jeremias* XXXI. 33, 34. Novi fœderis Legem a Deo *cordibus* ſuorum, *&* *inteſtinis inſcriptum* iri, ne neceſse ſit, quenquam a quoquam Dei cognitionem doceri, quæ omnibus ſuperfutura ſit. Qua de re Dominus Patri gratias agit *Matth.* XI. 25. quod *ſecretum verbi Evangelici, cum ſapientes occultaſſet, infantibus ac parvulis notum feciſſet.* Itaque hoc eſse, propter quod Legem Dei laudet *David Pſalmo* XIX. 8, 9, 11. tanquam quæ *ſimplicem ſapientem reddat, quæ oculis lucem addat, quæ Dei ſervos doceat.* Et cum ipſo Filius ejus *Pſalmo* CXIX. 113. *Prov.* VII. 22. *Verbum Dei*, ſive *præceptum, pedibus ſuis, & paſſibus lucem eſſe & facem affirmat*, quod, niſi ipſum intellectu facile, eſse non poſſit.

Reſponſio, in neceſſariis ad ſalutem.

Sed nihil horum ei obſcurum eſse poteſt, qui ea teneat, quæ de *Unctione* dicta ſunt; Spiritum ſcilicet Dei, Lege Evangelica fidelibus datum, propter ſuſceptum in ſe Chri-

ſti jugum, valere ad ea dijudicanda, quæ, ſuſcepto Chriſtianiſmo adverſa, immundorum Spirituum inſtinctu doceri cœpta fuerant. Nam quod Lege promiſſum fuerat, idem a Deo ſub Evangelio præſtitum iri ; Ut; ſi qui eſſent, qui a ſuſcepto Chriſtianiſmo abducerent, ii ſi miracula obtenderent, ſcirent ſe a Deo tentari , num datam fidem fallere parati eſſent, necne. Nam,quibus certum eſſet, in ſuſcepta ſemel fide ad extremum uſque perſeverare, ii certiores fiunt, miracula ab eis facta, qui inde ſeducant , non Dei Spiritu fieri, ſed maligni Spiritus inſtinctu. Cum itaque & Chriſtianiſmus, quem ſe ſuſcepiſſe ſcirent, in quo ſitus eſſet non ignorarent, & quibus inde abducebantur miracula ab adverſario Spiritu proficiſci ; quid aliud reſtare, niſi *propter unctionem, non eſſe quod quis eos doceat*, non ſolum rejicere Hæreſes adverſas, ſed etiam unde profectæ ſint dijudicare? Quod idem S. *Paulus* ſuos docet, quatenus quidem de iis loquitur, quæ ad communem Chriſtianiſmum pertinent. Prophetæ autem *Eſaias* & *Jeremias*, primo quidem, de ſtatu veteris populi à captivitate reverſi, intelligendi ſunt, ſi eorum Prophetias, ad eos quibus prædicabantur omnino pertinere velimus ; inde autem ad populum Chriſtianum, cujus ille figuram geſſit. Nam, quod omnibus ante captivitatem Prophetis fruſtra laboratum eſt, ut abductos ab idolorum cultu legi manciparent, id a captivitate factum eſt; quando, ut Juditta ait *Jud.* VIII. 18. non amplius ad alienos Deos reſpexerunt. Quo nihil accidit populo iſti, a Lege data ad Chriſtum natum, vel ſimile vel ſecundum ; quo minus mirandum ſit,ſi tam magnificis vocibus a Prophetis prædicetur. Et tamen ad Evangelium adeo eſt exiguum, ut niſi illud ſignificet, vix dignum videri debeat, quo de Dei inſtinctu glorientur. Neque mirum, *parvulis ac lactentibus revelatam* a Deo ſalutis Legem, per Evangelium, abſconditam eis qui ſibi ſine Evangelio ſapere videntur, à Domino prædicari. Neque enim Chriſtianis mirum eſt, quod mirum videri non Chriſtianis neceſse

eſt ;

Digitized by Google

eſt ; per ſecundi *Adam* humilitatem, ſuperbiæ primi *Adami*, Deum inſtituiſſe mederi. Interea loci, quos *ſapere ad ſalutem* docuit, ii ſi ultra ſalutis ſuæ metas, à Deo non vocati, ſapere aut velint, aut ſapere ſe credant, non erit cur à Deo doceri ſe credant, qui infantium ſimplicitatem & innocentiam abjecerint. De Legis apud *Davidem* & *Solomonem* ellogiis, paulo alia ratio eſt, nec tamen omnino diverſa. Nam qui Evangelium Lege occultatum credit, quod omnes credere debent Chriſtiani; Iidem *Davidi* & *Solomoni*, & Prophetis, & Prophetarum Diſcipulis,& omnino Majoribus ejus populi, quod ad Deum quidem ſpectat, cognitum ejus ſub Lege ſecretum fuiſſe credunt. Quem autem vel Legem vel Prophetas,ſepoſito hoc ſecreto, ab ipſis tam illuſtribus ellogiis ornari putet, eum, non penitus Judaiſmo liberatum eſſe; putandum eſt. Itaque non eſt mirum, ei cui hoc ſecretum perſpectum fuerit,Legem Domini inſtar facis eſſe, ſingulis vitæ ipſi propoſitæ paſſibus ad metam vitæ æternæ dirigendis; quæ ejus ignaris, ne propoſita quidem fuit. Qui autem, ne laudari quidem putant à *Davide* Legem Dei, niſi fœderis Evangelici Legem, quæ una ſalutem continet,omnibus,quorum ſub Lege intererat, perſpicuam eſſe dicat; expoſtulent cum Deo, quare Evangelium ſub Lege ſecretum eſſe voluerit; Si veri Dei cultum, reliquis Gentibus ad Idola à Diabolo ſeductis, conſervatum in ſuo populo, ad ejus laudem, ſecreto Evangelico non intellecto, ſatis eſſe nolit. Interea loci, cum *mitibus & manſuetis*, cum *Deum timentibus ſecretum* Evangelicum ſub *Moyſi* Lege revelari à Deo pronunciat Propheta *Pſalmo* XXV. 8, 11, 13. (ſicut paratis Dei voluntatem facere, cognitum iri Chriſtum à Deo miſſum, Dominus in Evangelio *Joh.* VII. 17.) manifeſtum eſt,quid ſibi velit revelatum a Deo infantibus, quod ſapientibus abſconſum ſit; nimirum, quod, oblatis ſibi rationibus amplectendæ Legis Evangelicæ, ſive ſub veteri teſtamento, ſive ſub Novo, hi propter ſuperbiam hujus ſeculi reſiſtant,

illi

Digitized by Google

illi propter manſuetudinem futuri cedant; prout fidem futuri ſeculi ſequendam ſibi vel non ſequendam putaverint.

Tum in Scripturis intelligendis.

Et hactenus quidem, nihil ultra illud legimus, quod communis ſalutis neceſſitas cum requirat, communis Chriſtianiſmus Dei promiſſo offerat. Cæterum, quod veteres Scripturæ *Timotheum* etiam ſapientem ad ſalutem reddere poſſunt, *per fidem in Chriſtum Jeſum, ut Dei homo ad omne opus bonum aptus ſit, & inſtructus*, 2 ad *Tim.* III. 15, 16, 17. ad intelligentiam pertinet ſecreti Evangelici, ex veteribus etiam Scripturis eruendam, ac demonſtrandam. Hanc Scripturarum peritiam idem ſpectavit Apoſtolus, cum *ſpiritualem a nemine judicari* dixit, ſed *ab ipſo omnia*: Secretum nempe Dei conſilium, de Lege ſalutis, per Evangelium, a ſpiritualibus, quos vocat, in veteribus ſcripturis demonſtrari, *ſpiritualibus ſpiritualia comparantibus*; ut mox ſubjicit. Hoc eſt, quæ in Lege leguntur ſpiritualia, (quam ipſam *ſpiritualem* idem Apoſtolus pronunciat ad *Rom.* VII. 14.) eis quæ in Evangelio, cui ſpiritualis doni promiſſio addita eſt, revelantur, reſpondere. Dotem autem, interpretandarum veterum Scripturarum in ſenſum ſecreti Evangelii, ad *Spiritus Sancti diſtributiones* ſpectaſſe, de quibus 1 ad *Cor.* XII, XIV. ſcribit Apoſtolus, ex Evangelio accipimus; ubi *mentes* diſcipulorum *aperuiſſe* legitur Dominus, *ut intelligerent Scripturas*, *Lucæ* XXIV. 45. Unde merito *Juſtinus Martyr*, Vir ſanctiſſimus, gratiam hanc *Judæis* negatam, Eccleſiæ indultam, in *diſputatione cum Tryphone* affirmat. Non quod non amplius maneat penes Eccleſiam, poſtquam deſitæ ſunt *manifeſtationes illæ Spiritus*, quæ initio Chriſtianiſmi Deum Eccleſiæ præſentem demonſtrabant. Nam, neque interpretationes veterum Scripturarum a *Juſtino* ipſo allatas, a Spiritu Dei profectas, in me recipio, quod hanc dotem Eccleſiæ datam, vere ab ipſo affirmari putem. Sed ut tum, non omnium eſſe hanc dotem pronunciat Apoſtolus; Ita nunc Scripturarum intelligentiam, non eſſe Lege com-

communis ſalutis a Deo promiſſam, ſed eis, qui cum vitæ ſanctitate ſtudium adhibuerint, quod ad ſanctum munus requiri, res ipſa demonſtrat. Hæc ſi teneantur, conſtabit, quæ Scripturarum perſpicuitatem, indefinita, inque determinata in Scripturis oratione aſſerere videntur; ſummatim ſcilicet ac univerſim de eis pronunciante, quæ non niſi certis finibus intelligenda ſunt; ſi ad eos fines exigantur, quem eædem ſecundum Eccleſiæ Traditionem intellectæ Scripturæ conſtituunt, nihil aliud dicere, quam quod hæc diſputatio affirmat; Qui, accepto a Servatore & Apoſtolis ejus, per Eccleſiam Catholicam Chriſtianiſmo Fidem præſtant, iis, quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt in Scripturis ſacris perſpicua eſſe. Neque enim de eo Scripturæ ſenſu ſuboriri illis dubitationem poſſe, quæ recepto ſemel Chriſtianiſmo adverſetur, quamdiu ei Fidem præſtant.

Nunc, ut ob oculos ponantur Scripturæ, quibus, errori minime obnoxia Eccleſiæ auctoritas aſſeri vel ſoleat, vel poſſit; primo loco ſint Leges Apoſtolatus a Domino conſtituti *Matt.* X. 14, 15, 40. *Lucæ* IX. 5. X. 10, 11, 16. ubi *Sodomis & Gomorrhæ levius futurum in Dei judicio, quam eis qui ipſos rejecerint*, pronunciat. Tum, *qui vos audit me audit*: Qui *vos rejicit, me rejicit. Matt.* XXVIII. 19, 20. *Agite, Diſcipulos facite omnes Gentes—docentes eos ſervare quicquid mandavi vobis. Atque ecce ego vobiſcum ſum uſque ad finem ſeculi.* 1 ad *Theſſ.* II. 13. *accepiſtis a nobis Evangelium, non tanquam hominis, ſed, quod eſt revera, tanquam Dei Verbum.* Tum quæ de *Petro*, tanquam Papæ deceſſore *Matt.* XVI. 18, 19. *Huic Petræ inædificabo Eccleſiam, neque ei inferorum portæ prævalebunt. Dabo autem tibi Claves regni cœlorum: Et quicquid ligaveris in terris ligatum erit in cœlis; Quicquid ſolueris in terris ſolutum erit in cœlis.* Rurſus *Lucæ* XXII. 32. *Ego oravi pro te, ne deficiat fides tua. Tu autem, aliquando converſus confirma fratres tuos. Joh.* XXI. 15, 16, 17. *Simon fili Jonæ, amas me? paſce Oves, paſce Agnos meos.* Rurſus, de Eccleſia & Conciliis

Quæ definitum Eccleſiæ poteſtatem aſtruunt.

Matt.

Digitized by Google

Matt. XVIII. 17,—20. *Si eos minime audiat, dic Eccleſiæ : ſi neque Eccleſiam ; ſit tibi inſtar Ethnici & Publicani. Amen dico vobis, quicquid ſolueritis in terris ſolutum erit in cœlis : quicquid ligaveritis in terris ligatum erit in cœlis. Rurſus dico vobis ; ſi duo veſtrum conſentiant in terris, de eo quod petatis, præſtabitur eis a Patre meo in cœlis. Ubi enim duo vel tres convenerint in meo nomine, ibi ego ſum in medio ipſorum.* Joh. XVI. 13. *Spiritus veritatis deducet vos in omnem veritatem. Act.* XV. 28. *Viſum eſt Spiritui Sancto & nobis.* 1 ad *Tim.* III. 25. *Ut ſcias quomodo verſandum ſit tibi in domo Dei, quæ ejus eſt Eccleſia, Columna & ſtabilimentum veritatis.* Denique hortamenta Apoſtolorum 1 ad *Theſſ.* V. 14, 15. *Agnoſcite eos qui laborant in vobis, quique vobis præſunt in Domino, voſque admonent : Et pluris quam ut ſuperſit, eos facite, charitatis nomine, propter opus ipſorum.* ad *Hebr.* XIII. 7, 17. *Obſequimini & cedite ducibus veſtris ; Invigilant enim animabus veſtris, tanquam rationem reddituri : Ut Gaudentes faciant, non gementes ; quod vobis non expedit.* Prius ; *recordamini Ducum veſtrorum, qui locuti ſunt vobis Verbum Dei : Et ipſorum converſationis exitum ſpectantes, imitamini fidem.* In veteri autem Teſtamento *Deut.* XVII. 9,—12. qui judicum decreto, quos coram Arca Lex conſtituit, non paret, capital facit. Et *Aggæus* Propheta II. 12. *Quærite a Sacerdotibus de Lege ; ait Dominus Sabaoth. Malachias* etiam II. 7. *Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam : Et Legem de ejus ore requirent.* Et ſecundum hæc Dominus *Matt.* XXIII. 2. *Scribæ & Phariſæi Moyſi cathedram occupant : Quicquid igitur vobis præceperint facite ; Sed, ſecundum ea quæ faciunt, nolite facere.*

Non idem Eccleſiæ promiſſum quod Apoſtolis.

Verum quid manifeſtius, quam, non ſtatim ad Eccleſiam pertinere, quæ Apoſtolis Dominus attribuit? Apoſtoli ipſi & eorum diſcipuli, nonne, ante inſtitutam Eccleſiam ſalutis compotes erant? Itaque ab inſtituta Eccleſia, eodem jure quo ante inſtitutam, ſalutem obtinebant ; niſi erga Eccleſiam inofficioſi eſſent, cujus obſequium,

cum

cum inſtituta eſſet, Lex ejus ſalutis continebat, cujus ipſi ante inſtitutam compotes erant. Scilicet, Apoſtolos audire, Fidem erat ſuſcipere: Eccleſiam audire,etſi in Fide perſeverare eſt; Non tamen tanquam Eccleſiæ proprium: Eſt enim Apoſtolos etiam audire; Sed, in Fide perſeverantem, Unitatem Eccleſiæ occaſionem creſcendi in Fide habere. Sane, ſi Apoſtolus fàlſum prædicet, fallit auctor Apoſtoli. Si Eccleſia,non fallit; qui prædicandæ Fidei auctoritatem Apoſtolis ante conditam Eccleſiam indulſit; Nimirum ut eam conderent. Itaque negandum eſt, Eccleſiæ auctoritatem Apoſtolorum mandatis conſtare. Neque enim conſtat, condendam eis Eccleſiam Dominum mandaſſe, cum de Evangelio mandaret. Et, Dei voluntatem de Eccleſiæ Unitate irritam fieri hominum peccato; nec tamen ſalutis jus, eis qui Unitatem volunt irritum eſſe, hæc diſputatio contendit. Sane cum, *quando hæc futura? quod ſignum adventus ſui & finis ſeculi?* quærunt diſcipuli *Matt.* XXIV. 3. manifeſtum eſt, eos, caſum *Jeroſolymorum* a fine ſeculi non diſtinguere. Cum autem ipſe, poſtquam de caſu *Jeroſolymorum*, de adventu ſuo, deque ſæculi fine dixiſſet, ſubjicit; *non tranſiverit hæc generatio*, *priuſquam hæc omnia fiant*; quæ de Urbis caſu dicta ita interpretari, ut ad Orbis caſum non pertineant, durum admodum ſit; *Matt.* XXIV. 14, 23, 29,30. Neque tamen ipſe clare diſtinguit. Nam & Apoſtolus 1 ad *Cor.* XV. 51, 52. 2 ad *Cor.* V. 1—11. 2 ad *Theſſ.* IV. 15,17. de judicio extremo, tanquam ſuo ſæculo futuro, vel ſaltem poſſibili, verba facit; cujus tamen tempus Apocalypſis *Joannis* protelat. Itaque Eccleſiæ obſequium, mandato Apoſtolorum obſequio eatenus ſtat, quatenus, Apoſtolorum auctoritatem apud Eccleſiam depoſitam, reliquis Scripturis conſtare dictum eſt. Etſi igitur, pejus illis in judicio fuerit, qui Apoſtolos rejecerint, (hoc eſt, qui Evangelium) quam *Sodomis* & *Gomorrhæ*; non tamen ſequitur eis perinde futurum, qui Eccleſiam rejecerint, quamvis fidelibus *Eth-*

nicorum inſtar & Publicanorum, Domini præcepto habendi ſint; Quia errare poſſe Eccleſiæ Claves ſcitum eſt: Quod ſi de eis ſermo ſit, in quibus cum Eccleſia rejiciuntur etiam Apoſtoli, quia rejiciuntur, quæ ad acceptam ab Apoſtolis Fidem pertinent; Ibi locum habere Domini minas neceſſe eſt. Quod, *ſe futurum cum ſuis ad finem uſque ſeculi*, pollicetur Dominus, manifeſtum eſt, non ad ſolos Apoſtolos, ſed ad Eccleſiam, ad finem uſque ſeculi duraturam, pertinere. Verum cum, præcepto *docendi quæ mandaverit* Dominus, ſubjiciatur ſtatim promiſſio; quid eſt quod videri poſſit probabilius, quam, ita demum ſe ſuis adfuturum polliceri Dominum, quatenus ab ipſo mandata obſervare doceant? Qui tamen, Eccleſiæ Unitatem, in præcepto ſervandæ Unitatis, omnibus Eccleſiæ Ordinibus, pro ſuo cuique modo, ſalutis aſſequendæ Lege impoſito, fundaverit, Eccleſiæ Unitatem uſque ad finem ſæculi duraturam, nulla Lege adjecta, nec promiſerit, nec negaverit, ſed ſuorum fidei permiſerit. Nam etiam, violata cum Dei præcepto Unitate Eccleſiæ nihil prohibet, violatæ Unitatis immunes, per Eccleſiam, ad ſalutem pertinere. Et ſane, *inferorum portas Eccleſiæ non prævalere*, quis neget, ſi, quamvis violata ejus Unitate, ſalutem, violatæ Unitatis minime rei per Eccleſiam aſſequantur? Nam reſurgentibus a morte ad vitam inferorum portæ non prævalent. Et cum ſuis erit Chriſtus *uſque ad finem ſeculi*, qui niſi cum ipſis eſſet, ſalutem aſſequi non poſſent.

Non promiſſum Eccleſiæ, immunem eſſe erroris.

Ponamus jam diſputandi cauſa, licet pro vero non conceſſum, promiſſionem *Petro* factam uni id dare, quod promiſſiones omnibus factæ omnibus non dent; quis æque conſtare dixerit, Papam *Petri* ac Apoſtolos Domini vices agere? Ex eis enim quæ diſputavimus, conſtare debet, Apoſtolorum ſimul omnium auctoritatem ac jus in Epiſcopis ſimul omnibus agnoſcendam eſſe, Eccleſiaſticæque Hierarchiæ Lege, pro ſuo cuique modulo tribuendam. Certe *ubi convenerint duo aut tres in nomine* Domini, inde

omne

Digitized by Google

omne erroris periculum abeſſe, niſi profeſſioni reſpondeant, nemo verbis Domini promiſſum dixerit. Nam ipſa Clavium poteſtate, nihil luculentius vel *Petro* vel Eccleſiæ promiſſum eſt. Et tamen, quibus permiſsam poteſtatem Clavium convenit, eis non promiſsum, ab errore immunibus eſse, *Clavis non errantis* exceptio oſtendit. E diverſo, quis dubitet, vel minimum eorum qui Clavibus Eccleſiæ utuntur, ſi maximum peccatorum, Clavibus Eccleſiæ, ad Legem Chriſtianiſmi reducat, Cœlum ipſi aperire: Vel maximum Apoſtolorum, ſi peccatorum minimum ei Legi non ſubjiciat, Cœlum ipſi claudere? Sane, cauſæ cujuſlibet momentum, ad ſtatum Eccleſiæ, id eſt, quod auctoritatem vel majorem vel minorem ad Claves adhibendas poſtulat. Puta Arii cauſam, niſi Generalis Concilii decreto, quo pulſus eſt communione Eccleſiæ, terminari non potuiſse. Nonne ſatis fuerit, ad obſequium conciliandum, quod Fidem errori non obnoxiam utrinque convenerit? Quod, niſi Fidei additum vel demptum voluerint, non potuerint a veritate in decernendo aberrare? Certe non fruſtra Claves dederit Dominus, etſi limites eis adhibendis conſtituerit, quibus neglectis errari poſſit. Itaque *Theſſalonicenſes*, quod a ſe prædicatum Evangelium, *non ut hominis ſed ut Dei Verbum receperint*, laudans Apoſtolus, non laudaret Eccleſiæ decretum eadem Lege recepturos, ſi quæſtio eſset, utrum Evangelio conveniret necne. Atqui, & quæſtionem exiſtere poſſe manifeſtum eſt, & rationem terminandæ quæſtionis, partis alicujus auctoritatem eſſe, Chriſtianiſmo & Eccleſiæ contumelioſum. Quod Apoſtolorum Concilium pronunciat; *Viſum eſt Spiritui Sancto & nobis*; non dubito idem tunc accidiſſe, quod Dei populo ſæpius accidiſſe legimus; ut in cœtibus, communium rerum cauſa coactis, ſuperveniret ſtatim alicui Spiritus divini revelatio. Sic in miſſione *Pauli* & *Barnabæ*, *Act.* XIII. 2. Sic cum Ordinaretur *Timotheus* 1 ad *Tim.* IV. 14. Sic in cœtibus *Corinthiorum* 1 ad *Cor.* XIV. 24, 25, 30. Sic in *Jejunio Joſaphati* 2

Digitized by Google

Paral. XVIII. 14. Sic in Ordinationibus *S. Johannis*, cum, referente apud *Euſebium Alexandrino Clemente*, vel Epiſcopum, vel Presbyterum, vel Clericum quemcunque deſignante Spiritu Sancto ordinaret. Sane hinc *Paulus*, Presbyteros *Epheſinos a Spiritu Sancto gregi præpoſitos*, *Act.* XX. 28. affirmare videtur. Non eſt igitur mirum, quod idem Synodo Apoſtolorum accidiſſe puto, de quo nihil Eccleſiæ promiſsum ſit; quam tamen in decernendo, ita adverſus Eccleſiam officium facere poſse conſtat, cum ad decernendum legitimis modis accedit, ut tamen, utrum adverſus Deum officium faciat, auctoritatem ſuam recta ratione ad rectum finem adhibendo; ac proinde, utrum aſpirante Spiritu Sancto necne; dubium ſit. Nam dotem, myſtici veteris Scripturæ ſenſus intelligendi; in quo vertebatur propoſitæ quæſtionis veritas; a reſurrectione Domini Diſcipulis indultam jam dictum eſt. Notum eſt, in verbis Apoſtoli ἥτις ἐστὶν ἐκκλησία Θεοῦ ζῶντος, στῦλος καὶ ἑδραίωμα τοῦ ἀληθείας. καὶ ὁμολογουμένως μέγα ἐστὶ τὸ τῆς εὐσεβείας μυστήριον· Θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκὶ; Sic interpungi velle viros eruditos; ἥτις ἐστὶν ἐκκλησία Θεοῦ ζῶντος. στῦλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας, καὶ ὁμολογουμένως μέγα ἐστὶ τὸ τῆς εὐσεβείας μυστήριον, Θεὸς ἐφανερώθη. Ego, qui conjecturis non nitor, *S. Baſilium*, de mortuo *Neocæſarienſi* Epiſcopo his verbis uſum, allego, *Epiſt.* LXII. οἴχεται ἀνὴρ----ἔρεισμα πατρίδος, ἐκκλησίας κόσμος, στῦλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας. *Exceſſit vir patriæ columen, Eccleſiæ decus, veritatis ſuſtentaculum ac ſtabilimentum.* Nam ſi hominem ſingularem hoc ellogio ornari, ad veritatis injuriam non pertinet, multo minus Eccleſiam; a qua, ſtatutam a Deo veritatem hominibus firmam præſtari, ab inſtitutæ divinitus Eccleſiæ conſilio abhorrere non poteſt. Itaque qui perturbatum verborum ordinem, quo, καὶ ὁμολογουμένως μέγα ἐστὶ τὸ τῆς εὐσεβείας μυστήριον. Θεὸς---hoc ſonet; μέγα μυστήριον τῆς εὐσεβείας ἐστὶ, τὸ Θεὸς idiotiſmo Apoſtoli recte tribui putet, tam durum loquendi genus, ſi poteſt

teſt, concoquat. Ego, qui tam quæſito effugio opus non habeo, nolo meam ſententiam eo niti videri. Nam Apoſtolorum, ad obſequium præpoſitis Eccleſiaſticis exhibendum hortamenta, ſuos terminos habent, diſputatione præmiſsa definitos. Itaque intra eos terminos, Dei Legem & voluntatem ſonant; Extra eos, ἐθελοθρησκείαν, ſi tanquam Deo, materiam obſequii & rem ſubjectam præcipienti; ſi propter Unitatis Eccleſiaſticæ charitatem pareatur, obſequium ſupremæ charitatis Legi exhibitum.

Quod ad Synagogæ auctoritatem attinet, cui diſsentire in Legis interpretatione capitale eſt, Dei Lege; Equidem non ſatis ejus populi unitati conſultum videri fateor, niſi hoc conſtitutum fuiſset. Nam quanta quæſtionum ſeges, ſuper Legibus tam indefinite, tamque ſummatim prolatis exiſtat, Judaicarum Traditionum moles, in terminandis tantum eis quæ Lege definita non ſunt occupata, ſatis demonſtrat; etiamſi ἐθελοθρησκείαν demas, quam, earum numerum magnopere auxiſse, diffitendum non eſt. Si enim de Lege obſervanda, qua terræ ſanctæ jus promiſſum putet populus, ipſe inter ſeſe diſsentiat, quid futurum putemus, ſi de terminanda lite, nihil Lege proviſum ſit? Et ſane Legem *Moyſi*, licet divinitus datam, tamen lex ejus populi cum fuerit, non minus quam aliorum populorum Leges, indefinitam dari neceſſe fuit. Sed hoc, cum ad Eccleſiam transfertur, ad hujus ſeculi jus nihil quicquam ſpectantem, quid ſibi vult? Quid? niſi jus Eccleſiæ datum, Eccleſia pellendi immorigeros, ut Eccleſiæ ſalva ſit unitas? Nam vita moveri, qui Synagoga movetur, ad hujus ſeculi jus pertinet, quod Eccleſia nullum ſtatuit; Etſi, ob violatam Eccleſiæ Unitatem Eccleſia pelli, pelli ſit jure vitæ æternæ, ad quod Eccleſiæ communio, præter integrum Chriſtianiſmum, requiritur. Cum autem *Judæorum* regulæ; eorum ſaltem qui Phariſæorum Traditiones, Talmude obſignatas ſequuntur; errores Synagogæ, auctoritate ea admiſſos, cui non parere Lege capital ſit, ſacrifi-

De Poteſtate Synagogæ.

cio Legibus *Levit.* VI. 13,—21. *Num.* XV. 21,—26. conſtituto expiari jubeant; cui dubium eſſe poſſit, poteſtati Eccleſiaſticæ, cui non parere vita æterna excidere eſse poſſit, errorem tamen objici poſse, ſi Eccleſiam ad inſtar Synagogæ exigas? Certe, quod de Synagogæ jure aſsumptum eſt, Dominus in Evangelio aſserit; cum, quorum Traditione irritam fieri Legem Dei incuſat *Matt.* XV. 5,—10. *Marci* VII. 8,—12. eis tanquam *Moyſi* cathedram obtinentibus parери jubet. Scilicet, quatenus ad ſtabiliendam, non ad irritam faciendam *Moyſi* Legem Spiritualem, quam declarabat Dominus, poteſtas Lege *Moyſi* conſtituta pertineat. Itaque, quæ Eccleſiæ definienda ſunt; ſive quod dubia fides, ſive quod indefinitum, quicquid officio Eccleſiæ definiendum relictum eſt, unitatem ejus in dubium adducat; in eis, communis Chriſtianiſmi ratio nulla duci poteſt, cum ejus decreto obtemperatur; niſi res decreto ſubjecta ad communem Chriſtianiſmum pertineat. Et tamen Chriſtianæ charitatis, quæ ſumma Chriſtianiſmi lex eſt, in colenda Eccleſiæ Unitate ſummam duci rationem neceſſe eſt. Ex his autem, Prophetarum *Aggæi* & *Malachiæ* ſententiæ quatenus hac pertineant, judicari poteſt. Neque enim dubium eſt, Sacerdotum de legitimis; de quibus reſpondere, Sacerdotum eſſe Lege *Moyſi*, diximus; reſponſa, in ejus judicii auctoritatem deſiviſſe, cui non parere Lege capital fuerit. Quæ ſi, quamvis à Deo conſtituta, errori tamen obnoxia fuerit, non eſt mirum, ſed neceſſarium, Sacerdotum reſponſa, inde pendentia, erroris immunia non fuiſſe. Itaque lepidum eſt, quod ſummum Sacerdotem *Caipham*, in ſtatuendo de morte Domini, errare non potuiſſe, quaſi huc pertinens, contenditur *Joh.* XI. 48,—52. Sane ſi per Urim & Thummim reſpondiſſet Sacerdos ſummus, merito ejus reſponſum; quod non ejus, ſed præſentis Dei reſponſum eſſet; erroris immune fuiſſet. Item deſita jampridem hac, vel populi, vel ſummi Sacerdotis dote, non videtur mirandum, Deum

ore

ore ſummi Sacerdotis uti voluiſſe, in eo declarando conſilio, in cujus ratione, & ipſum, & ipſi obſequentem populum immedicabilem errare errorem neceſſe fuerit. Hinc qui errare Eccleſiam non poſſe concludat, *Caipham* & *Synedrium Judæorum* in decernenda Chriſti morte non erraſſe contendat.

CAP. XXVII.

Quæ ex Patribus afferuntur, ad utramque ſententiam confirmandam, ita exponuntur, ut poſitam hic ſententiam aſſerant.

PRiuſquam ſententiis Patrum in alterutram partem afferendis occurramus, recolendum eſt, non ſtare dogmatum Eccleſiæ veritatem auctoritate Scriptorum Eccleſiaſticorum, ſecundum eam ſententiam, quæ Traditione Eccleſiæ conſtare eam vult. Nam Traditionem Fidei, ad ſalutem neceſſariæ, ſolus univerſæ Eccleſiæ conſenſus oſtendit. Sicubi, aliquando ſecus creditum fuiſſe, conſtare poteſt, ab eis qui ad Eccleſiæ totius communionem pertinebant, eo ipſo ad Fidem non pertinet. Traditiones autem rituum Eccleſiaſticorum, quamvis paucæ admodum Eccleſiæ totius cònſenſum perferre potuerunt; (Quam, per Orbem terrarum diſperſam, inſtitutis haud parum à ſe invicem diverſis vixiſſe, par eſt) Eo ipſo tamen, quod coleretur inter eos communio, qui diverſis inſtitutis vivebant, totius Eccleſiæ conſenſum pertuliſſe videri poſſunt. Neque omnino mirandum eſt, œcumenicorum Doctorum auctoritatem, quibuſvis paſſim Epiſcopis, præſertim Scripturarum eruditione vitæque puritate ſuo tempore inſignibus; quibuſdam Eccleſiaſticorum *De auctoritate Patrum in hac diſputatione.*

corum Scriptorum ſententiis tribui. Nam & in decretis de Fide partes ſuas omnes habent, & ad Canones condendos, quibus regitur Eccleſiæ diſciplina, auctoritatem quiſque ſuam affert. Canones autem, etſi eoſdem omnibus Eccleſiæ partibus condi non potuiſſe conſtat, propter Synodorum diverſitatem, a quibus conditi ſunt; tamen propter cauſarum congruentiam, ex ejuſdem inſtitutione Eccleſiæ natarum, tralatitios exiſtere neceſſe fuit; Quomodo Canones Synodi Orientalis; (nimirum *Antiochenos*) Tum Ponticæ; (id eſt, *Gangrenſes*, *Ancyranos*, *Neocæſarienſes*) *Aſiaticæque*, (id eſt *Laodicenos*) in Codicem Eccleſiæ tranſumptos eſſe dictum eſt; Tum *Africanos* ab Orientalibus & *Gallis*, *Gallicanos* ab *Hiſpanis* uſurpatos. Ad dogmatum autem auctoritatem, cum *probabiles* videri debeant Scriptores, quos Eccleſia non accenſet *Apocryphis*, de quibus dictum eſt; Tamen, in eis quos legi vult Eccleſia, quantum eſt in quo convenit univerſis? Nam in quibus diſſident, eis, Eccleſia auctore, cujus auctoritate leguntur, diverſa doceri dici non poteſt. Itaque ea demum Eccleſiæ dogmata cenſenda ſunt, de quibus Eccleſiæ conſenſus oſtendi poteſt. Ea demum Scriptorum Eccleſiaſticorum auctoritas, quæ Eccleſiæ conſenſum teſtatur, ad Eccleſiæ Traditionem in luce collocandum facit. Nam quod, in illuſtri Eccleſiæ loco poſiti, vel viva voce, vel ſcriptis palam docent, nec tamen naſci offenſionem conſtat, qua videri poſſint ab Eccleſiæ auctoritate diſcedere; indicio eſt, id totum Eccleſiæ non improbari, etſi auctore Eccleſia doceri non conſtet. Cum autem Fide hiſtorica, vel geſta Eccleſiæ, vel mores referuntur atque uſus, ex quibus conſtet, quid Eccleſia vel doceat, vel doceri ſinat; merito Eccleſiaſticum cenſetur, quod Eccleſiaſticum ſcriptorem, etſi non probatæ auctoritatis, teſtem habet. Nec tamen ad Fidei ſubſtantiam, & ſalutis neceſſitatem pertinebit ſtatim, quod Eccleſiaſticum eſt. Poſſunt enim, propter magnam Doctoris Eccleſiaſtici auctoritatem, per magnam Eccleſiæ partem invaleſcere, quæ

tamen

Digitized by Google

tamen non perinde toti Eccleſiæ recepta fuerint; Cui, quod ſemper receptum non fuerit, nunquam ad ſalutem creditu neceſſarium haberi poſſit. Itaque quæ palam, nemine improbante, aut adulterinam notam inſimulante, tradita fuerint, ſimplicius fortaſſe ac incautius poſita, errori aditum non obſtruxerint, ab errore certe liberari, recte intellecta poſſint. Qui autem ſententias Patrum legit in diverſa trahentes, eo ipſo certus eſſe debet, neutram partem Eccleſiam tenuiſſe. Qui autem, univerſim & ſumma in prolatas, terminiſque aliorum Eccleſiæ Doctorum vocibus conſtitutis, definitas, ad eam concordiam redigi videat, quam Eccleſiæ conſenſus aſſerit, veritatem in aperto poſitam dubitare non debet.

Quæ ex Patribus, Scripturam non Eccleſiam Judicem eſſe probant, & omnia continere.

Igitur initio ſtatim *Scripturam Judicem* videntur agnoſcere, qui ad eam ſolam provocant; Optatus nimirum libro V. & *Auguſtinus* in *Pſalmum* XXI. Eccleſiam & Donatiſtas, tanquam filios de hæreditate litigantes, ad Scripturas, tanquam ad *paternum Teſtamentum* provocant. In eandem ſententiam & *Auguſtinus de Unitate Eccleſiæ cap.* XVI. Rurſus *Irenæus* III. 1. Scriptum ab Apoſtolis Dei voluntate idem quod prædicaverant, tanquam baſim & columen Fidei affirmat; & *Tertullianus, de Præſcript. cap.* VIII. *Cum credimus, nihil ultra deſideramus credere. Hoc enim primum credimus, nihil eſſe quod ultra credere debeamus.* Vide etiam *cap.* XIV. *&* XXIX. *Contra Hermog. cap.* XXII. *Scriptum eſſe doceat Hermogenis Officina. Si non ſit ſcriptum, timeat væ illud, adjicientibus aut detrahentibus definitum.* Ibidem; *Adoro Scripturæ plenitudinem, quæ mihi & factorem oſtendit & facta.* Itaque *Claudius Apollinaris apud Euſ. Hiſt. Eccl.* V. 10. veretur ſcripto quicquam tradere, nequid præter Evangelium docere videatur, cui nihil *addendum vel demendum* ſit. Et S. *Baſilius de Vera Fide,* non Scriptum aliquid introducere, apoſtaſiæ eſſe ait, non minus quam Scriptum aliquid rejicere *in Aſceticis* autem alicubi, inde hoc probat, quia ex verbo Dei Fides; quod autem non eſt ex fide, pec-

catum ſit. Denique *Vincentius Commonit.* I. inveteratas Hæreſes; & opus imperfectum in Mat. Antichriſti corruptelas non niſi Scripturis revinci, manifeſtarique poſſe fatentur: Idem autem *Vincentius* ibidem, cum *Sulpitio Hiſt.* II. majorem Eccleſiæ partem *Arianiſmo* inundatam fuiſſe agnoſcunt. Unde S. *Greg. Naz. Orat. adverſus Arianos*, ſpernit eos, qui fidem numero judicant: Ipſe, cum *Hilario in libro de Synodis*, cedendum Eccleſiis contendit, quos Antichriſtus inſeſſurus ſit; Quod & in *Aſia* factum, Eccleſiaſtica eorum temporum hiſtoria docet. Et Liberius apud *Theod. Eccl. Hiſt.* II. 16. οὐ, διὰ τὸ εἶναι με μόνον, ὁ τῆς πίστεως ἐλαττοῦται λόγος. *Nihilominus valet fidei cauſa, quia ego ſolus ſum.* Adverſus Eccleſiæ auctoritatem, haud ſcio an aliquid efficacius ſit, quam quod idem *Vincentius*, *Regulæ fidei non magis addi quam demi* quicquam poſſe, contendit: Nec Concilia, niſi quod ſimpliciter ab initio creditum fuerit, expreſſis verbis diſtinctum definire. Cui convenit *Auguſtinus adverſus Maximinum Arianum* III. 14. *Neque ego debeo Nicenum, nec tu debes Ariminenſe, tanquam præjudicaturus, proferre Concilium. Scripturarum auctoritatibus, non quorumcunque propriis, ſed utriuſque communibus teſtibus, res cum re, cauſa cum cauſa, ratio cum ratione decertet.* Itaque *de Bapt. contra. Donat.* II. 3. non ſolum particularia Concilia per Generalia, ſed Generalium priora per poſteriora, Patrum autem ſcripta non ſolum per Concilia, ſed per alia aliorum Patrum ſcripta corrigi agnoſcit. Quod unum, ſi vera ſunt, quæ de Eccleſiæ ſtatu præmiſimus, Eccleſiam hujus ſeculi totam errori obnoxiam demonſtrat. Jam *Orig. in Mat. Tract.* XXV. item in III. ad *Rom.* S. *Baſilius Moral.* definitione XXVI. S. *Chryſoſtomus* in *Pſalmum* XCV. S. *Cyrillus Catech.* V. Ruffinus in *Symb.* uno ore, quicquid de Chriſtianiſmo docetur, Scripturis affirmandum contendunt. *Hieron.* in *Mic.* I. *Eccleſia Chriſti, quæ habitat bene, & in toto Orbe Eccleſias poſſidens, Spiritus unitate conjuncta eſt, & habet Urbes Legis, Prophetarum, Evangelii, & Apoſtolorum, non eſt egreſſa*

de

de finibus ſuis; id eſt, de Scripturis Sanctis. In *Pſalmum* XCVIII. ſi ipſius opus ſit; *Omne quod loquimur, debemus affirmare ex Scripturis Sanctis.* In eandem ſententiam & ipſe in *Matt.* XXIII. 35. in *Aggæi* I. 8. & alii complures. S. *Auguſtinus de bono Viduitatis cap.* 1. *S. Scriptura doctrinæ noſtræ Regulam figit.* Unde S. *Chryſoſtomus* in III. ad *Phil. Hom.* XII. recuſari non poteſt; Ὁ κανὼν οὔτε πρόσθεσιν οὔτε ἀφαίρεσιν δέχεται, ἐπεὶ τὸ κανὼν εἶναι ἀπόλλυσι. *Regula neque additionem neque detractionem recipit; deſiverit enim Regula eſſe.* Propterea S. *Baſilius* in Regulis brevioribus *Interrog.* I. quicquid ſine Scripturis fit, damnare videtur. S. *Auguſtinus de doctrina Chriſtiana* II. 6. *magnifice, & ſalubriter Spiritus Sanctus ita Scripturas modificavit, ut locis apertioribus fami occurreret, obſcurioribus faſtidium demeret. Nihil enim de illis obſcuritatibus eruitur, quod non planiſſime dictum alibi reperiatur.* Et apertius adhuc II. 9. *In iis quæ aperte in Scripturis poſita ſunt, inveniuntur illa omnia quæ continent fidem moreſque vivendi.* S. *Chryſoſtomus* in 2 ad *Theſſ. Hom.* III. *aperta omnia & recta quæ in ſacris Scripturis; manifeſta omnia quæ neceſſaria.* πάντα σαφῆ καὶ εὐθέα τὰ παρὰ ταῖς ἁγίαις γραφαῖς, πάντα τὰ ἀναγκαῖα δῆλα. *Conſtantinus Imp.* in *Conc. Nic.* apud *Theodoret. Hiſt. Eccl.* I. 7. εὐαγγελικαὶ βίβλοι καὶ ἀποστολικαί, καὶ παλαιῶν προφητῶν τὰ θεσπίσματα σαφῶς ἡμᾶς, ἃ χρὴ περὶ τοῦ θείου φρονεῖν ἐκδιδάσκουσιν. *Evangelici Apoſtolicique libri, & veterum Prophetarum oracula aperte nos docent, quid de Deo ſentire debeamus.* De *Ario* autem quæſtio erat. S. *Auguſtinus* rurſus *Epiſt.* III. *tanta eſt Chriſtianarum profunditas literarum, ut in eis quotidie proficerem, ſi eas ſolas, ab ineunte pueritia uſque ad decrepitam ſenectutem, maximo otio, ſummo ſtudio, meliore ingenio conarer addiſcere. Non quod ad ea, quæ neceſſaria ſunt ſaluti, tanta perveniatur difficultate: Sed cum ibi quiſque fidem tenuerit, ſine qua recte pieque non vivitur, tam multa, tamque multis myſteriorum umbraculis opaca intelligenda* reſtant— *Clemens Protreptico,* ἀκούσατε οὖν οἱ μακράν, ἀκούσατε οἱ ἐγγύς· οὐκ

ἀπεκρύβη τινὰς ὁ λόγος· φῶς ἐστι κοινὸν· ἐπιλάμπει πᾶσιν ἀνθρώποις· οὐδεὶς κιμμέριος ἐν λόγῳ. *Audite igitur qui longe eſtis, audite qui prope: Nemini abſconditum eſt Verbum: Lux eſt communis: Omnibus hominibus lucet: nemo, quod ad Verbum attinet, Cimmerius. Irenæus* II. 46. *Univerſæ Scripturæ, & Prophetica & Apoſtolicæ, in aperto, & ſine ambiguitate, & ſimiliter ab omnibus audiri poſſunt.* III. 15. *doctrina Apoſtolorum manifeſta & firma, & nihil ſubtrahens: neque alia quidem in abſcondito, alia in manifeſto docentium. Orig. contra Celſum* VII. Δυνάμενον (τὸ τῶν ἰδιωτῶν πλῆθος) ἐξ εὐχερῶς, μετὰ τὴν ἅπαξ γενομένην εἰσαγωγὴν, φιλοτιμήσασθαι πρὸς τὸ καὶ βαρύτερα τῶν κεκρυμμένων νοημάτων ἐν ταῖς Γραφαῖς μεταλαβεῖν. *Cum poſſit illiteratum vulgus, poſt perceptam ſemel introductionem, facili ſtudio ad graviores ſenſus, in Scripturis reconditos, percipiendos contendere. Athanaſius diſp. cum Ario in Conc. Nic.* ſi tamen ejus ſit; αἱ ἅγιαι Γραφαὶ πάντα σαφῶς διαλέγονται. *Scripturæ ſacræ omnia perſpicue diſſerunt.* De Spiritus Sancti Deitate ſermo eſt. S. *Chryſoſtomus in Lazarum Hom.* III. Gentiles quidem, inanis gloriæ ſtudio ſcribentes, obſcuritatem admirationis cauſa affectaſſe: Spiritum Sanctum, omnibus benevolentem, e contrario. *Epiphanius Hæreſ.* LXXVI. 7. Πάντα γὰρ σαφῆ ἐν ταῖς θείαις Γραφαῖς, τοῖς βουλομένοις εὐσεβεῖ * προσέρχεσθαι τῷ Θείῳ λόγῳ, καὶ μὴ, Διαβολικὴν ἐνέργειαν ἐγκισσήσαντες, ἑαυτοὺς καταστρέφειν εἰς βάραθρα τοῦ θανάτου. *Omnia enim perſpicua in divinis Scripturis, cum pio ſenſu ad Dei Verbum accedere volentibus, nec, Diabolo operante concepta libidine, ſeipſos in barathra mortis præcipitare.* In eandem ſententiam *Hær.* LXIX. 40, 55, 60, 66. *Greg. Nyſſenus in Pſalmorum Inſcriptiones* I. *Pſalmos* commendat, quaſi qui profunda myſteria, viris fæminiſque, ſenibus & puerulis facilia & jucunda reddant. *Cyrillus* in *Julianum* VII. Scripturam eo ſermone ſcriptam aſſerit, quem ille contemptui habebat, quod neminis captum excederet. *Fulgentius ſerm. de Confeſſoribus*; *Ita ſuæ moderationis tenet temperiem, ut nec ovibus deſint pabu-*

la,

Digitized by Google

la, nec paſtoribus alimenta; ſecundum Magiſtrum, ſcilicet, *Auguſtinum.* Idem rurſus Magiſter *de Utilitate credendi cap.* VI. Veteris Teſtamenti Scripturam ita eſſe modificatam, ut nemo inde haurire non poſſit, quod ſibi ſatis eſt, ſi modo ad hauriendum devote & pie, ut vera religio poſcit, accedat. Nam & *Chryſoſtomus*, *Paulo*, 2 ad *Cor.* III. 14. Judæorum mentes in legendis Scripturis occæcatas affirmante; cæcitati ipſorum tribuendum ſubinfert, quod eas non intelligant.

Ex Patribus in adverſum, pro Eccleſiæ poteſtate.

Puto conſultiſſimum eſſe, antequam his occurram, quomodo occurri vult expoſita ſententia, quæ pro Eccleſiæ auctoritate, tanquam errori minime obnoxia, ex Patrum ſcriptis habeo afferre, pro diverſa ſententia allatis hoc loco opponere. Nam ex ſententiarum conflictu, non id ſolum conſtabit, cui jam cautum eſt; Nimirum, non poſſe ad Eccleſiæ fidem pertinere, de quo diſſentientes ſententiæ eorum, quos unitatis auctores agnoſcit Eccleſia, Eccleſiæ auctoritate leguntur; Sed etiam ratio, ac modus veritatis communis, in quam ſententiæ auctorum unitatis conſentiant. Nec quicquam majus dici poſſe puto, pro Eccleſiæ auctoritate, quam quod ab *Aug.* *contra Fauſtum* XXVIII. 4. *Tertull. contra Marc.* IV. 2. *Hieron. Epiſt.* LXXXIX. dictum eſt; Apoſtolatum *Pauli* ab reliquorum approbatione Apoſtolorum pependiſſe. Nam *Auguſtinus* Apoſtolum eum aliter Eccleſiæ agnoſcendum fuiſſe negat. *Tertull. Denique, ut cum auctoribus contulit, & convenit de Regula Fidei, dextras miſcuere. Hieron. Oſtendens, ſe non habuiſſe ſecuritatem prædicandi Evangelii, niſi Petri, & cæterorum Apoſtolorum, qui cum ipſo erant, fuiſſet ſententia roboratum.* S. *Auguſtinus*, *Pſalmo in partem donati*, de Eccleſia Romana; *Ipſa eſt Petra, quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ.* Et S. *Hieron.* Damaſi de Fide reſponſo Fidem ſuam ſubjicit *Epiſt.* LVII. Et *Apolog. contra Ruffinum* III. 4. *Scito Romanam fidem, Apoſtolica voce laudatam, iſtiuſmodi præſtigias non recipere: etiam ſi Angelus aliter* annunciet, *quam*

ſemel

ſemel prædicatum eſt, Petri auctoritate munitam, non poſſe mutari. Notum illud *Cypriani*; *Non aliunde hæreſes ortæ ſunt, aut nata Schiſmata, quam inde, quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Eccleſia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Judex Chriſti vice cogitatur; Cui ſi, ſecundum magiſteria divina, fraternitas obtemperaret univerſa, nemo adverſum Sacerdotum Collegium quicquam moveret, & nemo diſcidio unitatis Chriſti Eccleſiam ſcinderet.* De Eccleſiæ in Scripturas auctoritate, præter ea quæ tractavimus, *Auguſtinus contra Epiſt. Fund. cap.* V. *Cui* (Actorum libro) *neceſſe eſt me credere, ſi credo Evangelio; Quoniam utramque Scripturam ſimiliter mihi Catholica commendat Auctoritas,* In eandem ſententiam, *contra Fauſtum* XI.2. XIII. 5. XVIII. 7. XXVIII. 2. unde eum monet, qui Scripturas legit, libros omnibus Eccleſiis receptos, quibuſdam tantum receptis antehabere: Pluribus & majoribus receptos, receptis minoribus & paucioribus. Adeo ut ſi quidam pluribus, alii majoribus recepti ſint,(quod uſu venire non credit) eadem auctoritate utrique futuri ſint. De doctrina Chriſtiana II.8. Et contra *Creſconium* II. 31. *Neque enim ſine cauſa, tam ſalubri vigilantia Canon Eccleſiaſticus conſtitutus eſt, ad quem certi Prophetarum & Apoſtolorum libri pertineant, quos judicare non audeamus:* Canonicam auctoritatem Eccleſiæ decreto imputat. Itaque de controverſiis definiendis ibidem I. 33. *Quiſquis falli metuit, hujus obſcuritate quæſtionis, Eccleſiam de illa conſulat, quam, ſine ulla ambiguitate Scriptura ſacra demonſtrat. Bernardus ad Innoc. II. Papam Epiſt.* CXC. *Oportet ad veſtrum referri Apoſtolatum pericula quæque & ſcandala, emergentia in regno Dei; ac præſertim, quæ de fide contingunt. Dignum namque arbitror, ibi potiſſimum reſanciri damna Fidei, ubi non poſſit Fides ſentire defectum.*

Pro Traditionibus. Quod ad Traditiones attinet, non eſt tacendus *Irenæus*, ex quo hauſit *Tertullianus*, quæ ex *præſcriptione Hæreticorum* tractavimus: Is III. 2, 3, 4, Hæreticos, non ſolum Scripturas, ſed etiam Eccleſiæ Traditionem nihili feciſſe oſtendit,

dit, præ ſecreto Dei conſilio, quod ſibi aliunde notum jactabant, unde nomen *Gnoſticorum*; revinci autem poſſe ſola Traditione, cui ſoli hærendum fuiſſet, ſi nihil ſcripto relictum fuiſſet. Sic enim facere tum Chriſtianos qui nec literas noverant, nec Scripturas; Δεῖ δὲ καὶ παραδόσει κεχρῆσθαι· οὐ γὰρ πάντα ἀπὸ τῆς θείας Γραφῆς δύναται λαμβάνεσθαι· διὸ, τὰ μὲν ἐν Γραφαῖς, τὰ δὲ ἐν παραδόσει παρέδοσαν οἱ Ἅγιοι Ἀπόστολοι. *Utendum autem etiam eſt Traditionibus. Neque enim omnia a Scriptura divina haberi poſſunt. Quare neque omnia ſcripto, ſed Traditione etiam Sancti Apoſtoli tradiderunt.* Sic *Epiphanius Hæreſi* LXI. 6. Sic etiam *Hær.* LV. 3. & LXXV. 6, 8. *Dionyſius Hier. Eccl. cap.* I. doctrinam Apoſtolorum non ſcriptam memorans, non ut eorum diſcipulus, ſed ut teſtis ſenſus Eccleſiaſtici recipiendus eſt. Et *Euſebius de demonſtr.* I. 8. poſitas ab Apoſtolis Leges agnoſcit. *Conc. Gangr.* in fine; Καὶ πάντα συνελόντας εἰπεῖν, τὰ παραδοθέντα ὑπὸ τῶν θείων Γραφῶν, καὶ τῶν παραδόσεων Ἀποστολικῶν ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ γίνεσθαι εὐχόμεθα. *Utque omnia paucis dicamus; quæ Scripturis divinis, & Apoſtolorum Traditione accepimus, in Eccleſia fieri vovemus. Gregorius Naz. in Jul.* I. leges de quibus dixi, ad auctores eoſdem Apoſtolos refert. *Auguſtinus Epiſt.* CXIII. *Illa autem, quæ non ſcripta ſed tradita cuſtodimus, quæ quidem toto terrarum Orbe ſervantur, dantur intelligi, vel ab ipſis Apoſtolis, vel plenariis Conciliis, quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima auctoritas, commendata atque ſtatuta retineri.* In eandem ſententiam, *de Bapt. contra Donat.* II. 7. IV. 6, 24. V. 23. *de unitate Eccleſiæ cap.* XIX. *contra Creſc.* I. 31, 32, 33. *Hieron. adverſus Lucif. Multa quæ per Traditionem in Eccleſiis obſervantur auctoritatem ſibi Scriptæ legis uſurparunt. Orthod. Non quidem abnuo hanc eſſe Eccleſiaſticam conſuetudinem; Sed quale eſt, ut Leges Eccleſiæ ad Hæreſim transferas?* S. *Chryſoſtomus* eadem in 2 ad *Theſſal. Homilia* III. Ὁμοίως κἀκεῖνα καὶ ταῦτα ἀξιόπιστα, ὥστε καὶ τὴν παράδοσιν τῆς Ἐκκλησίας ἀξιόπιστον ἡγεῖσθαι. Παράδοσίς ἐστι, μηδὲν πλέον ζήτει. *Æque fide digna & hæc & illa. Quare*

& Eccleſiæ Traditionem fide dignam putamus. Traditio eſt, noli ultra quicquam quærere : Et *Aug. de doctrina Chriſtiana* III. 2. *Regulam Fidei* (de qua libro primo) *ex apertioribus Scripturis & Eccleſiæ auctoritate haberi.* Nam de *Vincentio* quid dicam, cujus aureolus libellus, in eam quam tueor ſententiam, totus ſcriptus eſt? Symbolum autem e Scripturis haberi, præter *Cyrillum Cat.* V. *Eucherium* in *Symb. Hom.* I. Paſchaſium de Spiritu Sancto in Præfatione, *Thomas* etiam *Aquinas* ſecunda II. Quæſt. I. *Art.* IX. ad 1. agnoſcit.

Pro obſcuritate Scripturæ. De obſcuritate autem Scripturarum teſtatur *Orig. in Levit. Hom.* V. cum partes ſacrificiorum comburi ait, ut intelligamus, quædam eſſe in Scripturis ſcientiæ Dei reſervanda, ne aliter ac par eſt intelligantur. *Irenæus* II. 47. etiam in ſæculo futuro, quæ ad Deum pertinent, Deum ſemper docere, homines ſemper diſcere poſſe. S. *Chryſoſtomus in Joh. Hom.* XL. jubere Dominum ſcrutari Scripturas, obſervat, quaſi qui fodinas, aut theſauros. Itaque etſi ſcrutando intelligi poſſunt, non omnes tamen idonei Scripturis ſcrutandis. *Opus imperfectum in Matt. Hom.* XLIV. *Ergo non ſunt Scripturæ clauſæ; Sed obſcuræ quidem, ut cum labore inveniantur, non autem clauſæ, ut nullo modo inveniantur.* Addit autem, ſicut laudi invenientium cedere, quod ſcrutati ſint, ita damnationi non ſcrutantium, quod non intelligant. S. *Hieron. ad Algaſiam Quæſt.* VIII. *Omnis Epiſtola ad Romanos miris obſcuritatibus involuta eſt. Ad Paulinum; Hoc autem velamen non ſolum in facie Moyſi, ſed & in Evangeliſtis & Apoſtolis poſitum eſt.* Ibidem; *niſi aperta fuerint univerſa quæ ſcripta ſunt, ab eo qui habet clavem David, qui aperit & nemo claudit, qui claudit & nemo aperit, nullo alio reſerante pandentur.* Ante eum *Orig. in Exodum Hom.* XII. metuit ne Evangeliſtæ & Apoſtoli, non minus ac Prophetæ, non ſolum velati, ſed & ſignati nobis reperiantur ut ſcribit *Eſaias*, niſi adhibito ſtudio, oremus inſuper, ut *agnus Tribus Judæ* ſigilla eorum nobis aperiat.

Hic

Hic ego, Scripturas *Inſtrumentum* eſſe Fidei, lubens agnoſco; quomodo Inſtrumentum vetus ac Novum omnibus in ore eſt; nunquam autem agnoſcam, adhiberi a Deo *Inſtrumentum* operi cui adhibetur non idoneum. Inſtrumenta naturalia ſunt, quæ animantium corporibus natura providit: Et moralia, quæ voluntatum conſenſu efficiunt quod efficiunt, ſive humanæ ſive divinæ; ſi de donis Dei adipiſcendis agatur. Hujuſmodi eſt omnis Scriptura, teſtis pacti hominibus, ſive inter ſe, ſive cum Deo initi. Sed, num neceſſe eſt, ut pacta rata ſint, ſcribi omnia quæ pacta ſunt? Equidem, cum ſcriptum fuerit quicquid ſcribi poteſt, tamen, niſi teſtes ſupereſſent, niſi Leges auxilio eſſent, niſi aliud denique ſcripturam juvaret, vix ſortiretur effectum, quod ſcriptura ratum eſſe non facit, ſed teſtatur. Jam autem, ex poſitis manifeſtum eſt, Traditionem, ſive Fidei, ſive legum Eccleſiæ, diſerte agnoſci ab auctoribus Scripturæ perſpicuæ. Dicemuſne igitur, ſolos Chriſtianos ſcriptores ſummo ſtudio ſibi contradicere, quod de *Judæis*, Paganis, *Muhammedanis* non libenter concedimus; Præſertim, cum facile ſit dicere, rem Fidei verbis Scripturæ contineri, verborum ſenſum Traditione definiri. Legum Eccleſiæ materiam ac ſpecies, Scripturis contineri non poſſe; poteſtatem, cujus auctoritate conduntur, Scripturis auctoribus conſtitutam videri.

Conflictus ſententiarum probat quod in medio eſt.

Videamus igitur, qua lege ad *Teſtamentum Patris* provocant Chriſtiani. Neque enim dubium eſt, Donatiſtas recte ad Scripturas vocari a Catholicis; quas utrique eaſdem pro Dei Verbo agnoſcebant. Sed ad eas, ſepoſita Traditione intellectas provocari, quis præſtet? Sane, niſi utrinque recepta fuiſſent Traditio; de inſtituta a Deo Eccleſiæ communione, non potuiſſent Donatiſtæ contendere, perijſſe reliquam Dei Eccleſiam, propter *Cæciliani, a Traditoribus*; hoc eſt, *Apoſtatis*; Ordinati communionem. Tum, quibus omnia eadem erant inſtituta, ac ritus, quæ Catholicæ Eccleſiæ, quomodo Traditionem negarent, cui multa imputabant.

Reſpondetur eis, quæ ſolam ſatis eſſe Scripturam aſſerunt.

tabant Catholici. Denique S. *Auguſtinus*, de Unitate Eccleſiæ c. XVII. nihil perinde manifeſtum a Donatiſtis pro ſe ex Scripturis adduci diſputat, ac manifeſtum eſt ex Scripturis, Eccleſiam omnes Gentes occupaturam eſſe. Atqûi hoc quid eſt, niſi Eccleſiæ vel Traditionem, vel auctoritatem, ad Donatiſtos reos Schiſmatis agendos ſtatuere? Cum *Gnoſticis*, potius tanquam cum hoſtibus, quam tanquam cum fratribus, Eccleſiæ agendum fuit. Neque enim in eis quicquam erat, præter nomen, Chriſtiani: Neque Scripturas recipiebant, tanquam ſalutis auctores; quam ſecretis aliunde cognitis,(unde Gnoſticorum nomen) acceptum ferebant; ſic enim docent *Irenæus* III. 1.& *Tertull. de Præſcript. cap.* XXII. XXVIII. Itaque & *Marcion* & *Manichæus* Scripturas, quatenus ſui dogmatis intererat, repudiabant. Et hoc eſt quod *Irenæus*, *idem ab Apoſtolis ſcriptum quod voce prædicatum*, affirmat: & *Tertull. Cum credimus*, credendum eſſe, *nihil eſſe quod ultra credere debeamus*. Tantum abeſt, ut ſine traditione Scripturas adverſus eos valere velint, quos ſola Traditione rejici poſſe, ad diſputationem de Scripturis non admiſſos, *Præſcriptio Tertulliani* contendit. Quod, quare adverſus Reformatos locum non habeat, quem, præcipitibus quibuſdam controverſiarum ſcriptoribus habere viſum eſt, non opus eſt plura dici. Quam recte veritus ſit Apollinaris adverſus Montanum ſcribere, mihi neque præſtandum, nec in dubium vocandum eſt. Plebis Chriſtianæ, erga Epiſcopos ſuos reverentiam, mox ab Apoſtolis, inde recognoſcas; quod, ſi quid de Fide ſcriberet, tanquam Scripturis, atque adeo Legi Evangelicæ additum, acceptum iri veretur. Illud enim manifeſtum eſt; Evangelium cum nominat, non ſolum Scripturam, ſed Legem Evangelicam, totumque ejus Inſtrumentum, ſive ſcripto ſive voce traditum intelligi. Neque enim addere Evangelio videri potuiſſet, qui ſenſum in verbis reconditum in apricum diſputando proferret. Hermogenes ad Scripturam recte provocatur a *Tertulliano*, qui non ſolum

non

non ſcripta, ſed ſcriptis adverſa docebat. Illud quæro, docente idem cum Hermogene Socino; præextitiſſe ſcilicet mundo materiam æternam dubitante; quis vetet *Tertullianum* adverſus eum Traditionem adhibere? Quis nos, damnatum *Hermogenem*, in Traditionis Eccleſiaſticæ ſignum, & exemplum, & teſtimonium proferre? Scilicet, qui nos jubeat Eccleſiæ, & fidei, & Dei cauſam hoſtibus prodere: Et, abjectis Eccleſiaſticæ Traditionis armis, cum hoſtibus Fidei depugnare. Scilicet damnatus *Hermogenes*, & in *Hæreticorum* Catologum relatus, conſenſus omnium ſui ſæculi Chriſtianorum, & ſequentium, in illam veritatem, cujus nomine damnatus eſt, indicium præbet. Quod autem S. *Baſilius non ſcriptum aliquid in Fidem introducere, apoſtaſiæ* eſſe vult, eodem modo intelligendum eſt. Quis enim credat, ad τὸ ὁμοούσιον, cujus cauſa tanta paſſus ſit *Baſilius*, hoc pertinere? Nam hoc, etſi non verbis Scripturæ, ſenſu tamen Eccleſiæ teneri, *Euſebii* ad *Cæſarienſes* ſuos ex Concilio *Niceno* Epiſtola oſtendit. Et *Theod. Hiſt. Eccl.* l. 8. Ἐξ ἐγγράφων μετ' εὐσεβείας νοουμένων λέξεων κατελεγχθῆσαν. *Ex ſcriptis verbis, ſecundum pietatem intellectis, damnatos Arianos* teſtis eſt. Atqui non aliam pietatem agnoverit *Theodoretus*, ab ea, quam ſenſu Eccleſiæ receptam, agnoſcit *Euſebius*. *Baſilius* autem, Serm. *de vera Fide*, alias ſe non Scriptis uſum profeſſus, ut *Hæreticis* occurreret, contraria ſcriptis obtendentibus, (ἦν ὅτε οὐκ ἦν· puta, καὶ ἐξ οὐκ ὄντων. *Fuiſſe cum non eſſet Verbum: Et ex non exiſtentibus extitiſſe*, affirmantibus, ut notum eſt) cum eis agens, qui Scripta ſecundum pietatem intelligebant, contentum ſe ſcriptis oſtendit; Quod nemo tum repudiaſſet, ſi, ſine voce non Scripta, cum *Hæreticis* tranſigi potuiſſe putaſſet. Sane idem *Baſilius Regularum breviorum Interrog.* I. quam adduximus, cum quæſiviſſet, numquis ſibi aliquid permittere deberet ſine Scripturæ teſtimonio; Quædam eſſe Scripturis διεσταλμένα diſtinguit, alia σεσιωπημένα. In illis obtinere addendi detrahendive interdictum: In his, vel Deo ſubdi oportere, vel,

 propter

propter Deum homini. Hoc autem id eſt, quod contendimus; Propter Deum Eccleſiæ, in eis quæ Scriptura non definit. *Epiphanii* autem ſententiæ ita claram in Scripturis Trinitatis Fidem aſſerunt, ſi Hæreſis ſtudium abſit, ſi adſit Eccleſiæ Fides, ſi recte & ex ratione earum ſententiam diſputemus. Legat autem *Baſilium de Spiritu Sancto*, legat S. *Gregorium Nyſſenum*, librorum ejus adverſus *Eunomium* hyperaſpiſtem, qui, quid de Traditione Fidei ipſis videatur, liquido cognoſcere velit. Dicat quantum cauſæ fidei perjiſſet, ſi, receptum omnibus Chriſtianis, Patrem Filium ac Spiritum Sanctum cultu ſolius Dei proſequendi morem non habuiſſent, quo divinitatem Chriſti aſſererent. Quæ autem exiſtentis Eccleſiæ decretum, non univerſæ Traditionem ſtabiliunt, ea omnia ad aſſerendam ſententiam noſtram pertinent.

Nihil de Fide aſſirmandum, ſine Scripturis; quatenus Scripturas Judicem faciat.

Non eſt igitur animus reſpondere quicquam affirmantibus, quicquid de Fide docetur Scripturis aſſerendum eſſe; quod uſquequaque verum eſſe contendo. Hoc tantum caveo; quædam eſſe, quæ in Legem Eccleſiaſticæ communionis recepta ſint; in quæ, ſcilicet, totius Eccleſiæ conſenſus manifeſtus eſt. Et in his, hactenus, poſitam eſſe *Regulam fidei*, dictum eſt; ſi tamen Regulam Fidei, non de Fide tenendis tantum, ſed de agendis etiam intelligamus. Alia eſſe; quamdiu quidem de dogmatibus ſermo eſt; quæ totius Eccleſiæ conſenſum, tanquam in Legem communionis Eccleſiaſticæ, nequaquam meruerint; Etſi quædam eorum, tantorum Eccleſiæ doctorum, tantarum Eccleſiarum ſuffragia meruerint, ut merito *Eccleſiaſticorum dogmatum* nomen obtineant; Quorum apud *Fulgentium, in libro de Fide ad Petrum, & Gennadium in libro de Eccleſiaſticis dogmatibus* (cui ſuum *Fulgentius* videtur oppoſuiſſe) exempla reperiri poſſunt. Sunt autem multo plura, quæ ne hanc quidem auctoritatem ferre potuerint; & tamen, auctore Eccleſia eatenus aſſeri videntur, ut tamen ne damnentur, qui eis fidem non habeant, mutilatæ fidei. Itaque nihil eſſe

prorſus,

prorſus, quod, niſi auctore Scriptura aſſerendum ſit, veriſſimum erit; Etſi non ſtatim, quod aſſeritur, in Legem Eccleſiaſticæ communionis tranſeat. Neque enim unquam tranſibit, niſi quod, poſt ſedatos per Eccleſiam contentiones, ad verum Scripturæ ſenſum pertinere, in quem omnes ab initio conſenſerint, (id eſt ad Regulam Fidei) ex clara, ſui cum receptis demonſtrata connexione, conſtiterit. Hæc qui reſpiciunt, non immerito Scripturam totam Fidei Regulam appellent; Etſi aliam Fidei Regulam, (in cujus, ſcilicet, profeſſione ſita Lex eſt communionis Eccleſiaſticæ) per Scripturam ſparſam, Eccleſiæ Traditio definiat. Ad hanc igitur Regulam, neque addi quicquam, nec inde demi poſse aſsero. Neque tamen propter eam, Eccleſiam omnium controverſiarum *Judicem* & haberi, & appellari poſse negem. Sane cum Regula Fidei Lex ſit, ſecundum quam de controverſis pronunciandum ſit, aliud Lex, aliud Judex. Et tamen, cum omnis recte judicans ſecundum Legem ſententiam ferat; quidni Lex Judex cenſeatur, propter quam feratur ſententia recte judicantis? Tum, ſi nemo ſit Judex in terris, ea Lege conſtitutus, ut de Fide citra Scripturam pronunciandi jus ei ſit; (Neque enim hoc diffiteatur, qui citra Scripturam pronunciare poſse Eccleſiam neget; aſserat, irritum eſſe quicquid de Fide ſine Scripturis pronunciatum ſit) Non erit mirum, Judicis nomine Scripturam appellari, quæ Verbum ejus ſit, qui, licet in cœlis non in terris, ſemper tamen Judicet, quicquid Eccleſia ex ejus Verbo decernat. Sed, cum Eccleſiæ Unitas Viſibilem Judicem deſideret, cujus ſententia partes teneat; Scripturam Judicem fruſtra contendas, (ad Unitatem quidem Eccleſiæ) niſi Eccleſiæ ſit, de ſenſu Scripturæ inter partes ſententiam ferre. Nam quod, falli poſse hunc Judicem, definitum eſt, etſi eorum poſtulato obſit, qui ſibi affirmantibus credi volunt, quod nulla credendi ratio aſserit; Ad Dei tamen conſilium ſatis eſt, quod intra fines a ſe conſtitutos, (Eccleſiæ, ſcilicet, Catholicæ Traditionem) falli non poſſit.

Quæ

Digitized by Google

Reſpondetur eis quæ videntur adverſa. Quæ ultra hæc adducta ſunt, ut perſpicuas Scripturas probent, intra eos limites intelligenda ſunt, extra quos, obſcuras etiam Scripturas eſſe tam clare mihi conſtitiſſe videtur, ut nihil eſſe putem, quod prolatis reponi poſſit. Itaque, quæ Scripturas Dei conſilio ita ſcriptas aſſerunt, ut idiotis perviæ eſſent, hactenus accipio, ut in eis, & ex eis, ad Chriſtianiſmum proficere & debeant, & facile poſſint, ſi intra fines Traditionis Catholicæ earum ſenſum contineant. Si poſtuletur ulterius, ut omnia omnibus pervia eſſe velimus, manifeſte *Origeni* contradicitur, inſtitutionem Chriſtianiſmi præmittenti: Sed & *Epiphanio* & *Theodoreto*, pietatem in intelligendo requirentibus; (quod, quid ſibi velit, dictum eſt) Tum omnibus, quibus, Traditione Eccleſiæ determinari fidei Regulam in Scripturis; aſtruximus. *Irenæus* perſpicuas Scripturas adverſus Gnoſticos aſſerit; Qui longe diverſam ſalutis rationem, ſecreto ipſarum ſenſu contineri contendebant, ab ea quam ex Scripturis intelligebant Fideles. Nam commenta ſua, parabolis quibuſdam Evangelicis ſignificari putaſse eos, ex ipſo *Irenæo* notum eſt. Quod non eſt ſatis, ad earum claritatem in eis aſserendam, in quibus obſtat verborum cortici Eccleſiæ Traditio. Clementis autem Protrepticus Verbum Evangelicum nemini obſcurum ita aſserit, ut habere Gentes negat quod cauſari poſſint, quod ad Fidem non accedant. Atqui hoc aliud eſt ab eo quod nos diſputamus. Aliud nimirum, teneri Gentes perſpicuis Scripturæ rationibus, ad Fidem amplectendam, aliud, pronum eſse ex Scripturis, quicquid de Scripturarum ſenſu dubitari poſſit. Neque ſatis eſt, eo ſtilo ſcriptas, ut idiotis perviæ ſint; laudantibus *Chryſoſtomo*, Origene in *Celſum* VII. & *Gregorio Nyſſeno* in *Pſalmorum* inſcriptiones; quibus ſatis conſultum conſtat, ſi, intra fines Traditionis Eccleſiaſticæ, ad pietatem ex Scripturis proficere, datum eis ſit. Merito ſane S. *Auguſtinus*, ex Veteri etiam Teſtamento hauriri poſse quod ſatis ſit affirmat; qui nunquam putavit, ad hauriendum,

qua

Digitized by Google

qua par eſt pietate ab eo accedi, qui Novum non præmittat. Quod cum Judæi negligant, merito eos cœcitatis, in eo intelligendo, auctores ſibi eſſe affirmat S. *Chryſoſtomus.* Et recte quidem, ſatis eſſe Scripturas, tum Judæis tum Gentilibus ad Fidem adducendis. Sed demonſtratum eſt, hoc ſatis, ſine præconis Evangelici Officio non conſtare. Atqui ille, ſi Eccleſiæ auctoritate, tanquam cœtus communi hominum ratione prædití, non tanquam hominum Societatis, Fide rationem ſuperante præditorum, divinitus inſtitutæ, præconium ſuum afferat, quomodo afferendam diximus; concedendum erit, veritatem Fidei, eadem Eccleſiæ auctoritate hoſtibus, qua ſuis afferi. Ac propterea, eandem auctoritatem, ad eam Fidei Regulam in aprico ponendam, quæ Scripturæ ſenſui fines ponit, prorſus neceſſariam eſſe. Unus ac item alter ſive *Auguſtini* ſive *Chryſoſtomi* locus, quibus exprimitur perſpicua Scriptura in neceſsariis, videtur nobis contradicere. Qui ſi contradicerent, non eſset mihi difficile, eorum auctoritatem Eccleſiæ auctoritati poſtponere. Sed quia opponi eos Eccleſiæ ratio communis non fert, omnino dicendum, ſubintelligendos ubique eoſdem fines, in eorum dictis, quos, licet non ubique ab ipſis exprimantur, certum tamen ſit ab eis ſemper agnoſci. Hujuſmodi autem *Regulam fidei* ab *Auguſtino* agnoſci, nemo dubitare poteſt, pluſquam uno ejuſdem operis loco, multis autem aliis expreſsam; Quod & de *Chryſoſtomo*, ex poſitis dubitari non poteſt. Quod igitur S. *Paulus*, quod non eſt ex Fide peccatum eſse vult; non eſt ejuſmodi, quale Fanatici noſtri volunt; cum, prolato Scripturæ textu, definiri volunt agendorum, de quibus dubium eſt, diſcrimen a non agendis; Sed quod pro peccato habendum ſit, quod ſine ratione actum ſit, quam Fides aſserat. Illuſtre habemus abominandæ impietatis exemplum, in capite nuperi Regis *M. Britanniæ* Caroli I. ab eis editum, qui cum ipſum armis cepiſsent, in quibus capiendis cauſam ſuam non damnarent, Legem *Moyſi* tenere Chriſtianos contendebant, in eo

quod,

Digitized by Google

quod, fuſum ſanguinem expiari non poſse, niſi fuſo ejus a quo fuſus ſit ſanguine, ſtatuit. Quæro num teneantur hic, quicunque in arma ea conſenſerint, quibus Regem ſuum in poteſtatem ſuam adduxerunt. Nam qui *Moyſi* Lege teneri Chriſtianos ſtatuant; tum, ſummam poteſtatem Legi illi eſſe obnoxiam; poſsunt ſibi contradicere ſi velint, parricidium non committere non poſſint, niſi ſibi contradicant. Itaque ſibi ipſis conſentanea dixerunt, qui *Reges catenis vinciendos, & proceres compedibus ferreis*, *Pſalmo* CXLIX. 8. prædictum, ad ſe, quorum armis inſtaurari Chriſtianiſmum credebant, pertinere dictitabant. Hoc igitur exemplo manifeſtum ſit, quam facile impietas verbis Scripturæ ſanciri poſſit, ab eis, quorum a cordibus mens ejus ac ſenſus exulet. Aliud voluit *Baſilius*. Nimirum, pietatem Chriſtianam, e Scripturis hauſtam, ſine earum mente ac ſenſu, ad agenda quæ Chriſtianiſmus poſtulat, deſcendere non debere.

De Apoſtolatu S. Pauli *agnoſcendo.*

Qui infinitam Eccleſiæ poteſtatem eſſe volunt, parum admodum Eccleſiæ teſtimonio proficiunt. Firmiora multo ſunt, quæ, antiquitatis Eccleſiaſticæ ſuffragio, Scripturæ claritatem & plenitudinem, quam quæ Eccleſiæ αὐθεντίαν aſserunt. Illud non negligendum, quod Apoſtolatum S. *Pauli*, non niſi principibus Apoſtolis probatum, Eccleſia agnoverit. Sane ipſe, ubi Apoſtolatum ſuum Deo ſoli auctori aſserit, ad *Gal.* I. 15— haud ſcio an ſe pro Apoſtolo agnitum a *Petro* & *Jacobo* velit, cum primum eos a ſe, vocato ad Apoſtolatum, *Jeroſolymis* viſos narrat. Nam, quod ad *Eccleſias Judææ* attinet, famam tantum fuiſse ſcribit, *prædicari a ſe* per *Syriam* & *Ciliciam Evangelium, quod olim perſecutus fuerat*. Atqui hoc non eſt, ut opinor, Eccleſiæ Apoſtolum eſſe. Itaque non eſt mirum, mitti eum cum *Barnaba*, ab eis qui tum *Antiochenæ* Eccleſiæ, Apoſtolorum mandato præerant, ad prædicandum ei toti regioni Evangelium, quæ primo Seleucidis ſubdita, poſt in pronunciæ Romanæ formam redacta, nuper proconſule Cicerone, (quod ex ejus ad Familiares Epiſtolis conſtat)

Provinciæ

Provinciæ *Ciliciæ* partem faciebat. Sane his finibus continentur, quæ *Act.* XIII. & XIV. geſta memorantur. Hoc ſi obtineat, tum vero *Paulus* & *Barnabas*, expreſſo Spiritus Sancti mandato miſſi, *Act.* XIII. 1, 2, 3. non poterant eis auctoritatem ſuam debere, qui eos Dei juſſu mittebant; Quamvis χειροθεσία, id eſt, ad communem Dominum Oratione ipſis impenſa, communis eos Domini Miniſtros teſtarentur. Itaque integrum fuit *Paulo*, *Jeroſolymis* poſtmodum, Apoſtolatum ſuum ſoli Deo auctori aſſerere: Et cum Principibus Apoſtolis ejuſdem prædicandi Evangelii Societatem coire, ſecundum ea quæ ab ipſo 1 ad *Gal.* II. 1—10. narrantur. Videtur igitur Apoſtolatus *Pauli*, per gradus quaſi quoſdam Eccleſiæ agnitus; (ſemper quidem tanquam a Deo miſſi; tanquam pari cum cæteris poteſtate, non ante hoc tempus) non niſi Eccleſiæ Rectoribus Apoſtolis agnitus, ab Eccleſia agnoſci potuiſſe. Et tamen, cum eodem auctore ipſum agnoſcerent, propter quem eos agnoſcebat Eccleſia, eundem cum ipſis Apoſtolatum geſſiſſe. Itaque Apoſtolatum *Paulus* Chriſto debebat; Apoſtolatus, ſive ei Eccleſia teſtimonium, ſive Apoſtoli perhibuerint, auctorem Deum habet, teſtem tantum Eccleſiam; qui Apoſtolos ipſos teſtes habet, quos auctores Eccleſia. Atqui teſtimonij auctoritatem, etiam falli neſciam, Eccleſiæ, etiam ante datam ei divinitus Eccleſiæ poteſtatem aſtruximus.

Quæ de Traditionibus.

Ex reliquis, quæ ad aſſerendam infinitam Eccleſiæ poteſtatem afferuntur, nemo expectet ut eis obſiſtam, quæ Traditiones Apoſtolorum commemorant; Sed ut intra fines conſtitutos continenda moneam. Neque enim efficacius eſſe poteſt ullum Canonicæ Eccleſiæ poteſtatis argumentum, quam, Eccleſiæ præſuppoſita & præexiſtens Fidei ſive Chriſtianiſmi Traditio. Quæ autem ad ritus pertinent Traditiones, quatenus Eccleſiæ auctores Apoſtolos, eoſdem etiam ipſæ auctores habent, fines Eccleſiæ poteſtati figunt, quatenus ipſi cuſtodiendæ mandatæ ſunt;

Digitized by Google

mutandæ autem, eatenus tantum, ut eadem Eccleſia a primo ad ſecundum Chriſti adventum maneat, propter eaſdem leges; quamvis, ob mutatum temporum ſtatum, minoris momenti apicibus mutatis. Quod ſi quæ adducta ſint, quæ leges Eccleſiæ Traditionum etiam nomen ſubire argumento ſint; Quis enim hoc verum neget? Argumento ſint poteſtatis Eccleſiaſticæ, Apoſtolorum poteſtati ſupparis; in eis quidem, quæ ad continendam unitatem Eccleſiæ, ſive definiendis de fide controverſis, ſive determinandis de ordine agendorum indefinitis pertinent. Nam quæ ad Scripturas auctore Eccleſia pro Dei Verbo agnoſcendas; de iis ab initio, cum S. *Auguſtini* adverſus Manichæos diſputationem tractarem, reſponſum putabis.

De Reſiduis utrinque reſpondetur.

Quod ſupereſt, quis dubitet, ad aſtruendam Eccleſiæ univerſim, ſive etiam Sedis *R.* auctoritatem, multo plura afferri poſſe; quæ hic iterari non tanti ſit? Neque enim exigua erit, vel Eccleſiæ univerſæ auctoritas, (id eſt Concilii Generalis decretum) vel Romanæ, ad eliciendum Eccleſiarum Occidentis conſenſum, etiamſi eis finibus contineatur, quos & fides ſemel tradita, & Apoſtolorum auctoritas, & unius ab initio Eccleſiæ conſenſus definit. Neque mirum erit, *Auguſtinum* Eccleſiæ decretum de Origene animæ, *S. Hieronymum*, vel Sedis Romanæ, in diſcidio Sedis *Antiochenæ*, ſententiam expectare: Vel Ruffino Romanæ Sedis decretum minari, cui ejus Sedis communio per erat magni facienda. Nam *Bernardum*, ad eandem, controverſias de fide reijcere, quid mirum eſt *Bernardi* tempore; Cum ſemper, ſi finibus ſe ſuis contineat, extra erroris periculum poſita ſit? *Cyprianus* autem, quid aliud quam commune omnium Eccleſiarum jus aſſerit, unitatis continendæ intuitu a Deo conſtitutum? Sed & *Apoſtolorum Conſtitutiones* II. 9. & *S. Cyprianus Epiſt.* LXVIII. & *S. Leo Epiſt.* XXIII. ac præterea multi, plebi Chriſtianæ reddendam Deo rationem, ſi malos Paſtores ſequantur, oſtendunt. Ac recte quidem. Habent enim totam Eccleſiam, ad quam ſe recipere

pere

Digitized by Google

pere poſſint ; ſicut, ſi totam corruptela invadat, habent univerſam omnium locorum ac temporum Eccleſiam, ad cujus ſenſum ac mores, & fidem & ritus ſuos componant. Itaque neque numero viventium æſtimanda dogmata, poſſunt tamen univerſorum conſenſu aſtrui ; & qui Eccleſias deſerebant, in quibus *Arianum* dogma perſonabat, poterant ſe veteris Eccleſiæ conſenſu tueri, ſi totam tum temporis *Arianiſmus* pervaſiſſet, qui ſolum Orientem occupabat. *Vincentius* quidem, quam recte concedat, ex ſolis Scripturis inveteratas Hæreſes refelli poſſe, non dicam ; Præſertim, ſi non modo Concilii decretum, quod inveterata Hæreſis conculcaverit, ſed & univerſæ Eccleſiæ conſenſum, & teſtimonij, Traditionem aſſerentis, auctoritatem excludat. Quid enim prohibet, non ſcriptam ab initio Fidei Regulam, ſed Traditam inſtitutione quotidiana, omnibus ad Ordinem Eccleſiaſticum pertinentibus, ijs præſertim, qui regendis Eccleſiis inſtitutione Eccleſiaſtica parabantur; poſtmodum, decretis Eccleſiæ, ſcriptorumque Eccleſiaſticorum de communionis legibus teſtantium, ſcriptam haberi ; Adeo quidem, ut quod ab initio, pro Lege Communionis obtinuiſſe, conſtare non poſſit, eo ipſe ad Fidei neceſſitatem non pertinere conſtet ? Neque dicam, cum Antichriſto ex Scripturis ſolis agendum eſſe, (quod operis imperfecti auctor pronunciat) antequam ſtatuatur, quatenus Scripturas Antichriſtus agniturus ſit. Eſt enim dictum, non poſſe ad eam Fidem, quam prædicaturus ſit Antichriſtus, pertinere, quicquid univerſæ conſenſus Eccleſiæ Traditum a Domino Chriſto aſſerit. Neque conſtat hactenus, Antichriſtum, falſas eſſe Scripturas prædicaturum eſſe. Itaque nihil obſtat, quo minus, cum ipſo ex Scripturis diſputari poſſit; ex quibus cum eo diſputari poterit, ſi veras eſſe eas agnoſcat. Cum autem Traditione teneri Scripturarum divinam auctoritatem ſatis dictum ſit, ea quæ Eccleſiæ auctoritate antiquior ſit; Eadem autem accedente ad Scripturam Traditione, divinitus conſtitutam Eccleſiam conſtare ; Omnino, etſi præſentis

ſæculi Eccleſiam, vel partem ejus audiendam neges; ſupererit tamen Traditio, ab initio totius Eccleſiæ, ejuſque conditoribus Apoſtolis manans, cujus teſtimonio ad Scripturæ ſenſum determinandum accedente, Eccleſiæ unitas, cum fidei puritate, vel retineri vel reſtaurari poſſit. Neque aliud univerſam omnium temporum Eccleſiam ſenſiſſe, rerum geſtarum fidem arbitrum fero. Quis enim credat, Concilij *Niceni* decretum in quæſtionem unquam venitare potuiſſe, ſi ullius omnino Concilij, ullius omnino poteſtatis Eccleſiaſticæ auctoritas tanta eſse poſset, ut communis fidei, aut Scripturarum ſacrarum inſtar eſſet? Cum de auctoritate Papæ & Concilij, in Occidente, tanta animorum contentione diſputabatur, Orientem, de auctoritate Eccleſiæ, tanquam falli neſciæ, ſolicitum fuiſſe, non conſtat; Cum tamen, ſine Oriente Generale nullum Concilium eſſet. Quod maximum eſt, nego ullum Eccleſiæ decretum proferri poſſe, quo unquam, ejus auctoritatem errori obnoxiam non eſſe, conſtitutum ſit. Bene quidem actum iri cenſeo cum Chriſtianiſmo, ſi hoc nunquam in quæſtionem venturum ſit; ſi ea plebis Chriſtianæ erga Ordinem Eccleſiaſticum reverentia poſtliminio revocetur, quaſi a quo, in errorem ſe duci poſſe putare, nefas ſit. Sed, cum ea calamitas in Eccleſiam incubuerit, ut in diſputationem venerit, quatenus fieri poſſit, quod factum eſſe obſcurum non ſit; non erunt excludendæ pacis Eccleſiaſticæ conciliandæ rationes, propter ambiguum Eccleſiæ falli neſciæ dogma, trahendis ad partes minus aſtutis opportunum; quas, ante iſtam ſubnatam opinionem Eccleſiæ uſurpatas, rebus ipſis conſtat.

CAP.

CAP. XXVIII.

Scripturas quæ Apocryphæ dicuntur conſenſus Eccleſiaſtici auctoritate legi; Propheticæ Scripturæ fidem non habere.

Non habere auctoritatem Propheticam libros quos Apocryphos dicimus.

REſtat, ad totam de auctoritate Scripturæ & Eccleſiæ quæſtionem abſolvendam, & ad aſſerendum univerſum veritatis Eccleſiaſticæ inſtrumentum, controverſis de fide omnibus definiendis idoneum, de auctoritate librorum quos *Apocryphos* dicimus, cum *Eccleſiaſtici* potius mihi dicendi videantur: Et de exemplarium primo, tum, veterum verſionum, tum fide tum uſu, diſputatio; Quatenus quidem, ad auctoritatem conſtituendæ veritatis attinet. Manifeſtum enim eſt aliud agi, cum, quid in Eccleſiæ cœtibus, ad ædificandam in pietate Chriſtianam plebem, legi poſſit aut debeat, quæſtio eſt. Illud hujus inſtituti eſt; Hoc ad eum locum pertinet, cum de *Officiorum Eccleſiaſticorum* ordine ac ritu Catholico ſermo erit. Hic nihil aliud quærimus, quam, ſingulæ inſtrumenti Eccleſiaſtici partes, ad verum Scripturæ ſenſum in apricum deducendum, quam vim haberi cenſendæ ſint; Si primo conſtiterit, ad divinitus inſpiratæ Scripturæ cenſum, quos Apocryphos dicimus non pertinere. Id quod mihi, ex eis quæ dicta ſunt, confectum videtur; cum conſenſu Synagogæ, id eſt, veteris Dei populi, de fide & auctoritate veteris Scripturæ, Eccleſiæ conſtare dictum eſt. Neque enim quicquam manifeſtius eſſe poteſt, quam quod profitetur *Joſephus contra Apionem primo*; Uſque ad *Artaxerxem*, qui *Xerxi* ſucceſſit, res ſuorum a Prophetis ſcriptas haberi. Poſtea, ſcripta quidem ferri, ſed non pari fide, quia non ſucceſſerant Prophetæ. Nam, quid hoc eſt aliud, quam quod Prophetarum ultimus *Malachias* IV. 4— poſtquam de lege *Moyſi*, ejuſque inſtitutis obſervandis monuiſſet,

Digitized by Google

monuiſſet, ſubjungit; *Ecce mitto vobis Eliam Prophetam, priuſquam veniat dies ille Domini magnus & terribilis: Et convertet corda Patrum ad Filios, & filiorum ad Patres; ne veniens terram maledictio feriam.* Quod ad *Joannem Baptiſtam* pertinere nos docent Evangeliſtæ, *Lucas* I. 17. *Mat.* XI. 14. XVII. 12. ſecundum veterum Hebræorum dictum, *ab Elia unctum iri Meſſiam.* Etenim, in Spiritu *Eliæ* veniſſe *Joannem,* Dominus teſtis eſt. Cum, purgato à Juda Templo, quid polluti altaris lapidibus fieret, quæreretur, repoſitos apto Montis Templi loco, donec veniens Propheta de eis reſponderet, ſcriptum eſt 1 *Macc.* IV. 46. De perſecutionibus autem, quæ à *Judæ* morte acciderunt, 1 *Maccab.* IX. 27. *Acciditque tribulatio Iſraeli, quanta nulla fuerat, ex quo non eſt viſus Propheta in Iſraele.* Hoc autem illud tempus eſt, de quo *Pſalmo* LXXIV. 10. vel dictum vel prædictum eſt; *ſigna noſtra non videmus, non eſt ultra Propheta, nec quiſquam ſublimiori ſcientia præditus.* Jam, Prophetæ munus non minus in docendo, quam prædicendo poſitum eſt; unde tota Vetus Scriptura Lege & Prophetis continetur. Itaque deſita Prophetia, divinitus inſpirari quæ ſcriberentur, deſitum eſt. Secundum hæc *Euſebij Chronicon* ad an. *Artax.* XXXII. *hucuſque Hebræorum divinæ Scripturæ Annales temporum continent.* In *Græcis,* αἱ ἐνδιάθετοι Ἑβραϊκαὶ γραφαί. Et Synagoga apud S. *Hieron. in Es.* XLIX. l. XVIII. *Poſt Aggæum & Zachariam & Malachiam, nullos alios Prophetas, uſque ad Joannem, videram.* S. *Aug. de Civit.* XVII. 24. *Toto illo tempore, ex quo redierunt de Babylonia, poſt Malachiam, Aggæum, & Zachariam, qui tunc Prophetaverunt, & Eſdram, non habuerunt Prophetas uſque ad Salvatoris adventum. Judæos* hodiernos, *Talmudicæ* farraginis ſcriptores auctores in omnibus ſequi, nemo dubitet, niſi qui inſtar cœci de coloribus judicet. Itaque XXIV. libris veterem ſcripturam contineri, Phariſæi omnes ſentiunt. Atqui quod Phariſæis non placet, non poteſt ejus Gentis conſenſu contineri. Multa illi de *Viris Synagogæ magnæ,* quæ a reditu Captivitatis,

Digitized by Google

Captivitatis, nullo jure potiori tanto nomine cenſeri poteſt, quam quod Prophetas, quos dixi, quod *Eſdram*, (quem ipſi *Malachiam* fuiſſe volunt, appellatione legati vel Angeli, cum proprio nomine *Eſdras* dictus ſit) quod *Nehemiam*, *Mardochæum*, & eorum ſuppares habuerit. Ab his *Canonem Scripturæ* conſtitutum volunt; ne quis putet, poſterius ſcriptos eandem aſſequi auctoritatem poſſe. Equidem Prophetiam, cum dico, penes eam gentem poſtea nullam fuiſſe, non negem verum eſſe quod *Joſephus Joannem Hyrcanum* Prophetiæ donum habuiſſe, *Orig.* XIII. 18. refert; quod *Judam* quendam Eſsenum multa prædicisſe *Orig.* XIII. 19. de *Bello* I. 3. quod alia divinitus prædicta narrat. Quid enim impedit, ex Dei populo quoſdam Dei Spiritu impelli ad mirabilia? Quod Canonem Scripturæ conditum dico, intelligo eos qui ſe Prophetas Dei, eis notis probaſsent, quibus ſe Prophetæ, ſuo ſæculo, majoribus populi ſui probabant; eorum ſcriptis in Canonem relatis, alios ſe perinde poſtea probaſse, ut de eorum ſcriptis idem ſtatueretur, nullo gentis ejus conſenſu conſtare. Quod ſi *Paulus* ſe Apoſtolum Eccleſiæ non probaſset, ejus ſcripta auctoritatem Apoſtolicam habere non potuiſse, nuper dictum eſt. *Babylonicam* linguam in captivitate didicisſe *Judæos*, *Danielis* ipſius & *Eſdræ* ſcripta fidem faciunt. A captivitate, *Græcam*, in *Ægypto* præſertim didicisſe, ea ſcripta de quibus agimus argumento ſunt. Eccleſiaſticum quidem *Hebraice* ſcriptum accepimus; Nam & ejus ſcriptorem *Jeroſolymis* vixisſe. Cujus nepos cum *Alexandriæ* ætatem ageret, propterea eum in *Græcum* vertisſe cenſendum eſt, quod *Helleniſtæ* eſsent *Alexandrini Judæi*. *Tobiam* in *Hebraicum* verſum habemus; Quem *Hieronymus*, ſicut & librum *Judith*, *Caldaice* ſcriptum refert, Præf. ad utrumque. Sed cum hodierni *Judæi*, Phariſæorum ſoboles, qui *Talmudicis* inſtitutis vivunt, non utantur eis, tanquam divinitus inſpiratis, non poſsunt videri totius Gentis conſenſum auferre, nec, totius Gentis Traditione, pro divinis po-

ſteritati

ſteritati commendati; ſive *Græce* ſcripti, ſive ſermone *Judæis* vulgari.

Quanta eorum auctoritas habenda ſit.

Cæterum, cum ab inſpirationis divinæ auctoritate diſceſsum eſt, nego ullam tantam ullius Scripturæ auctoritatem, ad definiendum divinitus inſpiratæ Scripturæ ſenſum eſse poſse, quantam neceſse eſt harum Scripturarum eſse auctoritatem; quibus univerſam, inde ab Apoſtolis, uſam eſse Eccleſiam, tanquam earum rerum auctoribus, quas earum auctoritate affirmant, negari non poteſt. S. *Hieronymus, Præf. ad libros Solomonis*, librum Sapientiæ, a quibuſdam vetuſtis Eccleſiæ Scriptoribus *Philoni Hebræo* aſcribi ait; Non ei qui ſub Caio ſcripſit, ſed antiquiori, ſub Onia Sacerdote. Sane *Philonis Alexandrini* ſermoni ſermo hujus libri prorſus diſſimilis eſt. Idem *Eccleſiaſticum* etiam *Sapientiam Solomnnis* dictam refert, in IX *Danielis:* & S. *Aug. de Civ.* XVII. 20. utrumque *Solomoni* aſcribi, *propter nonnullam eloquij ſimilitudinem.* Cum autem ad Reges & Principes, orbiſque terrarum Judices ſermonem convertit I. 2. VI. 1, 2—10, 22. oſtendit quid ſibi velit; hortari nimirum poteſtates, ſub quibus exulabant *Judæi*, ut ab ipſis ſapientiam, in veri Dei cultu poſitam diſcerent. Hac occaſione, legiſlatoris Dei *Sapientiam* (de qua laudat Dei populum etiam *Moyſes* Deut. IV. 6, 7.) celebrat, per quam, non ſolus *Solomon*, ſed ab *Adamo* Patriarchæ & Prophetæ locuti fuerint; quod a Capite ſexto paſſim legas. Eadem de cauſa celebrat eandem liber *Baruch* III. 12—38. qui cum ab Idolorum cultu ſuos deterrere vellet; quod *Eſaias* & *Jeremias* facere cœperant; (hinc enim *Jeremiæ* Diſcipulo inſcriptus eſt) Deum ſolum, per legem, ſapientiam docuiſse affirmat, quæ poſtmodum *in terris viſa ſit, & verſata cum hominibus.* Quod etſi Chriſtiani ſcriptores recte ad Chriſtum trahunt, tamen, niſi prius de Prophetis intelligatur; In illis nimirum Dei Sapientiam cum hominibus verſatam; fatendum erit, expreſſius adventuſi Domini teſtimonium perhibuiſſe eum, quam perhibere Prophetæ ſoleant.

ſoleant. Eodem conſilio, cum tres *Darij* Regis defenſores, quid plus poſſe videretur, differendum ſuſcepiſſent, tertius, cum pro fœminis dixiſſet, *veritatemque* ſuper omnia valere addidiſſet, *Veritatem*, quam populo ſuo Deus lege danda revelaſset, veri ſcilicet Dei cultum, quam mundo prævalituram dixerat, Regi tuendam, Templo inſtaurando, commendat. 1 *Eſdræ* II. III. 34—41. denique Eccleſiaſticus, Sapientiam lege proditam & Prophetis, Sapientiæ per quam Deus mundum, quem condidit, gubernat, ſobolem prodens cap. XXIV. *Solomonem Proverbiorum* VIII. & IX. interpretatur. Fundamentum autem eſt Chriſtianiſmi, ſecundum veteris Eccleſiæ Catechiſmum ; idem Dei Verbum & Sapientiam, quod in Patribus primum, inde in Lege, poſt in Prophetis locutum ſit, denique in Domino Chriſto Evangelium prædicaſſe. Quid igitur ad introducendum Chriſtianiſmum opportunius, quam quod his Scripturis proditum oſtendimus ? Itaque eas Apoſtolis lectas, & ad eas alluſum ab Apoſtolis, non eſt cur dubium ſit. Conferantur ellogia Domini Chriſti, quæ leguntur 2 ad *Cor*. II. 4. ad *Col*. I. 15. ad *Ebr*. I. 4. 1 ad *Cor*. I. 24. Conferantur, quæ leguntur ad *Ebr*. I. 2, 3. ad *Col*. I. 16, 17. cum eis quæ leguntur apud Eccleſiaſticum I. 1. 4. 9. 10. XXIV. 5—9. 14. quæ leguntur Sapientiæ VII. 22—27. IX. 9, 10. cum initio Evangelij ſecundum *Joannem* ; Supponat præſertim, qui ea confert, eundem Dei Spiritum & Verbum & Sapientiam, *quæ animas juſtorum occupans Prophetas fecerit*, ut eſt in fine capitis ſeptimi Sapientiæ *Solomonis*, in Chriſto ultra menſuram ; pro plenitudine nempe Deitatis ; habitaſſe, quod *Joh*. I. 14, 16. III. 34. ad *Col*. II. 9, 10. legimus. Quis hæc legens negabit, idem utriſque in animo fuiſſe ? Si quis dicat, quod dici manifeſtum eſt, ex Propheticis ſcriptis, ubi de Dei gloria, *Ezek*. I. 28. de ellogijs *Meſſiæ Pſal*. II. 7. 2 *Sam*. VII. 14. *Eſ*. IX. 6. de mundo per Dei Sapientiam condito, *Pſal*. XXXIII. 5. CXXXVI. 5. *Jer*. LI. 15. X. 12. præcipue autem, ex eis quæ *Prov*. VIII. & IX. ſcripta

Bbbb leguntur,

leguntur, exprimi hæc ab Apoſtolis potuiſſe; Primo, unde expreſſa ſint Apoſtolorum dicta, ſimilitudo argumento eſſe debet: Deinde, Apoſtolorum tempore, ut ſtatim ab eodem, has Scripturas, ſimul cum Propheticis, *Græce* lectas fuiſſe, non eſt cur dubitandum videri debeat. Illud manifeſtum eſt, quam opportuni ſint novis Scripturis exponendis, qui ad Apoſtolorum ſermonem & cogitata tam prope accedant. Nam ſi Apoſtolis eadem, vel Scripturis legendis, vel ſpiritu Dei inſpirante ſuggeſta ſint, oportet eos ſenſum Prophetarum; quibus Magiſtris proxime ſucceſſerint Diſcipuli; ad unguem tenuiſſe, quem ab ipſis expreſſum Apoſtoli oſtendunt. Equidem mirari ſubit, reſurrectionem, & futuri ſæculi mercedem multo diſertius, multo expreſſius his Scripturis agnitum, quam Propheticis; niſi quod tum primum pietatis nomine perſecutio Dei populo inſtabat. Sane qui, quamdiu terram promiſſam tenerent, ſubinde a Deo ad Idola deſciverant, a captivitate nunquam hoc feciſſe dici poſſunt. Hoc enim argumento cives ſuos confirmat *Juditta* VIII. 18, 19, 20. Inſonabant auribus eorum, nimirum, *Eſaiæ*, *Jeremiæ*, ac reliquorum Prophetarum voces, præmiſsæ, Dei conſilio, populi ſui calamitati, ut ad ipſius *cultum in ſpiritu ac veritate* futuri ſæculi ſeſe intuitu reciperent. Tum, viſionibus Prophetarum *Danielis* & *Ezekielis*, ſub figura quidem inſtaurati populi, ſed tamen clarius expreſſa eſt Reſurrectionis fides, quam prius. *Maccabæos* autem, ſub *Antiocho* perſecutionem intuitu vitæ futuræ paſſos, non eſt mirum ab Apoſtolo laudari, ad *Hebr*. XI. 35, 36. cum ſermones adhuc legamus, quibus ad patientiam excitati ſint 2 *Maccab*. VII. 23—29. Rurſus, poſtquam victo *Antiocho* ſui juris facti ſunt, & promiſsæ terræ compotes, incidit veræ veri Dei religioni tinea illa & rubigo veræ pietatis, quæ Evangelici verbi prædicatione curata a Domino & Apoſtolis, medicinæ non ceſſit, ſed miſerum populum, ſub umbra pietatis, ad perſequendum juſtitiæ Solem abduxit. Scilicet, qui majorum traditionibus,

traditionibus, ſervanda Lege, promiſſum ſe legis tenere putabant, *ignorantes Dei juſtitiam, ſuam autem juſtitiam ſtatuere cupientes, Dei juſtitiæ ſubditi non ſunt.* Sed hæ Traditiones, ſive in *Judæa*, ſive *Babylone* ortæ ſint, & excultæ, ſcriptores horum librorum non attigerunt. Sane, apud quos tam moroſa fuit, tantæ molis Traditionum obſervatio, quantam Domini Chriſti & Apoſtolorum tempore extitiſſe conſtat, non poterant non corticem pietatis pro nucleo habere: Nec, cum tantam ſuperſtitionem Legis cortici impenderent, tanto majoris medullam pietatis æſtimare. Sed hujus ſuperſtitionis nec volam nec veſtigium hæ Scripturæ habent. Quin, ſitam non fuiſse tum temporis, in offerendis victimis pietatem, haud ſcio an ipſis Prophetis diſertius tradiderit Eccleſiaſticus cap. XXXV. 1—14. etſi ex Prophetarum ſcriptis, veroque ipſorum ſenſu hauſtum. Quam cum Chriſtianam eſse pietatem, ante introductum Chriſtianiſmum, dictum ſit, perfidiæ cujuſdam fuerit, minutis prætextibus, tantum Fidei munimentum Chriſtianorum manibus excutere velle.

Ex inductione ſingulorum, de univerſis.

Tobiæ quidem & *Juditthæ* res, etſi, ad rerum gerendarum votum, quam ad geſtarum fidem ſcriptas concederem, nullo modo concederem, inde aliquid utilitati Eccleſiæ perire; Cum eorum retinendorum librorum cauſæ tam juſtæ adductæ ſint. Tanti enim eſt auctoritas, antiqui primùm Dei populi, tum omnium ſeculorum Eccleſiæ uſu inolita, in Exemplo veri *Iſraelitæ* Chriſtianis commendando; (qui, poſt expreſſa Chriſtianæ pietatis erga ſuos officia, in ſpe inſtaurandi Dei populi conquievit) in Exemplo veræ *Iſraelitidis*, quæ ſalutem populi ſui ſaluti ſuæ prætulerit; ut ad eam, facto veræ *Iſraelitæ* aut veræ *Iſraelitidis* nihil accedere poſſit, ſi rem geſtam, non qualis gerenda fuit, narrari ponamus. Neque enim quicquam perit auctoritati Sapientiæ *Solomonis*, aut eorum quæ *Baruch Jeremiæ* Diſcipulum ſcriptorem ferunt, quod idonea aſſumpta ſit perſona, cujus nomine commendarentur. Idem de Actis *Suſannæ*

dicendum, quæ apud *Judæos* antiquitus narrata fuiſſe, ex *Hieronymo* conſtat; (idem etiam teſtante Origenis ad *Africanum* Epiſtola, quam adhuc legimus) eorum enim temporibus, duos Presbyteros, ipſius inſidiatores, *Achabum* & *Colaiam* Pſeudoprophetas fuiſſe credebant *Judæi*, quos *Nebuchodonoſorum* morte affeciſſe, apud *Jeremiam* XXIX. 21. ſcriptum eſt. Quod ſi ornare voluerit narrationem ſuam, qui *Græce* eas res ſcripſit, alluſione ad arborum nomina; ut ei qui ſub ilice deprehenſos diceret a ſe, πρίσει σε ὁ Θεὸς; qui ſub *lentiſco*, σχίσει σε ὁ Θεὸς reſponderet; quia πρῖνος & σχῖνος earum arborum nomina, verborum πρίζειν & σχίζειν ſono vicina ſunt; cogitandum eſt, ſepoſita hac alluſione, idem alia in lingua narrari potuiſſe. Exempli loco ſit quod Eccleſiaſtici XXIV. 14. ὡς φοῖνιξ ἐν αἰγιαλοῖς in Codice *Romano*, eſt in aliis ὡς φοῖνιξ ἐν ἐνγαδδί. Videtur enim mihi Jeſus libri ſcriptor hoc poſterius in *Hebraico* ſuo poſuiſſe. Nepos autem ejus, cum eum *Helleniſtis* & exteris *Græce* verteret, quibus non erat tam familiaris locus *Engadi*, ut Palæſtinenſibus; ἐν αἰγιαλοῖς ejus loco poſuiſſe in *Græco*. Hæc conjectura ſi cui diſplicet, poteſt tamen argumenti loco eſſe, ſimile aliquid accidere in loco quem tractamus potuiſſe. Tum, quod capitali ſupplicio a *Judæis* affectos narrari videtur, quid impedit, a *Synedrio* damnatos, poteſtatibus ſub quibus degebant tradi, (quod Domino Chriſto factum ſcimus) ad pœnas de eis expetendas? Nam quod *Origenes*, Epiſtola ad *Africanum*, vitæ & necis poteſtatem in populares, penes ipſos aliquando fuiſſe, in diſperſionibus, contendit, id hic locum non habet, ſi Traditionem ipſi & *Hieronymo* memoratam agnoſcamus. Sed de diſputatione Origenis cum Julio *Africano*, de hujus rei geſtæ veritate, (nam, ad eundem primum Chronologum Chriſtianorum ſcriptam Origenis Epiſtolam, ex *Hieronymi Catalogo* diſcimus) mihi, propter cauſam quam dixi, laborandum non eſt. Nam ſi diſſentire ab Origene integrum fuit *Africano*, manifeſtum eſt, Origenis ipſum ſententiæ, non

non Eccleſiæ Traditioni diſſentire. Certe rationem quam ſecutus Origenes aſſerendam eorum fidem putavit, ſecutus Eccleſiæ conſenſus damnat. Neque enim amplius integrum eſt, *Hebraici* Codicis auctoritatem ad labefactandam Eccleſiæ Fidem pertinere putare, poſtquam S. *Hieronymi* Verſio, ad *Hebraicum* Codicem facta, ab Eccleſia recepta eſt. Illud multo majus, quod propoſitos fuiſſe Catechumenis legendos, apud veterem Eccleſiam, ex *Athanaſij Epiſtola Paſchali*, quam ex Bibliotheca *Palatina* edidit Commelinus; ſicut etiam ex Synopſi; diſcimus. Cui concinit ultimus Apoſtolorum Canon, Eccleſiaſticum juventuti legendum proponens; & *Dionyſius de div. Nom. cap.* IV. Sapientiæ librum *Iſagogam* ad divina Oracula appellans. Idem ſignificat Ruffinus in Symbolum, cum *ad inſtructionem eorum qui prima ſibi Eccleſiæ ac fidei elementa ſuſcipiunt, tradita* ſcribit, quæ ipſe *Eccleſiaſtica* appellat. Sane *Origenes Præf. in Cant.* (Ubi Apoſtolos ex *Apocryphis* mutuatos notat; quod & ex *Enochi* vaticinio, & *Moſis* ἀναλήψει facit S. *Judas*) addit, non tamen nobis legendos, ne tranſgrediamur terminos Patribus poſitos. Ubi aperte diſtinguit ab *Apocryphis*, quos recte omnino *Ruffinus*, *in Symboli expoſitione*, Eccleſiaſticos potius appellandos aſſerit; *Legi* enim eos *in Eccleſijs voluiſſe* majores, *non tamen proferri ad auctoritatem ex his fidei confirmandam*; *Cæteras, quas Apocryphas nominarunt, in Eccleſijs legi noluiſſe*. Sane, neque de vocibus litigandum puto, nec poſſum dubitare *Apocryphos* dici a S. *Hieronymo*, quos diſtinctius a Ruffino Eccleſiaſticos dici cenſeo. Nam in Epiſt. CVI. quam *præfationem* ipſe *Galeatam* appellat, quicquid eſt extra XXII. vel XXIV. libros inter *Apocrypha* ponendum eſſe pronunciat. Subdit autem; *Igitur Sapientia, quæ vulgo Solomonis inſcribitur, & Jeſu filii Sirach liber, & Judith, & Tobias, & Paſtor non ſunt in Canone.* Et tamen, ut opinor, non accenſet hos eis de quibus ſtatuit Epiſt. CVII. *ſeptuaginta non habent*; *Apocrypha neſcit Eccleſia.* Eccleſiaſtici enim dici non potuiſſent a Ruffino, ſi eos neſciviſſet Eccleſia.

ſia. Quamvis hoc ſenſu *Apocrypha tertij & quarti Eſdræ ſomnia* recte intelligi poſſit dicere Epiſt.CIX.Sed in Concilio Romano *Gelaſij P*. I. manifeſtum eſt *Apocryphos* dici libros, quibus legendis auctorem Eccleſiam haberi nolit: Sine quod Scriptorum, quantumvis Eccleſiaſticorum ſententias quaſdam non probet; (*Arnobij* puta, *Lactantij*, *Clementis Alexandrini*, *Euſebij Cæſarienſis*) ſive quod ab Hæreticis profecta ſint, quorum ſcripta ab omnibus ſive periculo legi non poſſunt, etſi a confirmatis rei Fide cum fructu legantur. *Joſephus Scaliger* ad dictum annum *Euſebij* ſic legi *apud veteres* ſcribit; Τὸ Ἰουδὶθ Βιβλίον χρήσιμον μὲν, ἀλλ' οὐκ Ἐκκλησιάζεται. *Liber Judith utilis quidem eſt, ſed eo non utitur Eccleſia*. . Si memoria ipſum non fefellit, oportet ſcriptorem quem citat aliarum Eccleſiarum uſum teſtari, ab eis quas Ruffinus noverat; is enim diſerte librum *Judith* Eccleſiaſticis annumerat. Nam & Paſtoris librum, in Novo Teſtamento, eiſdem annumerat; Quem per omnes Eccleſias lectum non fuiſſe conſtat. Itaque neque mirum fuerit, ſi in quibuſdam Eccleſijs non fuerit lectus liber *Judith*. Ratio autem quam affert ibi *Scaliger*, quare *Apocryphi* dicantur; Quod imbecilliorum animos eorum lectione abſtinerent *Judæi*, ideoque abſtruſos haberent; ad Canonicos etiam pertinet; Initium nimirum *Ezekielis*, & Eccleſiaſtem *Salomonis*. Sed & ab inſtituto Eccleſiæ aliena eſt. Nam poſt revelatam Fidem ,non inveniemus metuiſſe amplius Eccleſiam offenſionem puſillorum, ab eis quæ Synagoga non vulgabat. Nimirum, quod conſtare debeat, omnem, quæ a veteris Scripturæ diſsenſione naſci poteſt, offenſionis ſpeciem, ex Evangelicæ revelationis Scripturis interpretandam & diſſipandam eſse.Igitur non eſt dubium, proprie admodum *Eccleſiaſticos* dici, quos auctore Eccleſia ſemper lectos fuiſse conſtat; Etſi *Syracidæ* ſcripto id nominis proprie hæſerit.

Equidem

Equidem præcipua eorum quæ proferuntur,cur legendæ non ſint hæ Scripturæ, ejuſmodi eſse video, propter quæ veteris Teſtamenti Scripturæ legendæ non ſint, ſi recte inſtitutis Chriſtianis offendiculo eſse deberent. Nam quid inter *Raziæ αὐθεντίαν* 2 *Macc.* XIV. 41—46. & *Samſonis* intereſt; quid inter factum *Judittæ* & *Jaelis*,quid inter Angelum *Tobiæ*, hominem ſe ferentem, & mendacia piorum veteris Scripturæ intereſt? Quicquid de *Saulis*, *Balaami*, *Caiaphæ* cauſis dicendum ſit; non libenter *Samſonem*, Spiritu Dei inſtinctum, ad conſciſcendam ſibi mortem deſcendiſse concederem, ſi conſciſcendæ ſibi mortis in ea cauſa conſilium, cum Lege Dei, quæ tum obtinebat, cumque dono Spiritus, ex legis obſervatione proveniente, non conſiſteret. Nam ut *Samſonem* Prophetam fatendum puto, quales Judices *Iſraelis* fuerint, in quos *irruiſſe Spiritus Dei* dicitur; Ita impie mortuum non concedam, quem Apoſtolus piorum Catalogo, XI. ad *Ebræos* inſeruit. Idem eſt,quod ſententiam a *Moyſe* latam in initiatos executus *Phineas*, putatur a quibuſdam, dictante Dei Spiritu quod nullum Dei Verbum auctorabat, vindictæ ſumptæ nomine juſtitiæ imputatione renumeratus *Pſalmo* CV. 31. Sed cum difertum extet *Moſis*, de initiatis permiendis mandatum *Num* XXV. 5, 6. procul abeſt,ut hoc ſive Verbo Dei, præeunte autem Spiritu Sancto inſpiratum dicendum ſit. Sic igitur & Samſon, quid eſt cur, aliter de ſumenda de Dei hoſtibus vindicta deſperans,voluntatis divinæ conſcius, Spiritu Dei inſtinctus videri non debeat? Quamdiu quidem ſub Lege agebantur,quam,vindictam hanc vetuiſſe conſtare non poſſit. Quantum autem abeſt, quod *Juditta* in hoſtem fecerit, ab eo quod *Jael* in fœderatum? Et tamen Deberæ Cantico laudatur. Nam quod Patriarchæ ſui *Simeonis* factum laudat *Juditta*, *Jacobo* Patri deteſtatum; nunquam S. *Ambroſius* libri de Benedictionibus Patriarcharum cap. III. idem feciſset, niſi Zelus erga caſtitatem Dei populo propriam laudem habuiſset; quo tempore, quod Patris conſilio non

Reſpondetur præcipuis eorum quæ contra objici ſolent.

ſit

ſit obtemperatum, culpam apud Deum habet. Sane, quod fidem violatam ſpectat; ſi, quod profeſſis hoſtibus *Juditta*, pater ipſius ſimulatis amicis fecit, non æquavit alterutrum fœdus a *Jaele* violatum. Quod ſi ſcriptor *Tobiæ* vidiſſet, verum tum temporis *Iſraelitam* abhorrere debuiſſe ab eo, quod Angelum fecisſe ſcribit, nunquam illam perſonam Dei angelo impoſuiſſet. Itaque non eſt quod offendatur Fidelis in eo, quod non ex Lege, tum temporis valente, ſed ex Evangelico fœdere judicandum ſcire debet. Idem fere de *Eccleſiaſtico* XLVI. 20. dicendum eſt; ubi *Samuelem* laudans, quod poſt mortem vaticinatus fuerit, immundi Spiritus operatione ejus animam excitatam fuiſſe, concedere videtur. Nam hoc cui offendiculo eſt, prius ipſi cum divina Scriptura tranſigendum erit, quæ ſemper *Samuelem* appellat, qui aſcendit, 1 *Sam.* XXIIX. 12, 14, 15, 16. Quod ſi offendiculo non eſt, quod *Samuel* locutus dicitur; cur offendiculo ſit, quod, in laudem *Samuelis*, etiam poſt mortem vaticinatus dicitur? Sane diſpenſationi veteris fœderis tribuendum videtur, ut mortem peccato ingreſſam experti, nondum prodita peccati & mortis ex novi fœderis lege abolitione, quamvis ejus particeps, Propheta, non tamen extra mortis, & ejus qui mortis poteſtatem habet, imperium defunctus narretur. Ad laudem quidem *Samuelis* pertinet, editum ſub ipſius nomine vaticinium, non niſi ad avertendum a peccatis ſuis populum pertinere potuiſſe; quod laudat Siracides. Denique cum ſit dictum ſuo loco, Verbum Dei, Angeli Sancti miniſterio, *Balaamo* nolenti oblatum fuisſe; Cum ſortilegorum *Palæſtinenſium* divinationem effectum habere voluerit Deus, 1 *Sam.* VI. quid eſt, quo minus adfuisſe *Samuelis* animam concedam; Non quidem immundo Spiritui obſecutam, quaſi inferis obnoxiam, ſed ea Dei voluntate, qua *Magis Antitheos* objici ſolitos, *Arnobium* affirmare dictum eſt? Quod Magiam *Tobiæ* libro imputant, fugati piſcis hepate dæmonis nomine; cogitare debent, unde vim

habuerint

habuerint exorciſmi, per quos, in Evangelio Dominus ejici a *Judæis* dæmones fatetur; quos & filij *Scevæ Judæi*, in Actis Apoſtolorum, recte uſurpaſſe videntur, priuſquam nomina Domini Jeſu & *Pauli*, ad ſe non pertinentia uſurparent. Nam & ab aſcenſione Domini, eandem illis vim concedit *Irenæus*, aliique antiquiſſimi apud *Grotium* in *Matt.* XII. 27. Eccleſiæ ſcriptores. Quo etiam pertinere videtur, quod *Joſephus Antiq.* VIII. 2. fugandorum Dæmonum ſcientiam *Solomoni* divinitus revelatam late refert; & exorciſmos ab eo proditos, etiam ſuo tempore, ſub oculis *Veſpaſiani Aug.* effectum habuiſſe. Nam & *Talmudici* ſcripta a *Solomone* in parietibus Templi remedia morborum per exorciſmos referunt; quæ, *Ezekias* quod deleverit, perinde a Sapientibus Laudatus ſit, ac quod æneum Serpentem fregerit; Quia vulgus eis fiſum, ſpem ſuam in Deo collocare in ſuper habuiſſe, compertum experiendo fuiſſet. Vide in *Peſachim* IV. 9. Quibus aſtipulatur vetus apud *Suidam* ſcriptor, in verbo Εζεκίας. Nimirum, cum præſentem ſe Deus, populo nomen ſuum profeſſo, adeſſe oſtendere vellet, remedia malorum ejuſmodi per ſuos prodidit, quorum viribus cum tribui non poſſent, ad ipſius, & Legis ſuæ honorem, ipſorum efficacia rediret. Hoc igitur, qui, revelante Deo, per hepar piſcis effectum narrat, non eſt putandum, alienum a vera pietate quicquam narrare, Superſtitioni *Judaicæ* tribuitur, quod *Juditta* VIII. 6. non minus pridie ſabbatorum & neomeniarum, quam ſabbatis & neomeniis, feſtum egiſſe, ex more captivitatis *Judaicæ* ſcribitur. Sed qui, ſcriptorem ætate tam vetuſtum, putat potuiſſe viduam ejus moris nomine laudare, qui tum penes Dei populum laudem non mereretur; Is ſibi Dei populi mores notiores eſſe doceat nos, quam ei qui tot ante ſæculis ſcripſerit, ſi hoc verum non putat; Vel, alium Dei populum oſtendat, cujus moribus vivendum fuerit ſalutem æternam quærentibus, ſi, moribus populi Dei tum Deum coluiſſe, ad ſalutem pertinere non putat.

Digitized by Google

Nullum extare Traditionem divinæ eorum auctoritatis.

Reſtat ut, nullam eſſe Eccleſiæ Traditionem, quæ Scripturæ divinitus inſpiratæ auctoritatem his libris tribuat, paucis hoc loco affirmemus; quod tum faciendum fuerat, cum hoc aſſereremus. Equidem ſi ſolum *Hieronymum* haberem, quem hoc docuiſſe conſtaret, nullo modo dubitarem, Eccleſiæ Traditionem eſſe non poſſe, cui *Hieronymum* fuiſſe refragatum, in confeſſo eſſet. Neque enim fieri potuiſſet, ut tanta per Latinas Eccleſias auctoritate ſcriberet, qui aliquid Eccleſiæ Traditioni repugnans palam doceret. Verum enimvero, qui ea auctoritate ſcripſerit, qua, hac in re ſcripſiſſe *Hieronymum*, neceſſe fuit; qui primum ex fonte *Hebraico*, Scripturas Veteris Teſtamenti ſuis prodiderit ſermone latino; non potuit fieri, quin ejus auctoritatem ſequerentur Scripturæ per Eccleſiam latinam ſtudioſiſſimi. Atqui non eſt putandum, auctores non habuiſse quos ſequeretur S. *Hieronymum*. Nunquam receptus fuiſset in auctoritatem apud Eccleſiam *Hieronymus*, ſi deceſsoribus ſuis diverſa docuiſset. Habemus itaque *Melitonem Sardianum* apud *Euſebium Hiſt. Eccl.* IV. 26. (Ubi *Proverbiorum* librum Sapientiam *Solomonis* appellat) S. *Gregorium Nazianzenum* in carmine de *Genuinis* libris divinitus inſpiratæ Scripturæ, quos XXII. numerat, S. *Athanaſium* in Synopſi; habemus Concilij *Laodiceni* Canonem, Origenem apud eundem *Euſebium Hiſt. Eccl.* VI. 25. in *Pſalmum* primum, item apud *Hilarium Prologo* in *Pſalmos*; ex Origene enim verſos *Hilarij* Commentarios in *Pſalmos* referenti *Hieronymo* credimus. Nam & *Maccabæorum* libros extra hunc cenſum eſse Origeni diſerte ſcribit *Euſebius*; Et S. *Hilarius*, cum alios *Tobiam* & *Judith* accenſere ſcribit, repudiatos ab alijs fatetur: Et uterque XXII libros pro numero literarum *Hebraicarum*, recenſeri ab Origene ſcribit; Quos pro numero *Græcarum* XXIV. ab eis haberi, qui *Tobiam* & *Judith* accenſerent. Ipſe autem Origenes, in libro hactenus inedito de Oratione, quia *Tobiam* non agnoſcant *Judæi*, additamenta autem ad *Danielem* obelo notata ſint, propterea

propterea aliis Scripturæ teſtimoniis ſibi utendum agnoſcit, quam quæ inde produxerat. *Epiphanius* autem Hær. VI. 6. Veteris Teſtamenti libros aliis XXII. aliis XXVII. cenſeri ſcribit; quia ut literæ, ita libri quinque duplices haberentur apud Hebræos; diſerte autem, *Sapientiæ* librum & *Eccleſiaſticum* dubios cenſeri, alios *Apocbryphos*. Idem ſcribit libro de Ponderibus & Menſuris, c. 4. Non eſt opus recenſeri eos, qui S. *Hieronymum* ſecuti ſunt in Occidente; cum in ipſo Concilio *Tridentino*, non multis ante annis feciſſe idem Cardinalem *Cajetanum* conſtiterit. Atqui hoc totam Traditionis Eccleſiaſticæ fidem horum librorum auctoritati luculente minuit; Utpote, cum tot Eccleſiæ ſcriptoribus teſtibus, Traditionem eſſe nullam poſſe pro adverſa parte, manifeſtum ſit. Monendum hoc loco de Apoſtolorum Canone ultimo, qui ſolum Eccleſiaſticum libris divinitus inſpiratis accenſet, juvenibus diſcendum, ut diximus. Addit enim, ἔξωθεν δὲ προσιστορείσθωσαν ὑμῖν μανθάνειν τοὺς νέους. Quod ita eſt, *extra hos, inſuper tradatur juvenibus veſtris diſcendus*, ut extra cenſum divinitus inſpiratorum, quos recenſuerat. De reliquis enim tacet. Sed cum in cenſum Canonicum Novi Teſtamenti non ſolum duas *Clementis* Epiſtolas reponit, ſed etiam *Conſtitutiones vobis Epiſcopis per me Clementem in octo libris nuncupatas*; ubi ſibi *Clementis* perſonam imponit; Videtur ſeipſum, id eſt, Apoſtolorum Canones in *Apocryphorum* cenſum referre. Addit enim, *non eſſe eas omnibus publicandas, propter arcana quæ continent*. Hoc enim eſt *Apochryphum* eſſe, neque niſi judicio præditis internoſcendi ſpuria genuinis, legendum. Indicio eſt igitur, non ſolum Conſtitutiones Apoſtolorum ex *Trullano* Canone II. cum judicio legendos, ſed etiam antiquiſſimam Canonum Apoſtolicorum collectionem, tanquam privato ſtudio factam, auctoritatem in Eccleſia non habere, niſi quam indubia ejus monumenta aſſerant. Sane triceſimus, qui Epiſcopum abdicat ſeculi viribus Eccleſiam adeptum, poſtquam viceſimus octavus eum abdica-

caverat, qui juſte depoſitus miniſterium ſuum attrectaret; manifeſte ſententiam *Antiocheni* Concilii aſſerit, qua damnatus eſt *Athanaſius*; vim autem a *Conſtantio* adhibitam, cum intruſus eſt in Sedem *Alexandrinam Gregorius*, ejuſque invidiam a Concilio amolitur.. Proinde, poſt ea tempora ſcriptus, & pro Synodo Orientali, ut dictum eſt.

Reſpondetur eis quæ contra objiciuntur.

Fatendum eſt tamen extare decreta, quorum auctoritatem tota Occidentis Eccleſia ſecuta ſit, quibus, pro Canonicis haberi jubentur, quæ *Tridentino* decreto, *pari pietatis affectu* cum eis qui Canonici utrinque habentur, jubentur haberi. Nimirum *Innocentius* P. I. decreto XXVII. & Canon Codicis *Africani* XXIV. eoſdem libros pro *Canonicis* recenſent, quos decretum *Tridentinum*. Conſtat autem utrumque decretum, in Codicem Canonum Eccleſiæ *R.* receptum, per totum Occidentem obtinuiſſe: *Africanum* etiam per Orientem, in cenſum Canonicum, poſt Synodum in *Trullo* receptum. Eoſdem recenſent & Synodus *Romana* ſub *Gelaſio* P.I. & *Toletana* IV. Atqui, quantumvis probatam, Occidentalis Eccleſiæ doctoribus, S. *Hieronymi* in cenſendis Scripturis Auctoritatem contendi poſſit, manifeſtum eſt, ab horum auctoritate decretorum, *Hieronymi* cauſa, nec potuiſſe eos deſciſcere, nec voluiſſe. Itaque rem ſibi factam putant, qui *Judæorum* Canonem ab Eccleſiæ Catholicæ Canone diſtinguendum autumant; Et ſatis eis factum, qui Veteris Teſtamenti libros XXII. pro numero literarum Ebraicarum, recenſent, ſi eos *Judæorum* Canonem recenſere voluiſſe dicatur. Id autem non obſtare, quo minus auctior habeatur Canon Eccleſiæ; adjectis, ad eos qui ab *Eſdra* recenſiri fuerant, eis quos *Eſdræ* poſthumos appellant. Nam ſi Canonici habendi ſint, quos Synagoga recepit, multo potiori jure habendos Canonicos putant, quas Eccleſia agnoſcat, & pro Canonicis legi jubeat. Et ſane negari non poteſt, multis multorum, vetuſtorumque utriuſque Eccleſiæ Patrum locis, *divinas*, *ſacras*, *ſanctas*, *canonicas*, denique Scripturas dici, quæ cum

Scripturæ

Scripturæ tantum dicuntur, non minus intelligendum eſſe manifeſtum ſit. Neque hoc apud S. *Hieronymum* minus quam apud cæteros; Quem, procedente ætate a *Ruffino* reprehenſum, (qui ex diſcipulo adverſarius evaſerat) eo ſe recepiſſe volunt, ut non ſuam ſed *Judæorum* ſententiam protuliſſe ſe excuſet, *Apol. II. Et, Præf. in Tobiam Epiſt.* CX. *Hebræos* librum illum de Catalogo Scripturarum divinarum reſecare: Et accuſari ſe ab eorum Zelo, quod, contra Canonem ipſorum *Latinis auribus eum daret; Se autem melius putare diſplicere Phariſæis, obedire Epiſcoporum mandatis.* Sed ſi rationes recte putemus, quas ab initio poſitas hic repetendas judicavimus, ſatis conſtabit, quantum illos ratio fugiat, qui, quod Eccleſiæ major ducenda ratio ſit quam Synagogæ, propterea, auctiorem Eccleſiæ Canonem eodem cenſu habendum putent, ac parciorem Synagogæ. Verum quidem dici palam eſt, cum *Judæorum* Canonem ab antiquiſſimis Orientalis Eccleſiæ doctoribus recenſeri aſſertur. Sic enim & S. *Auguſtinus* ſemel iterumque de Civ. XVIII. 36. & *contra ſecundam Gaudentij Epiſtolam* II. 23. perinde ac de S. *Hieronymo* dictum eſt. Sed hoc verum quid valeat, æſtimandum eſt ex fundamentis poſitis. Nam ſi, Scripturæ fidem auctoritate Eccleſiæ antiquiorem eſse, recte poſitum eſt; tum vero, ſingulorum librorum fides, etſi non Traditione totius Eccleſiæ, Auctoritate tamen cujuſvis Eccleſiæ decreti antiquior erit. Quare eadem erit Synagogæ auctoritas, in eis tradendis, quæ Synagogæ ſcripta ſunt, quæ Eccleſiæ, in eis quæ Eccleſiæ. Neque enim ea hæc eſt auctoritas, quam Deus inſtitutæ a ſe Eccleſiæ tribuit, continendis in Officio Fidelibus. Sed quam ſenſus hominum communis univerſitati ſive *Judæorum* ſive *Chriſtianorum* aſserit, ad illud teſtandum, in quo nec falli univerſos nec fallere poſse conſtet. Itaque niſi Synagogæ auctoritate traditos Eccleſiæ, pro Scripturis *Propheticis*, hoc eſt divinitus inſpiratis, libros quos *Eſdræ* poſthumos recte appellant, conſtare poſſit, non

erit

erit idonea Eccleſia, cujus decreto hæc auctoritas conſtet. Quod ſi verum ſit, alia ratio erit ineunda, propter quam Synagogæ Canonicæ habendæ ſint, quæ Synagogæ ſcripta ſint, alia, propter quam ſoli Eccleſiæ Canonica haberi eadem poſſint. Nimirum quod dictum ſit, *Canonis* nomen, hac in re, ſolam *Catalogi* ſignificationem habere. Ac præterea, decretum ſive Synagogæ ſive Eccleſiæ innuere, quo in Catalogum Scripturæ quæque relatæ ſint. Exemplum eſto hujus obſervationis Canon ille *Laodicenus*, quo, alios quam κανονικοὺς ψάλτας in ambonem aſcendere vetatur; Quæ eadem eſt ſignificatio, quam S. *Paulus* adhibet, cum ait χήρα καταλεγέσθω, 1 ad *Tim.* V. 9. Innumeris exemplis hæc ſignificatio conſtitui poſſet, niſi putidum eſſet. Ratio autem ſignificationis manifeſta eſt; quod Regula ſit ſic conſtitutus Catalogus, diſtribuendorum vel officiorum vel beneficiorum Eccleſiæ. Qua ratione κανόνες etiam πρόχειροι Mathematicorum tabulæ dicuntur, in quas relati ſunt numeri, quibus ſibi additis, de eo quod ad tempus propoſitum quæritur reſponderi poſſit. Cum igitur *Canonicæ Scripturæ* vox ejus auctoritatem ſignificet, cujus arbitrio in Canonem relata eſt; aliud eſſe oportet præter nomen Canonicæ, & auctoritatem Eccleſiæ per quam in Canonem relata eſt, quod *Propheticam Scripturam* divinitus inſpiratam ſignificet; nimirum, cum de libris Teſtamenti Veteris ſermo eſt. Hi enim niſi, Traditione Synagogæ accepti, quæ ſcriptores eorum, idoneo examine probatos, Prophetas eſſe Dei agnoverit, non poſſunt pro divinitus inſpiratis haberi. Atqui hæc Traditio Fidem ipſam, qua Chriſtiani ſumus, rationis & naturæ ordine antecedit; Scilicet, quæ credendi rationes continet, propter quam Fidem ipſam nobis amplectendam putamus. Quare Scripturæ, quas Synagogæ Canonicas agnoſcimus, non poſſunt niſi Prophetis divinitus inſpiratæ videri. Eſt enim omnis inſpiratio, omnis, dictantis, quæ ſcribi velit Spiritus S. revelatio Prophetia ſui generis, licet in futuris, licet

in

Digitized by Google

in occultis declarandis non verſetur; cum eandem omniſcientiæ divinæ vim poſtulet, qua pateſiat. Itaque fruſtra Concilij decreto ea fides poſtulatur, qua divinitus inſpiratos conſtet, quos ab initio, divinitus inſpiratos non conſtitiſſe conſtet. Præſertim cum de re prius geſta ſermo ſit; cum rei natura non ferat,inſpirante Deo ſcriptum propter decernentis Eccleſiæ auctoritatem vel eſſe, vel haberi,quod cum ſcriptum editumque eſt,inſpirante Dei ſpiritu ſcriptum conſtare non poſſit.Fruſtra etiam diſputatur. ita, ac ſi Deus Officio erga Eccleſiam ſuo functus non ſit, niſi Eccleſiæ dotem infallibilitatis in decernendo largitus ſit; qui Eccleſiam eis veritatis infallibilis Scripturis dotaverit, quibus recte adhibitis, intra fines auctoritati Eccleſiæ poſitos,extra erroris aleam eſſe poſſit. Quæ igitur Scripturæ Eccleſiæ Canonicæ ſunt, ſi Canonicæ non ſint Synagogæ, eatenus Canonicæ ſunt, quatenus Eccleſiæ auctoritas pertinet, eas in Canonem ſuum referentis. Nimirum, nemo Eccleſiæ Canonem ſuum condenti, revelatum pertendit, libros eos divinitus inſpiratos fuiſſe, quorum ſcriptores Synagoga ab initio Prophetas non agnovit; neque fert hominum ſenſus, evadere Propheticas,auctore Eccleſia, Scripturas, quorum ſcriptores vel Prophetæ non fuerint, vel ſuo ſæculo agniti non ſint pro Prophetis. Sentio me laborare in eis probandis, & in luce ponendis, quæ per ſe ipſa clariſſima ſunt. Satis ſit, Veteris Teſtamenti libros, quæ Synagogæ non potuerint eſſe Canonici, niſi Traditione Synagogæ,propheticam divinitus inſpiratorum auctoritatem non habere,quod Eccleſiæ Canonici ſint. Quod Eccleſiæ Canonici ſint, Eccleſia tantum auctore legendos; Ac proinde, recte *Eccleſiaſticos* dici, ut ab *Apocryphis* diſtinguuntur, quibus legendis auctor non ſit Eccleſia. Hoc ipſorum decretorum verbis conſtat, quibus conſtitutum Canonem diximus. *Innocentius P.* I. poſt recitatum librorum Catalogum, quos Canonicos haberi velit; *Cætera autem, quæ vel ſub nomine Matthæi, ſive Jacobi minoris, vel ſub nomine*

mine Petri & Joannis, quæ a quodam Leucio ſcripta ſunt, vel ſub nomine Andreæ, quæ a Nexochariде & Leonide Philoſophis, vel ſub nomine Thomæ ſcripta ſunt, & ſi quæ ſunt alia, non ſolum repudianda, ſed etiam noveris eſſe damnanda. Canon *Afric.* XXIV. *Hoc etiam fratri & conſacerdoti noſtro Bonifacio, vel aliis earum partium Epiſcopis, pro confirmando iſto Canone innoteſcat, quia a Patribus iſta accepimus in Eccleſia legenda.* Cum enim alia a divinis Scripturis in Eccleſia lecta fuerint ab initio; qui legendas tradiderunt Scripturas, quas ab *Apocryphis* eo diſtinguunt, quod legendas ſtatuerunt, non poſſunt videri divinitus inſpiratos aſſerere. Sane *S. Auguſtinus*, cum *Maccabæorum* hiſtorias, loco ſupra laudato, *non inutiliter ab Eccleſia receptos* ſcribit, *ſi ſobrie legantur*, mirum niſi divinitus inſpiratos inutiliter Eccleſiæ legi poſſe dubitet. Quare cum de eiſdem *S. Gregorius Moralium in Job* XIX. 13. *Quamvis non Canonici, ſcripti tamen ſunt ad ædificationem Eccleſiæ*; non putabat fraudi eſſe cuiquam, poſt decretum Eccleſiæ Canonem, ex Synagogæ Canone judicare. *Epiphanius* autem *de Ponderibus & menſuris*, de duplici Sapientia, *Solomonis* & *Siracidæ*, utiles eſſe ſcribit, ἀλλ' εἰς ἀριθμὸν ῥητῶν οὐ φέρονται· διὸ οὐδὲ ἐν τῷ ἀρὼν ἀνετέθησαν· τουτέστιν, ἐν τῷ τῆς διαθήκης κιβωτῷ. *Sed non referuntur in numerum ratorum; Quare neque in Arone, id eſt, Arca Teſtamenti, repoſiti fuerunt*; Exponit ſeipſum, cum *Hæreſi* LXXVI. utramque *divinis Scripturis* connumerat. Sane juſſum *Moſem* ſcimus, Fœderis Tabulas in Arca Teſtamenti reponere. Cur autem *Epiphanius* putet, Canonicas Scripturas in Arca Fœderis repoſitas fuiſſe, in Templo ſecundo, videat cui vacat; Nullam enim in ſecundo Templo fuiſſe Arcam Fœderis, *Judæi* conſenſu tradunt. Hoc ſcio, non poſſe *Epiphanio* Canonicas Scripturas videri, quas ipſe, quod Canonicæ non fuerint, propterea in Arca non fuiſſe repoſitas refert. Et ſane non eſt mirum *Scripturas, Scripturas ſacras*, & *divinas* a Patribus Eccleſiæ dici, eodem diſcrimine, quo Canonicos dici & intelligi debere contendimus; Nimirum

quod

Digitized by Google

quod probati Apoſtolis & Eccleſiæ ab initio, propter doctrinam Prophetarum ſucceſſione acceptam, non Phariſæorum ἐθελοθρησκείᾳ innovatam, legerentur. Quod autem ad S. *Hieronymi* ſententiam attinet, fatendum eſt, imparem eum fuiſſe invidiæ, quam ſibi conflare Ruffinum videbat, atque odio, quo merito flagrabant fideles adverſus *Judæos*, quaſi ab Eccleſiæ Traditione, ad Eccleſiæ hoſtes deſciſceret. Itaque non eſt mirum, ſi ſe, quid illi traderent, non quid ipſe ſentiret, ſcripſiſſe excuſet, quamvis non mutata ſententia; qui quod ipſi traderent Eccleſiæ ſequendum ſciret, etſi non ſemper ſine puſillorum offenſione aſſerendum. Nam neque retractaſſe ſententiam priorem poſteritati viſus eſt, quam tot clari, etiam in Occidente, Eccleſiæ Doctores ſecuti ſunt. Quare cum, *Præf. in Prov. Epiſt.* CXV. Sapientiam & Eccleſiaſticum Eccleſiæ legi vult, quemadmodum *Judith*, *Tobiam*, *Maccabæos* legeret; ædificandæ ſcilicet plebi, non conſtituendis Fidei dogmatibus; ſuam promere ſententiam putetur. Cum autem *Judith Hebræis* inter Hagiographa legi teſtatur, quorum in definiendis controverſis minor ſit auctoritas, Epiſt. CXI. (quam tamen, quia Concilium *Nicenum Scripturis Sanctis* connumeret, in Latinum ipſe verterit) credam ipſi, Actis quibuſdam Concilij, quæ tum ferebantur, appellatum ejus librum inter ſacras Scripturas; non, factum in eo Concilio decretum, pro Canonico habendum eſſe. Cæterum quid valeat, vel Traditio Synagogæ, vel Actorum *Nicenorum*, aut ipſius *Hieronymi* approbatio, ex eis quæ dicta ſunt, habendum eſt.

Quantum Fidei interſit hæc ſententia;

Nunc, priuſquam hinc abeamus, diſpiciendum eſt, quantum diſtet a decreto Tridentino ſententia quam conſtituimus; quantumque, repudiari illud vel recipi, vel Fidei Chriſtianæ, vel Eccleſiaſticæ Unitatis interſit. Equidem cum primum ad Fidem adducti Gentiles ſunt, quibus Scripturæ Veteres, quales receptæ extabant, tradendæ erant, ſive conſtituenda eſſet Fides, ſive docendi Fideles; non

poteſt dubium videri, Helleniſtarum codicibus, Scripturas de quibus nunc diſputamus contineri ſolitas fuiſſe; Adeo ab ipſis Apoſtolis, (quos eis uſos fuiſſe, poſita jam ſunt, quæ argumento eſſe debeant) certatim eas ſcriptores Eccleſiæ *Scripturarum* nomine appellant. Quare qui nunc eas Eccleſiæ ædificandæ alienas contendat, merito aliam Fidem, aliam Eccleſiam quærere inſimulandus ſit, quam ab initio fuerit. Certe, cum Veteris Teſtamenti Scripturæ ita demum *hominem Dei ad bonum opus perficiunt*; (quemadmodum *Timotheo* S. *Paulum* ſcribere diximus) ſi per Fidem in Chriſtum adhibeantur; ne ipſe quidem Canonicæ Scripturæ huc fecerint, niſi ad illuſtrandam Fidem novis Scripturis revelatam uſurpentur. Atqui, quanto minus hoc faciant Scripturæ de quibus agimus, ſi, auctore Eccleſia, Propheticæ doctrinæ ſucceſſionem in ipſis agnoſcamus? Quid enim prohibebit, vel propter arctiorem ſalutis legem, Fidelibus quam *Judæis*, propter auctam Fidei lucem poſitam, in exemplum Fidelium trahendum negari, ſi quid ibi legatur ab inſtitutis Dominicis alienum; vel quod ſcriptoribus earum humanitus aliquid acciderit; cum Sanctorum veterum geſta, in exemplum Fidelium non trahenda conſtet, niſi ad amuſſim Fidei Evangelicæ exacta? Quod ſi eorum auctoritatem cum Eccleſiæ auctoritate conculcemus, *Judæis*, Hæreticis, Schiſmaticis Eccleſiæ cauſam prodiderimus, (cui, demptis armis, neceſſitatem cum eis contendendi imponemus) cum, harum Scripturarum inſtrumentum Eccleſiæ armaturam eſſe, cum eis certantis, res ipſa doceat. Itaque nimis puerile eſt, quod S. *Hieronymo* invidiam concitat *Ruffinus Invect.* II., nomine additamentorum ad *Danielem Græcorum*, obeliſco ab ipſo jugalatorum; Erraſſe eos, qui ſequendæ caſtitatis incitamentum habere ſe *Suſannæ* liberatæ exemplum putabant, erraſſe, qui trium puerorum hymnum cantabant, qui puerum *Danielem* prophetaſse, legi audiebant, ſi hæc ad Canonicam Scripturam non pertinerent: Quis enim Ruffinus præſtabit, non fuiſſe hæc ex editione *Theodotionis*

Theodotionis Judæi, Fidei hoſtis, in Eccleſiæ Codices tranſlata, quod ſcripſit *Hieronymus*? Quis nihil in Eccleſia legendum, niſi veritatis Propheticæ? Quis, narrationibus imaginem veri habentibus pietatem incendi negabit, ſi in eorum præſtanda veritate, non jubeatur laborare Fides Eccleſiæ, quæ, qualia eſſe debuerint, narrantur? Cenſendum eſt quidem, viſum Helleniſtis opportunum, adducendis ad veri Dei cultum Gentilibus, & pietatem, ſi Sapientiæ liber *Solomoni* inſcriberetur, quaſi Regi ſapientiſſimo, Reges Gentilium ad veri Dei religionem vocanti; Si *Baruchho Jeremiæ* Diſcipulo, quæ ejus nomine ſcripta Idololatriæ Gentium illudant; Si *Juditta* res, & *Tobiæ*, quales narrabantur, compoſito ad piæ viduæ, ad veri *Judæi*, ex veri *Judæi* opinione, exemplum, ſtilo traderentur. Hæc ſi Eccleſiæ, cum *Judæis* contendenti, viſa ſunt opportuna refellendæ hoſtium Fidei ἐθελοθρησκείᾳ, *Judæorum* vocibus, ante natam ſuperſtitionem propter quam repudiatus eſt ab eis Dominus, editis, quis merito ab ipſa Fidem hiſtoricam præſtandam putet? Quis damnandam putet, ſi aſſumenta codicis *Theodotioniani*, aris, ſimplicius quam contentioſius admiſerit? Certe in *Talmudicorum Judæorum* ſcriptis, permulta leguntur παραβολικῶς, permulta ὑπερβολικῶς narrata, in quibus, *Hebraicarum* literarum peritiſſimi viri non eſſe tam ſtupidos *Judæos* credunt, ut eis, quemadmodum ſonant, fidem haberi poſtulent; Vide *Buxtorfium Pref.* ad *Lexicon Talmudicum*. Et hoc rei Chriſtianæ eatenus intereſſe manifeſtum eſt, quatenus manifeſtum eſt, extare in libris *Judæorum* iis, qui ſe præcipue antiquitatis nomine venditant, (*Rabboth* nimirum ac *Medraſhim*) Veteris Scripturæ explicationes inſignes permultas, ad illam myſtici ſenſus rationem compoſitas, quam, ad Fidem ex Veteribus Scripturis conſtituendam neceſſariam eſſe dictum eſt. Itaque quantumvis, procedente tempore, divinitus maledicta Gens ad fabularum ineptias diſceſſerit, intererit communinis Chriſtianiſmi, peritiam *Judaicarum* rerum ac literarum eis recenſendis adhiberi,

hiberi, quorum multa, quantum ad ſtatuendam illuſtrandamque Fidei veritatem faciant, jampridem apud eruditos Orbis Chriſtiani in confeſſo eſt, Quo minus mirum ſit, ſi multo magis ſobrie ſcripta Eccleſia legi voluerit, auctorum Fide non exacta, ad inſtitutum ſuum pertinentia. Nam ſi e diverſo,jubeantur Fideles,ea Lege divinitus prodita credere,ut ſi vacillet hæc fides,ſciant ſe nullam divinitus inſpiratam Fidem habere, ſed a ſpe ſalutis alienum eſſe, qui rationem credendi, decernentis Eccleſiæ auctoritatem, in uno non teneat; quam facile Fides ipſa in dubium veniat, quæ tota pariter cum his laboratura ſit? Itaque, ſi Fidei Traditionem, Eccleſiæ auctoritate antiquiorem,ad quam referenda ſit divinitus inſpiratæ Scripturæ ſententia, agnoviſſet Concilium, nunquam ad hoc decretum ventum fuiſſet; Scilicet,Traditionem totius Eccleſiæ,extra ejus juris fines, quo præſens decernit Eccleſia, poſitam cogitaſſent. Equidem,non eſt fortaſſe cur moroſus eſſe debeat pacis ſtudioſus, in exigendo ad veritatem verborum ſenſu, quibus *omnes libros tam Veteris quam Novi Teſtamenti*, (quorum alios divinitus inſpiratos conſtare dictum eſt, non autem alios) *nec non Traditiones ipſas, tum ad Fidem tum ad mores pertinentes, pari pietatis affectu ſuſcipere Eccleſiam ac venerari* profitentur,in decreto Seſs.IV.de Canonicis Scripturis. Diſtinguendæ enim ſunt Traditiones quæ ad mores pertinent ſingulorum Fidelium,ab eis, quæ ad Eccleſiaſticæ Communionis legem pertinent,tanto diſcrimine, quantum eſt diſcrimen ejus Traditionis, quæ ſalutis Legem continet, ab eis Traditionibus, quæ ad Eccleſiæ tantum ritus pertinent. Nimirum præcepta Dominica, quibus informantur mores Fidelium, ad Traditionem *Fidei* pertinere dictum eſt; Quatenus quidem, propoſitam eſſe eis obſervandis ſalutis æternæ mercedem, prædicatione Dominica, Chriſtianorum Fides habet. Communionis autem Eccleſiaſticæ mores, ſive Apoſtolis, ſive Eccleſiæ authoritati aſcribantur, ad ſalutis Legem eatenus tantum pertinent, quatenus

tenus Eccleſiæ Unitatem in cultu pietatis Chriſtianæ eorum obſervatio continet. Cum igitur demonſtratum ſit, hinc quidem, contineri Scripturis Traditiones Apoſtolorum, quæ nunc Eccleſiam non tenent; Inde inſtitutas Eccleſiæ auctoritate Traditiones, Unitatis cauſa Eccleſiam tenere; Quis veget, non ſcriptas eſſe Traditiones poſſe, Eccleſiæ pariter ſuſcipiendas, ac aliæ quæ ſcriptæ ſunt? Non quod errare non poſſe Eccleſiam credendum ſit, in inſtituendis Traditionibus; etſi, ab Apoſtolis errari in eo non potuiſſe, credendum ſit. Sed quia obſervanda ſint, quæ legitima Eccleſiæ auctoritate inſtituta ſunt, etſi non conſtet, in eis inſtituendis erratum ab Eccleſia non eſſe. Nimirum, quia pluris eſt ad ſalutem Unitas Eccleſiæ, quam immunitas ejus ab errore, qui Fidelibus peccandi cauſa non ſit. Pariter igitur, cum *pari pietatis affectu ſuſcipere* Eccleſiam divinitus inſpiratas Scripturas cum *Apocryphis* dicitur; ſi res ipſas putemus, in quibus, vindicari per *Apocryphas* Scripturas religionem Chriſtianiſmi ab ἐθελοθρησκείᾳ *Judæorum*, dictum eſt, verum dici intelligi poteſt. Sed cum omnes Scripturæ auctoritatem habeant a Scriptoribus, quibus teſtimonium perhibet Eccleſia, non poſſunt non inſpiratæ divinitus Scripturæ *pari pietatis affectu* ſuſcipiendæ venerandæque videri, cum divinitus inſpiratis. Itaque, ſi quo modo, propter Evangelicæ doctrinæ patefactionem, clarius indies ac clarius his Scripturis expreſſam, pari cum divinitus inſpiratis pietatis affectu ſuſcipienda dici poſſint, auctoritatem tamen eam nunquam obtinebunt, quibus teſtimonium Eccleſia non poteſt perhibere, tanquam ab inſpiratione divina profectis; Quo minus, agendi credendive Regulam continere videri non debeant, ſi ab auctoritate divinitus inſpiratorum diffidere videre poſſint. Equidem remittere videtur decretum de ſuo rigore, cum, in ſequentibus, ſi quis libros vulgatæ Editionis, & librorum partes, *pro ſacris & Canonicis* non ſuſceperit, & traditiones prædictas *ſciens prudenſque contemſent*; ita demum

Anathema

Anathema dicit. Poſſunt enim hæc modeſtius intelligi, ut dictum eſt. Sed ſi ea jubeat Eccleſia, quæ, quod Scripturis ex traditione intellectis non conſtent, infallibilitatis dote nitantur, neceſſe eſt diſcidij cauſam, quod inde exiſtat, penes ipſam, non penes ipſi immorigeros, eſſe videri. Itaque reſiſtendum eſt impoſturæ eorum, qui rudes implicant, diſputationibus de Eccleſiæ Unitate & de Schiſmate primo loco judicandis, quæ niſi ultimo, cognitis diſcidij cauſis judicari non poſſint, ut laqueis impeditos ad communionem *R.* Sedis abducant; Quo facto, neceſſe eſt, cœptam ab errore & impoſtura religionem in ἐθελοθρησκείαν, & ſuperſtitionem deſinere. Sed de his ſuo loco. Nunc illud mirandum non eſt, quod vetuſti ſcriptores Eccleſiæ, quos, in recenſendis libris Canonicis Veteris Teſtamenti, *Judæos* ſequi diximus, interdum uno aut altero libro ab eorum Catalogo aberrent; Puta qui *Baruchum Jeremiæ*, aut additamenta de quibus dictum eſt *Danieli*, aut alia quæ leguntur *Græce Eſtheræ* connumerent. Nam ut, facilem eſſe hujus erroris occaſionem, ita non magnopere eum Fidei Communis intereſſe, ex eis quæ dicta ſunt, manifeſtum eſt. Hujuſmodi eſt, quod libros *Maccabæorum*, *Alexandrinus Clemens Strom.* I. pari loco cum *Eſthera* recenſet. Quod ſi quis cogitet, fuiſſe aliquando, cum in Occidente nonnulli Epiſtolam ad *Hebræos* tanquam dubiam legerent, intelligit quantum Fidei veritati decedat, Scripturæ cujuſpiam veteris auctoritate in dubium adducta; Præſertim cum manifeſtum ſit, inſtaurandæ Eccleſiæ auctoribus idem accidiſſe. Putare ſane fingere S. *Hieronymum*, cum de auctoritate hujus Epiſtolæ, *Epiſt. ad Dardanum, in Eſaiæ* VIII. *Matthæi* XXVI. *Ezekielis* XXVIII. *ad Eph.* III. a Latinis dubitatum affirmat, ſenſui hominum communi vim inferre fuerit. Si *Innocentij* decretum putemus, (cui *Africanum* manifeſto ſuffragatum eſt) longe erit credibilius, penes ipſam *R.* Eccleſiam, ob concuſſum a *Novatiano* ejus ſtatum, Epiſtolæ hujus auctoritate, fidem e-

jus

Digitized by Google

jus vacillaſſe; donec, deſito partium ſtudio, temporis beneficio, tempeſtivum viſum ſit doceri, quod ſine animorum motu receptum iri videbatur. Quod ſi verum ſit, quæ ſit vis decretorum Occidentalium, multo erit manifeſtius.

Quod ſi quis putet, Epiſtolam ad *Ebræos*, de qua dictum eſt, tum *Joannis Apocalypſim*, & reliquos novi fœderis libros, de quibus aliquando penes Eccleſiam dubitatum fuerit, utrum divinitus inſpirati fuerint necne, nunquam poſse pro divinitus inſpiratis certo haberi, ſi verum ſit quod diximus; nunquam poſſe divinæ Scripturæ auctoritate cenſeri, quæ ab initio aliter æſtimatæ fuerint; is ſic habeat; Scripturas novi Teſtamenti apud eas Eccleſias depoſitas fuiſſe, ab Apoſtolis, ad quas, & quarum de cauſis ſcriptæ primum ſunt. Sic *Tertullianus* authentica Epiſtolarum Apoſtolicarum exemplaria, apud Eccleſias quibus ſcriptæ ſunt, etiamnum ſuo tempore legi ſcribebat, in præſcriptione Hæreticorum; Epiſtolam nimirum ad *Ebræos* & Catholicas quæ dicuntur, apud *Ebræorum* Eccleſias, *Apocalypſim Joannis* apud ſeptem *Aſiæ* Eccleſias. Neque mirum eſſe, ſi non ſtatim apud alias Eccleſias extarent, quando, apud illiteratas gentes extitiſſe Chriſtianiſmum, teſtis eſt *Irenæus*, Traditione ſola ſine Scripto conſtantem. Nam corpus hoc, quod nunc Novum Teſtamentum appellamus, antequam hic quem nunc videmus conſenſus obtinuiſſet, manifeſtum eſt exiſtere non potuiſſe. Itaque mirum non eſt, de quibuſdam dubitari potuiſſe, cum, de quibus non dubitabatur, eis favere videri poſſent; ut Epiſtola ad *Ebræos Novatiano*, cujus dogma *R.* Eccleſiæ merito improbatum fuiſſet. Quin *S. Lucas*, initio Evangelij, ſcriptores quoſdam rerum Domini Chriſti memorat, quos, *Origenem* ſecutus eo loco S. *Ambroſius* improbatos poſtea ſcribit. Extitiſſe enim tum temporis *diſcernendorum Spirituum gratiam*, S. *Paulo* 1 ad *Cor.* XII. 10. memoratam, in Eccleſia, (ut olim in Synagoga, veros Prophetas a falſis internoſcendi) cujus ope certiores fierent populus Chriſtianus, quatenus

Alia librorum Novi Teſtamenti ratio, ab inito non receptorum.

Digitized by Google

quatenus quiſque recipiendus eſſet. Receptis igitur ab Ecclesia ſcriptoribus, tanquam Dei Spiritu actis, non potuerunt repudiari, quæ ab ipſis, tanquam ad fidem pertinentia proficiſcerentur. Neque reſidere potuit apud eos, qui aliunde, ad alias ſcriptos Eccleſias libros accipiebant, de eorum auctoritate dubium, poſtquam conſtitiſſet auctores habuiſſe, quos Dei Spiritu actos Eccleſia agnoverat. Quod, tantum abeſt, ut de Scripturis de quibus agimus verum ſit, ut non potuiſſe conſtare Eccleſiæ dicendum ſit, profectos eſſe ab hominibus Dei Spiritu actis, quos deſita Prophetia ſcriptos certa fides ſit. Quæ cum ita ſe habeant, non debet mirum videri, admiſſos totius Eccleſiæ conſenſu, in auctoritatem Scripturæ divinitus inſpiratæ, libros de quibus alicubi dubitatum fuerit; cum tamen, quas ab initio, Eccleſiaſtica tantum auctoritate contentos fuiſſe probamus, eos, divinæ Scripturæ auctoritatem obtinere unquam poſſe, negandum ſit.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XXIX.

De auctoribus, deque auctoritate Græcæ Verſionis, quæ LXXII. *Senibus tribuitur; Tum de Auctoritate Vulgatæ Verſionis Latinæ.*

De auctore Verſionis LXX. Interpretum.

EXtat *Ariſteæ* ſive *Ariſtæi* libellus, *deſenſorem*; Sic enim ὑπερασπιστὴν vertit S. *Hieronymus*; ſe *Ptolomæi Philadelphi* ſerentis, qui cum, ſuggerente *Demetrio Phalereo*, Bibliothecæ Regiæ Præfecto, Legem *Judæorum Græce* verſam in illam inferri placuiſſet, Legatus ad ſummum Sacerdotem *Eleazarum* LXXII. Senes *Jeroſolymis Alexandriam* adduxerit, qui illam interpretati ſint. Hujus hiſtoriæ veritatem *Joſephus Scaliger*, vir in cenſendis Veterum ſcriptis ingenio acerrimo, in dubium vocat, propter *Hermippum Smyrnæum*, apud *Diogenem Laertium*. Is, *in Vitis virorum clarorum*, *Demetrium*, *Ptolemæi* Soteris gratia florentem, impuliſſe eum ſcribit, ut præterito *Philadelpho*, regni hæreditatem prioris conjugis liberis relinqueret. Itaque, cum ad regnum perveniſſet *Philadelphus*, *Demetrium*, in deſertum quendam locum ſepoſitum, aſpidis morſu periiſſe. Sed opera *Demetrij* verſam *Philadelpho* in *Græcum* Scripturam, auctorem laudant viri docti exceptione majorem, *Ariſtobulum Peripateticum*, Gente *Judæum*, qui de expoſitione Legis ad *Ptolemæum Philometorem* ſcripſit; cujus verba ſunt apud *Euſebium* præpar. Evang. XIII. 12. Ἡ δὲ ὅλη ἑρμηνεία τῶν διὰ τοῦ Νόμου πάντων, ἐπὶ τοῦ προσαγορευθέντος Φιλαδέλφου βασιλέως, σοῦ δὲ προγόνου, προσενεγκαμένου μείζονα φιλοτιμίαν, Δημητρίου Φαληρέως πραγματευσαμένου τὰ περὶ τούτων. *Tota autem eorum interpretatio, quæ ad Legem pertinent, regnante Philadelpho Rege progenitore tuo, impenſiuſque ſtudium adbibente, Demetrio autem Phalereo exequente quæ eo faciebant, facta eſt.* De eodem *Ariſtobulo*

bulo Paneadenſi Anatolius Alexandrinus, apud eundem *Euſebium Hiſt. Eccl.* VII. 26. Ὃς ἐν τοῖς ὁ καταλεγμένος, τοῖς τὰς ἱερὰς καὶ θείας γραφὰς ἑρμηνεύσασι Πτολεμαίῳ τῷ Φιλαδέλφῳ, καὶ τῷ τούτου πατρὶ, καὶ βίβλους ἐξηγητικὰς τοῦ Μωσέως Νόμου τοῖς αὐτοῖς προσεφώνησε βασιλεῦσι. *Qui de numero* LXX. *virorum fuit, qui ſacras divinaſque Scripturas Ptolemæo Philadelpho ejuſque Patri interpretati ſunt, libroſque, quibus Moſis Legem exponit, eiſdem Regibus dicavit.* Quantum memoria lapſus ſit *Anatolius*, cum *Ariſtobulum* LXX. illis annumerat, libroſque *Philadelpho* Patrique inſcripſiſſe refert, *Clemens* oſtendit *Strom.* I. cui Ἀριστόβουλος ἐν τῷ πρώτῳ τῶν πρὸς τὸν Φιλομήτορα appellatur. Cæterum, quod utrique Regi verſam Legem ſcribit, eo pertinere poſſe *Iſaacus Voſſius* vir præſtantiſsimus, in libro de Tranſlatione LXX. Interpretum, Patris ſui ſententiam ſecutus, putat, ut facta verſio ſit, quo tempore cum Patre regnabat *Philadelphus*; cui communicatum a Patre vivo diadema, præter *Anatolium*, *Hermippum* dicto loco, tum *Theocritum* in *Ptolemæo*, ejuſque Scholia auctores habemus. Itaque ſic conciliari putant, quod *Soteri Ptolomæo* verſas ſcripturas *Irenæus* & *Clemens* ſcribunt. Sive hoc verum ſit, ſive non ſtatim mortuo Patre, inſenſum ſe *Demetrio Philadelphus* tulerit; agente *Demetrio* verſas *Philadelpho* Scripturas, certa fides eſt. Sed a LXX. viris, *Jeroſolymis* a Pontifice miſſis, verſas, id vero ſoli *Ariſteæ* credimus; cujus ſcriptum, cum merito viris doctiſſimis ſuppoſititium videatur, non poteſt non ejus hiſtoriæ fides in dubium venire. Negandum non eſt, potuiſse aulicum *Ptolemæi* ad veri Dei fidem deſciſcere; ac propterea, tantum *Judæis* ſtudere, quantum ſe ſtudere refert *Ariſteas*. Habemus Hecatæum *Abderitam*, comitem *Alexandri*, de quo Origenes in *Celſum* I. καὶ Ἑκαταίου ἱστορικοῦ φέρεται περὶ Ἰουδαίων βιβλίον, ἐν ᾧ προστίθεται μᾶλλον ὡς σοφῷ τῷ ἔθνει, ἐπὶ τοσοῦτον, ὡς καὶ Ἑρέννιον Φίλωνα, ἐν τῷ περὶ Ἰουδαίων συγγράμματι, πρῶτον μὲν ἀμφιβάλλειν, εἰ τοῦ ἱστορικοῦ ἐστι τὸ σύγγραμμα· δεύτερον δὲ λέγειν, εἴπερ ἐστὶν αὐτοῦ,

αὐτοῦ, εἰκὸς αὐτὸν συνηρπᾶσθαι ὑπὸ τῆς περὶ ἰουδαίους πιθανότητος, καὶ συγκατατεθεῖσθαι αὐτῶν τῷ λόγῳ. *Hecatæi etiam Hiſtorici de Judæis liber fertur, in quo impenſius Genti favet, tanquam ſapienti; Adeo ut Herennius Philo, in ſcripto de Judæis, primum quidem ambigat, num hiſtorici is liber ſit; tum autem, ſi ejus ſit, videri ipſum dicat, probabilitate rationum a Judæis allatarum abreptum, dogmati ipſorum aſſenſiſſe.* Quid igitur impediat, *Philadelphi* aulico accidiſſe, quod Hecatæo accidiſſe Philo ipſe putabat? Sed mihi, ſcriptum ipſum recenſenti, abjudicare aulico *Ptolomæi* videtur ſtylus ipſe, cujus frequens ἀναγολεσία τὸ ἰδιωτικὸν ἐμφανίζει; quamvis verborum delectu & ſignificatione, videatur ſic ſatis elegans. Tum, quod non ſe ſolum, ſed & Regem Proſelytum videri velit (qui cum ipſos LXXII. convivio exciperet, omiſſis Gentilium ritibus, eorum precibus benedici menſæ voluerit, &, propoſitis, de rebus divinis humaniſque graviſſimis quæſtionibus, reſponſiſque ſecundum ipſorum ſapientiam; à convivis applaudi) quantum legi auctoritatis addit, tantum ſuo ſcripto fidei demere videtur. Præterea, quod, cum ipſe hoc tantum dicat, οἱ δὲ ἐπετέλουν ἕκαστα, σύμφωνα ποιοῦντες πρὸς ἑαυτοὺς ταῖς ἀντιβολαῖς. *Illi autem omnia perficiebant, collatione ad conſenſum redacta;* Additum tamen ſit à poſteris miraculum, diſcretos ſingulis cellis, eiſdem tamen omnes vocibus interpretatos; manifeſto fidem minuit veritati hiſtoriæ. Nam quod *Philo* credidit quod volebat, quod *Juſtino* indigenæ cellarum veſtigia monſtrarunt, reponendum eſt ex *S. Hieronymo Epiſt.* CX. *Neſcio quis auctor primus* LXX. *cellulas mendacio ſuo Alexandriæ extruxerit*; etſi non ſolum Ariſteam, ſed & *Joſephum*, diverſum referentes laudare in promptu fuit. Neque enim mirum, ſi ſuppoſititium *Ariſteam Judæus Joſephus* ſequatur; qui & ex *Apocryphis Eſdræ*, quos ſolus Græcus codex habet, res ipſius narrat; & vitam *Moſis*, ex Apocryphis non ita pridem à *Gaulminio* editis contexit. Nam *Juſtinus* vir ſanctiſſimus, cum à Philadelpho ad *Herodem*

rodem de vertenda Scriptura miſſum refert, *Apologet. poſteriore*, ſatis oſtendit, peregrinanti ſibi, & auditu potius quam literarum fide hiſtoriam haurienti, imponi ab Indigenis potuiſſe. Præterea quod *Ammianus libro* XXII. aggerem heptaſtadium à *Cleopatra* ſtructum narrat, (in quo Cedrenum & *Joannem Tzetzem* aſſentientes habet, Scriptores fidei non idoneæ) non videtur quidem fidem mereri; (cum in fine III. *de Bello Civili Cæſar a ſuperioribus Regibus* ſtructum affirmet) Sed tamen, quod cauſam narrat propter quam factus ſit, ne *Rhodij* θαλαττοκρατοῦντες portorium inde exigerent, quod ex Inſulis exigebant, non videtur ab hiſtoriæ fide alienum. Quare, cum *Pharum* a Sotere factam hiſtoria celebret, quando nondum dominium maris adepti erant *Rhodij*, (quod ſub *Cleopatra* non poſſunt videri retinuiſſe) omnino, a *ſuperioribus regibus* factus, ſub Philadelpho nondum fuerit. Ac propterea fidem ſibi abrogat *Ariſteas*, cum ſub Philadelpho in Inſulam tranſitum ponte ſcribit. Denique Ariſteæ conſentiunt tum *Joſephus*, tum *Hieronymus*, tum etiam *Talmudici*, ſolam legem a LXXII. verſam fuiſſe; Cum tamen diſtingui non poſſit ſtylus quo verſa eſt lex, ab eo quo ſcriptos Prophetas legimus. Quod, ſi diverſos auctores habuiſſent, non videtur accidere potuiſſe. Et ſane quod *Ariſtobulus* τὴν διὰ τοῦ νόμου πάντων verſionem vocat, alia præter legem continet; Præſertim cum idem, ſtatim ante ea quæ citavimus, antiquioris verſionis meminerit, qua ἡ τῶν γεγονότων ἀπάντων αὐτοῖς ἐπιφάνεια, καὶ κράτησις τῆς χώρας, καὶ τῆς ὅλης νομοθεσίας ἐπεξήγησις *omnium quæ Patribus acciderent exiſtentia, & regionis occupatio, & Legis latæ enarratio* contineretur; Quæ neceſſe eſt ad hiſtoricos libros & Propheticos ſpectare. Hæc cum palam videantur narrationis Ariſteanæ, (a quo poſteriores omnes, quamvis Eccleſiæ ſcriptores hauſerunt) fidem in dubium vocare; videntur locum facere conjecturæ, quæ hanc verſionem Alexandrinis Judæis tribuendam contendit. Sermonis ſane Alexandrini characterem

rem

Digitized by Google

rem habere videtur, quod ἐτύπτοσαν pro ἔτυπτον, ἐτύποσαν pro ἔτυπον, ἐτύψασαν pro ἔτυψαν, τύψαισαν pro τύψαιεν ſoli adhibent, quod ego ſciam, *Lycophron*, *Epiphanius*, & *Apocryphorum* quæ dicimus ſcriptores, præter *Græcam* veteris Teſtamenti verſionem. *Lycophron*, etſi ortu *Chalcidenſis*, domo *Alexandrinus* fuit. Et licet *Macedonicum* hoc ſermonis genus dici poſſit, ſi, quod *Coloniæ Macedonum* per Orientem uſurparunt, *Macedonibus* tribuas; videtur tamen *Alexandrinorum* præ cœteris fuiſſe. Præterea, ſiclum *Hebræorum tetradrachmo Attico* æqualem fuiſſe, *Joſephus Orig.* III. 9. *Heſychius*, *Hieronymus*, alij teſtantur; quem *Græcus* codex ſemper *didrachmum* vertit, quod *Alexandrina* drachma Atticæ dupla fuerit. Neque enim opus eſt ſiclum ſicli duplum imaginari. Talentum omne VI. *M. drachmas* monetæ patriæ ubique habuiſſe, ut *Athenis Atticas* drachmas ſex mille, *Julius Pollux Onom.* IX. 6. affirmat. Feſtus autem in voce *Talentum*, *Alexandrinum* talentum drachmas *Atticas* duodecies mille. Quod non aliter conſtat, niſi didrachmum *Alexandrinum* tetradrachmo *Attico*, id eſt, ſiclo *Hebraico* æquale fuerit. Atqui, *Alexandrinos Alexandrinum* modum adhibuiſſe, rationi conſentaneum eſt. Hæc ſi vera ſint, non putabo mihi laborandum de *Proverbiorum*, *Jobi*, *Eſtheræ* verſione, & ſi quæ ſunt aliæ Scripturæ veteris partes, negligenter, ita potius laſcive in *Græcum* verſæ, ut putari non poſſit in animo fuiſſe eorum ſcriptoribus, verſionem ſacri Codicis, potius quem ingenij ſui fœtum exhibere. Nam ſi ſemel detur, de alia quam dictum eſt Interpretum auctoritate laborandum non eſſe, non erit neceſſe, ad tuendam eorum auctoritatem, partium ſingularum fidem aſſerere. Sane *Danielem*, vetus Eccleſia, non ſecundum LXX. ſed ſecundum *Theodotionem* legebat, auctore *Hieronymo*: Et qui *Syriacam* veteris Scripturæ verſionem legit, cum ad verſionem τῶν παραλειπομένων *Syriacam* acceſſerit, jure miretur, longe aliam ejus faciem a reliqua Verſione; Adeo nulla religione addit ubi libitum fuerit, demit autem plerunque.

Interea

Reclamatur nuperæ conjecturæ.

Interea loci non eſt cedendum nuperæ conjecturæ, quæ Verſionem Legis a LXXII. factam, cum Bibliotheca *Alexandrina*, bello *Cæſaris* conflagraſſe ac periiſſe autumat; novam totius Scripturæ, ab eis *Judæis* factam, qui Templum *Heliopoliticum*, ab *Onia* ſtructum, in *Ægypto* colebant. ἔτους τετάρτου, βασιλεύοντος Πτολεμαίου καὶ Κλεοπάτρας, εἰσήνεγκε Δοσίθεος, ὃς ἔφη εἶναι ἱερεὺς λευίτης, καὶ Πτολεμαῖος ὁ υἱὸς αὐτοῦ, τὴν προκειμένην ἐπιστολὴν τῶν Φρουραί, ἣν ἔφησαν εἶναι καὶ ἑρμηνευκέναι Λυσίμαχον Πτολεμαίου τὸν ἐν Ἱεροσολύμοις. *Anno quarto Regni Ptolemæi & Cleopatræ, Doſitheus, Sacerdotem ſe & Levitam ferens, expoſitam* (Eſtheræ VIII. 12. Græci codicis) *de Phrurim Epiſtolam, quam a Lyſimacho Ptolemæi filio Jeroſolymita interpretatam dicebat, introduxit.* Sic legitur ad calcem Eſtheræ, in Græco codice; cujus Epocham hic conſignatam volunt. Ptolemæi autem hujus & Cleopatræ indultu Judæi, Onias & Doſitheus (ſive qui hic nominatur, ſive alius) extructo templo Heliopolitano, Schiſma Samaritarum in Ægypto imitati ſunt, ut refert *Joſephus contra Ap.* II. *Ant.* XIII. 6. Itaque huic Schiſmati hanc verſionem ſerviſſe, Ægyptienſibus Judæis ſub eo factam. Sed neque verſionem tum factam conſtat, cum inſertam hanc Epiſtolam legimus: neque Alexandrinos Judæos hujus Schiſmatis reos fuiſſe. Fuerit Onias Schiſmaticus, qui, ſolando exilio ſuo, ſperavit abducturum ſe ſuos a Templo Jeroſolymitamo. Fuerint Sacerdotes & Levitæ, quos ipſi conſenſiſſe ſcribit *Joſ. de Bello* VII. 37. Fuerit hoc ipſis impune, propter auctoritatem qua apud Reges erant. Judæos Ægyptienſes, quorum erat Alexandriæ *Synedrium*, ad hunc ſcopulum adhæſiſſe, nulla ratio ſuadet. Refert *Joſephus Ant.* XIII. 6. certatum ſub eodem Ptolemæo a Judæis Alexandrinis cum Samaritis, quæ pars ſegitimum Templum in Palæſtina coleret, propoſita litigantibus pœna capitis, qui cauſa caderent. Itaque victos judicio Samaritas Sabbæum & Theodoſium eam ſortem excepiſſe. Quis credat homines, ſub Ptolemæo,

Samaritico

Digitized by Google

Samaritico Schiſmati infenſos, ad Heliopoliticum ſub eodem deſciviſſe? Sane, qui dictam Epiſtolam a Jeroſolymita Lyſimacho verſam refert, nullam Alexandrinorum erga Jeroſolymitas ſimultatem agnoſcit. Nullam agnovit Siracides, cum avi ſui Jeroſolymitæ ſapientiam Ægyptienſibus Judæis Græcam fecit.

Eccleſiam merito uſurpaſſe Græcam Verſionem, auctoribus Apoſtolis.

Nunc enim illud primo agendum eſt, neque Fidei damnoſum, nec Eccleſiæ contumelioſum eſſe, nec Apoſtolorum auctoritatem minuere, (quos *Græca* LXXII. verſione ita uſos conſtat, ut tamen, in loco & tempore, ad *Hebraicos* codices ſe reciperent) quod de auctoritate *Græci* quo uſi ſunt codicis, non plus conſtare videtur, quam dictum eſt. Spectandum enim eſt, *Judæis* & Gentibus prædicandam Fidem, Apoſtolis & Apoſtolorum ſociis fuiſſe, quo tempore pervulgatæ erant verſionis ejus Scripturæ, per pleraſque Orbis Romani partes; non dubio Dei conſilio, viam ſtruendi Fidei, ad eos primò propagandæ, qui de rebus Veteris Teſtamenti, per eas inaudiverant. Hinc enim frequens mentio *piorum*, & *verum Deum colentium*, per ea loca, in quibus Synagogæ *Judæorum* erant, in Actis Apoſtolorum; Quas eadem ſpe ſalutis fuiſſe, per legem aſſequendæ, qua fuerant, quos *Moſis* Lex *peregrinos in portis ipſorum degentes*, per terram promiſſam, appellat, res ipſa docet. Nam qui ad veri Dei cultum, ab Idolis Gentium ſe receperant, eos quid vetat credere, Legem *ſpiritualem*, qua ſalus ſub lege conſtabat, perinde ac Judæos coluiſse? Quod ſi proponendæ erant, Judæis ſimul ac Gentibus, rationes credendi ex veteribus Scripturis, quis tempeſtivum fuiſse credat, de conſtituenda verſionis Græcæ fide laborare, de qua, non erat quod, facti ſemel Fideles, vel etiam faciendi laborarent? Semper enim recolendum eſt, rem Fidei Apoſtolorum tum prædicatione hauriendam fuiſse; etſi de rationibus credendi appellandæ erant Veteres Scripturæ, prout res ferret. Nam ſi, quod Apoſtolis in votis erat, Judæi & Gentes in unam Eccleſiam compingere datum fuiſset, facile,

eorum

Digitized by Google

eorum auctoritate, de codicum fide tranſactum fuiſset: Quod repudiatum eſt a Judæis Evangelium, id vero eſt, quod hanc difficultatem protulit. Cum enim Judæis codicum ſuorum uſus manſiſset, Gentiles Græcas tantum Scripturas haberent, (quos, cum Judæos quotidie hoſtes, & perſecutionum ſuarum auctores experirentur, non minus ab eis alienos fuiſse par eſt, quam omnia eis ceſsiſse, quamdiu eorum lucrifaciendorum ſpes erat) non erat mirum, de codicum Eccleſiaſticorum fide laborandum Chriſtianis non fuiſse. Hujus rei *Origenes* exemplo eſt, qui, conſulenti *Julio Africano*, de Fide additamentorum ad *Danielem*, indignum videri reſpondit, (Epiſtola quam habemus auctiorem *Græce*, ex codice Oxonienſi, quam vel latine Lutetiæ vel *Græce* ab Hæſchelio edita eſt) laborare fidem codicum quibus utebatur Eccleſia, quod Judaicos codices auctores non haberet. Eandem rationem, plane graviſſimam, S. *Auguſtinus* affert, cur Latinæ S. *Hieronymi* verſioni non faveret, *Epiſt.* XIX. *Propterea me nolle tuam ex Hebræo interpretationem in Eccleſiis legi, ne contra* LXX. *auctoritatem, tanquam novum aliquid proferentes, magno ſcandalo perturbemus plebes Chriſti, quarum aures & corda illam interpretationem audire conſueverunt, quæ etiam ab Apoſtolis approbata eſt.* Quæ ratio oſtendit, abunde fuiſse, cur retineretur Eccleſiaſtica verſio; propter retinendam cum Fide pacem Eccleſiæ, etiam ſi de auctoritate conditorum ejus non conſtaret. Nam ſi *Origenes*, vel S. *Auguſtinus*, vel multo magis *Ruffinus*, neceſsario aſserendam putavit hujus verſionis auctoritatem, tanquam divinitus profectæ, tamen aliud eſse Patrum opiniones, aliud leges Eccleſiæ, jam dictum eſt. Neque enim *Africanum*, vel a Fide vel ab Eccleſia alienum fuiſse, *Origenes* increpat, quod de additamentorum quæ diximus auctoritate laboraret. Itaque habendæ *Origeni* magnæ gratiæ, quod ab Eccleſiæ hoſtibus conditas verſiones in unum corpus cum Eccleſiæ codicibus retulerit; ut haberent Bibliothecæ, in quibus exercerent ſe illuſtrandis

Scripturis,

Digitized by Google

Scripturis, utriuſque linguæ capaces, quibus ſcandali metus non erat. Nam ſi prælatæ fuiſſent Eccleſiaſticis Eccleſiæ hoſtium verſiones, quis dubitet, Eccleſiæ pacem laboraturam fuiſſe? Quod autem ad veritatem Fidei conſervandam attinet, res ipſa docet, conſultum Eccleſiæ fuiſſe, etiamſi ſoli Eccleſiæ codices per Eccleſiam pervulgarentur. Cum enim pauci admodum Origenianos codices attingerent; (quare magno Eccleſiæ malo interire ipſis contigit) tamen & Fidem, & mores fidelium, & omnino rectum Scripturarum ſenſum ſalvum ipſis fuiſſe, qui nullis niſi Græcis codicibus, ante receptam in Occidente *S. Hieronymi* verſionem uterentur, hujus diſputationis decurſu manifeſtum factum iri ſpero. Nec quicquam hujus verſionis veritatem clarius teſtatur, quam, in recipiendam *S. Hieronymi* verſionem, Occidentalis Eccleſiæ conſenſus. Quis enim diſputet, quis dubitet, adhibendos eſſe Eccleſiæ codices *Judæorum*, poſtquam recepta eſt *S. Hieronymi* verſio ex eis facta, auxilio earum, quæ ab *Aquila*, *Symmacho*, *Theodotione*, Eccleſiæ hoſtibus profectæ ſunt? Non ita quidem, ut Eccleſiæ unitas in periculum vocaretur, tantæ rei cauſa; Sed quod, ſedatis animorum motibus, & Gentibus ad Fidem fere adductis, non erat perinde impedimento futurum convertendis ad Fidem, ac cum de *Judæorum* inſultationibus laborandum erat. Itaque nec mirum eſſe debet, Eccleſiæ ſcriptores non paucos tantum Græcæ τῶν ό Verſioni tribuiſſe, nec putandum, eorum ſententias, decretis & Legibus Eccleſiæ non conſtitutas, quenquam tenere. Præſertim, cum neceſſe ſit laborare communem Fidem, ſi eis rationibus inædificetur, quas hiſtoriæ fides non afferat. Itaque agnoſcendum eſt, *S. Hieronymum* feciſſe quod fecerant *Iſraelitæ*, cum exituri Ægypto Ægyptiorum vaſa ſibi poſtularunt, quæ ſtruendo Tabernaculo idonea futura eſſent. Quare & idem inſtitutum ſequi eos, quicunque Phariſæorum Traditiones, non ſolum farragini Talmudicæ, ſed & verſionibus Chaldaicis,

Digitized by Google

quas Targumim appellant, ſed & vetuſtis *Judæorum* ſcriptis, quæ habemus, mandatas, & totam denique *Judaicæ* literaturæ ſuppellectilem, ad Eccleſiæ cognitionem, quam facile fieri poteſt admovere ſtudent. Ita tamen, ut memoria teneatur, veteres Scripturas, ita demum *ſapientem facere ad ſalutem* hominem fidelem, ita *Dei hominem* ad Eccleſiæ miniſterium inſtruere, ut *per Fidem in Chriſtum Jeſum*. Hoc enim ſi memoria teneatur, nunquam committent homines Eccleſiaſtici, ut auctoritatem Eccleſiæ ſcriptoribus negandam putent, quam *Judæorum*, aut etiam Gentilium literis, in conſtituendo Scripturæ ſenſu tribuunt.

De auctoritate Vulgatæ Verſionis Latinæ.

Nunc de Vulgatæ Verſionis Latinæ auctoritate, deque decreto Tridentino reddenda ſunt, quæ ſint his conſequentia. Fatendum enim eſt, recte omnino, atque ex decreti verbis facere eos, qui negant ita intelligendum, ut divinam auctoritatem factæ humano ſtudio Verſioni afferat; quod hoc tantum poſtulat, ut *in publicis lectionibus, diſputationibus, prædicationibus pro authentica habeatur*. Quid enim eſt *authenticum*, niſi quod auctorem Eccleſiam habeat; Eccleſiaque auctore uſurpetur allegeturque. Quamque vetitum ſit, *contra eum ſenſum quem tenuit tenetque Sancta mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu & interpretatione Scripturarum Sanctarum, aut contra unanimem conſenſum Patrum interpretari?* Quis enim afferat Eccleſiæ eſſe, de vero ſenſu & interpretatione Scripturæ judicare, niſi, quatenus Eccleſiæ eſt, ſive de fide moribuſque ſingulorum, ſive de Legibus quæ univerſos teneant decernere? Videant, qui hoc tantum volunt, quam rationem habeat quod ſequitur; *ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat, vel præſumat*. Nam ſi *rejicere* eſt, veriorem interpretationem ſubſtituere, ſicubi videatur interpres minus aſſecutus ſententiam Hebraicorum quæ vertebat; quæro cur divinitus factam non afferat, qui hoc licere non vult? Præſertim cum de tradita ſemel Fide, deque Legibus ab Eccleſia decretis non agitur; Quas qui non probet, auctoritatem tamen Eccleſiæ,

qua

qua conditæ ſunt, in dubium vocare non debere, dictum eſt. Sed hunc decreti ſenſum, quæro, quomodo ad eam ſententiam congruat, quæ rationem credendi totam in eam auctoritatem reſolvat, qua conduntur Leges Eccleſiæ? Itaque, quid eſt cur non credam referenti hiſtoriæ, fuiſse in Concilio qui diſputarent, non videri ſatis conſultum a Deo Eccleſiæ, niſi, qui Synagogæ authenticam Veteris Teſtamenti Scripturam Hebraicam tradiderat, Eccleſiæ Græcam Novi, idem Eccleſiæ Romanæ authenticam verſionem Latinam dictaverit? Ac proinde, licet non Propheticam, ſubmiſſiorem tamen Spiritus S. dotem interpreti tribuendam, ſed in quam erroris ſuſpicio non cadat; Saltem decernente Concilio, cui hoc negari non poſſit, futuram in poſterum omni erroris periculo immunem. Nimirum huc redit eorum error, qui Fidem communem Eccleſiæ auctoritate antiquiorem non agnoſcunt, quamvis infallibili teſtimonio univerſitatis Fidelium nixam, quæ Eccleſia dicenda ſit, etiam ante conſtitutam communionem Eccleſiæ. Sed ut manifeſtum eſt, gratiores eſſe Sedi R. qui *infallibilitatis* dotem Eccleſiæ decretis aſſerunt, ita extare ullum, vel R. Sedis decretum, quod hujus dotis profeſſionem, tanquam ſalutis Legem, communioni Fidelium dicat, mihi hactenus compertum non eſt. Quod quam diu factum non eſt, quis nullam reliquam rationem pacis inſtaurandæ legitimam dicat? Sint inde qui hoc contendant, quam diu hinc ſint, qui Dei Spiritus nomine, ſuo intus Spiritui dictantis, idem ſibi aſſerant; non deeſt ratio cogendi eos in Legem unitatis ex veritate, qui negare non poſſunt, univerſæ Eccleſiæ Traditionem, definiendis controverſis vel ſatis eſſe, vel indefinita eſſe debere, quæ ita definiri non poſſint; & ferendos eſſe, & communione Eccleſiæ impertiendos, qui de eis diſsentiunt, quæ ſic definiri non poſſint. Itaque merito, in decreto de libris *Apocryphis*, deque Vulgatæ Verſionis auctoritate inſiſtendum eſt, auctores eſſe diſcidij, qui ejus ſententiam producunt ad infallibili-

tatis dotem Eccleſiæ decretis aſſerendam ; cum idonea ſit ratio , cur *Canonici & ſacri* dici poſſint , veteris Eccleſiæ Latinæ decretis, quos tamen divinitus inſpiratos nunquam conſtare poſſit, quia ſemel non conſtiterit. Interea loci, cum manifeſtum ſit, exiſtere hodierno etiam die, ſummæ eruditionis ſcriptores, qui, Græcæ Verſioni auctoritatem divinitus inſpiratæ cum aſſeruerint,. mox,quaſi eodem flatu, eandam Vulgatæ Verſioni aſſerant , manifeſtum eſt victoriæ ſtudium, ultra ſtudium veritatis valera. Nam, ſi exigatur ab eis , ut oſtendunt nobis eandem rationis evidentiam , quare hoc credendum ſit , propter quam ſcripturas univerſim divinitus inſpiratas credimus ; Quam eandem eſſe oportere ab initio dictum eſt, propter quam Chriſtiani ſumus ; nunquam aperturi os ſint,ut hoc aggrediantur probare.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XXX.

De hodiernæ literaturæ Judaicæ Fide & auctoritate. Fidem veteris Scripturæ non ſtare punctorum vocalium, & hodierni Codicis Hebraici auctoritate; ſed conſenſu Codicis Origeniani, Syriaci, Hieronymiani. Non poſſe Fidei periculum creari ex ea lectionis varietate, quæ, toto adhibito Eccleſiæ inſtrumento tolli non poſſit.

NUNC, quia de hodierni Codicis Hebraici, punctorumque & apicum, quibus definitur ſenſus ejus, fide atque auctoritate non aliter contenditur, quam de infallibilitatis dote Eccleſiæ decreto annexa & appenſa; faciendum eſt inprimis, ut, quid de literaturæ *Judaicæ* fide atque auctoritate cenſendum ſit Chriſtianis, intelligamus. Nam ſi conſtare poſſit, *Judæos* hodiernos, qui inſtitutis farragine Talmudica proditis vivunt, Legis vim ipſis tribuere, quo tempore, certum eſt Evangelicæ Hiſtoriæ veritate, Phariſæos Genti jus non dixiſſe, multo minus dediſſe; (Hoc eſt, eorum inſtituta non aliam vim habuiſſe, quam ſponte tribuerent doctorum auctoritati diſcipuli) merito impoſturæ rei erunt, qui inſtituta ſua pro Legibus apud ſuam Gentem valuiſſe jactant. Atqui hoc non minus certum eſt, quam veram eſſe Hiſtoriam Evangelicam, apud Chriſtianos certum eſſe debet. Nam Chriſti Domini tempore, etſi Phariſæorum Scholas extitiſſe manifeſtum eſt, in quibus, quæ ad ἐθελοθρησκείαν ſuam, in obſervandis Legis præceptis pertinebant, inſtitutum ſuum ſponte amplexis tradebant; Tamen, cum ſub Præſidibus Romanis a Pontificibus & Senioribus puli αὐτονομία illa regebatur, qua Judaiſmum ſuum ipſis rerum Domini permittebant, manifeſtum eſt, quæ ipſi de Synedriorum ſuorum auctoritate in jure dicundo, in Legibus

De hodiernæ literaturæ Judaicæ fide & auctoritate.

Digitized by Google

bus ferendis narrant, diſcipulis Phariſæorum, tempus nugis ventilandis conterentibus placere potuiſſe, Legis vim tum temporis apud Gentem ſuam habere non potuiſſe. Sed multo magis manifeſtum, ſi Sadducæos ipſis adverſos, etſi futurum ſeculum negarent, pariter Lege patria vixiſſe, pari jure dominorum Romanorum tuitione gaviſos reputemus. Quare nihil obſtat, quo minus veritatem habeat, quod *Joannem Hyrcanum* Talmudici in fine vitæ ad Sadducæos defeciſſe narrant; quod Phariſæos moleſtos experiretur, natalium ipſi litem moventibus, propter matrem minus legitimam. Non quod credendum ſit Phariſæis, adverſarium ſuum reſurrectionem negaſſe narrantibus; Sed quod Optimates ad Sadducæorum ſectam inclinaſſe, affirmanti *Joſepho* credendum ſit; quia Phariſæos, inflatos rebus geſtis Haſmonæorum, quas Zelo ſuo tribuebant, rerum adminiſtrationem, per ſeditionem plebis ad ſe trahere manifeſtum erat. Nam & propterea Rex poſtmodum *Alexander*, & vivus ſæviebat in Phariſæos, & cum moriens pupillum filium relinqueret, mandavit uxori, ut ipſum, & rerum ſummam Phariſæis permitteret. Atqui, ab Aſcenſione Domini, prævaluiſſe Sadducæos Phariſæis Actorum Apoſtolicorum hiſtoria oſtendit, aſſentientibus etiam Talmudicis; ut ſupra ſuo loco p. 42. dictum eſt. Quo tempore verum eſſe poteſt, quod ipſi tradunt, in titulo de Idololatria; migrandum fuiſſe decies Synedrio Magno ex Templo *Jeroſolymitano*, prius quam Tiberiade conſideret. Sed ita, ut Synedrium magnum Phariſæorum Scholam fuiſse intelligamus, quorum ſint Traditiones in Talmudicam farraginem relatæ; Quique tum, a Sadducæis oppreſsi, Scholas ſuas ſeorſim habere inſtituerint. Nam ſi publice valuiſse tum temporis velint inſtituta quæ tradunt, ſtantibus eis quæ, Scripturis narrantur, verum eſse non poteſt. Recenſeantur hoc poſito, de quo dubitare non poteſt qui de fide Scripturarum non dubitat, laborioſiſſimæ *Joannis Morini* Exercitationes Biblicæ; ut conſtet, nullam eſse hiſtoriæ fidem apud

Judæos,

Digitized by Google

Judæos, vel de rerum ſuarum ſtatu, qui eis temporibus fuerit, quorum memoriam, *Apocryphis* quas vocamus, Novique Teſtamenti Scripturis, tum *Joſepho* ac *Philoni* debemus Chriſtiani. Conſtabit omni recte Chriſtiano, Legem Ore traditam quam jactant, ſuperſtitionem eſſe *Phariſæorum*, quæ, pulſis *Judæa Seleucidis*, apud plebem *Judæorum* obtinuerit. Cum tamen, ſi rem recte putent Chriſtiani, Lex Ore tradita à Patribus ante Legem, & ſub Lege à Prophetis, pietatis Chriſtianæ Religio ſit; quam, ſub carnali terræ promiſſæ Lege, ſpirituali præceptorum Legis obſervatione conſtantem, tradebant Patres ac Prophetæ. Hac enim ratione, Deum in Spiritu ac Veritate colentibus, ſalutem per Fidem ante Legem, & ſub Lege contigiſſe Apoſtoli diſputant. Quibus receptis, non erit quo minus vera videantur, quæ traduntur a *Judæis*; quatenus non contradicunt Scripturis inprimis Eccleſiaſticis, tum *Joſepho* ac *Philoni*. Neque enim negandum videtur, fuiſſe *Synagogam Magnam* quam dicunt, vel *viros Synagogæ Magnæ*, a quibus inſtauratam volunt & conſtitutam Veteris Scripturæ lectionem; quod *Eſdræ* tribuitur magno conſenſu, a vetuſtiſſimis Eccleſiæ Scriptoribus. Nam *Eſdram* ipſi, & Prophetas *Eſdræ* coævos, in ejus Capite collocant; Etſi quouſquè duraverit, nihil niſi fabulas narrent. Satis eſt, ab iis accipere nos Scripturas veteres, qui venturum ſub ſecundo Templo *Meſſiam* cum expectarent, & prædicerent, non poſſunt videri, ad ejus adulterandam prædicationem conſenſum ſuum adhibuiſſe. Neque enim neceſſe eſt, quod quidam Eccleſiæ ſcriptores crediderunt, inſpirante Sp. S. veteres Scripturas memoriæ ſuæ, *Eſdram* in libros conjeciſſe. Satis eſt ad Fidem Chriſtianorum, inſtaurata Legis & Prophetarum exemplaria, quatenus recto Legis ſtudioſorum judicio fieri poterat. Neque neceſſe erit negare, veniſse Hillelem *Babylone Jeroſolyma*, non multo ante natum Dominum tempore, & docendæ Legis Cathedram tenuiſse; (Inter *Phariſæos*, ſcilicet, quorum erat tum doctrina

ctrina popularis) Neque vel antegreſsorum, vel ſecutorum ipſum doctorum, ad & poſt Templi interitum, ſucceſſionem. Sane, quæ de Symeone filio *Shetach* narrant Talmudici; quem *Alexandro* Regi adverſatum volunt, cum ipſi affinis eſset, doctrinæ Phariſaicæ nomine; ſatis eis congruunt, quæ de odio Regis in Phariſæos narrat *Joſephus*. Hanc tamen ſucceſſionem, ipſi, nullo antiquiori literarum monimento conſignatam oſtendunt, quam Talmudicæ farraginis, in cujus *Titulum Aboth* relata eſt. Itaque, non ſunt ita accipiendæ Doctorum ſententiæ in eam farraginem relatæ, quaſi ſuæ Gentis jura contineant; (eis quidem temporibus, quibus, prævaluiſse Sadducæorum potentiam Phariſæorum Traditionibus, ex Scripturis conſtat, ipſis etiam conſentientibus, ut dictum eſt) Sed quaſi, quam vellent Rempublicam ipſi; cum otioſi diſcipulis ſuis dictarent, quod ipſi Legibus *Moſaicis* poſtulari commentarentur. Vide Chronologiam *Davidis Gans*, quam ipſe *Germen Davidis* appellat, quæque ad annum ejus 785. annotavit *Guilielmus Vorſtius*; ex quo, non majorem Traditioni ipſorum habendam fidem comperies, quam habere Morinum diximus. Nam quod ipſi Synedrium magnum appellant, ejuſque auctoritatem, nihilo pluris eſse conſtabit, quam Phariſæorum Diatribis tribui poſſit, cum ipſi Templo exularent; id eſt, ſuæ Genti jus dicere non poſsent. Idem fere dicendum eſt de auctoritate δευτερώσεων, quas ipſi, in illud corpus quod extat, juris Judaici, vel potius Phariſaici textus ac fundamentum, a R. Juda Sancto, ſucceſsore Hillelis, collectas tradunt, temporibus *Antonini Auguſti*; Cum antea ſemper, nefas viſum eſset Legem Oralem ſcripto tradere; cujus tamen Traditiones, memoriæ juvandæ cauſæ ſcriptas apud ſe habere, ut a Magiſtris dictabantur, diſcipulis permittebant. Nam hoc quidem Judæi conſenſu tradunt, *Maimonides Præf.* ad magnum opus, liber *halicoth Olam* in Præfatione, Præfatio ad librum Præceptorum magnum, alij. Sed de temporibus haberi ipſis fides nulla poteſt, qui temporum

Digitized by Google

porum notam nullam legitimam edunt. Eſt quidem eo ſermone editum, quo vulgus tum temporis uſum fuiſſe cenſeri non poteſt; cui tum Syriacam linguam (in quam nunc, utriuſque Teſtamenti Scripturas converſas legimus) vulgarem fuiſſe, multi viri docti minus recte cenſere videntur. Nam quæ extant in Novo Teſtamento vulgaris ſermonis voces, ἐφφαθὰ ταλιθὰ·κȣμὶ, γαββαθὰ, γολγοθὰ, & ſi quæ ſunt aliæ, longe propius accedunt ad formam ſermonis ex Chaldaico corrupti; quam Syriaci. Itaque cenſendum eſt, Doctores in Scholis conſervaſſe inter ſe uſum ſermonis Hebraici, paululum quiddam ad eam formam ac ſignificationem deflexi, quam in δϵυτερώσεων corpore legimus; Cujus ea eſt rotunditas, atque adeo elegantia, in exprimendis Doctorum deciſionibus, ut videri non poſſit niſi eis Romani Imperij temporibus ſcripta, quibus, cum Imperio, literarum etiam elegantia ſtetit ac floruit. Etenim, in *Judæorum* etiam ſecuta ſcripta ac ſermonem, eandem incubuiſſe labem ac corruptelam manifeſtum eſt, quæ Græcorum pariter ac Latinorum ſtudia, ac literarum monimenta occupavit. Interea loci, non poteſt reſiſti manifeſtis rerum argumentis, quibus *Morinus*, Exercitationum II. 3. *Judæorum* Palæſtinenſium ſub Imperio Romano regimen, penes Patriarchas ipſorum fuiſſe tum demonſtrat, cum Talmudici, nullam poteſtatem Synedriis ſuis ſuperiorem agnoſcunt. Et certe ipſi ſe jugulant, cum Sacrificium pro peccato *Principis* per ignorantiam commiſſo, Lege *Levit.* IV. 22. præſcriptum, pro Regis errore offerendum agnoſcunt, ſecundum ſcripturam *Ezek.* XXXIV. 24. XLV. 7. XLVI. 2, 4. *Maimonides* de Erroribus XV. 6. Quo enim jure Synedrij Præfectum *Principem* faciunt, quos alium habuiſſe Principem Gentis ſuæ palam eſt? Sane, poſt reditum a Captivitate, eos, qui Babylone morati nunquam redierunt, Caput habuiſſe *Captivitatis Principem* manifeſtum eſt, ex *Joſepho*, apud quem frequens eſt ejus mentio. Tum, poſtquam magna pars Gentis in Æ-

 gyptum

gyptum abducta, *Alexandriæ* conſedit; quod ſub *Ptolemæo Lagi* fieri cœptum, ex *Joſepho* manifeſtum eſt; cœperunt hi etiam Caput ſuum ac *Principem* habere, quem γενάρχην, ἐθνάρχην, vel etiam Patriarcham Romanis temporibus, (ut apud *Joſephum*, & in *Adriani Aug.* Epiſtola cujus locum ex *Vopiſci Saturnino* ſupra adduximus) appellabant. Neque unquam conſtare poterit, hos, in Legis ſuæ interpretatione, Palæſtinenſium *Judæorum* auctoritati, multo minus Phariſæorum Traditioni obnoxios vixiſſe; non magis quam *Babylonienſes*, de quibus dictum eſt. Illud videtur rerum fidei maxime congruere, quod ipſi narrant; δευτερώσεων ſuarum Doctores, poſt conſcriptam farraginem *Jeroſolymitanam*; qua δευτερώσεις ſuas novis deciſionibus explicare & propagare inſtituerant; *Babylonem* profectos, ibique auctoritatem Traditionum ſuarum docendarum nactos, Talmudis *Babylonici* farraginem ſcripto conſignaſſe, quem in ſe tota Gens receperit. Nam ſub *Theodoſij* M. liberis minori indulgentia per Imperium Romanum habitos *Judæos*, quam ſub Conſtantino, ſecutiſque ipſum imperatoribus, videtur ex Conſtitutionibus ipſorum, in utrumque Codicem relatis conſtare. Sed & ſub *Juſtiniano*, exempti ſunt auctoritate Primorum ſuorum *Judæi* qui *Græcis* Scripturis utebantur in Synagogis, cum ipſos prohibere vellent ne hoc facerent, Novella ejus CXLV. In qua primam extare mentionem δευτερώσεως *Judaicæ*, in monimentis Chriſtianorum, recte obſervat *Morinus*; Cui Imperator auctoritatem minuit, cum *Anathematiſmos* ipſorum irritos eſſe jubet cap. I. Quamvis autem nullam ejus mentionem apud *Origenem*, *Epiphanium*, *Hieronymum*, extare diſputat ex veritate idem, ut illam tum non extitiſſe contendat; Non videtur tamen hoc prohibere, quo minus apud homines ſecreti ſui tenaces, quales fuiſſe *Judæos* neceſſe eſt, in ſecreto & haberi potuerint & doceri; Quominus antiquitatem eam habere cenſenda ſit, quam ſibi ipſa aſſerit. Igitur Legis Ore traditæ fides omnis & auctoritas Phariſæorum Sectæ relinquenda

eſt

Digitized by Google

eſt, eorumque ſectatoribus hodiernis *Judæis*, qui ejus ſtudio Dominum Chriſtum repudiarunt. Nam quod hodiernam Karæorum Sectam; quorum ſunt capitales inimicitiæ cum Talmudicis; viri docti propaginem eſſe Sadducæorum volunt, qui procedente tempore ad agnoſcendam Reſurrectionis Fidem deſcenderint; videtur omnino idem Morinus demonſtraſse, non eſſe ejus Originem Talmude *Babylonico* antiquiorem, ſed a Doctorum quorundam auctoritate propagatam, qui repudiandi ejus auctores ſuis fuerint. Itaque inſtituta, quæ Traditioni majorum aſcribunt Talmudici, ab illis, argumentis ex Scriptura natis confici & probari.

> *De Punctorum Vocalium Origine.*

His Poſitis, aperta eſt, de hodierni Codicis *Judaici*, & de Punctorum vocalium apicumque ejus auctoritate judicandi ratio; quem a *Judæis* hodiernis, cum renatis literis acceptum, manifeſta res eſt. Nam quod Phariſæis *Epiphanius* in eorum Hæreſi, Γραμματικὴν τινα ἐπιςήμην tribuit; recte ea intelligitur, quam in libris ſacris legendis, intelligendis, interpretandis, uſu ipſo & exercitatione tum tradi oportuit, cum nullam aliam apud *Judæos* Grammaticam extitiſſe res ipſa docet. Quam enim nunc Grammaticam tradunt, ad punctorum vocalium apicumque methodum tradendam comparatam, eam χθὲς καὶ πρώην ab ipſis proditam, manifeſtum eſt eorum uſu longe poſteriorem eſſe. Sane, ſi ab *Eſdra*, ſi a Viris Synagogæ Magnæ, (quæcunque tamen fuerit Synagoga Magna) punctis vocalibus diſtinctas & definitas Scripturas accepiſsent, eſset ea, non quidem divina, per Sp. S. auctoritas; (quis enim auctor ſit, auctore Sp. S. definitam punctis earum ſententiam?) Sed tamen, cujus rationem potius a me non intelligi crederem, quam ut ejus ineptias ac περιεργίαν reprehenderem. Sed latere non potuiſset *Græcæ* Verſionis auctores tanta auctoritas. Nunquam illi *Eſdram*, aut viros Synagogæ M. auctores defugiſsent, ſi illi determinando Scripturæ ſenſui puncta adhibuiſsent. Quin, ne *Aquilæ* quidem aut *Sym-*

machi, aut *Theodotionis*, qiun ne *Hieronymi* quidem Verſio ea agnoſcit. Propius illæ quidem ad eorum rationem, accedunt quam *Græca* Verſio; ſed ita tamen, ut ad eorum Legem aſtrictos ſe non fuiſſe oſtendant. Itaque, nihil mihi probabilius dici poſſe videtur, quam ut eorum inventionem decreto Synagogæ tribuamus, quo legem ore traditam ſcripto deinceps conſignari conſtitutum eſt. Ita quidem, ut, cum ad earum methodum inſtituendam pedetentim graſſatum ſit, multis tamen poſtea ſeculis perfecta ſit. Itaque, cum unius ſeculi opus non fuerit, minime mirum eſſe, ſi ne *Hieronymi* quidem tempore extiterit. Quin, ne Magiſtris quidem, quorum ſententiæ in farraginem Talmudicam relatæ ſunt, uſurpatam fuiſſe, mecum ut opinor, cenſebit, quicunque ejus loca affatim a *Morino* producta ad calculum revocabit. Nam ſi quid apud *Hieronymum*, vel apud Talmudicos legatur, quod punctorum determinationem ſignificare videatur, nihilo plus conficiet, quam quod dictum eſt; ad hanc determinationem cum procedente tempore graſſatum fuiſſe. Denique reputet apud ſe, quicunque hanc ſententiam Fidei periculoſam putet, idem à ſe huic punctorum apicumque hodierni Codicis Judaici methodo tribui, quod Eccleſiæ, Concilij Tridentini decreto tribuitur ab eis, qui infallibilitatis dotem aſſerunt. Itaque ejus Fidem eiſdem rationibus aſſerendam ſibi, qua communis Fidei divinitus inſpiratæ auctoritatem univerſi aſſerimus Chriſtiani. Quod cum fieri nullo modo poſſe perſpexerit; quod ejus fide non aſſerta, integrum eſse communi Fidei aſſerendæ rationem, ex præmiſſis conſtare poſſit; facile perſpiciet, deponendum ſibi eſſe partium in hoc animorum æſtu ſtudium, & recipiendum ſe, in vero Scripturæ & lectione & ſenſu conſtituendo, ad illud Eccleſiæ toti commune inſtrumentum, cujus fidem, ad definitionem eorum, quæ hodiernum Eccleſiæ diſcidium continent, recipiendam, inter partes conſtat. Huic ſententiæ res ipſa luculentum perhibet teſtimonium. Neque enim unquam doceri poterit,

rit, fuiſſe aliquem apud Chriſtianos Bibliorum Hebraicorum punctis vocalibus diſtinctorum uſum, ante renatas cum Græcis ſimul ac Latinis, Hebraicas literas, ſeculis ſuperioribus. Contendat quantum velit, qui punctis vocalibus tribuit quantum vult, nunquam efficiet, ut alia Biblia Hebraica punctis accentibuſque definita oſtendat, quam quæ à Judæis accepimus; hoſtibus Chriſtianiſmi. Quod Hebraicum Codicem, quem Origenes non minus Græcis quam Hebraicis literis deſcripſit, quod eum quem vertit *Hieronymus* præditum illis fuiſſe contendat; inveniet ſponte à ſe ac gratis ſupponi, quod eis rationibus aſseri non poſſit, propter quas recepta eſt Fides communis. Non eſt diſſimulandum, quantum profectum ſit in Scripturæ cognitione eorum codicum uſu, poſt renatas literas. Sed neque reticendum, inter partes, quarum tantum eſt ſtudium etiam de minutiſſimis contendendi, de eorum abrogando uſu non contendi. Illud tamen cavendum, quorum nulla eſſe auctoritas poteſt, niſi quatenus Eccleſiaſtico Veteris Scripturæ ſenſui ſerviunt, non eſse, eorum opinione, ſenſum Novi Teſtamenti ſenſui adverſum, Veteris Teſtamenti Scripturis inſerendum.

De Verſionum Chaldaicarum aliarumque Judaicarum Auctoribus.

Huic rationi conſentiunt quæ de reliquis *Judæorum* libris antiquitatem ſibi vindicantibus narrantur; Quos certum eſt ætatem illam ferre non poſſe, quam auctoribus ſuis aſſerunt, & tamen, antiquioris monetæ materiem continere. Dictum eſt, *Syriacam* linguam non fuiſſe *Judæis* vernaculam a reditu Captivitatis, ſed *Chaldaicam*. Neque alio argumento opus, quam, quod verſas in *Chaldaicam* a *Judæis* ſcripturas habemus, in *Syriacam* nullas; Neque enim alia de cauſa verſæ ſunt, quam quod vernaculis Scripturis opus haberent. Itaque etſi manifeſtum facit *Morinus*, Exercit. *Bibl.* II. 8. longe poſterius ſcriptas Verſiones *Chaldaicas* quam eorum auctores vixiſſe voluerint *Judæi*; Non eſt tamen fides neganda *Judæis*, non minus *Chaldaice*, id eſt, vernacule, quam *Hebraice* lectas in Synagogis Scripturas narrantibus;

rantibus ; ut intelligerent, ſcilicet, quod legebatur. Certe quod *Nehem.* VIII. 8. *Et legerunt in libro Legis explanate, & adhibito ſenſu, intellexeruntque lectionem* ; non aliter intelligi poteſt, quam ut vernacule intellexerint quod legebatur Hebraice. Itaque merito inſtitutum videri debet, ut redderentur lectiones vernacule. Nam quod Judæi in *Megillah, cap.* IV. vernacule reddita intelligunt quæ legebantur, non eſt ſuperſtitionis Judaicæ ; neque ad Phariſæorum ἐθελοθρησκείαν pertinebat, ut Legem Dei intelligerent ; quamvis ſecutis temporibus pertinere potuit, quibus, etſi Chaldaice non intelligerent, traditum tamen morem ſibi obſervandum putarent. Quod autem ex punctorum & accentuum traditione pronuntiatum volunt, hactenus accipiendum eſt, ut intelligeretur quod ſcriptum legebatur ; non ut puncta hodierna tum fuiſſe intelligamus. Nam & in *Beracoth* cap. ult. vetantur anum dextra purgare ; (honos ſit auribus) ratione addita, quia legis accentus monſtrat. Sed *R. Solomonis Gloſſa* non aliud hoc poſtulare ſcribit, quam ut, ſublata vel ſubmiſſa dextra, tollendam vel ſubmittendam vocem ſignificaretur ; Hoc enim ſe fieri alicubi vidiſſe ſcribit. Sed quantum fidei tribui poteſt referentibus Talmudicis, tam certum eſt *Judæos* a Captivitate Scripturas in Synagogis *Chaldaice* non minus quam *Hebraice* legiſſe. Neque aliud initium quærendum eſt transferendi veteres Scripturas in *Chaldaicum.* Sed, Verſio Legis quæ *Onkelo* tribuitur, oſtendit ſeipſa quam parum in ſe habet ineptiarum ac περιεργίας, quibus, ex juſto Dei judicio, damnatam *Judæorum* Gentem, procedente tempore magis magiſque obnoxiam vixiſſe, manifeſta res eſt. Prophetarum autem tam priorum, quos appellant *Judæi*, quam poſteriorum Verſio, quæ *Jonathæ* filio *Uzielis* tribuitur a *Judæis*, videtur mihi tempore poſterior hanc ipſam ob cauſam, quod Talmudicorum fabulas copioſius immiſceat ; Quamvis, ſi *Judæos* audiamus, *Jonathas Uzielis* filius aliquanto prior tempore fuerit, quam, quicunque tandem fuerit Legis interpres *Onkelus.*

Digitized by Google

kelus. Itaque neque magni refert,quis ille *Jonathas* fuerit, cujus nomine, *Chaldaicam* Legis interpretationem tempore poſterius in lucem extulerunt. Neque quis *R. Joſeph* cœcus, quem Hagiographa vertiſſe volunt. Nam Verſio *Proverbiorum Solomonis* longe propius quam reliqua, ad *Syriaci* ſermonis proprietatem ac uſum accedit. Quapropter conjectura eſt tum factam,cum,tranſlatæ ex *Palæſtina Judæorum* Scholæ in *Babyloniam*, familiariorem *Syriacum* ſermonem habuerunt. Sed, ſi initium transferendi Scripturas veteres in *Chaldaicum* a reditu Captivitatis arceſſendum ſit, tempus autem, quo, reducta in hanc formam interpretatio quam legimus edita demum ſit,& Eccleſiæ cognita, exhiberi nullum poſſit Talmudicarum fabularum ineptiarumque contaminatione antiquius; Omnino putandum eſt, idem his Verſionibus accidiſſe, quod reliquis *Judæorum* ſcriptis, quibus ipſi præcipuam antiquitatem vendicant. Puta me dicere Capitula R. *Eliezer*, libros *Zohar* & *Bahir*, tum *Rabboth* & *Medraſhim*; quorum nullus eſt qui ætatem eorum ferre poſſit, quibus auctoribus inſcribuntur. Oportet igitur, inchoatos diſputationibus antiquiorum Magiſtrorum, poſterioribus temporibus in eam formam redactos, qua nunc editi leguntur, additis eis quæ poſteriorum temporum fuiſse deprehenduntur. Itaque non multo graviori auctoritate legendæ videri poſsunt, quam eſt auctoritas ejus *Arabicæ* Paraphraſis Pentateuchi, quam Pariſienſia Biblia in lucem extulerunt, ſic ſatis probabiliter factam, ex ſenſu *Judæorum.* Neque alia eſt ratio Pentateuchi *Samaritici*, quem eidem editioni debemus.Recolendum eſt, Idololatras fuiſſe primo,qui ab *Aſſyriis* in eam *Coloniam* ducti ſunt. Sub *Eſdra*, ſolum ſe Deum verum colere teſtantur,*Eſd.* IV, 2. Et quidni verum dicant, qui Templum in monte *Gerizim*, a *Judæis* repudiati, condiderunt; non ex Lege quidem,ſed tamen vero Legis Deo? Nihil impedit, quo minus, reſurrectionem & Prophetas, etiam tum repudiaverint; Ut propterea a *Judæis* repudiandi fuerint. Schiſmaticos

maticos quidem fuiſse, dubitandum non eſt. Hi ſunt qui Pentateucho utuntur quem diximus; cui Patronus contigit, qui verum Legis Codicem habuiſſe neget, qui veram Legem colerent, affirmet habuiſſe, qui ab ea diſcederent. Affertur contra, quod apud *Photium* ſcribit *Eulogius Alexandrinus*, adulteratum a *Doſitheo Samariticum*; Quem, tantæ auctoritatis fuiſſe apud *Samaritas*, Origenes in *Matt.* XXIV. ſcribit, ut *Meſſiam* ſe tulerit. Nam *Meſſiam Samaritas*, qui veros ſe *Judæos* ferebant, expectaſſe, ex quarto capite Evangelij ſecundum *Joannem* diſcimus. Sed negare non poſſumus his Verſionibus eam auctoritatem, quam Origenes *Aquilæ Symmachi* & *Theodotionis* Verſionibus attribuit, *Judæorum*, *Samaritarum* vel *Ebionitarum*; Cum eos, eodem cum *Hebraico* Græcoque τῶν ὀβ́ Codicibus conſpectu legendos plaudenti Eccleſiæ proponeret. Neque enim vel adulteratum a *Doſitheo*, certo ſuo conſilio *Samariticum*, Eccleſiæ adjumento eſſe quicquam impedit, in eis, quæ ad ejus adulterandi conſilium non ſpectare, reliquorum comparatione deprehendi poteſt. Neque aliud ſibi quærere poteſt Eccleſia, cum undiquaque ſibi copioſum Veteris Scripturæ inſtrumentum aſciſcit, quam ut Fidei hoſtes capſarios habeat, qui, vel credendi rationes, ex Veteribus Scripturis, vel Evangelicæ Apoſtolicæque Scripturæ ſenſum afferant. Interea loci, punctorum originem, repudiato a *Judæis* Evangelio longe poſteriorem eſſe, luculentum eſt a *Chaldaicis* eorum Verſionibus argumentum; quibus puncta χθὲς καὶ πρώην addita eſſe in confeſſo eſt.

Non eſſe Codicem Hebraicum Judæorum ſtudio corruptum.

Eſto jam, crediderit Deus oracula ſua *Judæis*; ſibi hoc voluerit S. *Paulus* ad *Rom.* III. 2. Certe non Chriſticidis *Judæis*, non hoſtibus ſuis, ſed Dei populo. Itaque a tempore repudiati Chriſti nihil ipſis credidit, qui ipſi nihil crediderunt. Neque alia ratione recipi poſſunt a Fidelibus Veteris Teſtamenti Scripturæ *Hebraicæ*, niſi quæ communi Fidei coæva ſit. Atqui puncta apiceſque, quibus *Hebraici*

Digitized by Google

braici codicis ſenſus definitur, non ſtare eis rationibus quibus ſtat Fides, ſatis dictum eſt. Neque tamen odio Chriſtianiſmi corruptum, ac interpolatum a *Judæis* vetus inſtrumentum, *Juſtino Martyri dial. cum Tryphone* credo; cui *Euſebius Eccl. Hiſt.* IV. 18. credidit. Quamvis tum temporis, ſi unquam, ſuſpicandi cauſa fuerit, cum ad impediendum Fidei progreſſum ejus corruptela facere potuiſset. Nimirum, inſpiciantur loca quæ corrupta contendit; Si quis eum præſtandum ſuſcipiat; Quid eſt,quominus ipſis, non veritati videar faviſſe? Equidem ſanctiſſimo vitæ propoſito virum, cognitione hiſtoriæ multa, quæ peregrinando quæri poterat, minus literarum ſcientia valuiſse puto, quam ut ab hujuſmodi præjudicio ſibi caveret. Non quod Religioni ipſis fuiſse putem Scripturarum ſuarum ſinceritatem, ſi ipſis adulterandis Chriſtianiſmo obſtari potuiſſet; ſed quod nulla ſpes eſset, poſse ei lectioni auctoritatem quæri, quæ, intentis in omnem occaſionem, probandi ex veteribus Scripturis Chriſtianiſmi, Chriſtianis obſtaret. Itaque ſi quæ ſunt loca, quæ nunc ab ipſis male legi ratio ſuadeat; tamen, cum propoſitum eorum, lectio quam uſurpant non conficiat, malignitatis eſſe hujuſmodi adulterium videri poteſt, aſtutiæ, videri non poteſt. Legendum eſſe כרו non כָּארִי *Pſalm.* XXII. 17. וַיִּקְרָא non וַיִּקְרָא *Eſ.* IX. 5. קולם ſecundum Apoſtolum *Rom.* X. 18. e Græco, non autem קַוָּם, quomodo nunc in Ebraico codice legitur, non invitus concedam: Sed ut, primo horum locorum, ipſi dubiæ lectionis notam opponunt; Ita reliqua, ſi legerentur quomodo ipſi legunt, quid Chriſtianiſmo periret? Omnino, cum non ſtatim, nec temporis momento, diſcidium Eccleſiæ & Synagogæ factum ſit; vix fieri potuit adulterium Scripturarum, quæ, per non exiguum temporis ſpatium, utriſque communes fuerunt. Si quid labis eorum codicibus accidit, communi potius omnibus literarum monumentis cauſæ imputanda videtur; temporis ſcilicet vetuſtati. Nam poſt eaſdem Veteres

Scripturas in *Syriacum*, in Latinum verſas, quæ ſpes erat, *Judæos*, adulteratis eis fidem mereri potuiſſe?

Certiſſimam eſſe Fidem totius inſtrumenti Eccleſiaſtici.

Cum primum prædicabatur tam *Judæis* quam Gentibus Fides ab Apoſtolis, vulgatæ erant non minus *Græce* quam *Hebraice* Veteris Teſtamenti Scripturæ; non dubio Dei conſilio ſternendi viam Evangelio, cujus rationes, non minus Gentibus notæ eſſe cœperant ex *Græcis*, quam *Judæis* ſemper fuerant, ex *Hebraicis*. Itaque non eſt mirum, citari non minus *Græcas* Scripturas ab Evangeliſtis & Apoſtolis, quam *Hebraicas*; Idque nulla manifeſta diſcriminis ratione. Nimirum, ſatis eſſe ad Fidem fundandam, in utriſvis manifeſtum erat. Satis luculente ex utriſvis exponi poſſe & affirmari rationes, propter quas Chriſtiani eſſe omnes deberent. Neque eſſe injiciendum ſcrupulum *Judæis* Gentibuſque ad Fidem convertendis, propter diſcrimen exemplarium, quæ utraque Fidem Chriſtianam cumulate affirmarent. Itaque non poteſt accipi in præjudicium damnandi utriuſvis Codicis, quod nunc hoc nunc illo utuntur Novi Teſtamenti ſcriptores, in adducendis teſtimoniis veteris Scripturæ. Argumento potius eſt, adhibendum eſſe utrumque ad ſenſum ejus conſtituendum & definienda controverſa, (poſtquam ſatis eſse utrumlibet ad Fidem probandam, ideo manifeſtum eſt, quod non minus ex *Hebraico Judæi*, quam Gentes ex *Græco* crediderint) ſi utrumque Novi Teſtamenti Scriptores, non manifeſto ſemper conſilij ſui diſcrimine, adhibuerunt. Sed idem adhuc longe manifeſtius eſt ex Origenis labore, Eccleſiæ acceptiſſimo; Quem nemo neſcit, *Hebraicum* Codicem, cum *Aquilæ*, *Symmachi*, & *Theodotionis*, Eccleſiæ hoſtium Verſionibus, in unum volumen, ſive *Tetraplum*, ſive *Hexaplum*, ſive etiam *Octaplum* compactum, (additis nimirum aliis Verſionibus Eccleſiaſticis) uno conſpectu legendos Eccleſiæ exhibuiſſe. Quid enim hoc erat, quam *Agar* ancillam *Saræ* facere, & *Judæos* ſervos Chriſtianorum capſarios, qui titulorum dominicorum inſtrumentum circumferrent? Quis

autem

autem neget, Eccleſiæ ac Fidei teſtimonium ab Eccleſiæ & Fidei hoſtibus perhiberi, cui integrum ſit, ex hoſtium ſuorum teſtimonio pro Fide pugnare? Et tamen Origenis Epiſtola ad *Africanum*, de qua dictum eſt, oſtendit, neminem Eccleſiaſticis *Græcæ* Scripturæ Codicibus plus tribuendum putaſſe quam Origenem; Neminem gravius metuiſſe, ne laborare videretur Eccleſiæ fides, ſi ad eam aſſerendam *Hebraicæ* Scripturæ auctoritas adhibenda putaretur. Nam ad ejus ſenſum, ſicubi opus eſſet, conſtituendum, quid impediret utrumque Codicem adhiberi; Quando Fides in tuto ſit, Novi Teſtamenti Scripturis ad amuſſim Eccleſiaſticæ Traditionis intellectis? Præterea, quamvis punctorum vocalium methodum *Judæis*, poſt repudiatum Dominum Chriſtum tribuamus; tamen, poſt receptam S. *Hieronymi* Verſionem ex *Hebraico*, nulla alia auctoritate opus eſt ad ejus fidem aſſerendam, quam totius Occidentis Eccleſiæ. Niſi quod taceri non debet Eccleſiarum *Meſopotamiæ*, aliarumque, quæ *Syriaco* ſermone utuntur, exemplum; apud quos, certum eſt, Verſionem Scripturarum ex *Hebraico* S. *Hieronymo* longe antiquiorem eſſe. Extant enim S. *Jacobi Niſibeni*, S. *Ephrem Edeſſeni* ſcripta, aliorum ſcriptorum memoria extat, qui non aliis Scripturis uſi ſunt. Quin, quod adhuc ſciam, verſarum apud eos ex *Græco* in *Syriacum* Scripturarum nulla perhibetur memoria; Adeo facta eſt ab antiquo. Merito igitur ſequi potuit hanc auctoritatem S. *Hieronymus*, cum *Hebraicum* codicem redderet Eccleſiæ Occidentis. Sed ipſam totam immanem errorem erraſſe oportuit, cum S. *Hieronymi* verſionem, ad *Hebraicos* codices factam, ope tamen verſionum *Aquilæ*, *Symmachi*, & *Theodotionis*, Eccleſiæ hoſtium, in uſum recepit, ſi *Hebraicarum* codicum fidem ſequi nefas fuiſſet. Quid enim unquam ulli omnino hominum Societati æque *lex* eſt, ac id quod uſu obtinet? Adeo quidem, ut ſcriptæ leges, ſed uſu non receptæ, vocis tantum æquivocatione *leges* dici videantur; Quaſi quæ leges quondam

fuerint, aut alibi ſint, aut etiam eſſe debeant, non tamen ſint, quæ modum agendis non definiunt. Itaque, quod S. *Hieronymi Verſio* per Occidentem obtinuit, plus multò eſt, quam ſi totius Occidentis decreto ſcriptum fuiſſet, ut obtineret. Nam quod mutari potuerint codices *Hebræi*, ab eo quod convertit S. *Hieronymus*, quid opus eſt diſputari; cum ratio conferentem doceat, non fuiſſe ſtudio mutatos? De quo dubio eſſe nullum poteſt cogitanti, longe aliter mutandam *Judæis* veterem Scripturam fuiſſe, ſi *Judaiſmum* ſuum hac ratione Fidei præferre inſtituiſſent? Eadem cauſa fuit, cum, renaſcentibus in Occidente bonis literis, cœperunt Scripturæ ſacræ ſtudioſi, de *Judæorum* ſcriptis in uſum Eccleſiæ aſciſcendis ſoliciti eſſe. Nam ab hoc initio, non ſolum Biblia *Hebraica* punctis vocalibus apicibuſque diſtincta, typis propagata ſunt, non ſolum poſteriorum Magiſtrorum in Scripturas Commentaria, ſed etiam Verſiones *Chaldaicæ*, & quæ antiquiorum Magiſtrorum nomina præferunt, a quibus propagatæ ſunt Traditiones Phariſæorum. Quinetiam certatim hoc tempore viri docti, de auro ex ſtercore Talmudico ſeligendo contendunt, & Dei Tabernaculum ex opibus Ægypti ſtruere ſatagunt. Neque enim negandum eſt, tantum harum literarum uſu, ad illuſtrandas utriuſque Teſtamenti Scripturas profectum eſſe, ut magnopere interſit Eccleſiæ, non excuti eas ſtudioſorum manibus, priuſquam, quid eorum penitus perſpectis inſtitutis effici poſſit, exploratum fuerit. Semper tamen conſtitutum eſſe debet, nihil inde afferendum, quod ad infirmandam, ſed id tantùm, quod ad affirmandam, ſive Eccleſiæ Fidem, ſive Leges quibus Unitas ejus continetur pertineat. Hæc enim, cum communi omnium Chriſtianorum ſenſui expoſita ſint, non poſſunt eis labefactari, quanquam eis illuſtrari poſsunt, quæ ad declarandas eorum rationes ac mentem, ex *Judæorum* ſcriptis afferri poterunt.

Itaque

Digitized by Google

Itaque non aſſentior illis, qui laboraturam communem Fidem cenſent, ſi concedamus, vel vitij aliquid in *Hebraicum* codicem incidiſſe, vel *Græce* verſum ab initio, quod in exemplari *Hebraico* non erat, vel recte verſum ab initio ita fuiſſe depravatum injuria temporis, ut quid ſcriptum fuerit deprehendi non poſſit. Nam de illorum hæſitatione minus ſolicitus ſum, qui ita depravatum poſt Origenis tempora *Græcum* codicem metuunt, ut alias Scripturas *Græcas* habeamus. Is cum *Græcum* codicem aſteriſcis diſtinctum, (quibus, additum ſignificabatur ex *Theodotione*, quod a LXX. verſum non fuerat) & obeliſcis, (quibus, abeſſe ab *Hebraico*, quod LXX. poſuerant) factum eſt tempore, & librariorum incuria, ut his notis neglectis, alius *Græcus* exiſteret, ab eo qui primum verſus eſt. Majoris difficultatis exemplum pono, in ætatæ παιδοποιΐας Patrum ab initio ſeculi ad *Abrahamum*; quæ ita major eſt in *Græco* quam in *Hebraico*, ut quaterdecies centum annis antiquior Mundus colligatur ex eo, quam ex *Hebraico*. Nam hoc diſcrimen adeo antiquum videtur, ut repudiatam a *Judæis* Fidem antecedat; (quippe quod in Samaritico etiam, in intervallo a *Diluvio* ad *Abraham*, idem comparet) Neque poſſit malæ *Judæorum* fidei imputari, quod ad ipſorum cauſam non faciat. Neque tamen adhuc idonea aliqua cauſa allata eſt, propter quam aliud ponere voluerint qui *Græce* verterunt, quam quod in ſuis exemplaribus extaret. Merito ſane *Joſephus Scaliger Euſebium* putat hanc differentiam initio primi libri Chronicorum poſuiſſe; Cui tamen impedimento non fuit, (ut neque alia ulla *Græci* codicis ab *Hebraico* differentia) quo minus luculentis demonſtrationis præparationiſque Evangelicæ libris, tam adverſus *Judæos* quam Gentiles Fidem aſſereret. Quin, neque prædicationi Evangelicæ obſtitit, quo minus ſeculum in obſequium Fidei ſubigeret. Quo magis metuendum nunc eſt, ne contendendo de Fide exemplarium diſſipetur, quam exemplarium diſcrimen impedire non potuit, ne coaleſceret. Itaque mihi, de rei

Non eſſe Fidei periculoſum, vitiatos alicubi codices videri.

veritate

Digitized by Google

veritate pronuntiandum non eſt, quamdiu inter eruditos non conſtat, quam opportunum ſit illud laxamentum intervalli annorum a diluvio ad *Abrahamum*, quod *Græci* codicis numeri introducunt, recipiendis *Babyloniorum*, Ægyptiorum, *Sinenſium* & temporibus & rebus, ſi quando eis eruditorum hominum ſtudia hiſtoriæ fidem aſſeruerint. Nam & *Manethonis Dynaſtias*, non deſunt qui ad temporum rationem, & proinde ad hiſtoriæ veritatem κτ̀ συγχρονισμὸν reduci poſſe putent: Et, *Sinenſium* res ſi nobis aliquando notiores evaſerint, intererit communis Chriſtianiſmi, non obſtare Scripturas ſacras eorum Traditioni, cum nihil neceſſe ſit. Certe libenter admodum *Auguſtinus*, aliique veteres Eccleſiæ Scriptores, Ægyptiorum tempora ſacris literis conciliaſſent, qui alieniores conciliandi rationes commenti ſunt. Hoc exemplo conſtat, quam temere laboratura Fides videatur, ſi vitium aliquod *Hebraici* codicis agnoſcatur. Quid? ut tota, uſque ad *Hieronymi* receptam verſionem Eccleſia, fundamentum Fidei idoneum non habuerit; *Græca* tota ab *Hieronymo* idoneo veritatis inſtrumento caruerit? Hæc ſunt nimirum neglectæ Traditionis Eccleſiaſticæ conſectaria; Cujus ſinceritate conſervatam Fidei integritatem, ſi temporis injuria obliteret, non poterit eam, introducta vera veteris Scripturæ lectio reſtaurare. Itaque non contendam, quo minus potuerint *Hebraicum* codicem rectius & legere & intelligere *Judæi* qui *Hebraice* loquebantur, quam *Helleniſtæ*, qui primi *Græce* Scripturas verterant. Crevit enim a reditu Captivitatis Scripturæ ſtudium. Sed hoc, cum compenſare non poſſit impedimenta, quæ, procedens cum tempore ſuperſtitio *Judaica* Fidei objiciebat; magnam fuiſſe oportet Eccleſiæ cauſam, cur eam verſionem retineret, quæ ante hanc introductam ſuperſtitionem facta fuerat. Nimirum, de auctoritate librorum quos *Apocryphos* appellamus ſatis dictum eſt; Quorum apud ſcriptores lectoreſque *Græca* Verſio obtinebat, apud quos, ſuperſtitio *Judaica* non obtinebat. Glorientur

Judæi

Digitized by Google

Judæi obſcura diligentia ſua,qua literarum apicumque ſuorum cenſum inierunt, & in *Maſoram* ſuam retulerunt.Nunquam efficient,ut extitiſſe hoc opus conſtet,antequam Fides ab ipſis repudiata eſſet.Itaque ſepes erit ſolius Literæ Legis, cui Spiritus abſit. Erit cur diligentiam eorum amplectantur Chriſtiani,ut capſariorum ſuorum ; Non erit cur rationem Fidei conſtare dubitent, quod manifeſtum ſit, in Novi Teſtamenti Scripturas eam lectionum varietatem incubuiſſe, quam moroſa *Judæorum* diligentia Veteribus prohibuerit. Nam ſi, de Lege ſalutis Novi Teſtamenti Scripturis prodita ſoliciti non ſint ; ad cujus lineam dirigenda conſtare debet, quæcunque vel *Hebraica* vel *Græca* Veteris Teſtamenti lectio ſuppeditat ; non erit quod de diſcrimine contendant,pluſquam ad communem Fidem interſit. Nam ipſa Verſionis *Græcæ* antiquitas mirabiles occaſiones eruendi Veteris Scripturæ ſenſus præſtat, æſtimandæ reconditæ ejus eruditionis peritis. Significatio ipſa vocum,ſatis ſæpe ei diverſa, quam Magiſtrorum diſciplina, poſt Grammaticam ipſis excultam introducta exhibet, non patitur ſubintroductum ſibi ſenſum antehaberi. Sed ſi temporis antiquitas idonea cauſa eſt, cur nullum monimentum literarium erroris immune præſtari poſſit ; (Tanto quidem minus quanto, propter auctoritatem, uſumque, frequentius & terendum & tranſcribendum ſit) nulla erit totius Eccleſiæ inſtrumenti, nulla exteræ literaturæ pars repudianda, cujus adjumento, ad veram legendæ intelligendæque Scripturæ rationem graſſari liceat.

Sed tamen ex Reliquis emendari poſſe.

Itaque ego ne Samariticum quidem ſemper recuſandum putem, quamvis a *Doſitheo* corruptum. Neque enim conſtat, corruptelam ipſius, in pu blicum ejus Gentis uſum receptum. Et ſi conſtaret, inſtituta tamen ab eo propter aliquam cauſam, ob finem aliquem ſibi peculiarem, non poteſt putari omnes ejus partes occupaſſe. Equidem cum *Benjamim* Patriarcha apud ipſum nominatur, quaſi *in ſenectute ſuſceptus*, quem nos *Benjamin* ex *Ebraico* dicimus, quaſi

dextræ

dextræ filium, merito de veritate Scripturæ dubitari videtur. Quare multo minus pœnitet earum lectionum, quas ex *Syriaco*, lectioni *Ebraicæ* diverſas notavi. *Gen.* II. 2. *die ſexto* perfectam κϑϛμοσποιίαν, *Syriacus* codex cum *Samaritico* conſentit; *Græce* hoc mutatum dicunt *Judæi*, ne Gentiles dicerent, Deum ſeptimo die, hoc eſt, Sabbato opus feciſſe. *Gen.* XLIII. 28. להתנפל an *Ebraicum* ſit, quo ſenſu ibi uſurpatur, mihi dubium eſt. להתכל quomodo legit *Syriacus* codex, & verbis & ſenſui apprime conſentit. *Num.* XXXI. 28—48. diviſis in æqualia manubiis Midianiticis, exercitus *quingenteſimam*, Synagoga *quinquageſimam* Deo conſecrare jubetur; in *Ebraico* quidem codice. Nam in *Syriaco*, etſi idem editum eſt, tamen vetuſtiſſimus MSS noſtrorum habebat ubique *quinquageſimam*; Atqui is modus eſt primitiarum apud *Judæos* etiamnum, conſentiente *Talmudicis Hieronymo* in *Ezekielem*. 1 *Sam.* XVII. 12. neceſſe eſt cum *Syriaco* בא בשנים legere, non cum *Ebraico*, בא באנשים 1 *Reg.* XII. 1. *Ebraicus* codex habet, *Achabum Samariam* ad *Presbyteros Jezraelis* miſiſſe. Stare poſſet, ſi eſſet *Iſraelis*. Sed mitti *Samariam* ad Seniores *Iſraelis*, ſenſum non habet; Itaque in exemplaribus noſtris *Syriacis* non legitur. Illud perſpicuum, 2 *Reg.* XVIII. 27. *Rabſacem* miſſum ad *Jeroſolymiticam* plebem, *ne fæcibus ſuis veſcerentur & urinam biberent*; obſidione nimirum arctati, ut habet codex *Syriacus*; non ut hoc facerent, quod præfert *Ebraicus*. Quid? *Judicum* XIV. 15. nonne probabilius legetur ביום הרביעי quod habet codex *Syriacus*, quam השביעי quod *Hebraicus*? 1 *Sam.* VI. 19. ſi legeretur quinque millia, ut legit *Syriacus*, nonne magis conveniret ſenſui communi, quam cum quinquaginta legit *Hebraicus*? Quid, nomen filiæ *Saulis* quam duxit *David*, nonne rationem habet cum *Malcel* dicitur ex *Syriaco*, aſtipulante etiam *Græco*, quam non habet, cum *Micol*, ex *Hebraico*? Quod addit *Syriacus* 1 *Sam.* XIX. 3. videbo quid *in mente ejus*; nonne liquidiorem orationem facit, quam ſi deſit ut in *Hebraico*? 1 *Sam.* XX. 14. nonne

clarius

Digitized by Google

clarius legeretur לוא *utinam*, ut legit *Syriacus*, quam ולא *non*, ut nunc *Hebraicus*? 2 *Sam.* IV. 6. pro חטים *Syriacus* legebat חטאים. Videat lector; Nam dubiam lectionem facit Græcus. Ejuſdem XII. 27. quod Hebraicus *civitatem aquarum* vocat, nonne melius *Syriacus*, *civitatem regni*? Plura occurrent ſtudioſe quærentibus. Verum hæc ſpeciminis loco erunt, poſſe ex Syriaco, poſſe ex Samaritico fortaſse interdum, licet raro, lectionem veteris Scripturæ emendari; (hoc eſt, ſenſum ejus conſtitui) Quod in reliquis exemplaribus, juſto volumine tentatum à doctiſſimo viro, neque ſemper probari, neque ſemper improbari poſſe ratio patitur.

Rationem recipiendæ intelligendæque Scripturæ Eccleſiæ auctoritate antiquiorem eſſe.

Qui igitur veritatem Chriſtianiſmi auctoritate Eccleſiæ antiquiorem agnoſcit, non poteſt inſtrumenti Eccleſiaſtici fidem, eodem cum veritate Chriſtianiſmi fundamento nixam, non Eccleſiæ auctoritate antiquiorem agnoſcere. Itaque neque Synagogæ; Quatenus quidem *Alexandrinorum* exemplarium, (ex quibus primum *Græce* verſas veteres Scripturas aſtruximus) fides, ad hodiernorum *Judaicorum* fidem adhibita, additaque, certam verbiſque, ſenſuique veteris Scripturæ hiſtorico, fidem aſtruit. Nam ſicubi aſtrui non poſſit, de ſenſu quidem ejus Scripturæ laborari poſſit; de eo quod fidei communis, vel ſalutis ſingulorum interſit, non eſt periculum ne laboretur. Qui de ſenſu *Tridentini* de Vulgatæ Verſionis auctoritate decreti litigant, cum ejus vim agnoſcant, num tantum intereſſe cogitent, inter ſententias, quas, ſalva Eccleſiæ auctoritate diſputari in ſuis partibus vident, quantum revera intereſt, ipſi videant. Illud poſitis conſequens eſt, S. *Hieronymum*, inſpirante Dei ſpiritu omnia vertiſſe; Eccleſiam, eodem auctore Spiritu, lectionem quam obtinere velint, illam ex multis electam auctoraſſe, fabulæ quam Fidei veritati ſimilius eſſe. Cujus ipſe S. *Hieronymus* auctor non ſit, quod Eccleſiæ, ante decretum conditum inauditum, nihil ipſum niſi inſpirante Dei Spiritu ſcripſiſſe; (Ac propterea, pro

Digitized by Google

Dei Verbo accipiendum, quicquid in ea Verſione poſitum legitur,quantumvis ab Ebraico, quod vertebat, diverſum) hoc quid eſt, niſi pronunciante Eccleſia, poſt mille amplius annos, divinitus inſpiratum eſſe, quod S. *Hieronymo*, non niſi improbo labore proveniebat ? Atqui iidem viri doctiſſimi, non deſinunt propterea, Græcam τῶν ό′ Verſionem, ipſam etiam divinitus inſpiratam contendere : Utramque Verſionem pro Dei Verbo habendam, quantumvis & a ſe ipſæ, & ab eo unde converſæ ſint diſcedant. Adeo Eccleſiæ decretum *Tridenti* factum, adeo famam, de miraculo ejuſdem Verſionis LXXII. viris inſpiratæ, idem valere volunt, ac ea omnia, quæ fundandæ Fidei communi Scripturis prodita dictum eſt, ab initio. Hujus ſententiæ prodigium, communis Fidei fundamentum ad eam vim redigentis, quæ famæ de cellis tribuenda ſit, quæ decernentis Synodi auctoritati, exemplo erit abſurdarum ſententiarum, falſo fundamento conſequentium, cum ratio credendi in Eccleſiæ decernentis auctoritatem deſinere dicitur. Nam quod ad Traditionem attinet, vel Synagogæ de Verſione τ῀ ό′,vel Eccleſiæ, de S. *Hieronymi* Verſione divinitus inſpirata, tum demum credendum erit eam extare, cum ipſos, legationis Propheticæ fidem ſibi, idoneis editis operibus, feciſſe, conſtabit. Quid illi dicturi ſunt, qui de nullius Scripturæ veritate, propter codicum corruptelam, conſtare poſſe diſputant ? Nonne honeſtam Eccleſiæ perſonam imponunt, de verſionis auctoritate decernendi, qui nullam authenticam extare Scripturam diſputant ? Neque tamen minus abſurde, qui laboraturam Fidem ſomniant, ſi de vitio codicis *Hebraici* ſuſpicio ſit. Quaſi ſingulos apices iis rationum momentis affirmare poſſint, quibus affirmari communem fidem conſtat. Itaque, cum extremas ſententias tanta ſequantur abſurda, qui eam ſequi vult rationem, quam in recipienda communi Fide ſequi omnes oportet, univerſum Eccleſiæ inſtrumentum, (id eſt, omnium veterum ſive exemplarium, ſive verſionum

fidem)

ſidem) ad conſtituendam authenticam utriuſque Scripturæ lectionem adhibebit. Neque in eas ſe anguſtias conjiciet, ut, (cum major alterutrinque auctoritas extet, quare ſic potius legendum ſit, quomodo orationis & ſcopus & textus legi vult) inſerviat hypotheſi ejus auctoritatis, quam vel *Judaico* codici, vel Eccleſiæ uſitato, ipſe ſponte tribuerit; cum etiam Eccleſiæ auctoritate antiquior ſit. Neque tamen minus abſurda erit altera *Tridentini* decreti interpretatio, quam Fidei periculoſam non eſſe largiendum eſt; Si tamen intelligi velint, ab ejus auctoritate recedi non licere, quaſi quæ ſemper verum ejus ſenſum reddat, quod vertendum ſuſcipiebat. Cum enim accendendi ſint, decretis Eccleſiæ, Scripturæ ſtudioſi, ad ejus verum ſenſum eruendum, (quem ſemper ad pietatem facere neceſſe ſit; tanto autem magis, quanto propius, quod quæritur ad Fidei Regulam accedit) mirum niſi majus operæ pretium facturos ſe credituri ſint, ſi S. *Hieronymi*, quam ſi Sp. Sancti mentem ac ſententiam inveſtigare ſe credant. Aut ſi pariter credituri ſint, Spiritus Sancti ſe mentem aſſecutos, ſi *Hieronymi* ſententiam aſſequantur, propter Eccleſiæ decernentis auctoritatem; atque ſi propter Eccleſiæ Tradentis teſtimonium, legitimis ſe rationibus, ex univerſo Eccleſiæ inſtrumento, eum aſſecutos exiſtiment. Tantum intereſt, legitimos Eccleſiaſticæ auctoritatis fines neglexiſſe; Quæ ſi huc tantum adhibita fuiſſet, ut Fideles ſecuros redderet, poſſe Vulgatam Verſionem ſine gravioris erroris periculo adhiberi, haberent in quo vires ſuas, ad illuſtrandam divinitus proditam veritatem exercerent. Cum ad ea ſe extendit, quæ non auctoritate Eccleſiæ, ſed literarum peritia dijudicanda eſſe, communis hominum ſenſus fidem facit, mirum niſi Hæretici videri debeant, qui rei tam abſurdæ non plaudant. Itaque, ut, quod univerſim dictum eſt, uno verbo, de auctoritate *vulgatæ verſionis novæ Scripturæ* dicam; Quis repudiet, quo minus, ſi explorata eſſe poſſet, in tanta varietate lectionis, quantam extare

novimus, unius codicis fides, eam ſibi pro omnibus amplectandam putet? Sed cum ex tot codicibus, tanta prodita ſit lectionis varietas, quantam Bibliis Londinenſibus proditam reperies; quis hominum, communi ſenſu prææditus, tot antiquiſſimis exemplaribus abrogatam fidem, uni quamvis vetuſtiſſimo, ex quo facta eſt vulgata verſio, aſſignandum putabit?

Non officere hæc Fidei communi.

Quod ſi quis putet, prodita hac legendi varietate, poſſe naſci in communem Chriſtianiſmum offendiculum; Is primo agnoſcat, nullum poſſe inde offendiculum naſci, quod in *Ebraicum* veteris Scripturæ codicem errorem cadere poſſe aſſerimus. Cum enim, tanto pluris intereſſe novam Scripturam communis Chriſtianiſmi quam veterem, certum ſit, quanto pluris eſt *Spiritus litera*, anima corpore: Et tamen, in exemplaria novæ Scripturæ tantam incidiſſe lectionis varietatem, negari non poſſit; Quis ad contumeliam communis Chriſtianiſmi pertinere concedet, emendari interdum *Ebraicum* veteris Scripturæ codicem poſſe, concedi? Tum vero, recolat idem quod dictum eſt, cum, a myſtico veteris Scripturæ ſenſu poſſe novæ ſenſum aſtrui, aſſerendum ſunt. Neque enim omnino verendum erit, perire quicquam poſſe integritati Chriſtianiſmi communis, eo quod non ſemper ex novæ Scripturæ veritate conſtare poſſit. Quod, in veteris Scripturæ lectione, locum habere debet multo magis. Neque enim tum verendum erat, ne myſtico veteris Scripturæ ſenſu aſtrui poſſit, ad integritatem Chriſtianiſmi pertinere, quod novis Scripturis multo apertius proditum non ſit. Fuſus enim per totam Scripturam, tam veterem quam novam, communis Chriſtianiſmus; (pro ratione tamen temporis, quod obſcuriori ejus vel clariori promulgationi Deus conſtituerat) tum autem, brevi Eccleſiarum traditione, per Chatechiſmum baptizandorum, proditus ad poſteritatem; non debet videri de fide periclitari, ſicubi verborum, quibus aliquibus in locis proditus legitur, fidem, diverſæ lectionis fides

fides in dubium vocet. Omnino, qui *Regulam Fidei*, quam hoc loco communem Chriſtianiſmum appello, tum ad auctoritatem Eccleſiæ ſupponit, tum ad illud judicium, quod cuique de omnibus ferendum eſt, quæ Dei Spiritum auctorem ferunt; facillime ſe & clariſſime omnibus, tam de literis quam de ſenſu Scripturæ difficultatibus expediunt, quibus extremas utrinque ſententias neceſſe eſt implicitas hærere.

CAP. XXXI.

Jus ſummarum Poteſtatum in Eccleſiaſticis, a jure Eccleſiæ, rationibus ex Scripturis Novi Teſtamenti ductis, diſcernendum eſſe; Addicentibus etiam Veteris Teſtamenti Scripturis.

Fundus Juris Poteſtatum Seculi in Eccleſiaſticis.

NIHIL actum eſt his omnibus, quamdiu, de jure civilium hujus ſeculi poteſtatum in ſacris Chriſtianorum, non conſtat. Cum enim, in hodierno Eccleſiæ diſcidio, diverſas partes tueantur ſæculi poteſtates; cum, nullo exiſtente diſcidio, Legibus ſummarum poteſtatum Fidei ſtatus & Eccleſiæ & niti debeat, & nixa ſit ſemper a Conſtantino; non erit de generali diſputationis noſtræ quæſtione tranſactum, priuſquam qua ratione, ac proinde, quatenus, niti poſſint Fideles ſummarum poteſtatum legibus, in Eccleſiaſtica colenda communione, definitum fuerit. Poſt Funeſtum ſane civilis apud nos belli exitum, incidit inter ſe victoribus quæſtio, nunquis eſſet in Verbo Dei fundus Eccleſiæ *Nationalis*. *Nationalem* autem volebant, ut opinor, quæ Reipublicæ ejuſdem finibus contineatur; cum de Regno Angliæ quæſtio eſſet, quibus legibus regenda per Angliam Eccleſiæ & Fides eſſet; Quamvis, ſi rem ſpectemus, non eſt dubium, unius Reipublicæ jure plures *Nationes*, plurium

um Rerumpublicarum jure ac finibus unam eandemque *Nationem* contineri poſſe. Sed quæſtionis ſuæ exitum, non eſt mirum eos invenire non potuiſſe, qui ejus fundum, Eccleſiæ Catholicæ ſtatum, communione ſenſibus ſubdita conſtitutam divinitus, non præmittebant. Dictum enim eſt ab initio, non poſſe illum, vel ab eis qui ſingulos cœtus, omni alio a Fidei & Charitatis vinculo abſolutos, Eccleſias eſſe putant jure divinitus conſtituto, agnoſci, vel ab eis, qui nullam Eccleſiam eſſe volunt, niſi Seculi legibus conſtitutam. Soli inter partes, qui ſucceſſionem Apoſtolorum, in Epiſcopatu eorum auctoritate conſtituto, agnoſcebant, expedire poterant rationem, qua Seculi legibus in ſacris parendum eſt. Sed cum hæc ratio aliter non procedat, niſi in omnibus obtineat, ubicunque inſtaurandæ Eccleſiæ quæſtio verſatur; generaliter, tum de fide tum de legibus Eccleſiæ definiendum fuit, traditis ab initio terminis totam ejus rationem contineri. Sane, cum unam ab initio Eccleſiam fuiſſe demonſtratum eſt, quæ ſalva unitate inſtauranda ſit; manifeſtum factum eſt, poteſtatis modum, quam ſingulis partibus ejus, in communibus condendis definitionibus tribui oporteat, non niſi perpetuo unius Eccleſiæ uſu, ab origine repetito, haberi poſſe. Itaque hic hæreri neceſſe eſt. Cum enim nullum ſit, ſecularis poteſtatis, ad tuendam & augendam Eccleſiam adhibitæ, exemplum, ante Conſtantinum; Hoc eſt, trecentis quibuſdam a Chriſto annis; Merito quærant moroſi, qui conſtet, ex Dei Verbo, ex Evangelici fœderis lege, ex inſtituto Apoſtolorum acta, quæ non totam ab initio Eccleſiam, ſed neque ſui ſeculi totam, ſed eos tantum Epiſcopos, quorum conſilio uſos ſeculi poteſtates credi poteſt, auctorem habeant. Ut igitur teneantur termini, intra quos ſi verſentur Seculi poteſtates in ſacris, perperam quidem agere poſſint, Eccleſiæ jura per *Sacrilegium* uſurpare non poſſint; ad unius Eccleſiæ hypotheſim, (quam, ex præmiſſis, tanquam conceſſam ſumimus, & promiſſam, Pro-

phetarum

Digitized by Google

phetarum ab initio vocibus, vocationem Gentium in ejus communionem prædicentium) altera aſciſcenda eſt *ſumptio*, inculcata literis Apoſtolorum, tanquam ad Fidei ſive ſubſtantiam, ſive integritatem pertinens; Integra eſſe, omnibus hominum Ordinibus jura hujus Seculi, poſtquam Fidem profeſſi, in Eccleſiæ communionem aſciti ſunt. His enim conſtitutis, non erit opus diſerte caveri, Eccleſiæ ſua jura manere, ſubingreſſis in Eccleſiam ſeculi poteſtatibus; Cum Eccleſiæ divinitus conſtitutæ hypotheſis hoc habeat, Eccleſiæ jura, ſive homines, ſive res ſpectent, ſive cauſas hominibus rebuſve annexas, ſacroſancta habenda eſſe, nec ſine ſacrilegio violari poſſe. Sed ad *Sumptionis* noſtræ veritatem ſtatuendam adhibenda eſt S. *Pauli* diſputatio 1 ad *Cor*. VII. 17—24. ubi, poſtquam de matrimoniorum jure, ante Fidem initorum, ea excepiſſet, quæ propter Fidei legem videbantur excipienda, pergit, quod reliquum eſt generaliter definire; in eo vitæ ſtatu cuique manendum, in quo ad Fidem vocatus ſit. Nam, ſi quem vitæ ſtatum Fides vetet; quæſtum puta meretricium aut lenonium, & ſi quid hujuſmodi, legibus ſeculi tum permiſſum, vetaret Fides; cautum Eccleſiæ inſtitutis ſupponendum eſt, non niſi abdicato hujuſmodi vitæ ſtatu ad Fidem perventum fuiſſe. Sane, nullibi gravior quæſtio, quam de *ſervis*. Quid enim naturæ juri, quid lenitati Fidei adverſius? Itaque de eis diſerte Apoſtolus, atque ita, ut S. *Chryſoſtomo*, Interpretique tam *Syriaco* quam *Arabico*, (id eſt, ut opinor, *Diœceſis* Orientalis doctoribus) videatur, expedire ipſorum ſaluti, in ſervitute quam ſerviebant cum ad fidem venirent, manere, pronuntiare. Sic enim illud interpretantur; Ἀλλ' εἰ καὶ δύνασαι ἐλεύθερος γενέσθαι, μᾶλλον χρῆσαι· quaſi, *etiamſi liberi fieri poſſint*, uti eos malit eo vitæ ſtatu, in quo ad Fidem pervenerint. Idem ita *Timotheo* docendum mandat 1 ad *Tim*. VI. 1, 2. ut ad exiſtimationem Fidei pertinere velit, quod ad ſingulorum Fidelium religionem exſolvendam præſtandum eſt ita præſtari,

ſtari, ut Deo præſtetur. Idem docet, ad *Eph.* VI. 5—9. ad *Col.* IV. 11. Item, ad parentum liberorumque Officia idem pertinere ad *Eph.* VI. 1—5. ad *Col.* IV. 1. Ad poteſtatum ſeculi civiumque Officia ad *Rom.* XIII. 1—6. ad *Titum.* III. 1. Quo in loco II. 9—11. ita ſervorum Officia ab adventu Domini arceſſit, ut, quantum Fidei interſit hanc rationem teneri, ſatis oſtendat. Congruunt exacte quæ docet Apoſtolus, eis quæ docuerat Dominus, etſi inſinuanda obſcurius, quam clarius profitenda, ex inſtituto Dominicæ prædicationis; ut ſuo loco dictum eſt. Natus ſane eſt, ex ſtirpe olim Regia familiæ *Davidicæ*, Dominus; non eo, ut videtur, conſilio, ut integrum ſibi jus ſummæ in Dei populum poteſtatis vindicare poſſet, plebemque *Judaicam* ad arma capienda, Chriſti ſui Regno aſſerendo, conſternare; (Quæ *Judæorum* ſemper ſpes eſt, poſtquam repudiato Domino, qui aliud profitebatur, eum ſibi expectandum Chriſtum propoſuerunt, qui ſe, ſervitute Gentium liberatos, Terræ promiſſæ compotes reddat, ubi Deo ex Lege colendo vacent) Sed ut ſpirituales *Judæos*, ſpirituale hujus, æternum futuri ſeculi regnum ſperare doceret. Itaque & delaturæ ſibi regnum plebi ſubduxit ſe, *Joh.* VI. 15. Et *Pilato*, cui ſuſpicio injecta fuerat, æmulum *Cæſarei* regni regnum ejus eſſe, diverſum illlud omnibus hujus ſeculi regnis, diſtinguendo reſpondet, *Joh.* XVIII. 33—37. Quam reſponſionem, illam *Fidei profeſſionem* eſſe docet S. *Paulus*, 1 ad *Tim.* VI. 14. cui *teſtimonium coram Pontio Pilato* tulerit. Ac propterea, ne communis quidem dividendæ hæreditatis arbitrum ferre ſe voluit, *Lucæ* XII. 13. & S. *Petrum* increpuit, cum, ut ejus vitam cuſtodiret, gladio uſus eſt, *Mat.* XXVI: 51—54. *Joh.* XVIII. 10. Quæ, etſi obſcurius dicta, pro ratione temporis, prædicatione Apoſtolorum illuſtrata, manifeſtam fidem faciunt, fundatiſſimi in ipſa Fidei radice dogmatis. Idem enim eſt prorſus cum illo, quod Eccleſia ſemper ratum eſſe jubet; non poſſe *in gratia fundari hujus ſeculi dominium*. Nimirum,

univerſum

univerſum hujus ſeculi jus ac dominium in ſupremam Poteſtatem definit, eaſque leges, quibus ſingulæ Reſpublicæ, ſuis civibus, legitimos ſuarum eſſe rerum Dominos præſtant. Quod ſi *Fidei* nomine, (ut quicquid ad Religionem Chriſtianorum pertinere videri poteſt, *Fidei* nomen hoc loco contineat) jus gladij conſtare cuiquam videri poteſt, ſummam Poteſtatem conſtituens, eo ipſo, non ſolum ſibi, ſed idem jus ſecutis omnibus, eandemque cauſam tuentibus, aſſerit, quicquid ejus cauſæ titulo poſſidet; Quin & omnibus qui aliquid obtinent, Legibus ſummæ Poteſtatis, eis armis conſtitutæ. Nam, qui jure ſuo excidant, ſi ejus poteſtatis jus negent, eis, ejus poteſtatis jure, rerum ſuarum conſtare dominium cenſendum eſt. Quæ ſi memoria teneantur, non erit mirum, tam reconditi dogmatis profeſſionem, quam hoc fortaſſe cenſeri poteſt, ad communem Fidem pertinere videri. His igitur cum, juri poteſtatum ſeculi, ita prædicatione Fidei conſultum ſit, ut accepta Fide nihil ei decedere poſſit; cumque, ante acceptam Fidem, integrum ſummis Poteſtatibus Legum civibus ſuis ferendarum jus ſit, manifeſtum eſt *Fidelibus poteſtatibus*, Fidelibus etiam civibus, integrum dandæ legis jus eſſe. Neque enim excipi poſſunt quæ ad Fidem communem pertinent; In quibus, cum communis utriſque Fides ſit, proprius partibus, ſummarum poteſtatum vel civium ſtatus ac perſona, quid eſt, quo negetur eis, propter Fidem, de pertinentibus ad Fidem legis dandæ poteſtas? Nam de *Judæis*, *Gentilibus*, *Muhammedanis*, *Apoſtatis*, *Hæreticis*, *Schiſmaticis*, ſi quæ ſumma poteſtas cives habeat ſubditos, qui ſe hoc eſſe ferant, alia ratio eſt. Neque quicquam magis probat jus dandæ legis Fidelibus, quam neceſſitas dandarum Legum civibus Fidem non agnoſcentibus. Nam eo ipſo, quo, diverſa Lege haberi eos a Fidelibus oportet, eo ipſo, ponendarum Legum Fidelibus, de pertinentibus ad Fidem, jus eſſe ſummis Poteſtatibus Fidem profeſſis oportet. Puta nihil aliud, quam,

Digitized by Google

tacito decreto, immunes præſtari vere Fideles pœnis,quibus obnoxij eſſe jubentur diverſi. Nam immunes eſſe pœnis, quis neget ad præmium pertinere ? Quis, neceſſe eſſe, aliquam *Infidelibus* perverſeve credentibus pœnam conſtitui, quoties Fidei contemptus, non ſolum ad turbandam pacem publicam, ſed ad poteſtatis publicæ contemptum ; unde non procul abeſt violatæ pacis publicæ cauſa ; pertineat ? Neque totum hoc quicquam habet, quod ad violandum divinitus conſtitutum jus Eccleſiæ pertineat, ne ſacroſanctum videatur. Quicquid enim ad *Fidem* pertinet, (ut tota Chriſtianiſmi Religio *Fidei* nomine hic cenſeatur) jure Eccleſiæ divinitus indulto definitum, eo ipſo *ſacroſanctum* eſſe neceſſe eſt, nec niſi per ſacrilegium violari poſſe. Itaque ſuperveniens poteſtas publica nihil aliud quam Eccleſiam tuetur, quoties vel Fidem, vel quod ad Fidem pertinet quoquo modo, legitimo Eccleſiæ jure definitum,in vim & effectum vindicat, appoſitis,ſicubi opus eſt, pœnis. Scite dicitur ſane, *Eccleſiam in Reipublica eſſe* ; quod alios habere cives ſubditos poſſit a Fidelibus, contra quos, niſi munita ſit Eccleſia, quis poteſtates Fideles facere quod ſuum eſt dicat ? Atqui non minus ſcitum eſt, *in Eccleſia Rempublicam eſſe* ; ſi vere demonſtratum eſt, unius Catholicæ Eccleſiæ Legibus , omnium Rerumpublicarum civibus colendam communionem eſſe. Nam cum ab *Irenæi & Tertulliani* temporibus , barbaras Gentes ad Eccleſiam pertinuiſse dictum ſit, quæ ad Imperium Romanum non pertinebant ; poſtquam in ejus jura ſucceſserunt Gentes Fidem amplexæ,quid pluribus opus eſt ? Quid enim manifeſtius eſse poteſt, poſitis quæ præmiſimus,quam, definiendi quid ad Fidem pertineat,quatenus totius intereſt, ad Eccleſiam, vindicandi ejus quod definitum eſt, ut vim habeat & effectum ſortiatur, ad ſummas Poteſtates, per ſuos quamque fines, jus pertinere ?

Hæc

Digitized by Google

Hæc quanti ſint ad cauſam a nobis ſuſceptam, obſcurum non eſt. Nam ſi verum amamus, quoniam inſita jam in Rempublicam Eccleſia, (hoc eſt, conſtitutis de Religione ſummarum poteſtatum legibus) diſcidium Eccleſiæ accidit, ejuſdem eſt difficultatis, quibus legibus, ſalva Chriſtianiſmi religione terminandum ſit Eccleſiæ diſcidium, definire, ac, quibus legibus ſubjicere ſe debent Regna & Reſpublicæ quibus conſtat orbis Chriſtianus, ut inſtaurari poſſit communio Eccleſiæ. Hoc, niſi præmiſſis, quæ jam conſtituta ſunt, non eſset ſani hominis definire aggredi. Sed, quia, ſtantibus eis, quæ ab hominibus Chriſtianis repudiari non poſsunt, quæ ab eis per legitimam conſequentiam pendent, neceſse eſt ſtare; pronuntiandum eſt univerſim, (unde minutioribus definiendis rationes ducendæ ſint) civiles hujus ſeculi poteſtates, cum in omnibus cauſis, tam Eccleſiaſticis quam Civilibus, non minus in *Ordinem Eccleſiaſticum*, quam in reliquos cives ſuos ac ſubditos, *ſupremæ poteſtatis jus* habeant; poteſtatem nullam *Eccleſiaſticam* habere poſse, civilis quidem poteſtatis jure: Eccleſiaſticum autem Ordinem, (cujus, omnem poteſtatem Eccleſiaſticam propriam eſse neceſse eſt) neque in ſeculi poteſtates, neque eorum Civium minimum, quos ſeculi poteſtates tuendos ſuſcipiunt, quicquam ejus juris habere poſse, quod ad ſtatum in hoc ſeculo cujuſque pertineat. *Eccleſiaſticam poteſtatem* quid intelligam, obſcurum eſse non poteſt, qui Dei lege inſtitutam Eccleſiæ communionem, in ſacris divini cultus officiis, oſtendi: Tum, propagandi Ordinis Eccleſiaſtici, condendarum legum, communionis Eccleſiaſticæ jure ſanciendarum; denique, diſpenſandi fiſci Eccleſiaſtici jure definiendam. Nam quicquid ex inſtitutione Eccleſiæ naſcitur, ad hominum jura pertinens, ex diſcrimine *plebis ab Ordine Eccleſiaſtico* nata; Quicquid cauſæ ſubnaſci poteſt, ex communi Chriſtianiſmo, quod vel ad Fidem, vel ad Unitatem Eccleſiæ pertinere videri poteſt; Illud totum Ordini Eccleſiaſtico, ab Apoſtolis,

Ratio diſcernendi jus ſeculi in ſacris a jure Eccleſiæ

mandato ſolius Dei propagato, tractandum finiendumque erit, ſi Dei legem ſalvam eſſe velimus. Cum enim inſtitutam Eccleſiam conſtet, priuſquam ulla civilis hujus ſeculi poteſtas Fidem quam profiteretur defendendam ſuſciperet; quæ ratio, quis pudor pati poteſt, civilibus poteſtatibus, Chriſtianiſmi ſui jure, accreſcere jura eorum, a quibus Chriſtianiſmum ſuum accipiunt, inſtitutione Eccleſiæ conſtituta? Sint enim ſummæ poteſtates Dei nutu conſtitutæ, Deum auctorem habeant; non habent tamen a Chriſti cruce, a ſpiritus ſancti dono, ab Apoſtolorum legatione originem. Quare, nec ad ſeculi futuri ſalutem, ſed ad hujus ſeculi pacem inſtitutæ ſunt, ut hoſpitium Eccleſiæ, regna ſint & Reſpublicæ quas gubernant. Itaque cum una ſemper ſit, a legatione Apoſtolorum ad ſeculi finem, Eccleſia; leges eaſdem habeat, vel habere ſaltem debeat, quibus omnes ſibi invicem partes ejus communicent, in perſolvendis Deo cultus ſui officiis; Regna tamen & Reſpublicæ multa ſunt, plura eſſe poſſunt, quorum ſupremæ poteſtates Fidem profitentur; Quæ, niſi eandem Eccleſiam colere præ ſe ferant, Chriſtianæ cenſendæ non ſunt. Igitur cum de ſeculi rebus, per ſe, pro ſe ſingula ſtatuant, de Eccleſiaſticis, ſi aliud ſtatuant, non dico quam *fides* communis, ſed quam *Eccleſiæ unitas* poſtulet, non poſſunt Chriſtiani nominis veritatem tueri. Atqui quid Fides, quid Eccleſiæ unitas poſtulet, non poteſt eſſe uniuſcujuſque vel Regni vel Reipublicæ judicium, quod ſcilicet pariter omnium interſit; Sed omnino ad illum Ordinem pertinet, quem, ab eadem origine ducta auctoritas Eccleſiæ uni omnium Regnorum & Rerumpublicarum Eccleſiæ præponit. E diverſo, cum conſtitutum ſemel ſit, omnes qui ad Chriſtianiſmum accedunt eodem hujus ſeculi jure apud Deum cenſeri, quo, priuſquam ad Chriſtianiſmum accederent, cenſebantur; Non poteſt vel communis Chriſtianiſmi, vel Ordinis Eccleſiaſtici nomine, quicquam hujus ſeculi poteſtatibus ejus juris perire, quod in cives

cives ac ſubditos ſuos, nondum Chriſtianos obtinebant. Hoc enim illud eſt Apoſtolorum literis inculcatum, ne offendiculo eſſet Chriſtianiſmus nondum Chriſtianis; non violari, non turbari hujus ſeculi ſtatum fidei profeſſione: neminem alio jure cenſeri Chriſtianum, quam quo eſſet nondum Chriſtianus; ſi regni cœleſtis jus excipias, cui nihil vel regnum, vel ſervitus hujus ſeculi deroget. Hoc, cum, nihil Ordini Eccleſiaſtico hujus ſeculi juris, in hujus ſeculi poteſtates eo nomine accreſcere, demonſtrationis loco ſit; potiori jure cenſendum eſt, demonſtrationis loco eſſe, nihil perire poſſe juri Ordinis Eccleſiaſtici, poteſtatibus hujus ſeculi ad fidem adducendis. Ponamus Rempublicam tempore antiquiorem eſſe quam Eccleſiam; conſtituto Imperio Romano, priuſquam in eo ſuccreſceret Eccleſia; cujus unitatem quam quærimus, in communione poſitâm, non licet a veteris populi legibus, quibus unitas Synagogæ continebatur, arceſſere. Cum enim nunquam promiſſum Synagogæ ſit, Gentes ipſi inſitum iri; Quæ *Iſraeli* ſecundum Spiritum promiſſa Fides docet, illa Synagogæ Eccleſiam, juris ſui diſcrimine diſtinguunt. Finem proprium cum habeat Eccleſia, Chriſtiani populi, vel generis potius humani ſalutem, ad quem poteſtates publicæ inſtitutæ non ſint; non poſſunt in *jus* eorum veniſſe videri, quorum *Officium*, Dei lege, & Eccleſiæ inſtitutione, communis ſalutis mandatum habet. Præterea, cum Eccleſia, prædicatione Apoſtolorum, quamvis in Imperio Romano, tanquam hoſpitio, primum conſtituta ſit, tamen, in vitis ſeculi poteſtatibus, ut vetus populus invitis *Ægypti* Regibus, creverit, cum patiendis malis, faciendis bonis, eos tandem vicerit, & ad ſe protegendam volentes adduxerit, qui ſe non minus fruſtra, quam immerito perſequi videbant eam, quæ invitis ſe creſceret; Omnino antiquior *Eccleſiæ* Ratio eſt, quam cujuſvis *Reipublicæ Chriſtianæ*; quæ propter ſupremas poteſtates Chriſtianiſmum profeſſas, Chriſtianæ cenſendæ ſunt. Sane, cum jus omne,

omne, omnis Reſpublica, omnis hominum ſocietas Jure communi nixa, res incorporalis ſit, licet in hominibus jure præditis conſiſtens; diverſa ejuſdem hominis jura confundere velle, diverſis, Eccleſiæ unius, omnium Rerumpublicarum inſtitutionibus nixa, quibus omnes in utraque cenſeri neceſſe eſt, cum Reſpublica Chriſtiana eſt, imperitiæ videri poteſt, ſed ad interitum Chriſtianiſmi ſpectat, ut infra conſtabit.

Synagogæ & Eccleſiæ diſcrimen, quod ad hoc jus attinet.

Confirmanda ſunt hæc, ex inſtituta nobis methodo, poteſtatis ejus actis, qua, veteris Dei populi, quaque, Chriſtianos veteris Eccleſiæ Principes uſos legimus. Sed excipiendum quicquid, diſcriminis, inter Eccleſiam & Synagogam conſtituti ratio poſtulat. Nimirum qui R. Sedi jus aſſerunt, abrogandi ſummis poteſtatibus, Eccleſiæ communione pulſis, jus ſuæ ſummæ poteſtatis, a jure ſummis Pontificibus *Hebræorum* divinitus attributo, in eam hoc jus deduci volunt. Qui Regibus univerſum Eccleſiæ jus aſſerunt, nituntur exemplis Pontificum, a Regibus in Ordinem coactorum, in veteribus Scripturis, aliorumque a Regibus ſuo jure actorum. Utrique mendoſe, quod Eccleſiæ & Synagogæ diſcrimen non excipiunt, Communis Fidei adverſus *Judæos* cauſæ implexum. Prodat hanc *Judæis*, qui *Novum Teſtamentum Veteri velatum* non afferat, ac proinde *Synagoga Eccleſiam*. Quare, etſi Eccleſia dici poſſit illa *Civitas Dei*, quæ Fidem, ac proinde Catholicam Eccleſiam anteceſſit; nihilominus verum erit, Eccleſiæ Catholicæ unitatem Communione ſenſibus ſubdita conſtare. Habemus in XII. Apoſtolis XII. Patriarchas *Iſraelis*, in LXX. diſcipulis LXX. *Moſis Synedros*, quorum auctoritate cenſendos Epiſcopos ac Presbyteros Eccleſiæ Chriſtianæ, dictum eſt; pro ſuæ quemque Civitatis ac Plebis modo. Itaque in eiſdem, inferiorum etiam Civitatum *Synedria* lege *Moſis* inſtituta habemus. Regnum, *Sacerdotium*, Prophetiam, Chriſto Domino excipimus; Niſi quatenus Apoſtolis iidem, in ſuum quiſque modum ſuccedunt, quos ſibi Dominus

minus Vicarios reliquit. His legibus, quatenus ſub Fide jus faciunt, quæ Veteribus ſcripturis prodita, jure divinitus conſtituto apud Veterem populum geſta ſunt, tenendum eſt. Cum enim Leges, etiam de Dei cultu, *Moſaicæ*, terræ tantum promiſſæ fœlicitatem expreſſe ſpectarent; non eſt mirum, ſi quid dubium de lege incideret, id *Sacerdotibus*, qui apud Arcam excubias agebant, & *Judici* qui pro tempore eſſet, definiendum mandari, *Deut.* XVII. 8—12. Quamvis *Judicem, Moſis* ſucceſſorem intelligamus, ſuprema poteſtate, ſua ætate, ſub Deo præditum, quamdiu θεοκρατία eſſet ea regiminis forma, (ut recte appellat *Joſephus*) qua populus Dei ante conſtitutos Reges utebatur. Hoc enim rem ipſam legis, ac terminos, quibus Dei etiam cultus definiendus eſſet, Regi conſtituendos relinquit; quos *auctore Eccleſia* definitos, Chriſtianis poteſtatibus ſtabiliendos, & ſeculi præmiis pœniſque vindicandos, aſſerimus. Neque enim Lex ſeculi hujus poteſtatem ab Eccleſiaſtica diſtinguebat, quæ futuri ſeculi ſpem non conſtitueret. Neque religioni eſſe poterat veteri populo, quaſi vitio conſtitutum, quod publica populi ejus poteſtate conſtitutum eſſet. Nec erant præterea, ut in Eccleſia omnium Gentium, ad quos reſpiceret publica ejus populi poteſtas; ne forte diſcidium pareret aliquid conſtitutum, quod eis quorum pariter intererat, non arrideret. Atqui plebs Chriſtiana, cum religioni, Catholicæ Eccleſiæ communicandi, ſubdita ſit; non poſſunt poteſtates Chriſtianæ, niſi Eccleſia Catholica auctore, de eis decernere, quæ totius Eccleſiæ intereſſe videri poſſint. Vocatis enim ad Eccleſiam Gentibus, non eiſdem poteſtatibus ſubditis, non amplius plebs totius Eccleſiæ unius cujuſvis ſummæ poteſtatis imperio ſubeſt. Non agit autem ſumma poteſtas ultra ſuos fines; Ultra quos, abſit ut non ſit prolata Eccleſia.

Jus Regium ſub lege, auctore Synedrio & Pontifice valuiſſe.

Cœterum, legem quam diximus, de *ſtatis apud Arcam Judicibus*, quibus de lege controverſa definiendi jus eſſet, ante Regem *Joſaphat* non obtinuiſſe, ſunt quæ indicent.

Si

Si enim ſtata fuiſſent, ex lege *Deut.* XVI. 18. per civitates tribunalia, quid erat neceſſe Judicibus, civitates circuire cauſa juris dicendi? quod factum ſæpe legimus *Jud.* V. 10. X. 4. XII. 14. 1 *Sam.* VII. 16; Itaque ipſe *Joſaphat* miſit primo, *qui civitates circumirent* 2 *Chron.* XVII. 8, 9. quos poſtmodum ex lege, *tam in civitatibus Judæ, quam Jeroſolymis conſtituit*, 2 *Chron.* XIX. 5, 8. Tum, *Joſephus* cauſam belli *Benjamitici* ad *non conſtituta ex lege Synedria refert*, *Ant.* V. 2. Eandem *legum neglectarum* cauſam idem reddit, cur victi ſint ab *Eglone* & *Moabitis*, V. 5. Itaque ſumma poteſtas, etiam Dei legem, vim & effectum ſortiri jubet. Præterea, quod *Idololatras capite plecti, civitates eorum dirui* lex jubet, *Deut.* XIII. 2, 13, 14. *Maimonides*, judicante *Synedrio* factum docet; id eſt, Regulæ Phariſæorum, *de Idolol. cap.* IV. Atqui, non ſublata excelſa, Regibus vitio vertitur. Scilicet, quod inolito morbo mederi nemo niſi princeps poſſet. Præceptum condendi Templi populum tenebat; Itaque ejus nomine *Davidem & proceres*, 1 *Chron.* XIII. 2. XXVIII. 1. Denique, poſtquam defeciſſet a lege populus, ſola ſumma poteſtas eum ad *inſtaurandum fœdus cum Deo* vocat, ut ad *inſtituendum Moſes, Rex in Jeſurun*, *Deut.* XXIX. 1. XXXIII. 5. 2 *Chron.* XV. 12, 14. XXIX. 10. XXXIV. 31. Nam quod ſub *Eſdra* & *Nehemia* factum legimus, *Eſdræ* XI. 1— *Neh.* V. 12. X. 29— in eo, Regiam poteſtatem *Nehemiæ*, tanquam pro-Regi, mandatam, *Neh.* V. 14, 15. poteſtatis autem, *Moyſi* lege conſtitutæ, exercendæ jus *Eſdræ*, Regio mandato, VII. 11. conceſſum, dicendum eſt. Itaque, etſi inſtaurandæ legis Officium, (ac proinde Chriſtianiſmi) ad ſuprermam poteſtatem pertinere manifeſtum ſit; tamen *Judices* apud Arcam lege conſtitutos, non ſolum juris dicendi, ſed interpretandæ, ſed extendendæ, ſed limitandæ legis (id eſt *ferendæ etiam legis*, ſive, quod idem eſt, conſtituendi juris) jus habuiſſe lege conſtitutum, manifeſtum eſſe debet. Quos ego non alios fuiſſe a *Magno Synedrio*, cujus caput *Eſdras* ſuo tempore fuerit, non video

quo

Digitized by Google

quo minus affirmantibus *Judæis* credamus. *Davidem cum Militiæ præfectis*, filiis *Aſaph*, *Heman*, & *Jeduthun* divini cultus miniſterium diſtribuiſſe legimus, 1 *Chron.* XXIV. 3, 6, 7. quod ſoli *Davidi* tribuitur, 1 *Chron.* XXIII. 6. Nimirum Majoribus ſuis ſubditi ex lege Sacerdotes, jure ſummæ poteſtatis, à *Davide*, ex eorum auctoritate, in claſſes ſuas diſtribuuntur; Hos enim *Militiæ ſacræ Templi Præfectos* intelligere debemus. *Ezekias cum Principibus ſuis* de Paſchate ſecundo menſe agendo conſilium inivit, 2 *Chron.* XXX. 2. id eſt, cum Synedrio ſummo; Hos enim, etiam *Jerem.* XXIV. 10, 11. *Principes* appellari, *Judæos*, referente *Maimonide de ingrediendo Sanctuario*, *cap.* IV. auctores habeo. Et *Davidem cum Principibus ſuis* Gibeonitas Levitis miniſtros attribuiſſe *Eſdræ* VIII. 20. legimus. *Maimonides* autem, initio *Erubin*, totam illam de atriis Traditionem, intra quæ qui quid transfert, non cenſeatur de domo in domum Sabbato transferre, *Solomoni ejuſque conſiſtorio* acceptam refert. Ex quibus neceſſe eſt conſtare, etſi ad Reges veteris populi, jure poteſtatis ſummæ pertineret, quicquid ad continendum in unitate populum ex lege viventem ſpectaret, quicquid populo univerſo præceptum, legem terræ promiſſæ annexam haberet; fuiſſe tamen conſtitutam lege poteſtatem, definiendi, quæ de lege ambigua inciderent; cujus auctoritate, rebus de lege controverſis termini ſtatuendi eſſent. Et tamen, capitalis pœnæ irrogandæ jus lege conſtitutum, (ut tolleretur Schiſmatis ex eo populo occaſio, in quo, de lege diſcidium Gentis eſſe diſcidium neceſſe erat) citra ſummæ poteſtatis conſenſum non procedebat. Video illos qui nullam Eccleſiam volunt, *Solomonis* Regis oratione dedicatum Templum objicere; unde conſequens ſit, jus miniſtrandorum ſacrorum nullum eſſe, niſi ſummæ poteſtatis mandato; quod per ſe facere ipſa poſſit, quicquid miniſtris ſuis faciendum mandat. Non meminerant ſcilicet *Koræ*, non *Uzzæ*, Non *Uzziæ*, non *Leviticum* Sacerdotium ad Chriſtianum, eandem quam

Lex ad Evangelium rationem habere; ac proinde, utriuſque jus, non niſi legitimis rationibus propagari. Nam *Solomonis* oratio, ut *Levitici* Sacerdotij officio non ſatisfecit, ita univerſi populi nomine, qui ædificandi Templi præceptum acceperat, oblata eſt. Atqui populi veteris princeps, novi principem, tam Sacerdotem & Prophetam deſignabat, quam Regem. Itaque ad nullius Officij partes, præterquam Regij pertinebat. Quod totum, ſub Chriſtianiſmo cum aliter ſe habeat, non debet hujus exempli ſequela ad ejus perniciem pertinere videri.

CAP. XXXII.

Uſurpatum hoc jus Fidelibus ab initio Poteſtatibus, Oecumenicis Conciliis cogendis, regendis, Sanciendis; Tum extra Ordinem minoribus: Denique legibus ferendis, de rebus ſacris.

Concilia acta jure ſeculi, non minus quam Eccleſiæ.

NUnc jus Imperio R. ſtatim à *Conſtantino* uſurpatum, Eccleſiæque Catholicæ agnitum videamus; Cui, præter rationem præmiſſam, non levis ſavet conjectura, de voluntate Apoſtolorum. Eſt enim dictum, Sanctos *Petrum* & *Paulum* Apoſtolos, cum Romam ſibi *Provinciam* ſumerent, in qua *Principem Eccleſiam* ſtatuerent, hoc conſilium ſecutos, quod eſſet in ea Urbe ſecularis regiminis caput conſtitutum. Tum illud non arbitrarium, ſed certum; ut ſecundum Provincias principatus eſſet Eccleſiarum, & Principes Eccleſias Matres Provinciarum Civitates haberent, ab Apoſtolorum inſtituto deſcendere. Quod autem, inchoatam ſub *Adriano* Imperij in Diœceſes, Vicariis, Præfectiſque Prætorio ſubditas, diviſionem, Eccleſia ſecuta eſt, Principum Civitatum Eccleſiis attributo principatu in Eccleſiaſticis; quid aliud quam, inſerendæ Imperio, ejuſque regimini, Eccleſiæ

Eccleſiæ unius rationem, ab Apoſtolorum conſilio derivatam oſtendit? Nam ante *Conſtantinum*, ſponte Eccleſiæ in uſum hoc veniſſe, fidem faciunt quæ præmiſi. Certe, cum *Imperatorum Conſtitutionibus*, uſuque Eccleſiæ, Synodorum per Diœceſes agendarum jus Principum Eccleſiarum Epiſcopis attributum eſt; de quo dictum eſt ſuo loco; in promptu eſt, hoc exemplo pronunciare, quæſitum ſummis Poteſtatibus jus Eccleſiæ Communione, ad vires juri ipſius divinitus conſtituto aſſerendas, non ad minuendum quod divinitus indultum eſt, pertinere. Quod ſi quis pertinaciter neget, conſenſum Eccleſiæ argumento eſſe, ab Apoſtolis hoc inſtitutum deſcendere, cum eo ita non contendam, ut tamen, conſenſum totius Eccleſiæ idem valere probem; quæ una manere non poſſit, niſi manentibus, in quæ jure conſenſum ſit ab univerſis. Idem habendum eſt de toto Conciliorum agendorum jure. In quibus cum, non ſolum de fide communi, ſed etiam de regimine Eccleſiæ decerneretur; Imperatoribus tamen Chriſtianis, (quo tempore Imperio *Romano* ita continebatur Chriſtianiſmus, ut quod Eccleſiæ in Imperio conſtitutæ reciperent, illud omnibus Chriſtianis receptum iri, pro conceſſo ſumi poterat) cogendorum quam vellent generalium Conciliorum, ſummæ poteſtatis jure, jus ſemper ac poteſtatem fuiſse qui neget, eum vel gnaviter impudentem, vel ignaviter veteris memoriæ Eccleſiaſticæ ignorantem eſſe oportet. Atqui hoc jus tanti eſt, ut non opus ſit præterea quicquam, ad totam hanc definitionem conſtituendam, ab Eccleſiæ Catholicæ conſenſu afferri. Cum enim Eccleſiæ legibus definiendum ſit, quicquid de ſingulis Eccleſiaſtici juris capitibus indefinitum, in quæſtionem venire poſſit, ſive ad ſingulorum religionem fidelium, ſive ad univerſorum pacem pertinens; qui Concilium convocat Epiſcoporum, condendi decreti nomine, cui ipſe per ſuas ditiones vim præſtet, eo ipſo penes *Eccleſiam auctoritatem*, penes ſe *Imperium* eſſe profitetur, & demonſtrat;

Quod ad res quidem Eccleſiaſticas attinet. Non eſt tamen propterea negandum, Epiſcopis univerſim omnibus, majorum tamen præſertim Eccleſiarum, pro ſuæ cuique Sedis amplitudine, jus eſſe ac ſemper fuiſſe convocandi, vel ſubditarum ſibi Sedium Epiſcopos, vel *Eccleſiæ ſuæ Ordinem Eccleſiaſticum*, conſtituendorum eorum cauſa, quæ ad Eccleſias vel ſingulas, vel univerſas pertineant. Hoc enim ad *Hierarchiam* conſtituendam neceſſarium eſſe dictum eſt; in qua ſita eſt unitatis Eccleſiaſticæ continendæ ratio. Eſt enim tenendum, ex eis quæ dicta ſunt, diverſam eſſe Eccleſiaſticæ unitatis & pacis publicæ rationem; illam Ordini Eccleſiaſtico, conſtitutæ Eccleſiæ, hanc ſeculi poteſtatibus, per ſuas quibuſque ditiones, inſtitutæ Reipub. nomine divinitus commendatam; Et tamen illam etiam Fidelibus poteſtatibus, per ſuas quibuſque ditiones, quatenus quidem dictum eſt. Semper autem incidunt, in quibus procurandus ſit, & tuendus decor & honeſtas regiminis Eccleſiaſtici; In quibus pax publica periclitetur, abſit ut ſemper religionis nomine incidant; Subinde quidem incidere, nimis cognitum eſt experiendo. Itaque ut Eccleſiæ Eccleſiaſticæ honeſtatis cauſa, ita ſeculi poteſtatibus, pacis publicæ, convocandorum Conciliorum jus eſſe oportet; Quibus etiam neceſſe eſt jus eſſe vetandi conventus Conciliorum, quorum cogendorum jus eſſe Epiſcopis dictum eſt; Pacis ſcilicet publicæ nomine. Itaque neceſſe eſt *ordinaria* cenſeri *Concilia*, quorum, ut cogendorum jus eſſe Eccleſiæ dictum eſt, ita vetandorum ſummis poteſtatibus; *Extraordinaria* autem, quæ a ſummis poteſtatibus, propter ſubnaſcentes nullo ordine cauſas. Quale etiam jus eis eſſe oportet, vetandorum eorum, quæ jure Eccleſiæ ordinaria habenda dictum eſt. Eſt enim manifeſtum, ſubinde tantum, non autem ſemper incidere cauſas hujus exercendi juris; Ac propterea, quoties eo nomine non habentur Eccleſiarum Synodi, quas haberi, retinendæ diſciplinæ Eccleſiaſticæ cauſa, pietatis publicæ interſit, non u-

Digitized by Google

ſurpari jus a ſeculi poteſtatibus, quod Chriſtianarum Poteſtatum non ſit, ſed perverſe, & Chriſtianiſmi ſui ipſorum malo exerceri. His præmiſſis, conſtitutæ lineæ videri poſſunt, ad quas nobis, in recenſendis veteris Eccleſiæ rebus dimicandum eſt, quibus hujus juris uſus manifeſtus fieri poſſit.

De jure Imperij in VIII. *Synodis Oecumenicis.*

Sane cum de *Conciliis Generalibus Eccleſiæ Catholicæ* quæſtio eſt, quo jure convenerint, cui jus præſidendi eis fuerit, unde vires acceperint, primum ac tertium Imperio ſoli aſcribendum eſt; de medio nonnihil eſt ambigui, propter primum locum, R. Sedi in omnibus, ſuo jure conceſſum. Et tamen res ipſa docebit, cum Concilium Generale indictum fuerit, de cauſa, ad Eccleſiæ quidem Catholicæ ſtatum pertinente, ſed qua de ſtatu Principum fere Eccleſiarum agebatur; (ſummæ poteſtatis jure, tam paci publicæ, quam Eccleſiæ unitati, divinitus ſtatuto jure procurantis) agendorum ordinem mandatum fuiſſe primo, vel primis quibuſdam præſentium Epiſcoporum; ita tamen, ut *Legatis R. Sedis* permitti potuerit, ſi videretur ſummæ poteſtati. Habemus primo loco *Concilij Niceni*, a *Conſtantino* M. nondum Fideli, coacti exemplum; Quis enim R. Sedi obtemperaſſet? Quæ auctoritas juſſiſſet Eccleſias tolerare ſumptus Epiſcoporum ſuorum, quibus Fidei communis cauſis vacandum erat? Sed ejus Sedis Legatos, quos primum locum occupaſſe eo nomine dictum eſt, non eſt perinde conſequens, primo loco judicaſſe; id eſt, cognitioni præfuiſſe, & agendorum ordinem rexiſſe. Igitur eis accedo, qui *Euſtathio* has partes tribuunt. Cum enim *Alexandrini Alexandri* cauſa ageretur; pulſo Communione Fidelium *Ario*, non ſolum Presbyterio *Eccleſiæ Alexandrinæ*; neque deceret, de ſecundæ Sedis Epiſcopo Legatos primæ cognoſcere, ad *Antiochenam* proximo loco hæ partes ſpectabant. Cum igitur, *primum a dextris* allocutione Imperatorem excepiſse ſcribat *Euſebius*, *de Vita Conſt.* III. 11. quem fuiſse *Euſtathium* docet *Theodoretus*

Hiſt.

Digitized by Google

Hiſt, I. 7. reſtat, ut hoc, mandatæ ipſi ab Imper. cognitioni conſequens fuiſſe, putemus. Præſertim cum apud *Facundum* VIII. 1. ſic legamus; *Et apud beatiſſ. Euſtathium, qui, SS. PP. qui apud Nicæam congregati ſunt primus exiſtens, Fidem confirmavit.* Rurſus etiam II. 1. *qui in Concilio Niceno primus fuit.* Idem *pag.* 468. Nam neque primus diceretur, cum prior *Alexander* intereſſet, nec confirmaſſe Fidem, niſi has partes egiſſet. Itaque *primum* intellige, quem Græci ἔξαρχον, in Conciliorum Actis appellant; cujus partes erant, regendi agendorum Ordinis; ut in ſequentibus Conciliis Generalibus factum conſtabit. Fuiſſe autem Imperatorum, decreta Conciliorum non conſenſu firmare, quod erat abſentium omnium Epiſcoporum; (Quis enim neget, firmari Concilium ab eis, qui decretis conſentiunt, etſi ſuo jure diſſentire non poſſint?) Sed ſtatutis pœnis, ſive expreſſis ſive pro arbitrio, in vi & effectu ponere; nihil magis oſtendit, quam ſanctiſſimum hujus Concilii decretum. Sane Sardicenſis Concilij decretum Synodica ejus ad *Julium P.* mittit, non ut valere jubeat, ſed ut publicandum exequendumque curet; ut Synodica ejus, apud *Athanaſium Apol.* II. & *Theodoretum Hiſt. Eccl.* II. 8. attendit. Nam & *Arelatenſis* I. *Synodus*, non totius Eccleſiæ, ſed tantum *Occidentis*, ut tum Occidens erat, decreta ſua ad *Sylveſtrum P.* mittit, executioni ab ipſo mandanda. Itaque neque R. Sedis erat, irritum facere Concilij decretum rite & jure legitimo latum; Cum ad illud infirmandum, quod non jure latum fuerat, cujuſvis Epiſcopi diſſenſus faceret. Aliud agebatur, cum *Arium Alexander Conſtantinopolitanus* communione impertire jubebatur à *Conſtantino*, ſimulantem ſe aſſentiri decreto Synodi. Immerito quidem credebatur hoc damnato; Sed tamen hoc volebat decretum Imperatoris, ut damnato cognoſcente Synodo crederetur, non cognoſcente Synodo, ſed ipſo jubente. Itaque ab hoc initio, in ſuſpenſo fuit decretum per 55 aliquot annos; (tentante *Conſtantio*, aliam

formulam

Digitized by Google

formulam Niceno Symbolo ſubrogare; Valente poſtea, Fidem ipſam infirmare) donec in ſecunda Synodo, de ſubnatis *Apolinarij Macedonijque* Hæreſibus ita decretum eſt, ut *Eunomiana* etiam (quæ, quod *Arius* diſſimulaverat, palam profitebatur) jugularetur. Secundum autem nemo negat à *Theodoſio M.* convocatam, propterea quod non uno loco cum Occidente Oriens, in eam convenit; Sed, quod *Conſtantinopoli* decreverat Oriens,(quem a *Theod.* convocatum conſtat) idem Occidens, ſive *Romæ* ſub *Damaſo*, ſive alibi in Conciliis ſuis,vel conſtituit vel admiſit. Vim autem ſtatim aſſecuta,exemplo eſt,non juris Eccleſiaſtici obſcuritate, ſed hominum iniquitate, juri cedere neſcientium, de dubio Conciliorum eventu graves ſummorum virorum querelas exiſtere? *Epheſinam* Synodum à *Theodoſio* minore coactam is neget, qui neget meridie lucere. Nam quod Occidentem, cui alter imperabat, *Cæleſtini P.* literis eodem *trahi* oportebat; quas Eccleſiæ Occidentis agnoſcebant,cum Imperatorem alium agnoſcerent; Nimirum *Romæ* judicaſſet *Cæleſtinus*, ſi ejus fuiſſet, *Romam* omnibus diem dicere. Sed etſi præſidere Concilio S. *Cyrillum* neceſſe erat, poſtquam primæ Sedis Epiſcopus ſecundæ Sedis Epiſcopo vices ſuas mandaſſet; (utraque enim in uno præſente, conculcare erat totam *Hierarchiam*, inferiori cognoſcendi ordinem mandare) tamen, cum ſententiam latam in *Neſtorium* ab utroque, quum intra decem dierum προθεσμίαν, fixam ei ab utroque non reſipuiſſet, ceſſare juberet Imperator: & *Neſtorium*, cujus res agebatur, non quidem præſidere Concilio, (quamvis ejus Sedem Secundam agnoſceret, ex Canone ſecundæ Synodi, cui utraque *Cyrilli*, tum Epiſcopi *Alexandrini*, tum legati Pontificij perſona repugnabat) ſed intereſſe, & ſententiam dicere, etſi damnatum ab utroque: manifeſtum eſt, cognitioni Synodali, & dictas fuiſſe leges ab Imperatore, & dici potuiſſe; quibus nemo injuriam Eccleſiæ factam quæſtus eſt. Qua autem fiducia, damnato *Neſtorio*, cognoſcente cum

Synodo

Synodo *Cyrillo*, ſuperveniens cum ſuis *Joannes Antiochenus*, & non expectato ſe latam ſententiam indignatus, de cognitione *Cyrilli*, cum Synoda ſua, quamvis inferior cognovit, *Cyrillumque* cum *Memnone* (cujus fuerant in cognitione *Cyrilli*, tanquam Epheſini Epiſcopi, proximæ partes) damnaverit, non videtur hactenus compertum. Præſertim cum *Facundus* nos doceat VII. 6. & rurſus *p.* 263. aliarum novem Provinciarum Epiſcopos, Orientalibus & *Joanni* ſuffragatos fuiſſe. Itaque auſcultandum videtur *Leontio*, cum *de Sectis Act.* IV. juſſiſſe *Theodoſium* refert, γίνεσθαι σύνοδον ἐν ἐφέσῳ, καὶ κρίνειν γίνεσθαι Κυρίλλου καὶ Νεστορίου Ἰωάννην τῆς Ἀντιοχείας. *Epheſi Synodum haberi, & cognoſcere de Cyrillo & Neſtorio Joannem Antiochiæ Epiſcopum.* Nam quia damnatus fuerat â *Cæleſtino* & *Cyrillo Neſtorius*, qui intra decem dies, ſibi ab utroque præfixos, non reſipuerat; recte de utroque cognoſcere juſſum *Joannem* dicitur, quem, Imp. mandato, præeſſe Synodo cum *Cyrillo* juſsum, *Leontio* credendum eſt. Et ſane hoc ipſum continent literæ Imperatoris ad *Cyrillum*, tum alteræ quibus Synodum convocat *Capp.* XXXI. & XXXII. Actis Synodi præmiſsæ. Prioribus enim, ad univerſos ſe Metropolitas ſcribere *Cyrillo* denunciat, ut in Synodum conveniant; Poſteriores autem, Metropolitis inſcriptæ, coire ipſos in Synodum jubent. Atqui, alia lege coire non poterant in Synodum Metropolitæ, quam ut Primatibus ſuis parerent, ex Eccleſiæ more, in Canonem ſextum *Nicenæ* Synodi relato. Hoc autem rerum ipſarum fidei convenit. Cum enim *Neſtorius* à *Cyrillo* damnatus fuiſset, *Joanne Antiocheno* cum ſuis non expectato, qui in itinere poſitus ſex ſeptem dierum itinere aberat, contendens quantum poterat ut judicio intereſset; (hoc enim habent ipſius literæ *cap.*XXXV. Synodi Actis præmiſsæ) quid erat mirum, judicium ſibi de *Cyrillo* ſumere *Joannem*, qui de *Neſtorio* ſibi judicium ſumpſerat? Nam ſimul utriſque de *Neſtorio* judicium Imperator mandaverat, eo ipſo quod Metropolitis utriuſque mandaverat.

mandaverat. Sane hac ratione factum oportuit, ut aggregarent ſe ad *Joannem* novem Provinciarum Epiſcopi, quarum Metropolitæ, propterea ſolo Imperatoris mandato convenerant, quod Orientis Imperio ſubditæ eſsent, nec tamen *Neſtorium*, cujus cauſa agebatur, agnoſcere poſsent; ſaltem ſi ex eis fuerint, quæ Conſtantinopolitanam Sedem agnoſcebant. Cum autem Imperatoris minis adacti *Cyrillus* & *Joannes*, hic quidem, miſso *Alexandriam Paulo Emeſeno*, de ſenſu anathematiſmorum *Cyrilli* ſatisfieri ſibi paſsus eſt, ille autem ſatisfecit; (Quæ ſola cauſa diſsentioni obtendebatur; Neque enim unquam *Neſtorij* cauſam tuendam ſuſcepit *Joannes* cum ſuis) valuit tum demum Concilij decretum, &, vim ſuam ſummæ poteſtati imputandam oſtendit. Cum autem, damnato *Conſtantinopoli Eutyche a Flaviano*, retractari judicium placuiſset, cumque reus ſtare juſſus eſt *Flavianus, Dioſcorus Alexandrinus* judicio præeſse, quis juri ſummæ poteſtatis hoc negavit? Quis Canonico factum aſcribat? Neque enim quod cognoverat, ſed male geſtæ cognitionis, damnatus eſt *Chalcedone Dioſcorus*; Venia autem data *Jeroſolymitano, Epheſino, Cæſarienſi*, (quorum poſt *Dioſcorum* præcipuæ partes fuerant in ea cognitione) quod delatum à ſe Principi Epiſcopo excuſarent. Igitur, quod legati *Leonis Chalcedone* præſederint, cum hactenus non obtinuiſset, non eſt mero Sedis R. juri aſcribendum; ſed poſse ita fieri docuit, quoties Imperatori videretur. Viſum autem *Marciano* Imperatori, ſive ut *Leonem* conciliaret, (quem, auctum jus *Conſtantinopolitani* ægre laturum, palam erat; de quo dictum eſt) ſive ut *Valentiniano* III. (qui tantum *Leoni* tribuebat, quantum ſupra viſum eſt) tanquam auctori ſuo (qui *Pulcheriæ* matrimonio Imperium debebat) deferret. Nemo igitur mihi *Leonis* Papæ aſsenſum in Synodum *Chalcedone* habendam objiciat. Quid opus eſt verbis, cum facta videamus? Inſigni apud Occidentis Imperium *Leo* Papa auctoritate, cum per ſe, & per Imperij Occidentalis Sedem

Mmmm conten-

contendiſſet, quantum ipſe contendi par eſſe putabat, ut in Occidente haberetur, conceſſit voluntati Sedis Imperij Orientalis, ut ſub ejus potiſſimum conſcientia celebraretur. Cum nunquam aliud Sedis *Romanæ* interfuerit, quam ut ſub ipſius oculis conveniretur, & tamen ſemper in Oriente convenerint Synodi Generales; quid aliud dicendum, niſi conſilium aliter dediſſe, ſi opus eſſet, Papas, Imperio paruiſſe? Cæterum, Papam Synodo Orientis intereſſe quid eſſet, docuit Vigilius; qui *Juſtiniano Romam* tenente, cum cavere ſibi non potuerit, quomodo caviſſe ſibi *Leonem* videmus, jure ſummæ poteſtatis *Conſtantinopolim* adductus eſt; abſtinere Synodo permiſſus, ne obnunciaret, ſine quo *Generalis* eſſe non poterat, quod Princeps volebat. Quod autem ab *Illyrico*, per *Italiam*, *Romam* uſque,initio non recepta Synodus (quod ex *Pelagij* I. Epiſtolis conſtat) poſtea ſolos *Iſtriani* Schiſmatis ſocios diſſentientes habuerit; (Quos *Longobardorum* irruptio Imperio ſubtraxerat) quid aliud clamat, quam vim decreti Imperio deberi; in quo citius faciliuſque obtinuit, quam extra Imperium? Nam *Chalcedonenſis* decreti ſuſpenſionem, & auctos per Orientem & *Ægyptum* Acephalos, ut ne inſtaurato quidem a *Juſtiniano* Eccleſiarum *Alexandrinæ* & *Antiochenæ* ſtatu, decreto V. Synodi ceſſerint, qui *Zenonis Henotico* aſcribit; Quod nemo ſanus neget; pariter ſeculi poteſtatibus aſcribit, quod Conciliorum decreta vim habent. De VI. Synodo non videtur quicquam his objici poſſe. Nam quod ſingulare videri poteſt fuiſſe, ut præſentis Imperatoris interlocutionibus regeretur fere ordo agendorum, adhuc clarius eſt juris Imperatorij indicium; Et fortaſſis ſingulare non fuit. Quid enim vetat credere, *Conſtantinum* in Concilio *Niceno* præſentem feciſſe, (etiam nondum Catechumenum, licet Chriſtianum) quod jure ſummæ poteſtatis, non jure Fidei, hactenus geſtum conſtitit? Nam quod in IV. & VI. Synodis Imp. *medium locum* occupabat *in ſummo*, idem in

Niceno

Digitized by Google

Niceno factum creditur, etiam *Bellarmino* conjiciente, de *Conciliis* l. 19. VII, & VIII. *Synodos Generales* non facit, quod R. Sedes ita numerat. Nam & Septimæ obnunciavit *Francofordienſis*, & ditionis *Carolinæ* Eccleſiæ; Et *Franci*, qui Octavam adverſus ſe Canones condidiſſe ſcribunt, non facile largituri ſunt, Generali ſe Synodo reclamare. Quod autem R. Sedis auctoritatem habuerunt, cum *Roma* Orientis Imperio vel non ſubeſſet, vel dicis cauſa ſubeſſet; (quod de tempore *VII.* Synodi, ſub *Hadriano I.* verum eſſe conſtabit) quanto magis, convocanti Imperatori obtemperaſſe Orientales oſtendit? Neque hæc ad violandum jus Eccleſiæ pertinuiſſe, illud oſtendit, quod Conciliorum decretis, niſi per poſteriorum Conciliorum decreta, quorum idem jus fuerit, ne ipſi quidem Imperatores derogari voluerint; Nam eadem auctoritate, quod poſterius decretum fuerit neceſſe eſt obtinere, etiam adverſus id quod prius decretum fuerat. Quod ſi quando Imperatores decretis ſuis, derogari voluerint decretis Conciliorum, ea in irritum ceciderunt. Sane, Concilium qui cogit, agit pro Imperio; Judicibus integram rationem Deo reddendam relinquit. Et erant Concilia, etiam Generalia, judicia de eis qui cauſam Conciliis præbuerant. Itaque neque ex Imperialium legum præſcripto procedebant, ſed ſuam quandam rationem tenebant, Eccleſiarum more receptam. Cui hoc novum eſt, nova ei ſunt acta Conciliorum. Certe, in medio poſitus Evangeliorum codex, quem tangerent, quibus jurandum erat, nihil aliud quam Deum judicem, de judicio Eccleſiæ judicari credi, ſignificabat. *Conſtantius* autem *Conſtantini* filius, cum Imperialem poteſtatem ad infirmandum decretum *Nicenum* adhiberet, nec tamen hoc unquam, niſi Conciliorum decretis, quærendum putaret; ſatis oſtendit, quid de Eccleſiæ auctoritate, etiam inimici Eccleſiæ ſentirent. Aliam viam inſiſtebat Valens, & apertam vim adhibebat; ſed tamen non niſi per Epiſcopos, eorumque diſcidia, *Arianæ Eunomianæque*

Mmmm 2 hæreſi

Digitized by Google

hæreſi favebat. *Zeno* quidem, miſſo ad *Alexandrinos Henotico*, cum *Chalcedonenſi* decreto derogare videretur, vel potius, quod ibi decretum fuerat abrogare; quod valere non poterat, niſi per totam Eccleſiam valeret; Eccleſiæ R. tantum in ſe, inque Sedem Conſtantinopolitanam juris aſtruxit, ut non ante redintegrari communio potuerit, quam Regiæ Sedis Epiſcopus, ejuſque Suffragatores, *Macedonij* etiam & *Euphemij* memoriam, tanquam hæreticorum, damnaverint, quantumvis eos pro recta fide paſſos conſtaret; quod eam in *Schiſmate*, hac cauſa conflato coluiſſent. Simili in cauſa, *Heraclij ecthesin & Typum Conſtantis*, qua *Monothelitarum* Hæreſim ſtabiliebant, ſimilis fortuna excepit. Obſervantior rectæ fidei *Juſtinianus*, *trium* etiam *capitulorum* damnationem, non niſi Generalis quintæ Synodi decreto quæſivit. Et tamen, cum ad obtinendum ejus decretum Imperij vires adhibendas putaret, invitis, non ſolum Sede R. & Papa Vigilio, (quibus ille, de *Hormiſdæ* rigore, quem in *Acaciano*, ob *Henoticon Zenonis*, tollendo Schiſmate expertus erat, par pari referre voluiſſe videri poteſt) ſed etiam Africanis & Illyricianis Epiſcopis; (Hoc eſt, cum, Eccleſia inter ſe non conſentiente, ſeculi poteſtatem arbitram ferret) Schiſma *Iſtrianorum* conflavit, quod ante centum & quinquaginta annos penitus extinctum non eſt. Et manet uſque adhuc ejus Schiſmatis memoria, in *Titulo Patriarchæ Aquileienſis*; Quod eam Eccleſiam ſibi *caput* conſtituiſſent, qui Schiſma ſuum, initio, aduſque *Galliarum* & *Tuſciæ* fines propagaverant. Itaque etſi, juris ſui in ſacris limites egreſſum *Juſtinianum*, non videatur contendendum; tamen, quod minus recte jure ſuo uteretur, integrum fuit *Facundo* diſputare; cum ei *Ozam*, *Oziam*, *Conſtantium*, *Zenonem* profert, tanquam ejus, in cogenda in Ordinem Eccleſia, deceſſores. Nam ut ſupra, Vigilium rectius facturum dictum eſt, ſi indefinitum reliquiſſet, quod, prius anathemate a ſe damnatum, non poterat, ſine periculo Schiſmatis, definiri poſſe videri; Ita

Juſtinianum

Digitized by Google

Juſtinianum hic rectius facturum videri dicendum eſt, ſi, non obnunciante cum Vigilio Occidente, decretum ſuum, ſola Orientalis Synodi Generalis auctoritate pertuliſſet.

Acta extra ordinem, juſſu Imperatorum Concilia, de cauſis Epiſcoporum.

Idem oſtendunt minores Synodi, quas ab Imperatoribus coactas negari non poteſt. Nam quanto minores, jubente Principe conveniſſe manifeſtum eſt, tanto erit manifeſtius, eodem jure coacta Generalia. Quippe quod majorem parendi neceſſitatem majora deſiderant; non facile conſenſura Eccleſia, ſi diſſentire integrum eſſet. Qua in re procurabant Eccleſiæ Principes, cum Concilia cogerent, in quibus non ipſi, ſed Epiſcopi judicarent. Inſpiciat *Ariminenſem*, ſi cui hoc peregrinum quid ſonat. Ibi, manere juſſi Patres, eo conſilio, ut *male tractati* ad Imperatoris arbitrium adigerentur; parebant tamen Imperanti, quod Eccleſiis noxium teſtabantur. De aliis Synodis, juſſu *Conſtantini* celebratis, video non deeſſe qui querantur, juris poteſtatum Chriſtianarum in ſacra fines egreſſas. Mihi ſecus videtur. Nec recte uſum jure ſuo *Conſtantinum* agnoſcam, cum Synodis *Tyri* & *Æliæ* coactis judicium de *Athanaſio* permiſit; Quod ad ſubruendam *Niceni* decreti auctoritatem pertinebat. Neque enim niſi pari auctoritate infirmandum erat, ſi infirmandum fuiſſet. Tum, non potuiſſe igitur decreto illarum Synodorum teneri reliquam Eccleſiam, quo minus *Athanaſium Alexandriæ* Epiſcopum agnoſcerent; Nimirum, quod de eo, id ſtatuendi jus non haberent, quod reliquam Eccleſiam teneret. Juris tamen fines egreſſum Imperatorem non facile agnoſcam, veteribus eum ejus culpæ non notantibus. Nam qui Generalem Synodum, meliori jure minorem coget. Equidem, quod utrumque *Euſebium* cognitioni de *Athanaſio* præeſſe juſſit in Concilio *Tyrenſi*, Canonico jure Eccleſiam non tenuiſſe, oſtendit *Julius P.* I. cum Synodo Orientali, quæ *Athanaſium* damnabat, quod inſuper habito Concilio miniſterium ſuum denuo uſurpaſſet, non eſſe eorum ſcripſit, ſine ſe κανονίζειν τῆς ἐκκλησίας, apud *Socratem* II. 13.

13. & *Sozomenum* III. 9. Idem oſtendit de *Gregorio Antiocheno* cognitio, de qua *Evagrius* VI. 7. Nam ei V. Patriarchæ, vel ipſi vel per Legatos interfuerunt. Conſtat quidem, cognitionem Synodi *Tyrenſis*, injuſtitiæ in *Athanaſium* manifeſtam, pluribus de cauſis fuiſſe. Quo minus mirum ſit, ſententiam injuſtitiæ manifeſtam, inſuper habitam ab *Athanaſio*. Sed non eſt præterea omittendum, eandem Canonico Eccleſiæ jure non valuiſſe. Itaque hoc tantum auctoritatis habere potuit erga Eccleſiam; tantæ molis Concilium, ut præjudicii locum haberet; cui, favente Imperatore, haud facile obſiſti potuiſſet, ſi ex jure judicaſſe videri potuiſset. Fruſtra Imperiali jure abuſos, qui præjudicio ſententiæ harum Synodorum in *Athanaſium*, decretum *Nicenum* infirmare tentabant; argumento eſt, quod eis qui ab ipſo diſſidebant nunquam moleſtus fuit *Conſtantinus*. Facilius eſt quod *Donatiſtis* indulſit. Extat eorum apud *Optatum* libellus, quo ita judices petunt *ex Galliis*, quibus *Conſtantius* pater præfuerat, quod per eos Chriſtianiſmum nemo fuerat perſecutus; ut non obſcure *Romanam* Sedem, tanquam non ſatis in profitenda coram perſecutoribus fide firmam, ſibi ſuſpectam pertendant. Eorum iniquitati hactenus ceſſit *Conſtantinus*, ut *Romano* & *Mediolanenſi* Epiſcopis, aliis eorum ſuffragatoribus, ex *Galliis* nonnullos judicandæ huic cauſæ adjungeret. Horum cum auctoritatem, etſi poſt actam cauſam, mox damnandi *Donatiſtæ* defugiſſent, denuo tamen appellari ſe paſſus, *Magnum Occidentis Concilium Arelate* indixit. Nam cum ei præter *Africanos*, *Italicæ*, *Hiſpanicæ*, *Gallicæ*, quin & *Britannicæ* noſtræ Eccleſiæ, per ſuos interfuerint, videtur ex toto Occidente, qualis tunc erat, coactus conſeſſus; quem tum *Illyricianæ*, ut dictum eſt, Eccleſiæ non reſpiciebant. Et hactenus quidem integrum jus Eccleſiæ. Quid cum, querentibus de hujus etiam judicij iniquitate *Donatiſtis*, ipſe poſtmodum de eorum cauſa cognovit? Quidni cognoverit, ſalvo jure Eccleſiæ, ſi nihil aliud, ab eo quod

judicaverat

Digitized by Google

judicaverat Eccleſia, decrevit? Nam de *facto* erat cognitio *Conſtantini*, non de *fide*, non de *jure Eccleſiæ*: Et intererat, non ſolum humanitatis, ſed & religionis, audientiam, etiam ſuperfluam non negari; ut qui deſperarent, etiam de ſeculi poteſtate, ad pacem inclinarentur. Puto me caput cauſæ obtinuiſſe, qui a poteſtatibus ſeculi, Eccleſia recens in Imperium inſita, Eccleſiaſtica, *ſummæ poteſtatis imperio, auctoritate tamen Ordinis Eccleſiaſtici* geſta oſtendi. Sed frequentia extant ejuſdem juris, in ſecutis Eccleſiæ temporibus, exempla. Illuſtre illud eſt Romani Concilij, quod jubente *Theodoſio* M. coivit, ad Eccleſiæ *Antiochenæ* Schiſma R. Sedis aliarumque auctoritate ſopiendum; de quo *S. Hieronymus in Epitaphio Paulæ Epiſt.* XVII. *Cumque Orientis & Occidentis Epiſcopos, ob quaſdam Eccleſiarum diſſenſiones, Romam Imperiales literæ contraxiſſent, vidit admirabiles viros, Chriſtique Pontifices, Paulinum Antiochenæ Urbis Epiſcopum, Epiphanium Salaminæ Cypri, quæ nunc Conſtantia dicitur.* Sane cum Concilium Metropolita, niſi provinciale, Exarchus Diœceſis, niſi Diœceſis ſuæ, Canonico jure nullum cogere poſſet; Imperatori nihil obſtabat, quo minus ex Oriente & Occidente, Diœceſibus, Provinciis diſcretos, quos vellet Epiſcopos in Concilium coire juberet. Idem oſtendunt, quæ de Canonibus *Sardicenſibus*, & damnatorum Epiſcoporum appellationibus dijudicandis, dicta ſunt; quandoquidem, aliam in Oriente rationem obtinuiſſe, dictum eſt. Nam & appellari potuiſſe Imperatorem Canon *Antiochenus* XI. oſtendit: & quod innovatum à *Cyrillo* Jeroſolymitano *Socrates* II. 39. ſcribit, ut majus judicium, *Cæſarienſis* Concilij ſententia damnatus appellaret; id nunc viri docti ita intelligendum oſtendunt, ut primus, majoris Concilij appellandi exemplum prodiderit Eccleſiæ; quod in uſu forenſi ſolenne erat; cum *appellatum* ſtatim a damnato Epiſcopo *Imperatorem Judices dare Epiſcopos* ſolitum fuerat. Et hæc quidem in Oriente; in Occidente autem, ante receptos in uſum Canones *Sardicenſes*, *Conſtitutionem Imperatoriam*

toriam extare demonſtratum eſt, qua, terminandarum appellationum ex Epiſcoporum damnatione natarum inita ratio ſit. Hac enim re, ſalvum erat jus ſuum Eccleſiæ, appellato Imperatore; quod nec ſibi, nec conſtitutis a ſe poteſtatibus cognitionem permitteret, ſed judices Epiſcopos daret, ex Eccleſiæ Canonibus judicaturos. Quod ſi verum eſt, negandum erit; nimirum, hujus juris ratione, quo derogari potiſſimum videtur juri Eccleſiæ; de cauſis hominum Eccleſiæ ſacrorum, ex Eccleſiæ conſtitutione orientibus, poſſe quamvis ſeculi poteſtatem jure ſeculi judicare. Nam cum ita demum jure divinitus conſtituto ſtet Eccleſia, ſi natas conſtitutionis ſuæ ratione cauſas definiendi jus ipſi divinitus tributum ſit; ut ita arbitrium ſibi ſumant Seculi poteſtates, in cauſis ortis ex conſtitutione Eccleſiæ, ut ſuo jure, judicium ſibi earum, vel conſtitutis a ſe poteſtatibus permittant, fieri nequit. Vide Epiſtolas ſupra citatis *Theodoſij* minoris ad *Cyrillum* & ad Metropolitas, quibus eos ad Synodum *Epheſinam* convocat; tum etiam ad Candidianum Comitem alias, quibus ipſe tuendam Synodum mandat, Actis ipſius, *Capp.* XXXI, XXXII, XXXIII. præmiſſas. Manifeſtum erit, tuendæ Eccleſiæ, non minus quam pacis publicæ jure, & cogendam ſibi Synodum ſumere Imperatorem, & tuendam; Integrum tam de hominibus, quam de cauſis Judicium Canonibus Eccleſiæ permittere.

Hodiernas poteſtates Fideles eodem cum Imperio R. jure gaudere.

Hic illud cavendum eſt, ne aliena a ſuſceptæ nobis diſputationis definitione R. Imperij geſta videantur; cujus tum jure, etſi contineri totam eorum temporum Eccleſiam dici non poteſt, præjudicatum tamen cenſendum eſt, jure ſummæ poteſtatis in ſacris geſta, in quæ, tota primum Eccleſia, deinde, quicquid ejus Imperij R. finibus continebatur, conſenſit. Quis enim neget, idem jus Fidelibus poteſtatibus, ſive Gentium in jus Imperij ſubingreſſarum, ſive extra fines ejus ad Fidem adductarum, conſtare? Quibus ſcilicet, neque Fidei nomine, neque ſummæ poteſtatis, ullam

ullam ab Imperio *Romano* diſcriminis cauſam eſſe dici poteſt. Sane *Generali Summarum Poteſtatum* nomine utor potius in hac diſputatione, quam *Monarchiam ſignificantibus* vocibus; ut intelligatur, Eccleſiæ Unitatem, Gentibus omnibus conſtantis, omnes Rerumpublicarum formas, Naturæ Gentiumque jure probatas aſſerere, eiſque eundem obſequij modum, Evangelicæ legis ratione vindicare. Cum enim ſemel conſtitutum ſit, prædicari Gentibus ea lege Evangelium, ut ſalvum ſit jus ſeculi ſuſcepta Fide, quale ab Evangelio occupatum eſt; ſuperſedendum eſt Fidelibus omni, de legitima publici regiminis forma, diſputatione, poſtquam Deus omnes ejus formas ſibi acceptas eſſe declaravit, quas Gentium jure conſtitutas Evangelium occupat; Ne, ſcilicet, impedimento ſit recipiendo Evangelio, ſi ſtatus publici controverſiam imperio jure Gentium conſtituto moveat. Hæc niſi teneantur, non poterit definiri, quo jure, vel coire poſſit Concilium Generale, vel vim obtinere, poſt occupatam magnam partem Imperij *Romani*, ab eis qui nunc ejus locum obtinent; poſt ingreſſas in Eccleſiam eas Gentes, ad quas R. Imperij fines non pervenerunt. Sed huic diſputationi alius locus erit, cui vexatam olim quæſtionem reſervamus, an *ſupra Concilium Papa*, an ſupra Papam Concilium ſit; an à Concilio Papatus ipſi abrogari poſſit, an ipſe potius Concilium abrogare. Cognitionem de *Symmachi Papæ adulterio*, ab *Italiæ* Concilio *Romam* vocato recuſari potuiſſe, ſupra dictum eſt. *Honorij P.* memoriam, Synodo VI. Generali rite damnatam aſſeruimus. Diverſam eſſe legitimi Concilij rationem neceſſe eſt, poſtquam, facto ab Oriente diſcidio, (de quo non diſputamus) intra Occidentem Concilium ſtetit, omnium quas videmus Rerumpublicarum Eccleſiis conſtantem. Nam & Papa ipſe, Principatum, per Exarchatum quondam *Ravennatem*, ſummo jure hodie obtinens, in cenſum ſummarum Poteſtatum venit, à quibus continetur Occidentis Eccleſia. Neque hoc jus à *Pepino Franciæ* Rege profectum ignorat quiſ-

quam; qui, cum ad res ſuas ſtabiliendas pertinere putaret, ut Regno, quod ſepoſita legitima ſtirpe obtinebat, benediceret Pontifex, magna ipſum mercede Exarchatus, quem pulſis Græcis occupabant *Longobardi*, ſummotis ipſis remuneravit. Hoc initium fuiſſe R. Eccleſiæ ultra *Canonicum modum* augendæ, ſupra dictum eſt; Etſi non ſtatim ad conculcandos Eccleſiæ Canones progreſſum ſit, quibus *Carolus Magnus*, & ſecuti ipſum ejuſdem ſtirpis Reges, non minus quam R. Sedi vindices ſe præbebant. Sed quia ab hoc initio, ad infinitum tandem jus R. Sedi vindicandum progreſſum eſt; quicquid hujus diſputationis, ad ſuſceptam cauſam definiendam, attingi neceſſarium videbitur, ei loco reſervandum videtur, ubi, quid inter *Canonicum* modum quem agnoſcimus, & quem repudiamus *infinitum* interſit, definiri poſſit. Firmiſſima tamen tantæ definiendæ cauſæ fundamenta nobis jeciſſe videmur, cum, ad Evangelicæ Fidei legem exacto tam veteris populi, quam primitivæ Eccleſiæ uſu, quid poſſint ſummæ poteſtates in eis definiendis, quibus indefinitis vel periclitari, vel laborare pacem Eccleſiæ neceſſe eſt, hactenus conſtitutum eſt. Recte quidem obſervant *Franci*, Reges ſuos, cum *Codicem Theodoſianum*, ſalvis legibus ſuis, in auctoritatem apud ſuos aſciſcerent, *Eccleſiaſticis etiam Impp. Conſtitutionibus* legis vim indulſiſſe. Sed hoc in Eccleſiaſticis perinde obtinere debet, atque in eis quæ ad res ſeculi pertinent. Quippe cum utriſque eadem ſumma poteſtas legis vim largiatur. Itaque quibus vim largitur, eiſdem, quid eſt quo minus tantundem detrahere poſſe videri debeant? Si longi temporis uſum demas, cujus plurimam eſſe vim neceſſe eſt, ad conſervandam pacem Eccleſiæ. Quod cum ad rectum juris uſum, potius quam ad jus ipſum pertinere videatur, non debet videri, ad minuendum ſummarum poteſtatum in ſacris jus pertinere. Cum igitur, ut ſupra dictum eſt, in Conciliis cogendis, regendis, ſtabiliendis, univerſum jus Fidelium Imperatorum in Sacris cerni poſſit; Propterea

rea quod Conciliorum decretis; quicquid Eccleſiaſticum eſt, definiri vel poſſit, vel debeat; Idem jus eſſe ſummis Poteſtatibus, per ſuas quibuſque ditiones conſtabit, quod agendis Conciliis, firmandiſque eorum decretis, auctores ſemper fuerint. *Franci* primum ac *Burgundiones*, occupatis *Galliis*, ad Fidem acceſſerunt. Concilia autem *Gallicana Francorum Aurelianenſe* I. pro exemplo habent, quod auctore *Clodoveo* actum eſt. Non eſt opus recenſeri a nobis reliqua, de quibus idem teſtatum legimus. Idem jus *Burgundionum* Regibus uſurpatum, *Epaonenſe Concilium* oſtendit: Idem Regibus *Suevorum & Gotthorum* per *Hiſpaniam*, *Bracarenſia & Toletana* fere omnia. Neque enim dubium eſt, & acta eiſdem temporibus Provincialia, & Canonica Metropolitarum auctoritate. Verum diſcreta dominiis ſeculi Eccleſia, cum neceſſe eſſet cauſas exiſtere, propter quas, ejuſdem dominij Eccleſias eodem jure contineri, utriuſque intereſſet; tum Seculi, tum Eccleſiæ; neceſſaria fuit auctoritas ſummæ poteſtatis, ad agenda diverſarum Provinciarum Concilia, quas idem dominium continebat. Itaque idem Regum jus fuit, in Conciliis ſuarum cujuſque ditionum agendis, ac Imperatorum in œcumenicis. Neque aliud eſſet jus ſummæ Poteſtatis, ſi qua unius Provinciæ finibus contineretur. Quippe cujus ratio ad omnes univerſim ſummas Poteſtates pertineat.

Juſtiniani, aliorumque Impp. ac Regum, de rebus Eccleſiaſticis.

Itaque de legibus *Juſtiniani* Eccleſiaſticis ſua eſt diſputatio; Cujus quod fuerit ſtudium legum innovandarum, ac nominis ſui eo facto ad poſteritatem propagandi, cum neminem latere poſſit, non eſt mirum, ſi idem ſtudium, Eccleſiæ per leges Seculi conſulendi, religioſiſſimus Princeps poſteritati commendare voluerit. Minus mirum, incurrere hoc ſtudium in reprehenſionem advocatorum R. Sedis, poſtquam cœptum eſt in jura Principum ſumma ei poteſtas vindicari; quod, etiam R. ſe Sedi, ſuis temporibus probavit. Duo autem genera legum, à *Juſtiniano*

de rebus Eccleſiaſticis latarum, merito diſtingui video; Quoniam in nonnullis palam ipſe fert, ſecutum ſe Canones, eadem ſancire; ut majorem vim habeant, quæ ſumma poteſtas, ad ultionem ſibi creditam, in legum contemptores, revocat. Quod ſi hoc teſtatum non ſit, & tamen conſtare poſſit, Canonibus prius conſtitutis contineri, quæ ipſe legibus ſancit, eandem eſſe rationem quis dubitet? Sed in confeſſo eſt, alterum eſſe genus legum ejus, quas ipſe ſuo jure a ſe ferri palam fert, quamvis de cauſis ex ſtatu Eccleſiæ natis; Cujuſmodi ſunt, quod *Eccleſiarum Oeconomis*, Canone *Chalcedonenſi* conſtitutis, modum adminiſtrationis ſuæ, redituum augendorum, rationum reddendarum præſcribit; tum, de *Emphyteuſibus*, impediendaque bonorum Eccleſiæ alienatione multa; Præterea, de *Abbatum electione*, de *Clericis*, alia; Quibus, quæ generaliter erant Canonibus decreta, modo rerum gerendarum, & Judiciorum ordine præſcripto, ſigillatim comprehendit. Vide *Novellam* I. & XVI. ubi de numero Clericorum Eccleſiæ *Conſtantinopolitanæ*. Vide & V. ubi de *Monachis* multa, univerſim fortaſſe Eccleſiæ moribus, Eccleſiæ certe Canonibus ſpeciatim non definita. Vide & VII. de alienatione, Emphyteuſi, hypotheca bonorum Eccleſiæ; Quo etiam pertinet XLVII. quamvis tempore prior; Sed & CXX. Sed & LXVII. de Lege ædificandarum domorum Oratoriarum multa ſtatuit; Cujus aliquas partes innovant CXXIII. & CXXXI. tempore poſteriores. Atqui hæc ejuſmodi ſunt, quibus ſi tum repugnaſſet Eccleſia, non delicatum aut contentioſum, ſed inſanum prorſus viſum fuiſſet, juriſdictionis ſuæ emolumentum non amplecti; quod non vocatis Conciliis, non fatigatis, itinerum difficultate, ſententiarum contentione, tum Epiſcopis, tum Imperio, ſponte comparatum afferretur. Quod enim Concilium, quæ unquam Synodus modum ſtatuendum Sedi *Conſtantinopolitanæ* redituum ſuorum diſpenſandorum in ſe ſuſcepiſſet? Quis ejus Sedis Epiſcopus id ſibi conſtituendum

ſumpſiſſet,

Digitized by Google

ſumpſiſſet, quod ſciret, ſucceſſore ſuo aliud volente, in irritum cadere potuiſſe? Quis neget optandum fuiſſe R. Sedi, ut ſumma poteſtas id faceret, quod *Baſilium P. P.* nomine Regis *Odoacri* feciſſe mortuo Simplicio *P.*; acriter *Romana* Synodus ſub ſucceſſore *Symmacho* indignatur; ut alienari res ejus Eccleſiæ vetaret; quod totius Eccleſiæ Canonibus vetitum omnes ſciebant? Nimirum, qui intereſſe Eccleſiæ neget, in officio contineri. Itaque mihi videtur, *præveniendi jure*, *Juſtinianus*, occupare id facere, ferendis hujuſmodi legibus, quod Eccleſiæ commodum eſſe, facile & ipſe noverat, & omnibus manifeſtum erat, tum temporis. Nam & Eccleſiæ commodum, eadem, per totum Imperium, Canonicæ diſciplinæ forma regi, quis neget? Et tamen aliam atque aliam ejus formam futuram fuiſſe, ſi Conciliorum decretis, ſi auctoritati Metropolitarum & Patriarcharum permiſſa fuiſsent, quibus regendis, unam eandemque formam, *Juſtiniani* de rebus Eccleſiaſticis leges præſcribunt, Eccleſiarum diverſi ab initio mores oſtendunt. Quare, quicquid ſecutus ſit *Juſtinianus*, de quo nobis laborandum non eſt, idem aſsecutus videtur, quod Eccleſia decretis Conciliorum, quæ ſummæ poteſtatis jure ab Imperatoribus coacta diximus, aſsecuta eſt; Quod iis judiciis, quibus, ex Canone *Antiocheno*, à judicibus datis ab Imperatoribus retractatas fuiſse Conciliorum Provincialium in Epiſcopos ſententias; Nimirum, ut auxilio poteſtatum ſeculi, finem controverſiarum per jus inveniret, quem difficilius, ſuo ipſius jure proventurum fuiſse conſtabat. Itaque gratæ fuerunt *Juſtiniani* leges de Eccleſiaſticis, eorum temporum Eccleſiæ. *Joannes*, ex Preſbytero *Antiocheno* Patriarcha *Conſtantinopolitanus*, *Præf. ad Collectionem legum*, præcipue *Novellarum Juſtiniani*, quam *Collectioni Canonum* nuper editæ adjunxit, his verbis utitur; αἵτινες (νεαραὶ διατάξεις) οὐ μόνον τοῖς τῶν ὀρθοδόξων ἡμῶν πατέρων κανόσιν ἀκολουθοῦσιν, ἀλλὰ καὶ τὴν ἐκ τῆς βασιλικῆς ἰσχύος αὐθεντίαν χαρίζονται· μετὰ προσθήκης ἐννόμου τε

καὶ

κ̀ ϑεαρεςϐ, τὸ συμφέρον πάσῃ τῇ ἀνθρωπίνῃ κτίσει θεομιμήτως περισκοπεῖσθαι. *Quæ* (Novellæ Juſtiniani Conſtitutiones, de quibus ſermo eſt) *non ſolum ſequuntur Orthodoxorum Patrum noſtrorum Canones, ſed etiam ex Principis Imperio auctoritatem illis largiuntur: Una cum adjectionibus quibuſdam legitimis, & Deo gratis, quæ generis humani commodis, ad exemplum Dei conſulunt.* Gregorius P. I. Epiſt. XI. 54. *de perſona Presbyteri hoc attendendum eſt, quia, ſi quam cauſam habuit, non ab alio teneri, ſed Epiſcopus ipſius adiri debuit; Sicut Novella Conſtitutio manifeſtat, quæ loquitur de Sanctiſſimis & Deo amabilibus ac reverendiſſimis Epiſcopis, Clericis & Monachis. Joannes VIII. Epiſt. 163. Scitote, quemadmodum in centeſimo capitulo Africani Concilij legitur; Similiter in ſecundo Novellarum Juſtiniani libro: Ut nemo Epiſcopus aut Presbyter aliquem excommunicet, antequam cauſa probetur. Itaque Hincmarus, *Opuſculo LV. capp. Leges Imperatorias probare Eccleſiam, c. 17. & ſuo Epiſt.281.* Novellas Conſtitutiones *Juſtiniani, commendare & ſervare Eccleſiam Romanam*, teſtes ſunt. Non eſt diffitendum, quoties diverſa formula legibus ſeculi conſtituitur, ab ea, quæ Canonibus continetur, plus impedimenti Fidei objici, violando jure Eccleſiæ, quam ejus expediendæ juriſdictioni conſuli. Itaque cavendum, formam Canonibus definitam Legibus ſummarum Poteſtatum retinendam eſſe, ſi recte jure ſuo uti veluit. Sed in tanta difficultate expediendi conſenſum Eccleſiæ, quo Canonicæ diſciplinæ vis ſtat, boni conſulendum eſt, ſi, ordinem Canonicæ diſciplinæ, jus ſeculi in Eccleſiis expedire quoquomodo videri potius poſſit, quam prorſus impedire. Neque enim hic agitur de pietate *Juſtiniani*, quæ recto juris ſui uſu probanda eſt. Satis eſt, ſi ejus juris fines non exeat, quod, in Eccleſiis, ſummis Poteſtatibus defendimus, ſi quid *Juſtiniani*, vel aliorum Impp. legibus conſtitutum eſt. Placuit *Juſtiniani* exemplum *Leoni Philoſopho*, aliiſque Imperatoribus. Non eſt nobis neceſſe hoc loco, idem jus earum Gentium ſummis

mis Poteſtatibus,quibus Diœceſium R. Imperij Provinciæ aliquot ſummo jure ceſſerunt uſurpatum contendere. Cumulate hoc oſtendit, de Gente *Francorum*, vir doctiſſimus *Petrus* de *Marca* 7. de Concordia c. XXIV — XXIX. Ita autem oſtendit, ut Conventus ſuos habuiſſe eos demonſtret, in quibus, non minus de Eccleſiaſticis conſtituerentur, quam de Civilibus; Non minus tamen hominibus, quam cauſis hominumque jure diviſos. De *Burgundionum* in *Gallia*, deque *Gotthorum Suevorum*que in *Hiſpania* Conciliis ſupra dictum eſt. Quæ ſi recolantur, non opus erit, auctoritatem Eccleſiæ,ad Imperium ſeculi in Eccleſiaſticis legibus condendis accedentem, pluribus aſtruere. Capitularia certe Regum *Francorum*, quibus politia ejus Gentis Eccleſiaſtica copioſius expoſita legitur quam aliarum; huc exhaurienda eſſent, ſi quæ huc facerent omnia adducenda eſſent. Certe *Lotharij* Imp. Capitula, quæ *præcepta Imperialia* appellat, *Leo* IV. Papa apud *Gratianum diſt.* X. cap. 9. ſic recipit; *de Capitulis vel præceptis Imperialibus veſtris, nunc & in ævum nos conſervaturos modis omnibus profitemur. Anglorum* etiam noſtrorum Reges idem cum *Francis* inſtitutum ſecutos, ex Concilii *Romani* ſub *Agathone P.* decreto conſtat; *Ut prædictus* Theodorus— *cum univerſis Præſulibus,Regibus, Principibus, & univerſis Fidelibus, Senioribus, majoribuſque natu totius* Saxoniæ, *publicam Oecumenicamque faciant Synodum.* Neque enim unquam, niſi ex more Gentis, ita decretum fuiſſet. Itaque *Ina* Rex ſic præfatur legibus ſuis Eccleſiaſtis;*ſuaſu Epiſcoporum meorum,omnium Senatorum meorum, & natu* majorum *Sapientum populi mei, in magna ſervorum Dei frequentia*— conſtitui. Concilium in loco qui dicitur *Becancelde* actum eſt Præſidente *Withredo* Rege *Cantuariorum*, necnon *Bertwaldo* Archiepiſcopo *Britanniæ*, *Tobla* Epiſcopo *Roffenſi*, *cæteriſque Abbatibus, Abbatiſſis, Presbyteris, Diaconibus, Ducibus, Satrapis in unum glomeratis.* Eodem modo actum eſt & alterum in *Berkhamſtede* tribus poſt annis. Præfatio Concilii *Calchutenſis* hoc habet,

habet, *Oſwaldum R. Northanhum umbrorum* ſtatuiſſe *diem Concilij, ad quem convenerunt omnes Principes regionis, tam Eccleſiaſtici quam ſeculares. Anno Dominicæ Incarnationes* 822. *Ind.* 3. *de diverſis Saxoniæ partibus congregatum eſt Synodale Concilium, in loco præclaro qui nominatur Cloveſho; Præſidente huic venerabili Concilio Beornulfo R. Merciorum, & Wulfredo Archiepiſcopo, cæteriſque Epiſcopis & Abbatibus, omniumque dignitatum Optimatibus, Eccleſiaſticarum ſcilicet & ſecularium perſonarum.* Sic ſcriptum eſt in collectione *Spelmanni*; apud quem, ad *Conc. Enhamenſe* ſub *Ethelredo*, eoſdem conventus & de Eccleſiæ & ſeculi rebus actos reperies. Quod cum ita ſe habuerit, ſublatum eſt, quod *Juſtiniani* Legibus Eccleſiaſticis objicitur, de auctoritate Eccleſiæ Legibus Principum Eccleſiaſtis interveniente.

De Epiſcopatibus Sæculi jure conſtituendis.

Interea loci, laudanda eſt *Conſtitutio Valentin.* III. & *Marciani*, cujus propoſitum, ſibi declaratum, *Chalced.* Synodus acclamationibus proſecuta eſt *Act.* IV. Conſtitutio, *C. de Sacroſ. Eccl. L. Privilegia* 12. legitur. *Omnes ſane pragmaticas ſanctiones, quæ contra Canones Eccleſiaſticos, interventu gratiæ & ambitionis elicitæ ſunt, robore ſuo & firmitate vacuatas ceſſare præcipimus.* Sed ita laudanda, ut in ea facti ſpecie, de qua agebatur in Concilio, quam per *pragmaticam* ſanxerat Imperator, cuique pragmaticæ ambitionem cauſam aſſignat *Conſtitutio*, utrum violati Canones fuerint, integrum ſit quærere. Nimirum, diviſa *Phœniciæ* primæ Provincia a *Theodoſio* minore in duas, *Euſtathius Berytenſis* obtinuerat, ut Sedes ſua, adjectis quibuſdam Eccleſiis, Metropolitica fieret. Idque Synodi *Conſtantinopolitanæ* decreto firmatum fuerat, ſubſcribente *Maximo Antiochiæ* Epiſcopo. Sed, violatos hoc facto Canones cenſenti Concilio, cui hoc permiſerat *Marcianus*, auctoritate potius, quam jure dicundo pronunciatum videri poteſt. Cum enim ſeculi formam præſupponat Eccleſiarum diviſio; Quam, quod Eccleſia tota ſecuta ſit, Apoſtolis ipſis auctoribus tribuimus; Quis neget, eo jure quod præſupponit

Eccleſia

Digitized by Google

Eccleſia, diviſa Provincia, Apoſtolis auctoribus, vel tota certe Eccleſia, idem ſequi Eccleſiam? Nimirum hac ratione, in Epiſcopatus, in Metropoles, in Diœceſes diviſum Orbem *Romanum*, ſimul & Eccleſiam, demonſtratum eſt: Hac ratione *Romam* Orbis caput, Principibus Apoſtolis Sedem captam, non levi conjectura diſputatum. Et qui non neget, merito damnatos Epiſcopos, qui *per ambitionem hoc impetrent*, *Can.* XII. *Chalced.*, non tamen facile videat, cur, cum Civitas *Epiſcopi* Sedi reciprocet, ex *Can.* XVII. *Chalced.* Provinciam in duas ſecari, Canones violare ſit. *Innocentio* quidem P. I. extra teli jactum poſito, facile fuit reſpondere *Alexandro Antiochiæ* Epiſcopo, hoc quærenti; *Non videri, ad mobilitatem neceſſitatum mundanarum Eccleſiam Dei commutari*, *honoreſque aut diviſiones perpeti, quas pro ſuis cauſis faciendas duxerit Imperator.* *Sed ſi mobilitati mundanæ res ſubditæ* ſint, non arbitrariis ex cauſis, ſed neceſſariis, quis neget, eandem mutandæ Eccleſiæ cauſam exiſtere poſſe, quæ inſtituendæ fuit? Quis laudet innovantes id, non neceſſariis de cauſis, ſummas Poteſtates, quod in Eccleſiam novitatem inducendi cauſam præbere poſſit? Sed aliud eſt, jure fieri non poſſe, aliud, nec recte factum, quod jure fieri poſſit, aliud nec recte ſeculi jure factum, Eccleſiæ jure damnari; Quæ ſi ſapiat, non temere uſum damnet ejus juris, quod ſoli Deo ſummæ Poteſtates debere poſſunt. Eadem ratione nixa Sedis *Conſtantinopolitanæ* magnitudo, *Chalced.* Synodi decreto, etiam reclamante R. Sede obtinuit. Eandem ſecutus *Juſtinianus*, patriam ſuam *Juſtinianam Patriarchali* dignitate auxit, Vigilio P. conſentiente. Præclare igitur *Martianus*, & ſi quis alius Princeps Fidelis Eccleſiæ ceſſit; non quod ad jus ſuum pertinere hoc non putaret, ſed quod idoneam cauſam non inveniret, cur repugnandum putaret. Nam cum ſtatum ſeculi præſupponat ſtatus Eccleſiæ, omnino jus ſeculi poteſtatum, in hac cauſa, ut prius & antiquius, ſic etiam ſuperius exiſtit.

Digitized by Google

Res perſonæ Eccleſiaſticæ, quatenus publico obnoxiæ.

Cæterum cum *Juſtiniano* Facundus, ut Epiſcopum decebat, *Sacrilegij* periculum in *Ozæ Oziæ*que exemplis oſtendit, quaſi qui, in quintæ Synodi exigendo decreto, Eccleſiæ arbitrium ſui non permitteret; cum hodierni R. Sedis vindices, in latas ab ipſo de rebus Eccleſiaſticis leges, eodem nomine invehantur, videtur hic locus eſſe definiendi ſuis terminis jus Fidelium poteſtatum, in ferendis legibus de rebus Eccleſiaſticis, ita ut ne admittatur *Sacrilegium*, violando jure Eccleſiæ. Nam cum Eccleſia jus legum ſibi ferendarum divinitus acceperit, quibus, & quid de fide doceatur, & exercendi juris divinitus ſibi indulti modum, in omnibus definiat, quæ indefinita manere, vel pietati, vel unitati obſit; niſi ratio teneatur, propter quam, limites huic juri ponere, ad jus ſummarum poteſtatum pertineat, ipſum pariter divinitus conſtitutum, non tenebitur ratio quæ ipſos Sacrilegij Religione ſolvat. Sed eam, ſi recte poſita ſunt quæ præmiſimus, teneri neceſſe eſt. Quid enim eſt, quo minus in omnibus valeat, quæ in uno locum habeat? Sit igitur, exempli loco, decimarum, fundorum, ædificiorum oblatio, qua, Eccleſiæ uſibus dicata, Deo conſecrantur; Neque enim negari poteſt, eximi commercio ſeculi, quæ Eccleſiæ, jure divinitus conſtituto, diſpenſanda credita ſunt. Manifeſtum eſt, in his, ut in omnibus omnium civium facultatibus, ſummæ poteſtati jus fuiſſe, antequam Deo dicarentur; Nec potuiſſe civium quenquam, de eo quod juris ſit Reipub., privato ſui arbitrio ſtatuere. Itaque, neque poteſt ſilentium ſummæ poteſtatis ita interpretandum videri, quaſi jus in eas res à ſe ſuum abdicet, quas Deo dicari non vetet. Quod ſi, procedente tempore exiſtat, quod lædi jus civium oſtendat, cum de reſiduis illud exigitur, cui ſufficiendo pariter obnoxia erant, quæ Deo dicata ſunt ſumma poteſtate tacente; quis neget, divinitus creditum ſummæ poteſtati, ſuum ſibi civibuſque ſuis præſtare? Itaque, eadem ratione, tributis publicis obnoxiæ erunt res Deo dicatæ, qua *ſervos fideles* Dominis ſuis obnoxios

noxios

noxios manere jubet Apoſtolus. Atqui, eandem eſſe *hominum* rationem ac rerum, quis neget? Aut quis neget, vel cives fuiſſe Reipublicæ, qui primum ad Fidem accedebant, vel factos *Fideles*, idem Reipub. debere, ac priuſquam Fideles eſſent? Quis igitur neget, vel functionibus publicis obnoxios eſſe poſſe, jure civium, Ordini Eccleſiaſtico dicatos, vel Ordine Eccleſiaſtico arceri poſſe functionibus publicis obnoxios, quos Eccleſiæ dicari ſtatus publici neceſſitas non ferat? Quis piorum Impp. leges multas, quibus *arceantur clericatu Curiis civitatum obnoxij*, in Sacrilegii crimen vocet? Illuſtre eſt exemplum *Gregorij* I. *P.* in ea lege *Mauricij Aug.* promulganda, *qua rationibus publicis obnoxios Clericos fieri*, qua *milites Monachos fieri* vetabat. Nam prius Caput Canonico tum jure receptum erat, ut ex decreto *Innocentij* I. *P.* XVIII. conſtat. Alterum ita novum accidebat *Gregorio*, ut viam ſalutis pluribus occludi putaret, ſi ex militibus vetarentur *Monachi* eſſe. Sciendum autem eſt, edicta Principum de rebus Eccleſiaſticis, ad Patriarchas mitti ſolita, ab eis, Metropolitanis, publicanda; Ut hanc ad *Gregorium*, Metropolitanis mittendam, qui Imperio ſubditi Romanam Sedem reſpiciebant. Itaque tribuendum Patriarchis jus illud, quod *præfectis Prætorio*, ad quos mittebantur publicandæ de rebus ſeculi Principum Conſtitutiones, *Novella* 152. *Juſtiniani* tribuit; ut eas vel temperarent, vel ſuſpenderent, ſi quo capite, ad detrimentum publicum, per ſubreptionem conſtituta facere viderentur, donec relatione ad Principem miſſa corrigi poſſent. Hoc igitur facit *Gregorius Epiſtolarum* II. 61. cum & Metropolitis miſſam Principi nunciat; Et quod corrigendum putabat ſuggerit. Suggerit autem per familiarem Principis, amicum ſuum *Theodorum* Medicum, cui tradendam Principi *Epiſtolam* ſuam mittit II. 62. Ad Metropolitas quidem eſt, *Epiſt.* II. 11. qua legem Principis inſinuat; Qua temperamentum quo utitur gratum Principi ſignificat. Non quaſi accepto reſponſo, quod ex perverſo Epiſto-

larum Ordine videri poſſit; Eodem enim tempore ſcriptas apparet. Sed quod Principi gratum futurum non dubitaret, quod ipſius mandato fiebat. Hæc igitur, (quæ, ut viri Doctiſſimi *Petri* de *Marca* ſolertia expoſita ſunt, 2. de *Concordia* XI. 8, 9. ita hic poſui) jus ſeculi in rebus Eccleſiæ illud aſtruunt, quod nos aſſerimus. Quod autem *Gregorius*, de *Militibus* qui *Monachi* fieri velint, conſtitui a Sæculi Poteſtatibus neget poſſe, quod de obnoxiis rationibus publicis recte conſtitutum non negat; De eo quid videatur, integrum erit nobis, ſuo loco, ſi res poſtulet, diſputare. Sed in res Eccleſiæ quatenus Sæculo jus ſit, ſtatuamus exemplum in primæ Sedis Sacerdotibus; Quia dubium eſſe non poteſt, obnoxios eſſe eidem juri omnes Epiſcopos, quod primæ Sedi agnoſcendum eſt. Poſt receptam de *Gotthis* à *Juſtiniano Romam*, à futuro Pontifice exacta eſt, inferenda fiſco, certa *penſio*, ut *electi conſecratio procederet*; Nimirum, quæ à Regibus *Gotthis* conſtituta prius fuerat. Invehi videtur in hunc morem *S. Greg. in Pſal. Pœnit.* V. 9. *Simoniacæ labis* nomine, & *oppreſſæ libertatis Eccleſiæ*; Cujus tamen oratio, ad minoris *Juſtini* mores arguendos comparata mihi videtur, (de quibus apud *Evagrium* copioſe) potius quam in eam legem conjecta, quam ipſum ſubire oportebat. Nam *Anaſtaſium Sinaitam* Sede *Antiochena* pulſum à *Juſtino*, propter id ipſum, quod dicto loco culpat *S. Gregorius*, narrat V. 5. *Evagrius*. Itaque, alia à R. Sede exigiſſe eundem, extra ordinem eorum, quæ ordinario inſtituto à Pontificibus exigebantur, ipſius mores credibile faciunt. Cæterum non videtur *Simoniaca* labes in hoc inſtituto locum habuiſſe. Neque enim videri poteſt Pontificatum auro emiſſe, qui id ex lege fiſco inferat, quod penſitaturus erat, quicunque Pontifex factus fuiſſet: Neque muneris aut functionis gratiam dono conciliare, quem donum muneri idoneum videri non facit. Sacrilegij vitio obnoxium videri hoc inſtitutum, id eſt, eum qui hoc inſtituat, major ratio eſt;

Utique

Utique niſi antiquior ſit cauſa, propter quam de Deo oblatis exigitur, oblatorum conſecratione. Atqui, jus Reipub, in ea quæ Deo offeruntur conſecratione antiquius eſſe, dictum eſt. Itaque, qui *tuitionis publicæ cauſam* edat, libertati Eccleſiæ tranquillitatique impenſæ, cujus nomine exigi *Canonem* hunc juſtum fuerit, is eandem cauſam edat, propter quam, facultates Eccleſiæ publicis oneribus obnoxias eſſe, receptum eſt. *Anaſtaſius in* Agathone; *Hic ſuſcepit Divalem juſſionem, ſecundum ſuam poſtulationem, ut ſuggeſſit, per quam relevata eſt quantitas quæ ſolita erat dari, pro Ordinatione Pontificis facienda.* Idem in *Joanne* V. *nec non & alias Divales juſſiones* (detulit) *relevantes annonæ capita patrimoniorum* Siciliæ *&* Calabriæ *non pauca. Sed & præceptum frumenti ſimiliter, vel alia diverſa, quæ R. Eccleſia minime perurgebat perſolvere.* Ex quibus conſtat, à *Conſtantino Aug.*, acta VI. Synodo, onus hoc, ſimul cum aliis, quæ *tuitionis Regiæ* nomine Eccleſia R. pendebat, remiſſa fuiſſe. Itaque etſi *indulgentiæ* idonea fuiſſe ratio potuerit, non eſt tamen, cur juris publici in Eccleſiam fines egreſſa hæc penſio videri debeat. Extat *C. Theod. de Epiſ. & Cler.* l. 20. *Valentiniani majoris ad Damaſum P.* reſcriptum, quod in *Eccleſiis Romæ publicatum* ſubſcribitur, *ne quid Eccleſiaſtici, vel continentes, de viduarum aut pupillorum bonis, dono vel teſtamento perciperent*; Quam *S. Hieronymus Epiſt.* 2. *ad Nepotianum*, cauſam habuiſſe deplorat, querimonia nulla proſequitur. Eodem loco l. 27. *Theodoſij* majoris, Viduas, quæ diaconiſſæ factæ fuerint, res ſuas ſuis, non Eccleſiis, non Clericis, non pauperibus relinquere jubet. Quam etſi poſtmodum abrogavit, l. 28. ibidem, tamen ad eam *Ambroſius* reſpiciens, ut videtur, *Epiſt.* XXXI. *nobis etiam privatæ ſucceſſionis emolumenta recentibus legibus denegantur, & nemo conqueritur*; Etſi *meliorem eſſe Ethnicorum Sacerdotum conditionem* diſputat. Atqui hæ leges, quid aliud quam rebus, antiquiori jure publico obnoxiis, & perſonis, quibus in res, vel ad res jus erat, etiam adverſus Eccleſiam,

nexum

Digitized by Google

nexum imponunt? Quod jus hactenus aſſerimus. Nec tamen dici poteſt, exterminari Eccleſiam jure divinitus conſtituto poſſe, ſi jure divinitus conſtituto, ſummæ poteſtates, homines vel res Deo dicari vetent; Quando de omnibus, ipſis idem jus ſit, ac in omnes. Nam, qui univerſim, vel res vel homines Eccleſiæ conſecrari vetet, is Fidem diſerte perſequatur, quod Eccleſiam, quam Fides ſtatuit, exterminet. Itaque Deo non homini parendum erit, diverſum à Deo jubenti. Sed qui Fidem profitetur, non poteſt eodem ore calidum & frigidum efflare, ut Eccleſiam perſequatur, quam Fides ſtatuit. Itaque neque conſecratis manus injicere, nec conſecrando arcere, niſi quatenus civium interſit, & res & homines civitati obnoxias vivere.

Quatenus cauſæ Eccleſiaſticæ.

Quod de rebus primum, deinde de perſonis dictum eſt, in actionibus locum habere oportet; Cum & rerum jus ad homines ſpectet, & actionibus tuendum ſit, quibus homines hominibus jus dicunt. Sane, quid magis Eccleſiæ proprium dici poſſit non video, quam ut hominibus Deo ſacratis jus dicat; Scilicet, quorum tum perſonæ, tum cauſæ, ex Eccleſiæ conſtitutione natæ, non aliter, quam ea poſita, ſtatum habent. Nec tamen eo cives eſſe deſinunt, nec cauſas habere poſſe, ex civium communi ſtatu ortas; Quas, qui violari Eccleſiam dicat, niſi judicare poſſit, multum a ratione aberret. Quin, niſi juris dicundi, in cauſis Eccleſiæ propriis, eorum jus ſit, quorum, ex univerſæ Eccleſiæ Canonibus eſſe debet, quis dicat ſeculi poteſtates ſuis civibus jus ſuum præſtare? Puta, ſi R. Sedes jus a ſe dici poſtulet, eis in cauſis, quas Eccleſiæ Canones ab Epiſcopis & Conciliis judicari volunt; quibus, tanquam civibus ſuis, Poteſtates Fideles juris ſui, quamvis Fide conſtituti, cuſtodiam debent. Tum, neque deſinunt, pœnis legibus conſtitutis obnoxia eſſe crimina Clericorum; Tanto quidem magis, quanto magis, Deo ſacratos homines a crimine alienos eſſe oportet, quam de plebe Fideles.

Quos

Digitized by Google

Quos igitur religioni, ultra modum vulgarem, obnoxios vivere oportebat, ij ſi nec civium innocentiam præſtent, exempti erunt civilium legum pœnis, niſi ut deleatur character qui deleri non poſſit? Scilicet, *tegendos purpura ſua* Epiſcoporum mores minus laudabiles, putabat *Conſtantinus*; Et merito maledictus ſit, qui tegendam Patris nuditatem non putet. Sed hoc ad jus ipſum non pertinet, ſed uſum juris. Quis enim neget, jus eſſe ſeculi Poteſtatibus, eluere ſordes Eccleſiæ, vindicandis Clericorum criminibus, propterea quod tegenda ſint Laicis, ſi Officio ſuo conſulant, quatenus offenſionem non pariant? etſi, ut ſunt res humanæ, diſſimulandæ labes morum ordinis Eccleſiaſtici videantur; tamen horrenda, vel civium vulgo, cum in oculos omnium incurrunt, quis eorum invidiam amoliri a ſe Eccleſiam poſſe dicat, niſi abdicatis a ſe offenſionum auctoribus? Certe, qui inſtauratam Eccleſiam volunt, nunquam aſſecuturi ſunt aliter quod ſequuntur. De Excommunicatione ſumma quæſtio eſt, quæ niſi valeat, quis dicat ullam extare Eccleſiam; Niſi forte, ut veritatem extare inter Idololatras Apoſtolus dicit, qui *eam in injuſtitia detinent?* Et tamen quis dubitet, non niſi de cauſis ab Eccleſiæ ſtatu ortis ferri eam poſſe? Quis in his, niſi ex legibus Eccleſiæ? Quis, debere tuitionem Eccleſiæ, intra hos fines, civibus ſuis extra hos fines, ſummas poteſtates? Quare ipſæ multo minus obnoxiæ erunt Eccleſiæ, de cauſis ad ſuam adminiſtrationem pertinentibus. Nimirum ſupponit ſtatum publicum Eccleſia, cujus hoſpitio utitur; ac perinde ſummas poteſtates, quorum jure conſtat publicus ſtatus. Neque enim aliud ab eis Fides poſtulat, quam, ne quid vetitum lege fœderis Evangelici jubeant, juſſum vetent. Nam ſi lege fœderis Evangelici ſtat Eccleſia, eodem jure ſtabit, quicquid jure inſtitutæ Eccleſiæ decretum fuerit. Diverſo quidem, quicquid poteſtates Fideles, jure conditæ Eccleſiæ præexiſtente, vel ſibi, vel civibus ſuis, de Fide decernunt; id eſt, de cauſis ex Fide ortis. Quare, neque

neque adminiſtrandæ Reipublicæ rationem Eccleſiæ debent, quam recte *Tiberius*, *non conſtare* dixit, *niſi uni reddatur*;Neque ex alieno arbitrio aliter agant, quam,ut ſummam poteſtatem ipſius mandato habere ſe agnoſcant, proinde atque exerceant; Cujus quidem Excommunicationi obnoxiæ ſint, ſi aliter agant. *Innocentius* quidem III. *P.* ac alij forte ſucceſſores ipſius, vel deceſſores, cauſam commenti ſunt, ex qua, R. Sedi, de rebus inter Principes controverſis arbitrium ſit; Nimirum, quod in bello injuſto, peccati cauſam verſari neceſſe ſit. Atqui peccata Fidelium, ſi peccata tantum ſint, ad Eccleſiæ cognitionem non pertinent; Quæ cum *Fidei profeſſione* nitatur, non mera *Fide*, non niſi profeſſione judicio Eccleſiæ violata, locum habet. Atqui judicium Eccleſiæ, de cauſis Eccleſiæ ſtatum antevertentibus; qualis eſt omnis ſtatus publici cauſa; nullum eſt. Neque reſtringitur tamen *poteſtas Clavium*, quam in Evangelio Dominus ad omne peccati genus extendit. Cum enim dictum ſit, eſſe quoddam *interius forum*, cujus ſit, de occultis cognitio; quid prohibet, vel anteverti peccatum, vel admiſſum curari, Eccleſia palam non cognoſcente? Nimirum non ſunt res Principum ex eo rerum genere, quæ εὐθὺς ὠνόμασται συνειλημμένα μετὰ φαυλότητος, quemadmodum ait *Ariſtoteles*; Sed, propter rerum circumſtantium varietatem, boni malive ſpeciem induunt. *Secreto* certe *conſilij* opus habent, & *poſt conſilium mature facto*. Hæc alienum arbitrium non ferunt. Ac proinde neque leges, neque judicia ex legibus; quæ ferri, quæ exerceri non poſſunt, niſi ea lege, ne cujus arbitrio obnoxiæ ſint, præter eos quos auctores habent. Itaque eadem ratione, miniſteria Poteſtatum publicarum Excommunicationi obnoxia non ſunt, qua ipſæ; propter ea quidem, quæ miniſterium publicum poſtulat.

C A P.

Digitized by Google

CAP. XXXIII.

Quo jure, quaque Lege, inſtaurari a Fidelibus Poteſtatibus Eccleſia poſſit. Schiſmatis cauſa, quæ hinc accidat, penes quem futura ſit.

SED hæc latius ſuo loco diſputanda ſunt. Nunc, his poſitis, ſtatuendum eſt; ſi, collapſo Chriſtianiſmi cultu, & Eccleſiæ ſtatu, hos ſibi fines proponant, qui inſtaurandam Eccleſiam jure ſummæ poteſtatis in ſe ſuſcipiunt, non eſſe dubium, ſine Schiſmatis reatu rem tranſactum iri. Idem enim Chriſtianiſmus, qui inſtaurandæ Eccleſiæ conſilium, finibus Dei voluntate conſtitutis continet, totum Schiſmatis crimen in eos refundet, qui, quod intra hos fines actum eſſet, in diſcidij cauſam verterent. Nunc quidem, ut res ſe habent, cum ij, qui inſtaurandam Eccleſiam in ſe ſuſceperunt, non profeſſi ſint, (quod tamen a ſe non abdicarunt) ad Fidem & leges ejus quæ ab initio fuit Eccleſiæ, Eccleſiam ſe inſtaurandam ſuſcipere; Quis apud Deum diſcidij culpam ſuſtineat, penes hujus diſputationis exitum judicium erit. Interea loci, collabi poſſe res Eccleſiæ in pejus adeo, ut ejus inſtaurandæ jus ſit ſummis poteſtatibus, per ſuas quibuſque ditiones, etiam non conſentiente R. Sede, ex præmiſſis haberi poteſt. Quis enim immunem erroris Eccleſiam aſſerit, niſi hactenus, ut nihil Fidei pernicioſum decernat? Atqui quid prohibet, tantam labem in Fidem, & in Eccleſiam invectam videri, ut in eum ſtatum *Reformanda* ſit, quem auctore Deo inſtitutum conſtare poſſit; etiam *fundamento Fidei* eatenus integro, ut ſalutem per ita vitiatam Eccleſiam aſſequi Fidelis poſſit? Quod ſi R. Sedis, ſi omnino Ordinis Eccleſiaſtici culpa accidere dici poſſit; quis ita conſultum a Deo Eccleſiæ

Eccleſiæ Catholicæ auctoritate, inſtaurari à Fidelibus Poteſtatibus poſſe Eccleſiam.

putet, ut, niſi volente labis auctore, imo niſi ejus ſponte, inſtaurari jure non poſſit? Sed quod hic fieri poſſe ponimus, tantam eſſe Eccleſiarum labem, ut etiam invita Principe, inſtauranda ſit, illud an factum ſit, diſputandum ſuo loco relinquimus. Equidem, eodem jure eſſe ſummas poteſtates, erga cives quidem ſuos pariter Fideles, quo erant nondum Fideles, ex dictis neceſſe eſt. Itaque legibus ipſorum ea ſanciri poſse, quæ ut ſanciantur, Fidei intereſſe, rationibus eiſdem conſtare poteſt, quibus de Fide conſtat. Atqui, inſtitutam à Deo Eccleſiam, cujus Fides Traditione accepta, extra erroris aleam poſita ſit; cujus Leges, Unitatis cum ſinceritate Fidei colendæ terminos, Deo auctore definiant, ex dictis habendum eſt. Itaque auctoritatem Eccleſiæ, Fidelium poteſtatum, etiam erga ſuos cives, in Eccleſiaſticis auctoritate eſse antiquiorem; Puta, cui Fidem ipſi ſuam debeant. Tum, non niſi Ordinis Eccleſiaſtici auctoritate, conſulendum eſſe Eccleſiis ſingularum ditionum, a ſummis Poteſtatibus: Etiam cum ab eis exigunt, ne à Fide ac legibus Eccleſiæ Catholicæ diſcedant. Sane, violatis eis, quæ per Eccleſiam dicata ſunt Deo, *ſacrilegium* admitti, ſtantibus quæ præmiſſa ſunt, negari non poteſt. Atqui antiquior eſt hominum conſecratio quam rerum, quæ hominum cauſa Deo dicantur. Antiquiſſima Fidei, Eccleſiæque ſanctimonia, propter quam & Fideles primum Baptiſmate, & Eccleſiaſticum Ordinem, impoſitione manuum, denuo dicari Deo contingit; Nimirum, continendis in Officio Fidei ſuæ Fidelibus, auxilio legum Eccleſiæ. Itaque gravius eſt *ſacrilegium*, quod violando Ordinis Eccleſiaſtici jure admitti neceſſe eſt, quam quod illis violandis rebus, quæ ſuſtinendæ Eccleſiæ dicata ſunt. Sed ſi inolita civium Fidelium moribus labes, vitiatis cum Fide Eccleſiæ legibus, Eccleſiaſtici Ordinis auctoritate elui non poſſit, ſine ſummarum Poteſtatum imperio, jus ipſis erit auxilio eſſe Ordini Eccleſiaſtico; Quatenus quidem, non nova Fides

aut

Digitized by Google

aut leges introducuntur, ſed in vim & effectum vindicantur, quas Eccleſiæ originarias eſſe, conſtare poteſt. Equidem, cum ſummis Poteſtatibus hoc eſſe juris contendo; non ſtatim faciendum edico, quod pro ſuo jure facere poſſint. Jus enim ſummarum poteſtatum cives ipſorum reſpicit; Uſus juris Deum, cui ratio ejus reddenda eſt. Uti enim hoſpitio Reipub. Eccleſiam, ſcitum eſt. Itaque non poteſt expedire Eccleſiæ, conflagrare hoſpitium ſuum. Cautum eſt igitur, ſupremam eſſe *legem Vnitatis*, poſt *legem Fidei*; ut eatenus reformandam ad originarium ſtatum Eccleſiam conſtet, quatenus Unitatis ac pacis ratio ferat. Quod cum caveo, nihil mihi ſumere videor, ſupremi juris apicibus diſputandis, quam quod Ordinis mei hominem deceat. Sane, cum poteſtates ſæculi ad Fidem accedunt, neceſſe eſt ipſis; quos veri nominis Chriſtianos eſſe oportet, ſi veri nominis ſalutem aſſequi velint; naſci jus, ſuorum civium tuendi Chriſtianiſmi, qui eſt ipſis cum ſuis civibus communis. Neque enim ipſis ſalvus eſſe poteſt, niſi etiam civibus ſuis ipſorum ſalvus ſit: Neque ipſi creditæ ſibi poteſtatis rationem Deo reddere poſſunt, niſi eum, ex ſinceri integrique Chriſtianiſmi ratione colant, quem niſi cum civibus ſuis colere non poſſunt. Neque obſcurum eſſe poteſt, quouſque jus hoc ſummarum Poteſtatum pertineat, quamdiu manifeſtum eſt, Eccleſiæ Catholicæ, quicquid indefinitum ad Fidem pertinet, definiendum à Deo creditum eſſe. Nam totum eis finibus includendum eſt, quos Eccleſiæ Catholicæ ſtatus; hoc eſt, ſive Fides ejus ſive Leges conſtituunt. Nam cum amplexæ Chriſtianiſmum ſeculi poteſtates jus communionis Catholicæ, ad ſalutem neceſſariæ, adipiſcantur; non novum aliquid ſuis civibus, de religione ac cultu Chriſtianiſmi, conſtituendi jus adipiſcuntur, ſed eorum tuendorum, quæ vel Eccleſia tradenda accepit, vel jure divinitus accepto conſtituit. Itaque, ſi cives ſuos animi religione, non timore humano teneri eis legibus velint, quas de rebus Eccleſiaſticis ſta-

tuunt, exigendum eſt eis ab Ordine Eccleſiaſtico, ne à Fide & legibus Eccleſiæ diſcedant, etiam in eis, quæ, ejus auctoritate decreta, legum ſuarum imperio ſanciunt. Hoc qui ſibi tenendum proponent, tantum hoc jure poterunt, ut nihil exiſtere poſſit tam explicatu difficile, (quanquam difficile dictu ſit, quid exiſtere poſſit, explicatu difficilius, quam quod ad inſtaurandum collapſum Eccleſiæ Chriſtianiſmum pertinet) in quo non poſſint poteſtates publicæ, & ſuorum paci, & animi ſui erga Deum religioni pariter conſulere, ſi intra illos fines verſandum ſibi ſtatuant. Nam in quo ſibi conſcii fuerint, nihil errore, nihil cupiditate, nihil ignavia feciſſe, quo minus quod rectum eſt, intra ſtatutos ſibi fines tenerent, quatenus quidem cum pace publica teneri potuerit; in eo, ſimul Religioni Fidelium, ſimul paci publicæ conſuluiſſe cenſendi ſunt. Equidem nihil magis ſeculi Poteſtatibus optandum cenſeo, quam, ne à Fide, & inſtitutis Eccleſiæ Catholicæ receſſum eſſe videatur, per ſuas ditiones. Niſi tamen magis optandum ſit, ne diſcidium Eccleſiæ incidat. Quis enim minus quid optet, quam incidere, unde, jure ſuo ſalvo, hujus ſeculi ſimul ac futuri, ſe expedire difficillimum ſit? Nam qui ſingulis difficillimum eſſe contendo, rectas partes, in hoc Eccleſiæ diſcidio, rectis de cauſis eligere; multo difficilius eſſe concedo, poteſtatibus publicis, ſuis ſimul ac Deo quod ſuum eſt præſtare. Sed qui a ſingulis, ſi Catholicæ Eccleſiæ normam ſequantur, quod verum eſt veris de cauſis teneri poſſe aſserui, id multo potius a publicis poteſtatibus, tum ſuis tum Deo præſtari poſse contendo. Nam cum nullam eſse Eccleſiæ Catholicæ normam contendam, niſi de qua partibus conſtare poſſit; non poſse eo teneri publicas poteſtates manifeſtum eſt, de quo non conſtet. De quo autem conſtare poſſit, id ſi ſibi aſsequendum publicæ poteſtates proponant; quis eſt qui, ſimul ipſorum, ſimul civium ſuorum religioni ac ſaluti conſultum neget? Sed de his ſuo loco. Nunc illud tenendum eſt, poteſtati-

bus

bus ſeculi, tanquam Fidelibus, Fidei etiam, & Canonum, rituumque, morum, ac inſtitutorum Eccleſiæ cuſtodiam divinitus creditam eſse; Et ſi quid aliud ſit, quod ad *legum Eccleſiæ* nomen pertinet. Neque aliud dicunt, qui Magiſtratum Chriſtianum, *utriuſque* divinæ legis *Tabulæ cuſtodem* eſse ſciſcunt; Niſi quod neque proprie poteſtas ſumma *Magiſtratus* nomine veniat, neque proprie, tradita a Chriſto Domino morum inſtitutio, quam *Fide* tenemus, *Moſaicæ legis Tabulis* cenſeri poteſt. Nam, quatenus *Moſaicæ* legis Tabulæ Fideles tenent, id etiam Eccleſia auctore tenendum eſt; De quo ſuo loco.

Inſtaurandæ ſuo arbitrio Eccleſiæ, Fidelibus Poteſtatibus jus non eſſe.

Nunc ejus ſententiæ vitium oſtendere facile erit, quæ, quod Catholicæ Eccleſiæ Unitatem divinitus inſtitutam nullam agnoſcat, ſupremæ poteſtatis Imperio, quicquid indefinitum Eccleſiæ pacem in dubium vocare poſſit, legibus definiendum permittit. Hi, ne de Fide quidem decernendi jus eſſe Eccleſiæ volunt, quod Fideles teneat; Poteſtatibus Fidelibus jus eſſe decernendi de Fide, quod cives teneat; Quo minus, ferri legem poſſe ullam, aut Canonem, aut quicquid Fideles teneat, decernente Eccleſia, de rebus Eccleſiaſticis, apud ipſos dubium ſit. Nam, quod errare poſſe poteſtates Fideles, in ferendis legibus de rebus à vitæ ſuæ inſtituto alienis, in proclivi eſt; nihil ſibi obſtare putant, quibus, ab Ordine etiam Eccleſiaſtico errari poſſe, conſtat? Sane, legis vim habere quod juſtum non ſit, idoneæ poteſtatis imperio conſtitutum, generis humani intereſt; Quo minus dubium ſit, ipſis quidem, quod jure divinitus dato perperam uſi ſunt, Deo, Civibus, obſequij ſui ipſis rationem reddendam eſſe. Sed hi non aliter tueri ſententiam ſuam poſſunt, quam ut ſingulos *Fideles*, de Scripturæ ſenſu, propter omnibus perſpicuam ejus claritatem, de omnibus quæ naſci dubia poſſunt, de Fide, deque ſtatu Eccleſiæ, ſuo ſibi jure *Judices* eſſe velint. Neque enim ſummas Poteſtates, quod ſummæ ſint, id facere poſſe velint,

quod

quod ab Infidelibus, quanquam ſummis Poteſtatibus, fieri poſſe, ne ipſi quidem velint. Itaque tanquam Fidelibus, hoc jus ſummis Poteſtatibus tribui neceſse eſt. Atqui, quod Fideles ſunt ſummæ Poteſtates, in eo pari cum Civibus ſuis jure ſunt. Itaque nullum ſibi jus decernendi de Fide, vel de Scripturis recte intelligendis vindicant, quod non ipſis cum Civibus ſuis commune ſit. Eſt enim jus, in univerſum, nihil aliud, quam *facultas Moralis, alienam voluntatem ſuæ voluntatis arbitrio obligandi. Moralem* cum dico, eam intelligi volo, quæ non ſit ſita in hominum ſubſtantiis, quibus jus eſse, nec eorum, in quos ipſis jus eſse dicimus; Sed ab ipſorum *voluntate & conſenſu* originem ducit. Itaque & jus eſse aliquid inter ſe *Fidelibus*, quod *Eccleſiaſticum* dicitur, nihil prohibet; Quia non niſi voluntate Chriſtiani ſumus. Jam, aliud eſse quod injuſtam legem faciat, aliud quod irritam, manifeſtum eſt. Nimirum injuſta lex eſt, in qua, legis ferendæ jure perperam utitur, cui ferendæ legis jus eſt. Qui legem fert, cujus ipſi ferendæ jus non ſit, eam irritam eſse legem neceſse eſt. Ferri autem a ſummis Poteſtatibus de Fide, deque rebus ad Fidem ſpectantibus, irritas leges, Eccleſiæ quod videmus diſcidium oſtendit. Neque enim ratum eſse poteſt, quod eos non tenet, quibus fertur. Atqui, in hoc Eccleſiæ diſcidio, quod jubetur ſummarum Poteſtatum legibus, ſummarum Poteſtatum legibus vetari videmus; idque pœnis graviſſimis. Quod ſi jubenti utramque partem pareri poſſit, ab eis qui ſui juris non ſunt; certum eſt tamen, utriuſque jubendæ partis, Fidelibus quidem Poteſtatibus, jus eſse non poſse; Niſi Deum omnis ejus mali auctorem ipſis eſse velimus, quod, diſcidio adverſis legibus firmato, contigiſse videmus. Itaque, ſi quando a legibus patriis Fideles, in ſui Chriſtianiſmi cultu, ita deſciſcunt, ut pœnas ſubire malint, quibus ſanciuntur, non aliter hoc faciunt, quam ut Deo, ut religioni erga Deum ſuæ obſequantur; Cujus antiquior eſt ratio,

quam

quam patriæ. Neque hujus difficultatis exitus eis ullus eſt, qui R. Sedis arbitrium defugiunt, cujus fidem deſiderant, ſi Fidem ſalvam velint, cum Unitate Eccleſiæ; niſi ut ſatis habeant, in eis Fidem ejus deſiderari, in quibus, ab originaria Catholicæ Eccleſiæ Fide ac legibus diſceſſum eſſe, conſtare poſſit. Nam ſi agnoſcerent S. *Romana.*, & qui *Romanam* Sedem agnoſcunt, certos eſſe fines ſibi conſtitutos, Fidei ſemel traditæ, legum ab initio poſitarum Eccleſiæ,à quibus qui diſcedunt ,vindices experiri jure poſſint ſummas Poteſtates, per ſuas quamque ditiones; puto eis, pro eximia qua pollent prudentia, potius viſum iri, ſimul ſaluti apud Deum, ſimul juri apud Eccleſiam ſuo conſulere, quam, majeſtati ſuæ augendæ, committere, ut à Deo, à fidelibus Poteſtatibus, à fideli Plebe deſiderari fides ſua videri poſſet. Ex adverſo, ſi agnoſcerent fideles Sæculi Poteſtates, certos eſſe fines, originariæ Fidei legumque Catholicæ Eccleſiæ, ad quos inſtaurari fas ſit Eccleſiam, ita ut ipſis, civibuſque ſuis integrum ſit jus Communionis Eccleſiaſticæ; puto ipſis potius viſum iri, ſimul ſaluti apud Deum, ſimul juri apud ſæculum ſuo conſulere, quam ut, neglectis finibus divinitus poſitis, merito de Civium ſuorum fide ſoliciti eſſe deberent, ſimul Deo, ſimul ipſorum legibus obſequi ſe poſſe negantium. Quare, ſi Eccleſiæ Catholicæ auctoritatem, ſi Ordinis Eccleſiaſtici, per eos ditionum fines, qui ſummas Poteſtates quique ſuas reſpiciunt, a Domino Chriſto ſucceſſione Apoſtolorum duci conſtet; Quod, hujus diſputationis initio propoſitum, hunc exitum habet; Nimirum, ita conſuluiſſe Deum Eccleſiæ ſuæ, omniumque fidelium ſaluti cenſendum eſt, ut apud Eccleſiam fidei Traditionem deponeret,qua ſalus conſtat; apud quam eam auctoritatem deponebat, quæ ad vindicandam, cum Unitate ſua ſinceritatem Fidei, neceſſaria futura eſſet. Quam auctoritatem, omnibus Fidelium Ordinibus, qui, quanti ſit ad ſalutem ſuam Fides,ad Fidem Eccleſiæ Unitas æſtimare poſſunt;

poſſunt, tanti neceſſe eſt videri, ut non niſi malo ſuo, ab ea auctoritate diſcedere poſſint. Nam qui ſine malo R. Sedis, aut omnino Ordinis Eccleſiaſtici, ab ejus auctoritate diſcedi poſſe putet, eum ab initio hanc diſputationem non attigiſſe oportuit. Quis enim neget, recte conſultum a Deo Eccleſiæ, eo conſtituto jure, quod communis omnium ratio dictet, omnium Reipub., omnium Eccleſiæ Civium intereſſe, integrum illibatumque præſtari. Certe, qui hac diſputatione hoc ago, ut iniri poſſe rationem oſtendam, inſtaurandæ ejus labis univerſæ, quam in Eccleſiam incubuiſſe conſtare poſſit, nulla data cauſa, vel ſcindendæ Eccleſiæ, vel Pacis publicæ violandæ; Idem afferere debeo, ſi propoſiti expreſſa Lege, ſi obſervati tum fines hi fuiſſent, cum, inſtaurandam eſse Eccleſiam, piis vulgo & doctis per Occidentem videbatur, inſtauraturos Eccleſiam omnes fuiſse videri.

Difficilem inſtaurandæ Eccleſiæ rationem, teneri tamen poſſe.

Quare non obſtat, quod objici poſse hoc loco conſtat; Etiamſi conſtitutum ſit, ad Eccleſiæ totius fidem ac leges, inſtaurari à ſummis Poteſtatibus ſuorum Civium Eccleſias poſse; tamen de ſingulis in æternum diſputari poſſe, quid Eccleſiæ Catholicæ conſenſus poſtulet. Quod ſi R. Sedis culpa invectam labem pertenditur; quod nunc contingit; nunquam iri conceſsum, inſtauratum eſse quod fuerat, quamdiu, innovatum quod non fuerat, dici poſſit. Tum, in dubio, potiorem eſse auctoritatem R. Sedis, hærentiumque ei Eccleſiarum, negantium eſse ab Eccleſiæ Catholicæ inſtitutis diſceſsum, quam affirmantium Poteſtatum fidelium; Præſertim apud Ordinem Eccleſiaſticum, etiam fidei vinculo ipſis obligatum. Cum enim fidem, & Eccleſiæ leges, & ejus Unitatem, provectis ad Ordinem Eccleſiaſticum divinitus credi conſtet; quod quidem Eccleſias ſpectat, quibus præſunt; Manifeſtum eſt; non iri ſatisfactum fidei quam debent Eccleſiæ, niſi vitam ipſam contemptui habeant, potius quam violentur leges, non ſolum ad Eccleſiæ Unitatem, ſed & ad tuendam fidei ſinceritatem,

Digitized by Google

ritatem, hoc eſt ad omnium ſalutem neceſſariæ. Tum verò, etſi conſtaret de Fide, deque Legibus Eccleſiæ Catholicæ; exiſtere tamen de Fide deque Legibus Eccleſiæ totius Controverſias, quæ etſi verſentur intra terminos ab initio traditos, adhuc tamen definiendæ ſint, quod, intra terminos ab initio definitos, controverſiam tamen habeant. Quæ autem controverſiam habent, ad totam Eccleſiam pertinentem, ſine R. Sede legitime definiri non poſſunt. Conceſſum enim eſt, *majores cauſas* ad eam omnes redire; Saltem ſi majores cauſas intelligamus, quæ totius Eccleſiæ interſint. Nam quod, de exauctorandorum Epiſcoporum cauſis, ex *Illyrico* R. Sedem appellatam fuiſſe, ex Canone *Sardicenſi*, conceſſum eſt; Quod ab hoc initio, ex *Gallia*, *Africa*, *Hiſpania*, etiam *Britannia* idem receptum eſſe fieri; Cautum eſt tamen, neque omnes Epiſcoporum cauſas neceſſario totius Eccleſiæ interſſe, neque Canonem *Sardicenſem*, ſine auxilio ſecularis Imperii, in reliquo Occidente vim habuiſſe. Ac proinde, nihil obſtare cavendum, quo minus aliter definiantur *majores cauſæ*, quæ ſine R. Sede Canonice definiri non poſſint; Quamvis non puto, mei Ordinis hominem tantum ſibi ſumere debère, ut quomodo definiendæ ſint pronunciet, quæ ſine totius Eccleſiæ conſenſu Canonice definiri non poſſunt. Nam & tantum diſcriminis infert in omnes Eccleſiaſticas cauſas, ſuſcepta à ſeculi Poteſtatibus Eccleſiæ Fideique tuitio, ut ridiculum ſit, quod faciunt plerique, de exercendo in hoc rerum ſtatu Eccleſiæ jure, ex eis pronunciare, quæ tum locum habuiſſe, cum perſecutioni obnoxia erat & Fides & Eccleſia, ex Eccleſiæ monimentis conſtare poteſt: Et exiſtunt quotidie novi mores, in uſum Fidelium ſenſim ſe inſerentes, de quibus, procedente tempore dubitari poteſt, num ad depravandam, potius quam exercendam amplificandamque communis Fidei religionem pertineant; de quibus cum totius Eccleſiæ ſit pronunciare, manifeſto ad diſcidium ſpectat, ſi pars ſibi ante totum judicium ſumat. Sive

Digitized by Google

igitur publicam regiminis Eccleſiaſtici formam ſpectemus, Legibus ſummarum Poteſtatum conſtituendam, ſive publicum divini cultus uſum, moribus ſingulorum Fidelium exercendum; quem etiam, ſummarum Poteſtatum intereſt, Legibus ſuis à Fidei labe immunem præſtari; Neceſſe videtur, ad eam Eccleſiæ partem Schiſmatis crimen ſpectare, quæ ſine totius auctoritate, de eo quod totius interſit ſibi ſtatuendum ſumat. Et hæc quidem difficilem eſſe oſtendunt inſtaurandæ Eccleſiæ rationem, quæ partes à crimine Schiſmatis immunes præſtet, quod partibus non conſentientibus accidat; ſed quæ tamen, ſi teneantur quæ poſita ſunt, teneri poſſit. Nam ſi hinc quidem, decernentis Eccleſiæ auctoritatem, inde, illum ſenſum Scripturæ, qui Traditionis Catholicæ finibus contineatur, retinendum putemus; quid prohibet inſtaurari Unitatem, ſi conſenſum ſuum in hos fines, poteſtates Chriſtianæ inſtaurent primum: Tum, quod Eccleſiæ totius Fidei ac inſtitutis, in ſingulis controverſis, ita conveniat, hoc rerum ſtatu, ut in idem quod primo ab Apoſtolis inſtitutum eſt, inſtaurata videri debeat, hoc ſibi legum ſuarum auxilio muniendum ſtatuant? His enim poſitis, *facti* ſola *quæſtio* reſtabit, quid Eccleſiæ totius Traditio habeat. Atqui de facti quæſtione, etiam in eis quæ ad jus Eccleſiæ pertinere dubium non ſit, exemplo *Conſtantini* conſtat, de quo ſupra; de *Donatiſtarum* cauſa poſt *Arelatenſis* Synodi decretum cognoſcentis. Nam omnis de Fide, legibuſque Eccleſiæ Catholicæ quæſtio, in hiſtoriæ Fidem deſinit; quæ, quatenus in lucem produci poteſt ex monumentis Eccleſiæ, nihil habet, cui contradici poſſit. Quæ una ratio docet, quantum interſit, non ſolum Eccleſiæ, ſed etiam Poteſtatum Fidelium, illuſtrari quotidie rerum Eccleſiaſticarum ſcientiam, ſtudio eorum ſcriptorum, quæ *Patres Eccleſiæ*, vel omnino *ſcriptores Eccleſiaſtici*, conſervandæ rerum Eccleſiaſticarum memoriæ conſecrarunt. Neque eſt quod metus ſit, egreſſurum officij ſui fines Ordinem Eccleſiaſticum, his ratio-

quæ

Digitized by Google

nibus conſtitutis; Cum certum ſit, non iri admiſſum ea, quæ conſtituerint ipſi, niſi intra eos fines verſentur, de quibus, ipſis faciendum eſt, ut ſeculi Poteſtatibus conſtare poſſit, quod legum ſeculi auxilio muniri velint. Proponamus igitur nobis primo, Chriſtianiſmi, ſive de Fide tenendis, ſive de ſponte agendis Legem, quæ ſalutem ſingulorum continet. Tum leges, quæ Unitatem Eccleſiæ, in obeundis, ad normam Fidei, Chriſtianæ pietatis officiis, maxime continent: Denique Ordinis Eccleſiaſtici auctoritatem, in originariis Eccleſiæ legibus, ad præſentis rerum ſtatus neceſſitatem moderandis, & definiendis. Nam ſunt hæc ſingula ſeculi Poteſtatibus obtinenda, ſi religioni erga Deum ſuæ conſulere velint; Sed tamen ſuo ordine. Eccleſiæ enim unitati legibus conſulitur, ut foveatur, ut propagetur Chriſtianiſmus; præſertim officiis cultus Dei frequentandis. Autoritas autem Ordinis Eccleſiaſtici ad leges tum retinendas, tum exercendas inſtituta eſt. Tum, dictum eſt, Eccleſiæ ſtatum, ſub Poteſtatibus Chriſtianis, ſimile quiddam habere *Romanæ Reipublicæ* à pulſis Regibus; cum penes *Senatum auctoritas*, penes *populum imperium* eſſe cœpit. Neque enim, niſi auctore Ordine Eccleſiaſtico, condendæ ſunt leges ſeculi, quibus jus Eccleſiæ Canonicum vim habet, apud cives Reipub. profitentes fidem Eccleſiæ. Vim tamen habent, quam dixi, à ſummæ poteſtatis imperio. Cogita jam, quantum interſit Ordinis Eccleſiaſtici, à Fidei lege non digredi; credito ſemel, non eſſe quod ab eorum auctoritate pendeant ſeculi poteſtates, extra fines ſuos verſantium. Tantum enim abeſt, ut eis obſequium debeant, a Fide deſciſcentibus, ut ditionum ſuarum Eccleſias diverſum jubere debeant, ſi Officio Poteſtatum Fidelium conſulere velint. Quod ſi, collapſam Apoſtolicarum legum Diſciplinam inſtaurari non patiatur Ordo Eccleſiaſticus, ſummæ poteſtatis Imperio ſubditus, propter diſſenſum R. Sedis; auxilio ei erit Eccleſiæ Unitas, cui antiquior eſt Catholicæ Eccleſiæ ratio, quam R. Sedis. Neque unquam, Eccle-

ſiæ inſtaurandæ defuturam Eccleſiæ auctoritatem, metuendum, ſi, ad Eccleſiæ Catholicæ normam inſtauranda, proponatur. Eſt autem idonea Eccleſiæ auctoritas, ad obeunda Chriſtianæ pietatis Officia, quæ eſt ad hominum conſecrationem, ex Canonibus Eccleſiæ legitima, a quibus obeunda ſunt. Nam legibus intra quas obeuntur, vim præſtat Eccleſiæ Catholicæ auctoritas, ad quam inſtauranda proponitur Eccleſia. Hoc tantum hic tenendum eſt, auctoritati Ordinis Eccleſiaſtici, originarias; id eſt, *Apoſtolicas Eccleſiæ leges*; Eccleſiæ autem legibus, communis fidei & ſalutis legem, cujus antiquior ratio ſit, antehabendam eſſe. Hoc enim ſi teneatur, fieri non poteſt, ut poteſtates publicæ Officio ſuo deſint, quod, quid ſibi faciendum ſit videre non poſſint, modo conſtitutum habeant, Officio non deeſſe, quemcunque ei exitum Deus conſtituerit. Nam ut recte conſulta non ſemper rectum exitum habeant, Chriſtianis etiam poteſtatibus, communis Chriſtianiſmi lege ferendum eſt.

De Fide, ſolam Facti quæſtionem reſtare videri.

Sane, qui omnipotentiam quandam R. Sedi aſſerunt, nunquam eo provehentur, ut quod factum conſtet infectum ab ea fieri poſſe pronuncient; Adeo omnis Facti quæſtio ultra omnis auctoritatis fines poſita eſt. Atqui mihi neque extitiſſe ulla controverſia videtur ad Fidem pertinens, earum quæ præſens diſcidium continent, neque extitura, ſaltem de qua decerni neceſſe ſit, de qua, ex Traditione, receptiſque totius Eccleſiæ decretis pronunciatum non ſit. Nam ſi ea exiſtat, quam ita definitam conſtare non poſſit, merito de ea decernendum non eſſe pronunciem; Sed penes eos futurum Schiſmatis crimen, qui a Communione propterea diſcedant, quod alij Fide tenendum non ſuſcipiant, quod Fide non teneri conſtare poſſit. Exemplo ſit *Hæreſis Sociniana*, tum ei ab extremo oppoſita *Anabaptiſtarum*, & quorumcunque *Fanaticorum*, nullam Fidei Legem agnoſcentium. Nam cum *Socinus Samoſateni Sabellij*que damnatas olim Hæreſes ab

Inferis

Inferis palam revocet; Manifeſtum eſt, a Fidelium omnium Communione alienos eſſe debere, quicunque *Socinianis* communicet. *Pelagianam* autem Hæreſim etſi occultius inſtaurare videatur, tamen dubitandum non eſt, rebus ipſis, & ſola facti quæſtione inſtituta, conſtare poſſe, ea ab ipſo innovari, de quibus a tota Eccleſia *Pelagio anathema* dictum ſit. Sed & *Socinum* merito videor ab ea quam inſtitui diſputatione ſummovere, qui de Patrum ſalute vel dubitet, vel ſecus pronunciet. Cum enim ipſa Fides ſtatum non habeat, niſi tam ante Legem, quam ſub Lege Patres ſalutem Fide adeptos conſtet; merito ſummovendi ſunt omni de Fide diſputatione, qui hoc non ſupponant; ut ad definienda controverſa perveniatur. Certe merito contemnendi ſunt, qui in intelligendis Scripturis tantum ſibi ſumant, cum, hoc neglecto fundamento Veteris Scripturæ ad Novam referendæ, (cui Patrum ſcripta quod inſiſtant, clariſſimam eis intelligendis lucem nobis præferunt) recte dici poſſint λημᾷν κολοκύνϑας. Quod autem ita Legem Fidei ad ſalutem neceſſariam agnoſcunt, ut Baptiſmi Sacramentum ad Profeſſionem Fidei pertinere nolint, ac proinde ad Legem ſalutis; Sed, ut Eccleſiam nullam agnoſcant, in cujus Fidem baptizari, ad Legem ſalutis pertineat, nihil intereſſe ſalutis Baptiſmum volunt; Merito præludere Fanaticis eorum ſententiis videri debent, qui eam Fidem ſalutarem eſſe volunt, quæ omnem ſalutis adipiſcendæ Legem, naturæ atque rationis Ordine antecedat. Atqui, cum in Fidem Eccleſiæ Catholicæ Baptiſmum ad Legem ſalutis pertinere, totius Eccleſiæ Traditione conſtare dictum eſt; Non erit opus alia quam Facti quæſtione, ſummovendis eis, & Eccleſiæ communione, & omni de Fide diſputatione, quorum pertinacia ad conflandum hac de cauſa diſcidium procedat. Hoc igitur exemplo mihi videor recte putare, nec extitiſſe, nec extituram unquam quæſtionem, de qua decerni ad retinendam Eccleſiæ Cmmunionem neceſſe ſit, quæ Traditione decretoque totius

tius Eccleſiæ Canonice conſtitutæ definita non ſit. Nimirum, quia, quæ de Trinitatis deque Incarnationis dominicæ Sacramentis, de Originis labe, deque domini Chriſti per Baptiſmum Gratia definita ſint, & ad Fidei integritatem,& ad Communionis Eccleſiaſticæ neceſſitatem, Fidelium omnis generis ſaluti ſatis ſint.

Quatenus Eccleſiæ Leges retinendæ videantur.

Sane,in Canonicum Eccleſiæ regimen cœptam invehi labem ſub *Caroli M.* poſteris mihi recte videor indicaſſe,cum Decretales Pontificibus Syricio antiquioribus ſuppoſitas Epiſtolas, a quocunque *Iſidoro Hiſpanico* Scriptore, vulgatas autem, & in cenſum Capitularium *Francicorum*,ſtudio *Moguntinæ* Sedis, R. Sedi poſt S. *Bonifacij* Legationem addictiſſimæ, relatas, ad tollenda ultra Canonicum modum R. Sedis jura ſpectare dictum eſt. Capitula autem quæ *Hadrianus P.* I. *Ingilramo Metenſi* Epiſcopo, *Romæ* negotij ſui cauſa agenti tradidit, antiquiora ſunt paulo decretalibus quas diximus; Quamvis mihi ſupra, memoriæ vitio, aliud dicere contigit. Sed cum, hinc quidem, in Capitularia relata ſint, eiſdem auctoribus, (ut apud *Sirmondum* reperies) inde autem, ad augenda R. Sedis jura pertinere, ex XX. XXIII. XXV. XXIX. XXXIX. LVI. deprehendi poſſint, merito ejuſdem rei argumentum præbent. Illuſtris certe apud *Anglos* noſtros *Wilfridi* Epiſcopi *Eboracenſis* cauſa, ad R. Sedem ex *Sardicenſi* Canone delata oſtendit, tum temporis *Canonicæ* diſciplinæ rationem *Romæ* obtinuiſſe, quam merito ſecutis temporibus deſideramus. Is enim,eum non immerito invidiam ſibi ſplendidiori cultu conciliaſſet, apud Regem ſuum *Northumbrorum*, vir meritis erga Eccleſiam illuſtris, damnatus videtur Synodo *Theodori Cantuarienſis*, eo conſilio, ut diviſus in plures Epiſcopatus ejus, deinceps Sedem *Cantuarienſem* reſpiceret. Quod cum eis adverſaretur, quæ *Gregorius P.* I. de duabus *Anglicanæ Eccleſiæ* Provinciis decreverat; ita abrogatum eſt decreto *Romanæ* Synodo *Agathonis P.* I. ut neque a *Theodoro*, neque a *Northumbris* obtemperaretur. Nimirum

quod

quod læderetur jus Regium, in conſtituendis regni ſui Sedibus Epiſcopalibus, de quo dictum eſt. Itaque neque ipſe reclamavit *Wilfridus*, quo minus aliter ſtatueretur de Epiſcopatibus; Qui, ſi aliter ſtatueretur, integrum ſibi jus eſſe petit *Abbatiarum*, quas ipſe fundaverat. Sed poſtea *Romam* profectus, adhuc meritis erga Eccleſiam illuſtrior, (qui Fidem interea temporis ad *Auſtrales Saxones* propagaverat) decretum obtinuit in Concilio, quo reſtitui jubetur, inſtaurata in Concilio *Anglicano* cognitione; ex formula, nimirum, Canonis *Sardicenſis*, de quo ſatis dictum eſt. Ex hoc decreto, ita Sedem ſuam recepiſſe videtur, quod videretur inſtauranda Eccleſiæ *Eboracenſis* in *Boreales Angliæ* Eccleſias auctoritas, ex decreto *Gregorij P.* I. Vide Concilium *Romanum Agathonis P.* apud *Spelmannum*: tum ejuſdem rei hiſtoriam apud *Malmesburienſem* de *Pont.* III. *Bedam Hiſt. Eccl.* IV. 13, 16. denique *Joannis P.* VII. *Epiſtolam* apud eundem *Spelmannum*, p. 204. Atqui hanc modeſtiam in R. Sedis poſteriorum temporum geſtis non facile invenies. Nam quæ de capitulis *Ingilrami*, deque ſubdititiis Pontt. Decretalibus dicta ſunt, ſatis oſtendunt, R. Sedem juri ſuo Canonico non acquieviſſe: Et poſtquam *Gregorius P.* VII. communione privato Imp., ſolutos fide ei jurata cives ad arma in eum ſumenda concitavit, manifeſtum eſt, Canonicum jus ad arbitrium R. Sedis immutatum eſſe. Atqui illud etiam manifeſtum eſt, poteſtates Fideles, quæ ſibi, ſimul & publicæ paci, & communi Fidei auxilio eſſe debent, Eccleſiis etiam ſuis auxilio eſſe debere, & tuendo juri ipſarum Canonico. Itaque cum Vicarios ſibi inſtitueret R. Sedes, cum Pallia mitteret Archiepiſcopis, cum ab Epiſcopis Canonici obſequij juramentum exigeret; ferri poterat, quamdiu Canonicum modum agnoſceret. Nam & *majores cauſas* exiſtere neceſſe eſt, & ſine Canonica Profeſſione agnoſcendus nemo erat Epiſcopus, neque aliter agnoſcendus R. Sedi Archiepiſcopus. Sed hæc ea Lege, ut idem profiteatur R.

Sedes;

Sedes; cujus Pontifices, cum Generalia Concilia agnoſcunt, merito Canonibus teneri videntur, quibus ante ſe conditis Concilia Generalia vim addunt. Niſi quod experiendo cognoſci poteſt, Vicarias Sedes; vel pro vitæ tempore Vicarios Epiſcopos à R. Sede inſtitutos, tollendi ſui cauſa, prodere jura Eccleſiarum ſuarum ſolitas; Cui malo quis neget Fidelibus Poteſtatibus intercedendi jus fuiſſe? Et ſi quid aliud rerum experientia excludi poſtulat, ut Canonicus modus teneatur. Ac proinde, *Wilfridus* ejuſque cauſa exemplo eſſe poſſe videtur, ſex Concilia Generalia recte ab eis agnoſci poſſe, qui inſtaurandam Eccleſiam ſuſcipiunt; Tum codicem Canonum, quem Eccleſiæ *Romanæ* appellamus, cujus decreta tempora *Caroli M.* fere attingunt; ut intra certos fines inſtauranda Eccleſia videatur. Nam & non receptos à R. Sede Canones *Trullanos*, quamvis ex Eccleſiarum Occidentalium moribus definiendi ferrentur à *Græcis*, initium Schiſmati *Græcæ Latinæque Eccleſiæ* dediſſe fatendum eſt. Et negandum, poſt illud Schiſma, legitimum ullum Generale Concilium vel agi potuiſſe, vel actum eſſe: Neque quod Septimum vocatur vim habuiſſe, niſi poſt infinitum jus R. Sedi à *Gregorij* VII. temporibus uſurpatum. Spreto igitur à R. Sede jure Canonico, merito inſtaurari à ſummis Poteſtatibus jura ſua, ditionum ſuarum Eccleſiis; & invita R. Sede cauſis illis conſuli, quibus conſtituendis ipſam intervenire Canonicus regiminis modus poſtulet. Et definitis eis intra modum Canonum totius Eccleſiæ, recte partem Eccleſiæ citra conſenſum ejus inſtauratam videri; Nimirum, quod Canonico non contenta, infinitæ ſibi poteſtatis jus vendicet.

Sine crimine Schiſmatis, decerni poſſe de eis quæ ad totam Eccleſiam pertinent.

Itaque, quod de Schiſmatis crimine objicitur; poſtquam, aliud eſſe ſtatum aliud crimen Schiſmatis, ex ſupra dictis repetitum fuerit; videtur ſolvi poſſe. Cum enim Eccleſiæ Unitas Communione Officiorum cultus divini ſenſui ſubdita evadat, & ſui generis Reſpublica quædam

Digitized by Google

quædam, Religionis ac Fidei nomine divinitus inſtituta; manifeſtum eſt, diſcidium ejus inſtar eſſe belli inteſtini, quo Reſpublica diſſiliat. Bellum autem inteſtinum utrinque injuſtum eſſe poteſt; utrinque certe juſtum eſſe non contingit: Niſi quatenus difficiliores iuris dijudicandi cauſæ ſunt, quam ut ſinguli ſemper cives rectum teneant; & Reipublicæ intereſt, ex lege *Solonis*, partes ſuas eligere inſtaurandæ unitatis ſtudioſos, ut rectius coiri poſſit. Quod ita non dico in hodierno Eccleſiæ diſcidio contingere, ut, cum accidere poſſe dicam, poſſim id quod conſequens eſt dicere; contingere poſſe diſcidium; in quo, utrinque ſalutis ratio conſtare poſſit. Atque huc allegare merito mihi poſſe videor *Acaciani* Schiſmatis exemplum; In quo & conflando & retinendo, cum utrinque peccatum fuiſſe probatum fuerit; procul tamen abeſt, ut Fidelibus ab utraque parte ſalutis ratio non conſtiterit. Idem de *Iſtriano* deque aliis Schiſmatibus dici poſſet ab eo, qui neque *Abyſſinos* Schiſmatis ob *Hæreſim* conflatæ reos agnoſcat; quamvis ob *Dioſcori* nomen, ignorata cauſa, reliquæ Eccleſiæ diviſos. Tum etiam ita hodieque inter partes diſputari video, ut quorum error, ob educationis præjudicia, aliamve probabilem cauſam offenſionis, ſuperari non poſſit, eos extra ſalutis ſpem poſitos non eſſe agnoſcant. Et ratio manifeſta videtur. Cum enim ſalutis lex divinitus poſita ſit Fidelibus communis, Eccleſia autem eo fine inſtituta, ut ejus communione Fideles, communis ſalutis legem aſsecuti ſeculo decedant; quis eſt qui neget, poſſe Fidelem utrinque, ex communis ſalutis lege vivere & mori? Nimirum qui neget, & fide utrinque teneri quod ad omnium ſalutem neceſſe ſit, & Baptiſmatis lege vivendi ſtudium ad mortem uſque poſſe teneri. Nam quod Schiſmatis crimen charitati Fidelium communi exitioſum ſit; id locum non habet, niſi probatum fuerit, quem in Schiſmatis ſtatu neceſſe fuerit vivere, eum Schiſmatis etiam crimine teneri. Atqui hoc in eo locum non habet,

qui Schiſma paſſus non fecerit; quique Eccleſiæ diſcidio ita indoleat, ut nullam idoneam concordiæ legem recuſet, quatenus quidem, vel ſciat ipſe vel poſſit. Atqui probabilem eſſe diſcidij cauſanr, quæ inſtaurandæ Eccleſiæ nomine contingit, quis neget? Non quod ulla poſſit idonea ſcindendæ Eccleſiæ cauſa eſſe, aut probabilis: Sed quod inſtaurandæ Eccleſiæ probabilis eſſe cauſa poſſit; Quo facto, contingit diſcidium, quod ab alijs probabilis cauſa non agnoſcatur. Nam & e diverſo, quis neget, ferri poſſe probabilem eam inſtaurandæ Eccleſiæ cauſam, quæ re ipſa probabilis non ſit? Itaque & probabilem eſſe eam poſſe offenſionis cauſam, propter quam recuſetur inſtauratio Eccleſiæ. Sed hæc quidem, quamdiu agitur de ſingulorum Fidelium Officio; Quorum non eſt ſcire, quid univerſæ Eccleſiæ interſit. Nam quod ad Epiſcopos attinet, & Eccleſiæ proceres, quod ad Poteſtates Fideles, quorum eſt, non ſolum ſuæ, ſed & Eccleſiarum, Synodorumque quas faciunt ditionum ſuarum Eccleſiæ ſaluti conſulere; eos ego hoc ago, ut attineri tantæ rei Religione contendam, niſi ex recta, non ſolum probabili cauſa, ſuorum ſaluti conſulant; Quatenus quidem, cum Unitate Eccleſiæ, cumque pacis publicæ ratione fieri poſſit. Neque enim ipſe aliud ago, quam ut animum Religione exolvam, ex veritatis controverſæ ſtudio concepta.

De iis quæ Traditione definiri non poſſunt.

Sed repetendum eſt hoc loco, quia nondum ei parti occurſum eſt; præter leges quibus continetur Eccleſiæ ſtatus, mores etiam eſſe, qui in uſu ſingulorum Fidelium conſiſtunt, a ſingulis exercendi; tum diſtinguendum, quibus Eccleſiæ Communio continetur, ea ad ſingulorum Fidelium Officium hactenus pertinere, ne eorum cauſa violandam Unitatem putent: Quæ in ipſorum moribus poſita ſunt, eatenus ipſis præſtanda, ut eis præſtitis, non violari Fidem communem perſuaſum habeant. Sed aſſerendum inſuper, Fidei communis Religionem non eſſe partium diſputationibus eo uſque violatam, ut quia in re ſita ſit non conſtet;

Etſi,

Etſi, quibus moribus vel propagetur vel impediatur, in diſputationem, atque adeo in diſcidij cauſam venerit. Quamvis igitur dici non poſſit, quæ de moribus Fidelium inter partes diſputantur, ex Univerſæ Eccleſiæ Traditione definiri poſſe; tamen dicendum eſt, quod manifeſta communis Fidei Religio ſit, propterea invectos in Eccleſiam mores dici poſſe, qui cum ab initio non fuerint, Fidei etiam propagandæ, augendæ, exercendæ Religioni adverſi ſint. Ac propterea, conſtare poſſe Eccleſiæ parti, etiam reliqua non conſentiente, in eis ad originariam Fidei ſimplicitatem inſtaurandis Eccleſiæ Reformationem poſitam eſſe. Quo facto, ſi Communio diſſiliat, non eſſe eos crimini Schiſmatis affines, qui inſtaurandam Eccleſiam ſuſcipiant, ſed qui inſtauratæ Eccleſiæ nomine Communionem repudiant. Nemo me hic ſumere putet pro conceſſo, quod hoc loco probari non poteſt; Tantam invectam in Eccleſiam labem, ut ſine conſenſu totius inſtauranda fuerit: Nemo me gratis concedere, non ad ejus quæ fuit ab initio Eccleſiæ modum inſtauratum fuiſſe, ſed ad perverſam de Scripturarum ſenſu ſententiam innovatum, quod inſtaurandæ Eccleſiæ nomine mutatum eſt. Memini me Eccleſiæ *Anglicanæ* Communionem colere; in qua, reſponſum eſt ab initio quærentibus, ubi Eccleſia ante *Lutherum*; Ibi fuiſſe ubi inſtaurata eſt; Inſtaurata tantum quæ viciata, abrogata quæ ſubintroducta fuerant: Ac proinde, eandem eſſe inſtauratam Eccleſiam, quæ viciata prius & labefacta fuerat. Itaque, neque a R. Sede diſcidium factum eſse, ſed propterea contigiſse, quod inſtaurandæ Eccleſiæ auctor eſse noluerit: neque Schiſmatis crimen penes inſtaurandæ Eccleſiæ auctores eſse, ſed penes eos qui inſtauratam abjiciunt. Nimirum, Schiſmatis cauſam eſse nullam poſse, inſtaurandæ Eccleſiæ juſtam fuiſse. Sed hoc propterea, quod inſtaurandæ Eccleſiæ auctor ſit nondum labefacta Eccleſia, & quod inſtaurandæ modus inde petendus, unde inſtaurandi ratio conſtet. Quare neque

eſſe,quod veterum Schiſmatum nomina, *Donatiſticæ*, *Novatianæ*, *Montanicæ* ſibi objici reformident, (ac propterea, ad Unius quæ ab initio fuit Eccleſiæ modum exigi nolint) qui ad hunc modum reformandam Eccleſiam ſuſcipiunt. Nam *Donatiſtas* manifeſtum eſt, quod ab Apoſtatis Fidei Ordinatum *Cæcilianum* pertenderent, (ac propterea totam Eccleſiam, quæ *Cæciliano* communicaret, à Fide deſciviſſe, neque aliter recipiendos, qui ei communicaſſent, quam ut rebaptizarentur tanquam *Pagani*) propterea ab Unitate diſceſſiſſe. Hujus criminis affines ſunt, qui communionem eorum repudiant, qui addita communi Fidei, vel vitiata R. Sedis auctoritate non recipiant. Sicut e diverſo, qui R. Sedi propter ea renuncient, quæ totam ab initio Eccleſiam auctorem habeant. *Novatianos* manifeſtum eſt inde extitiſſe, quod lapſos ad communionem per Pœnitentiam non reciperent; ſed excidiſse Fide totam Eccleſiam vellent, quod receptis per Pœnitentiam communicaret. Itaque redeuntes ad ſe, per iteratum Baptiſmum, tanquam factos *Paganos*, quamvis vetante diſerte Apoſtolo, recepiſſe. Quo facto, manifeſtum eſt, & ab Eccleſia, & à Fide deſcitum ab ipſis fuiſse, neque amplius Catholicam ex omnibus *Gentibus* Eccleſiam exiſtere potuiſse. *Montaniſtas*, manifeſtum eſt ex *Montaniſmo Tertulliani*, *Montanum* & ſuos pro Prophetis amplexos, ex eorum dictatis inſtituta amplexos, quæ manifeſtum erat, Eccleſiam ex omnibus Gentibus conſtitutam ferre non poſse; Nimirum, ſecundas nuptias excluſiſſe, redeuntes ab adulterio aut Idololatria per Pœnitentiam non recepiſse, eos qui in perſecutione fugerant repudiaſſe, Jejunia ultra modum Catholicum exegiſse, alia quæ apud *Tertullianum* leguntur, auctoribus Prophetis ſuis indixiſse. Ac propterea videntur *Pepuza* ſua novam *Jeroſolymam* appellaſse, ut, quaſi defeciſset Catholica, novam a ſe inſtitui Eccleſiam profiterentur. Sane ſi *Prophetarum Spiritus Prophetis ſubditi* eſse debebant, quo tempore certum eſt ex S. *Paulo*, Prophetica

charîſmata

Digitized by Google

chariſmata viguiſſe, certum eſt non fuiſse Spiritus divini chariſmata, quæ *Montanum* ab Eccleſiæ communione averterent. Certum enim eſt, non fuiſse Eccleſiæ præſentem Dei Spiritum, cujus repudiandam communionem Dei Spiritus in Prophetis *Montani* ſciſceret. Labem in Eccleſiam poſſe incumbere, cui tamen præſens ſit Dei Spiritus, quid obſtat? Ac propterea emendandum eſſe, propter quod, a communione diſcedendum non ſit. Non eſt diffitendum, ſciſsis ab Eccleſia *Montaniſtis*, majorem Fidei Labem contigiſse, propter quam, repudiandus Eccleſiæ Baptiſmus eorum fuerit, ut ex S. *Baſilio* dictum eſt. Sed de *Montani* Schiſmate loquimur, quale factum eſt a *Tertulliano Carthagine*; quo tempore, non videtur Hæreſis proprium nomen meruiſse. Quid autem ejus affine habebunt qui Eccleſiam, ad Eccleſiæ modum qui ab initio fuerit, inſtaurandam ſuſcipiunt? Cauſa quidem diſcidij utrinque erit, tam apud eos, qui communione pellunt ad hunc modum reformatos, quam eos, qui reformatione ad hunc modum facta contenti non fuerint. Itaque merito aſcribendum erit eis crimen Schiſmatis, qui inſtaurari ea poſtulant, quæ conſtare non poſſit, ab Eccleſiæ totius inſtitutis non deſciſcere. Ac propterea hanc operam merito a me ſuſceptam, (etſi nulla ſpe fore, ut proficiant nulla auctoritate hominis rationes, ad diſcidium Occidentalis Eccleſiæ componendum) quod conſtitutum habeam, neque diſcidia vernaculæ Eccleſiæ aliter ex Dei Lege ad unitatem redigi poſse, quam, ut ad totius quæ fuit ab initio Eccleſiæ unitatem redigantur; neque aliter firmam futuram Reformationem, quam ſi ex Dei Lege facta ſit.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XXXIV.

De jure ſanciendarum pœnis ſeculi Legum Eccleſiaſticarum. Non cadere jure ſuo ſummas Poteſtates, quibus Eccleſiæ Communione interdictum ſit. Eadem ratione, tum paci publicæ, tum Unitati Eccleſiæ cautum eſſe.

Quo jure, ſeculi pœnis ſanciri Chriſtianiſmum, fas ſit.

NUNC illud agamus quod reſtat; Quibus hujus ſeculi pœnis, latas, *auctore Ordine Eccleſiaſtico*, de rebus Eccleſiaſticis leges ſanciri fas ſit. Quod ut eis rationibus agamus, quibus obſiſti non poſſit, repetendum eſt ex dictis, quo jure, latas a ſe leges de rebus Eccleſiaſticis, hujus ſeculi pœnis ſanciant Poteſtates Fideles. Nam cum omnis rei menſura & modus, a ratione cui inſiſtit, petenda ſit; quia infinitum eſt quicquid ratione caret; Ita demum tenebitur, quantis, ſi teneatur, quo jure, quaque ratione, omnino hujus ſeculi pœnis ſanciri eas fas ſit. Nimirum, recte omnino ratiocinari videntur, qui, cum Fidei obſequium, niſi animi ſponte oblatum, Deo gratum eſse non poſse videant, nullam autem humanam legem ad animum pertingere; quem Deus ſolus, ut inſpicit & judicat, ſic etiam punit; Propterea, neminem ad Fidem cogendum ſciſcunt. Neque enim hoc agitur, quod Gentilium perſecutionibus agebatur; ut veritatem Fidei, quam intimis animi ſenſibus teneri a Chriſtianis ſentiebant, ore negarent; Ita, ut veram Fidem eſſe profiteatur, qui veram eſſe non credit. Sed quia hujus ſæculi commodis abduci cives ſuos ſciunt ſæculi Poteſtates, ut futuri ſalutem negligant; Quam, ſolam Chriſti Fidem vere polliceri, ſciunt; Propterea, hujus ſeculi incommodis adigi eos volunt, ut attendant ad rationes amplectendi Chriſtianiſmi, quas perſpectas, a nemine repudiari poſſe ſciunt. Nemo enim hoc a me

gratis

Digitized by Google

gratis hoc loco ſupponi dicat; de quo, quaſi inter Fideles, diſputari cœptum eſt, inter quos, de communi Fide dubitari nefas ſit. Jus igitur Fidelium Poteſtatum, ad ſanciendam pœnis ſæculi Fidem, a jure ferendarum de rebus Eccleſiaſticis legum, quod ipſis hactenus vindicavimus, arceſſendum eſt; Quatenus, inanes eſſe omnes ſummarum Poteſtatum leges neceſſe eſt, niſi gladio; id eſt, niſi pœnis quibus gladius vim præſtat, ſanciantur. Cum enim, eodem eſſe jure eos, adverſus ſuos Cives, dictum ſit, quo erant nondum Fideles; cum eiſdem rationibus ſalutis ſpem adipiſcantur, quibus cives ſui; Eccleſiæ autem miniſterio ſalutem adipiſci tum cives, tum Poteſtates ſupremas; divinitus inſtitutum ſit; omnino jus naſci ſummis Poteſtatibus neceſſe eſt, quod in Officium tranſeat; Eccleſiam, intra fines Eccleſiæ conſtitutos, tuendi, pœnis in eos irrogatis, qui, cum eandem cum ſupremis Poteſtatibus Fidem profiteantur, Eccleſiæ tamen obſequium defugiunt, quod deberi ſummæ Poteſtates ſciant. Nam cum ex Eccleſiæ Catholicæ ſtatu naſcatur jus proſcribendi Hæreticos & Schiſmaticos, qui ſeipſis interdicunt Eccleſiæ Communione, (neque enim eſſet *Eccleſia Catholica*, niſi eſſent Hæretici & Schiſmatici; ſed, *ſine additamento*, *Eccleſia*) cum, interdicendi Communione eis, qui ſuſceptam Fidei profeſſionem non implent; Quis neget jus eſſe ſæculi Poteſtatibus, interdictam Eccleſiæ Communionem pœnis in eos ſancire, qui, cum Fideles videri velint, obſequium, quod Eccleſiæ deberi demonſtratum eſt, non præſtant. Quod ſi de Civibus ſermo ſit, Fidem nondum Profeſſis, in eos, cum idem Fidelibus Poteſtatibus jus ſit, quod non Fidelibus, legibus omnes juſtis coercendi; Legum autem juſtitiam Fidei veritas afferat, quam hæc diſputatio ſupponit; Omnino ſecundum culpam, cujus ſingulos recuſata Fides reos agit, exigendæ neglectæ Fidei pœnæ de ſingulis, jus eſſe Fidelibus Poteſtatibus oportet. Itaque ab *Atheis*, (ſi tamen quenquam,

CAP. XXXIV.

De jure ſanciendarum pœnis ſeculi Legum Eccleſiaſticarum. Non cadere jure ſuo ſummas Poteſtates, quibus Eccleſiæ Communione interdictum ſit. Eadem ratione, tum paci publicæ, tum Unitati Eccleſiæ cautum eſſe.

Quo jure, ſeculi pœnis ſanciri Chriſtianiſmum, fas ſit.

NUNC illud agamus quod reſtat; Quibus hujus ſeculi pœnis, latas, *auctore Ordine Eccleſiaſtico*, de rebus Eccleſiaſticis leges ſanciri fas ſit. Quod ut eis rationibus agamus, quibus obſiſti non poſſit, repetendum eſt ex dictis, quo jure, latas a ſe leges de rebus Eccleſiaſticis, hujus ſeculi pœnis ſanciant Poteſtates Fideles. Nam cum omnis rei menſura & modus, a ratione cui inſiſtit, petenda ſit; quia infinitum eſt quicquid ratione caret; Ita demum tenebitur, quantis, ſi teneatur, quo jure, quaque ratione, omnino hujus ſeculi pœnis ſanciri eas fas ſit. Nimirum, recte omnino ratiocinari videntur, qui, cum Fidei obſequium, niſi animi ſponte oblatum, Deo gratum eſse non poſse videant, nullam autem humanam legem ad animum pertingere; quem Deus ſolus, ut inſpicit & judicat, ſic etiam punit; Propterea, neminem ad Fidem cogendum ſciſcunt. Neque enim hoc agitur, quod Gentilium perſecutionibus agebatur; ut veritatem Fidei, quam intimis animi ſenſibus teneri a Chriſtianis ſentiebant, ore negarent; Ita, ut veram Fidem eſſe profiteatur, qui veram eſſe non credit. Sed quia hujus ſæculi commodis abduci cives ſuos ſciunt ſæculi Poteſtates, ut futuri ſalutem negligant; Quam, ſolam Chriſti Fidem vere polliceri, ſciunt; Propterea, hujus ſeculi incommodis adigi eos volunt, ut attendant ad rationes amplectendi Chriſtianiſmi, quas perſpectas, a nemine repudiari poſſe ſciunt. Nemo enim hoc a me

gratis

gratis hoc loco ſupponi dicat; de quo, quaſi inter Fideles, diſputari cœptum eſt, inter quos, de communi Fide dubitari nefas ſit. Jus igitur Fidelium Poteſtatum, ad ſanciendam pœnis ſæculi Fidem, a jure ferendarum de rebus Eccleſiaſticis legum, quod ipſis hactenus vindicavimus, arceſſendum eſt; Quatenus, inanes eſſe omnes ſummarum Poteſtatum leges neceſſe eſt, nisi gladio; id eſt, niſi pœnis quibus gladius vim præſtat, ſanciantur. Cum enim, eodem eſſe jure eos, adverſus ſuos Cives, dictum ſit, quo erant nondum Fideles; cum eiſdem rationibus ſalutis ſpem adipiſcantur, quibus cives ſui; Eccleſiæ autem miniſterio ſalutem adipiſci tum cives, tum Poteſtates ſupremas; divinitus inſtitutum ſit; omnino jus naſci ſummis Poteſtatibus neceſſe eſt, quod in Officium tranſeat; Eccleſiam, intra fines Eccleſiæ conſtitutos, tuendi, pœnis in eos irrogatis, qui, cum eandem cum ſupremis Poteſtatibus Fidem profiteantur, Eccleſiæ tamen obſequium defugiunt, quod deberi ſummæ Poteſtates ſciant. Nam cum ex Eccleſiæ Catholicæ ſtatu naſcatur jus proſcribendi Hæreticos & Schiſmaticos, qui ſeipſis interdicunt Eccleſiæ Communione, (neque enim eſſet *Eccleſia Catholica*, niſi eſſent Hæretici & Schiſmatici; ſed, *ſine additamento, Eccleſia*) cum, interdicendi Communione eis, qui ſuſceptam Fidei profeſſionem non implent; Quis neget jus eſſe ſæculi Poteſtatibus, interdictam Eccleſiæ Communionem pœnis in eos ſancire, qui, cum Fideles videri velint, obſequium, quod Eccleſiæ deberi demonſtratum eſt, non præſtant. Quod ſi de Civibus ſermo ſit, Fidem nondum Profeſſis, in eos, cum idem Fidelibus Poteſtatibus jus ſit, quod non Fidelibus, legibus omnes juſtis coercendi; Legum autem juſtitiam Fidei veritas afferat, quam hæc diſputatio ſupponit; Omnino ſecundum culpam, cujus ſingulos recuſata Fides reos agit, exigendæ neglectæ Fidei pœnæ de ſingulis, jus eſſe Fidelibus Poteſtatibus oportet. Itaque ab *Atheis*, (ſi tamen quenquam,

quam, vere ſe *Atheum* ferre, credi poſſit) graviores quam ab *Idololatris*, ſive Gentilibus, ab his quam a *Muhammedanis*, ab illis quam a *Judæis*, ab *Apoſtatis a Fide*, ſecundum ejus erroris gravitatem ad quem deſciſcunt, ab *Hæreticis & Schiſmaticis*, ſecundum ejus erroris gravitatem, quo conſtat vel *Hæreſis*, vel *Schiſma*, exigi fas eſt; Quamdiu quidem, nihil aliud, quam neglectam Eccleſiæ unius Fidem ſpectamus; quod majoribus gravari poſſe mox dicemus, cum, quantæ exigi poſſint, dicendum erit. Hic illud animadvertendum eſt, cum aliud jus ſummis Poteſtatibus in Fideles, aliud in Infideles tribuo, utrumque tanquam Fidelibus; diſtingui a me juris uſum, cujus rationem Deo debent, ab ipſo jure; cujus aliam rationem Fidelibus reddunt, aliam Infidelibus. Ponamus enim, exempli cauſa, verum eſſe quod fertur de *Philippo Aug.*, Fidem Chriſti fuiſſe profeſſum, cum necdum ita invaluiſſet Chriſti Fides, ut conſultum eſſet Fidem præmiis vel pœnis ſanciri; Nihilominus ipſi juris fuiſse, adverſus ſuos ſubditos ejus ſanciendæ, dicendum videtur, quam poſtmodum, *Conſtantino*. Id tantum intereſſe, quod, cum rationem juris ſui exercendi Deo deberet, id facere non deberet, quod facere conſultum non eſset. Præterea diſtinguendum hoc loco, aliam rationem eſse, cum de eis ſermo eſt, quæ naturæ lumine perſpecta ad religionem tamen Chriſtianiſmi pertinent; aliam cum de eis, quæ cum ſola Fidei revelatione comperta ſint, ſola Chriſtianiſmi Religione teneantur. Neque enim dubium eſt, cum omnes Reſpublicæ tuendam in ſe legem, quam humano generi naturæ lumen inſerit, ſuſcipiant; poſse omnem Rempublicam atque debere, unius veri Dei Religionem a Civibus exigere, & in ejus neglectum, non ſolum pro neglectis patriæ legibus, ſed pro conculcata naturæ Lege vindicare. Fuerint Idololatræ Gentes omnes, præter Judæos, cum prædicata eſt Fides; Propterea iram Dei eis incumbere, qui Evangelium repudiarent;

Digitized by Google

arent, prædicabat Fides quod in injuſtitia veritatem detinerent; merito, ejus nomine a recte ſentientibus puniendi, quod facerent, cum punire deberent. Ex Jure igitur naturæ Lege conſtituto, Lex *Moſaica* pœnam capitis Idololatris indicebat; Quo jure Athenienſes Atheos proſcribebant; Et Romanæ Poteſtates, cum Chriſtianos pro Atheis perſequebantur, jure hoc feciſsent, ſi jure eos pro Atheis Athei ipſi habuiſsent; Vere enim Apoſtolus Atheos appellat Gentiles ad *Epheſ.* II. 12. quod idem ſit nullum Deum ac plures habere. Sed cum de Fide divinitus revelata ſermo eſt, cujus ſuſcipiendæ nulla hujus ſeculi Poteſtas idoneus auctor eſt; ac proinde, neque neglectæ vindex; Merito ejus gravitatem peccati Deo puniendam relinquimus, cujus ratio conſtitutæ Reipublicæ ſupervenit. Sed tamen cum neglectæ Leges patriæ gravi crimine obſtringant, graviſſimum neglectarum Legum Eccleſiaſticarum crimen cenſeri neceſſe eſt; Propter rem maximi momenti, in qua libido eſt patriæ Legibus diſſentiendi. Tum, quia nulla religio eſſe poteſt, fide ſincera cum hominibus agendi, ſi Deo religionem non præſtes; Neceſſe eſt, de Pietate in Patriam dubitari, ejus, qui Deo Pietatem non præſtet. Atqui inter Chriſtianos nemo videri poteſt Deo pietatem præſtare, (Republica quidem Judice) qui ex Legibus Patriæ non præſtat. Quod ſi & judicandi Patriæ jus ſit, & proinde Legibus ſanciendi, de quo ratio extat ſtatuendi; oportet eo jure Religionem pœnis ſanciri, quo Prætor jus dicebat cum injuſte judicabat, apud Romanos. Jus enim in Cives habebit Reſpublica, quo perperam utitur quoad Deum, ſi, quod in Religione minus rectum eſt pœnis ſanciat. Itaque non poteſt ſumma Poteſtas alia lege tuendam Eccleſiam ſuſcipere, quam ut pœnæ rei ſint, qui, quam tuendam Eccleſiam ſuſcipit ſuprema Poteſtas, ab ejus Communione abhorreant. Quamvis enim, propter Fidem Chriſtianiſmi, nemo jure excidit, quod ſeculi legibus conſtat; Tamen propter negatum Patriæ Legibus obſequium,

Digitized by Google

ſequium, quibus Eccleſiæ Communio conſtituta eſt, quis non jure excidit quod Patriæ legibus obtinet? Certe, non poteſt alia lege cenſeri Chriſtiana Reſpublica, quam, ut in ejus famam & opinionem nota aliqua cadat, qui ex Legibus Patriæ Religionem Chriſtianiſmi non colat. Notam igitur ad infamiam pertinentem, illam dico, ſuſceptam a ſummis Poteſtatibus Fidem & Eccleſiam tuendam ſequi, quæ naſcitur, ex Eccleſiæ negata eis Communione, qui Fidem repudiant, quam tuendam Reſpublica ſuſcipit. Nam ſi jubentur Cives, Eccleſiæ Communione vivere Legibus conſtitutæ, eo ipſo, qui non cenſetur Eccleſiæ Communione notam ſubit; ſive ſponte eam repudiet, ut *Hæretici* faciuut & Schiſmatici, (quos propterea S. *Paulus a ſeipſis damnatos* appellat) ſive Eccleſiæ judicio Communione ejus careat. Quis enim alia lege Fidem profiteatur, tuendam Eccleſiam ſuſcipiat, quam Unam credit, niſi ut a Fide, a ſalute alienos credat, quia aliam ab ea colunt, cujus Communionem Legibus ſuis tueatur? Aliud eſt ferre Hæreſes & Schiſmata; Quod, non eſt negandum, incidere poſſe tempora, cum fieri vel poſſit vel debeat. Sed hoc alia Lege fieri non poteſt, niſi ut abſtineant Communione veræ Eccleſiæ, qui falſæ communicant; Quamvis ſponte ſua falſa veræ Communionem repudiet. Itaque non tuentur Eccleſiam ſeculi Poteſtatis, cujus Excommunicationem ratam non faciunt. Sane, tuendæ Eccleſiæ profeſſio tuendi ejus juris univerſi profeſſione conſtat, quod, divinitus Eccleſiæ conſtitutum, ab initio dictum eſt, procurandæ Fidelium ſalutis nomine. Sed ita, ut, quomodo Reipublicæ Majeſtas in jure Gladij definit, quo vitæ ac necis Poteſtas continetur; ita totum Eccleſiæ jus in jure tribuendæ vel negandæ Communionis. Ita igitur tueri Eccleſiam dicitur Summa ſeculi poteſtas, ſi Excommunicationes ejus Legibus ſuis ratas eſſe jubeat; Veram quidem, ſi ex legibus totius Eccleſiæ conſtituta ſit quam tuetur, ſin minus, tamen, quam ipſa veram agnoſci jubeat.

Digitized by Google

jubeat. Quod ſi conflata Hæreſis ſponte ſe Communione abdicet, & tamen Hæreſi communicare eis liceat, qui Eccleſiæ Legibus conſtitutæ Communione gaudere volunt, prodere hoc Eccleſiam fuerit, non tueri, quam tuendam Poteſtas ſumma ſuſcipiat. Eccleſiam enim eſſe oportet, quæ veram ſe Eccleſiam ferat. Atqui Eccleſia non fuerit, quæCommunionis Legem nullam habeat.

His poſitis, facile diſcutiuntur extremarum ſententiarum conſequentiæ. Qui juris Eccleſiaſtici nullos fines agnoſcunt, miniſtrari Eccleſiæ a ſummis Poteſtatibus æquum putant, eis irrogandis pœnis, civibus ſuis, Apoſtaſiæ, Hæreſiſve nomine, vel erroris a Fide cujuſcunque, quas R.Sedes ſtatuerit. Atqui, Hæreticum quenquam aut Schiſmaticum, niſi ad Eccleſiæ Catholicæ normam, a ſummis Poteſtatibus agnoſci, quæ dicta ſunt vetant. Cum enim, non ſolum Civibus ſuis, ſed & Eccleſiæ tutelam debeant ſummæ Poteſtates Fideles, erit ipſorum, de eis quibus tutelam debent, judicium; Eis quidem rationibus, quibus, a Deo Eccleſiæ ſuæ conſultum dixi, ut judicari poſſit. Itaque, & de inſtaurandæ Eccleſiæ cauſis; idque, non niſi ſupremo loco ac jure. Nemo enim mihi dicat, judicandum quidem ipſis, ſed *ex arbitrio decernentis* hic & nunc, non *ex Traditione totius Eccleſiæ.* Nam cui Deus ſupremum arbitrium credidit, ei actus ſui rationem alieno arbitrio reddere vetuit. Certe, niſi Eccleſiaſtico Ordini, quid ſecundum Fidem, quid ſecundum totius Eccleſiæ leges ſtatuendum ſit, de eis quæ ſtatim in dubium veniunt, Poteſtates Fideles decernendum permittant, auctoritatem ejus violent, qua ſalva, ſalva eſt & Fides & Eccleſia. Si quid poſtulet, vel Fides vel leges Eccleſiæ, ipſis affirmantibus credant, quod oculis ſuis credere debent, fruſtra eos Deo allegabunt, exercendi ſibi Officij divinitus mandati auctores. Quod autem ad eos attinet, qui ſummis Poteſtatibus jus eſſe volunt, decernendi de omnibus ad Fidem pertinentibus, ac ſi nulla eſſet Eccleſia; dictum eſt,

Quæ extremas ſententias ſequantur abſurda.

quibus finibus, gratum eſſe Deo civium obſequium ſummæ Poteſtatis auctoritas idonea ratio ſit. Qui ſi fines non teneantur, videant, quo jure,neglectæ voluntatis ſuæ pœnas a civibus ſuis expetant, quos ejus auctoritas ſecuros non reddant, Deo gratum fore; quod legibus ſuis obtemperet; cum diverſa juberi videant a Fidelibus Poteſtatibus æque ſummis. Reſponſum eſt, ceſſurum in lucrum Chriſtianis, quod pœnas legum ſubeant,potius quam a recto Chriſtianiſmi cultu deſciſcant, quamvis jubentibus patriæ legibus. Sed qui hoc reſpondebat, non videbat ſe id reſpondere, quod cavillabatur Apoſtata olim *Julianus*, cum vexationes ſuas Chriſtianis imputando, illuderet eis quos vexabat; Facere enim ad eorum ſalutem, quæ Chriſti nomine paterentur. Atqui, quod lucro cedit injuriam paſſis, injuriam inferrentes perſecutores Chriſtianiſmi relinquit. Jus autem non eſt civilium poteſtatum, cujus uſus eos perſecutores Chriſtianiſmi facit. Haud ſcio an hujus reſponſi vitium ei ſuboluerit, a quo primo, ac ut ſpero ſolo, adhibitum eſt. Certe, cum, quæ latino ſermone ſcripſerat, vernaculo retractaret, eo deſcendit, ut affirmaret, civem omnibus teneri, quæ de Chriſtianiſmo ſuprema poteſtas juberet. Hoc eſt plane dicere, ſupremæ poteſtatis jure, Chriſtianis Poteſtatibus communis cum eis quæ non ſunt Chriſtianæ. Itaque cum ſibi objeciſſet, ut Chriſto renuncient, poſſe a Turcis juberi Chriſtianos; Plane reſpondit, ita faciendum Chriſtianis, ut jubentibus legitimis dominis, non metus cauſa, ſed conſcientiæ, & quaſi Deo jubente, Chriſto renuncient; Ore quidem; nam corde Chriſtianiſmum retinendum, quo ſalvo, de ſalute ipſis non conſtare non poſſe. Hic eſt exitus pernicioſæ ſententiæ, quæ Eccleſiam divinitus conſtitutam negat; Neque enim obſiſti poteſt, ne huc exeat. Diſcidium Eccleſiæ, quamcunque levibus de cauſis conflatum, litigatores in rem præſentem adducit. Nam cum neceſſe ſit ſummis Poteſtatibus, pacis publicæ intuitu

Digitized by Google

intuitu, de rebus in religione Chriſtianiſmi controverſis decernere; Tamen, aliud eſſe oſtendit a ſummarum poteſtatum decreto, quod civium obſequium teneat; quod utramque partem ſummæ poteſtates amplectantur ipſi, & civibus ſuis amplectendam decernant. Hoc ut, in primo Occidentalis Eccleſiæ diſcidio, uſu veniſſe dictum eſt: Ita nullis unquam temporibus, apertius quam noſtris, experiri contigit. Itaque aſſerendum eſt prorſus, Apoſtatam eſſe Fidei communis qui hoc doceat. Nam etſi profiteatur idem credere velle quod credunt Fideles; Tamen cum eam ſolam profeſſionem Fidelem facere dictum ſit, quæ in Baptiſmo ſuſcipiendo editur; (tolerandæ nimirum Chriſti Cruci, potius quam ab ea diſcedatur) qui ſibi liberum profitetur Fidem negare, ſumma Poteſtate jubente, jampridem renuntiavit ei Legi qua Baptizatus eſt, ut Fidem, ne mortis quidem metu negaret. Idem exitus eſt aliorum fœdiſſimi dogmatis capitulorum; Cum Scripturas (quibus Fidem & contineri & ſanciri conſtat) Legis vim habere negat, niſi ſummæ Poteſtatis Imperio ſanciantur. Cum omne jus univerſim a ſummæ Poteſtatis Imperio, & ortum habere primo & in illud ultimo deſinere; Et tamen Jus ipſum ſummæ Poteſtatis in ſummæ Poteſtatis poſſeſſione atque uſurpatione ſitum eſſe; neque minus Tyrannidi quam legitimo Imperio obligatos Cives teneri; Aliaque non minus horrenda quam paradoxa. Quod ſi id teneamus, quod ab initio hujus diſputationis cautum eſt, non minus quæ opere implenda ſunt, quam quæ Fide ſola tenenda, ad Fidem pertinere; Tum vero hoc dogma ad *Atheiſmum* proprio nomine dictum viam munire conſtabit. Quis enim Chriſtianus dubitat, luce natura hominibus inſita teneri, & Naturæ Lege juberi ea, quibus,ea intentione quam dirigit Fides faciendis,vitam æternam mercedem Fides ac dominus pollicetur? Qui igitur nulla hæc Lege præcipi affirmet, quæ ſummæ Poteſtatis imperio antiquior ſit, quid aliud quam Deum neget

get

Digitized by Google

get, quem Legis naturæ auctorem ac vindicem neget? Sane cum apud *Platonem*, in libris de Republica, *Thraſymachus* juſtum eſſe definit, τὸ τοῦ κρείττονος συμφέρον, quis aliud *Thraſymachum* quam Atheum credat, ſi ſibi conſtet? Cicero autem, cum in libris de Republica, eandem perſonam Carneadi imponeret, quem, nihil eſſe verum potius quam falſum, ex *Academiæ* dogmate diſputare faciebat; nunquam ab *Atheiſmo* Carneadem vindicaturus eſt, ſi Deum juris omnis auctorem & vindicem, certæ exploratæque veritatis fide, ſicut diſputabat, ſic etiam ex animi ſententia negaverit. Videtur qudem ultimo de hujus blaſphemiæ rigore auctor ejus aliquantulum remiſiſſe, in eis quæ ad nuperam editionem Latinam adjecta ſunt; cum non contendit quidem, teneri Fideles negare Fidem (ſit apud Dominum venia Blaſphemiam proferenti, ut blaſphemiæ locus nullus ſit) jubente ſumma Poteſtate, ſed poſſe tamen hoc facere; Probatque ex reſponſo *Eliſæi* Prophetæ, cum veniam peteret *Naaman Syrus*, ſi adoranti Idolum ſuum *Damaſci* Rege, dum in brachium ſuum incumberet, miniſterium ipſe Domino ſuo præbens videretur Idololatriam facere 2 *Regum* V. 18, 19. Neque enim veniam facere Prophetam negandæ Fidei negem, ſi Idololatriæ exercendæ veniam faciat. Sed ſi abeſſet tuendi horrendi dogmatis pertinacia, non poſſet videri faciendæ Idololatriæ veniam petere, qui palam ac ſponte profitetur, nullum ſe deinceps Deum culturum præter verum Deum *Iſraelis*; Ac propterea, de humo terræ *Iſraeliticæ* ſecum aſportare velle quantum altari ſtruendo ſufficiat, in quo, proſelyti jure, ſoli vero Deo ſacrificet apud ſe. Quis enim putet, eum qui hoc palam profiteatur, honoris Idolo, ac non potius miniſterij Domino ſuo exhibendi cauſa incurvare ſe coram Idolo? Memini aliquando legiſſe apud *Maimonidem* ſcrupulum *Judæis* injectum, utrum liceat coram Idelo incurvare ſe, ut ſpinam e pede evellas. Non minus ridiculum, ſimul Proſelytum *Naamanem*, ſimul Idololatram facere.

Digitized by Google

facere. Sed aliud voluiſſe Prophetam palam eſt, cum, colente *Iſraelis* Deum Regis *Syriaci* duce, propagari ejus cultum potuiſſe ejus exemplo videret; cujus fidem tanto ſibi addictiorem polliceri Dominum ſuum poſſe ſperabat, quanto majore religione colendum *Iſraelis* Deum quam Idola *Damaſcena*, etiam Idololatra ipſe ſcire poterat. Idololatriæ certe auctorem Prophetam facere, blaſphemiæ erit, etiamſi aliquantulo remiſſionis. Sed quid dicet, qui negandæ Fidei veniam facit, quam corde teneas; quid dicet, quare fidem ſibi ab hominibus haberi poſtulet, qui ſibi, cum de animi Religione agitur, maximi re momenti, ne jurato quidem credendum moneat? Merito omnem ex hominibus fidem tollere cenſendus fuerit, qui quam Deo profeſſus ſit Fidei Religionem, ejus vinculo ſe non teneri poſſe putet.

Quibus pœnis ſanciri Chriſtianiſmum fas ſit.

His poſitis, ſtructa eſt nobis via ad definiendum, quibus, quantiſque hujus ſæculi pœnis, latas de rebus Eccleſiaſticis Fidelium Poteſtatum leges ſanciri fas ſit. Manifeſtum eſt enim, in hoc rerum ſtatu, conditis & dotatis quoquomodo, jure publico Eccleſiis, magnam pœnam eſſe, prohiberi earum miniſterio eos, qui legibus ſæculi, de Chriſtianiſmi cultu, obſequentes non ſint. Nam eo ipſo, non cenſentur ad jus Ordinis Eccleſiaſtici pertinere; judicio quidem ejus Reipub., cujus cives ſunt. Si hoc ad infamiam eorum qui ſic notantur non pertineat, non illud judicio Reip. ſuæ debent, ſed ſententiarum de Chriſtianiſmi veritate diſsidio, quod ad alias atque alias etiam Reſpublicas, pro ſuo quamque modo, propagatum ſit. Huc ſi accedat colendi, ex ſuo inſtituto, diverſo a legibus patriæ ſuæ, Chriſtianiſmi, interdictum, præſertim expreſſum; (tacite enim interdictum cenſeri debet, quod legibus diverſum, nulla lege conceditur) gravi omnino pœna ſancitus cenſeri debet ejus inſtituti Chriſtianiſmus. Sane non multo aliter ante Conſtantinum Chriſtiani; Saltem nondum mota perſecutione, cum pro inſtanti tantum

temporis

temporis momento ferretur eorum profeſſio, ad nutum Imperatoris capitali pœna afficienda, cum ipſi libuiſſet. Sane ubi arbitrium ſummæ poteſtatis capital facit, quod ipſi libuerit, eadem cauſa erit. Nos, qui Tyrannum experti ſumus, cui hoſtes haberentur, qui ullam Dei Eccleſiam *Catholicam* crederent, novimus, quam graviter perſequi Chriſtianiſmum poſſint, qui perſequendum quenquam Chriſtianiſmi nomine negent. Nam qui religionem juratæ Principi fidei interpretatur, in uſurpati Principatus inimicitias, facile Chriſtianiſmi cultum, uſurpatæ poteſtatis prætextu perſequatur. Quis autem ſibi quicquam hujus ſeculi ſalvum putat, hoc in loco poſitus? Sed hæc prodigia mittamus. Recentem a perſecutione Chriſtianiſmum cum tuendum *Conſtantinus* ſuſcepiſſet, falſis Diis ſacra facere Gentilia, capital fuiſſe aliquando reperiemus; Chriſtianos non eſſe, vix reperiemus fuiſſe pœnæ obnoxium. Nam cum capitalem, aut proſcriptionis pœnam indictam ſacrificantibus legimus, ut *Cod. Theod.* de *Paganis* l. 4. 6, 7. tanquam Majeſtatis crimini indictam conſtat; Propterea quod, per ſacrificia, inquiſitum in vitam Principum, (aut, per maleficium, aliorum) ſumebatur. Vide ibi *Gothofredum.* Interdictum quidem a *Conſtantino* conventiculis Hæreticorum; *Cod. Theod.* de *Hæret.* l. 1. Sed non expreſſa pœna, intra Chriſtianæ lenitatis limites ſtare debebat, etiam ſi ſolius Imperatoris arbitrio ſtaret. Sed graves poſtmodum pœnas Hæreticis poſitos ibi legitur; Ut in Jovinianum, qui Jovianus ibi dicitur, l. 53. quæ videntur comprimendæ ejus ſectæ efficaces fuiſſe. Nam quod *Gratianus* conſtitutas Hæreticis pœnas lege lata revocavit, tum latam reperies, cum occiſo Valente, & dubia fide *Illyrici*, ſaluti publicæ conſulendum erat. Vide l. 5. *Cod. Theod.* de *Hæret. Socr.* V. 2. 4. *Soz.* VII. 1. Suidam in γρατιανός. Poſt ea tempora *Priſcillianus* gladio percuſſus, S. *Martinum Turonenſem Epiſcopum Maximi Imp.* communione abalienavit; Sive quod

Idacio

Digitized by Google

Idacio Ithacioque Epiſcopis Hiſpaniæ communicaret, qui *Priſcillianum* ſanguinis judicio perſecuti fuerant; (quod, lenitatis Chriſtianæ nomine,juri Ordinis Eccleſiaſtici decretorium erat; Quod etſi videor mihi SS. *Auguſtini* & Leonis teſtimonio verum deprehendiſſe, affirmari tamen hoc loco opus non eſt) ſive quod ipſe Chriſtianiſmi violati nomine, *Priſcillianum* capitis damnaſſet. *Donatiſtis* ab *Honorio* pecuniarias pœnas irrogatas, mirum mihi videtur, tam ſolicite ab *Auguſtino* excuſari; quippe quorum furores, paci publicæ exitioſos, ipſe ſatis copioſe expoſuit. Nam, qui ſe hoc nomine obſtringunt, non eſt quod Chriſtianiſmi nomine pœnas dare cenſendi ſint; cum nihil eſſe debeat de lege Chriſtianiſmi exploratius, quam hujus ſeculi ſtatum non perturbare eum, ſed ſtabilire. Itaque etſi in legem fidei, in leges Eccleſiæ (quas, extra vnam Schiſmatis cauſam, eaſdem omnes cum Eccleſia agnoviſſe *Donatiſtas*, compertum habemus) nulla ſecta mitius peccaverit, quam *Donatiſtarum*; Tamen, quod in pacem publicam mirabili furore peccaverit, jus fuiſſet fortaſſe publicæ pacis vindici, in eam adhuc gravius animadvertiſſe;quamvis ſatis graves in eam pœnæ legibus conſtitutæ leguntur. *Priſcillianus* autem,cujus Hæreſi permulta ex *Manichæi*, *Gnoſticorum*, *Genethliacorumque* deliriis maleficia hæſerunt, quæ naturæ lumen, & ſæculi humanitas ſæpe capite ſancit, ſi res nimirum poſtulet; mihi quidem mirum videtur, irrogatam ipſi capitis pœnam, Imperatoris excommunicatione dignam,tantum in Eccleſia virum putaſſe. Nam communione *Maximi* nuntium remittere, quod fecit S. *Martinus*, excommunicare *Maximum* erat; quantum quidem ad S. *Martinum* attinebat. Quo magis aſſerendum videtur,non convenire primævo Chriſtianiſmo poſteriorum temporum dogma; Etſi Eccleſiæ juris nihil ſit in alienos ab Eccleſia, deſciſcentium tamen ad Hæreſim gladio feriendorum, ſeculi poteſtatibus auctorem Eccleſiam eſſe debere.Taceo *hæretici nominis am-*

Digitized by Google

biguum. Nam & Schiſmaticos a veteribus eodem nomine cenſeri ſcitum eſt. Pono veri nominis Hæreſim, *Arianam*, *Eunomianam* vel *Pelagianam* videlicet. Quæro quid ad *Priſcillianum*; quem gladio percuſſum S. *Martinus* excommunicatione Imperatoris vindicandum putabat? Itaque ex profeſſione Chriſtianiſmi, cum nullum hujus ſeculi jus in Chriſtianum Eccleſiæ naſcatur, ut dictum eſt; multo minus, ut auctor ſit poteſtatibus ſeculi, ejus quod Chriſtianiſmi lenitati non congruit. Jus habet in defectores ad Hæreſim Eccleſia, tardius eos in Eccleſiam recipiendi, qui ſemel fidem feſellerint. Et huic tamen juri ceſſiſſe, in *Marcione*, & ejus Magiſtro *Cerdone*, Eccleſiam Romanam legimus; lege reducendorum ab ipſis Sectariorum ſuorum ad Eccleſiam. Stringendi in *Priſcillianum* gladij Imperator jus habere poſſit, etſi ejus ſtringendi auctorem fieri Eccleſiam non deceat. Nam etſi ad lenitatem Chriſtianam pertineat, (quod, quatenus valeat, nondum diſputo) pœnis noxiorum moderandi, ſeculi poteſtatibus auctorem fieri; tamen non fuerit Fidelium Poteſtatum, auctorem in eis Eccleſiam ſequi, in quibus, vel paci publicæ, vel peccatorum impediendis incrementis ſe conſulere non putent. Sed cum Eccleſiam, Fides per gratiam Chriſti revelata conſtituat, Rempub., pacis publicæ, ex communis humanitatis lege cuſtodia; cur Repub., cur ſeculo excludendus ſit, (excluditur autem ſæculo, qui capite plectitur; Repub., qui exilio) cujus crimen humanitatis lege, qua Reſpublicæ conſtituuntur, non arguitur? Nam quod Blaſphemiam Hæreſis profeſſio contineat; ſi religionis loco ſit, in contemptum Chriſtianiſmi ſuæ Hæreſis cultus, habet omnino Reſpublica, quod contemptum Chriſtianiſmi ejus quem ipſa colat, in ejus hoſtem vindicet. Manifeſtum enim eſt, non pertinere ad religionem hominis Chriſtiani, Fidei ſuæ ſanctitatem pravarum religionum contemptu vindicare, vel S *Pauli* exemplo, De eo ſic ad *Epheſios* Scriba publicus *Act.* XIX. 37.

Adduxiſtis

Adduxiſtis enim hos homines, qui neque templa violaverunt, nec Deam veſtram blaſphemarunt. De ſeipſo autem ſic ipſe, *Act.* XXIV. 12. *Et neque in Templo me deprehenderunt, cum quoquam diſputantem, vel plebis ſeditionem cientem, neque in Synagogis, neque per Civitatem.* Hoc enim exemplo conſtat, non magis ad hominis Chriſtiani patientiam pertinere, Fidem his rationibus vindicare; quam ad Fidelium Poteſtatum officium, recuſatam Fidem gladio ulciſci. Itaque ſecure poterunt blaſphemiam, Sacrilegium, ſeditionem, & quicquid ad ſeditionem ſpectat ſupplicio afficere, qui ſciunt hæc omnia a religione hominis Chriſtiani aliena eſſe. Sed non erit ſupplicium uſque ad mortem, vel exilium expetendum; Quod, qui jus civitatis ſuo Chriſtianiſmo non debet, non videtur, ob neglectum Chriſtianiſmum, civitatis ſuæ jure privandus. Interea loci, quæcunque fidei vel honorum inſignia omnium Rerumpub. leges conſtituunt, quæcunque neglectarum legum patriarum pœnæ, vel famam vel facultates imminuunt, eas recte adhiberi, Chriſtianiſmi cultum, ex Eccleſiæ Catholicæ legibus conſtitutum civitatis legibus, negligentibus, manifeſtum eſt. Nam ſi non conſtitutus ſit ex eis legibus, nunquam religioni erga Deum ſuæ conſuluerint, qui ejus neglectæ pœnas a civibus expetant. Tantas autem, intra hunc modum, expetere poterunt, quantæ, adigendis ad legum obſequium civibus ſatis fuerint; quod, intra fines conſtitutos poſitæ, nullam religionem injiciant, vel in Fidem, vel in unitatem Eccleſiæ peccandi. Sane, qui inſtauratum Chriſtianiſmum profeſſi, ſeculi poteſtatibus auctores ſunt, hæreticos capite puniendi, primævum Chriſtianiſmum non ſatis attendere videntur, quem ſibi inſtaurandum proponere debuerant. Nam quod ad eos attinet, qui, a Papa excommunicatos, cadere jure ſuo Principes aut Reſpub. arbitrantur, qui fidei erga eos profeſſionem detrectant; hos, cum hoſtium publicorum loco ſint, ſi capital fuerint, non

puto in lenitatem Chriſtianam peccari. Nam etſi ſinere jubentur creſcere *Zizania* uſque ad meſſem Chriſti Diſcipuli, ut ſciant, nullo Chriſtianiſmi jure evelli poſſe; tamen, cum ſocietati civili non obſit Chriſtianiſmus, non erit lenitati Chriſtianiſmi adverſum, omnium ſalutis, in pœna paucorum rationem haberi.

Communione Eccleſiæ privari an poſſint publicæ poteſtates.

Nunc illa attingenda eſt difficultas, ad quam reduci fere poteſt, quicquid pro temporali, ſive ſeculari R. Sedis poteſtate diſputari ſolet; cum tamen Eccleſiæ, ſive univerſæ, ſive quomodocunque definitæ, nemo illud jus afferat, quod, Eccleſiæ prius quam R. Sedi ineſſe, neceſſe ſit. De vi nimirum,& effectu latæ Excommunicationis ſententiæ, manet difficultas; utrum cives fide Reipub. data ſolvat, ut effectum habeat ſententia, corrigendis ſummis Poteſtatibus lata; an prorſus irrita ſit adverſus Poteſtates ſummas, quæ rata eſſe non poſſit, niſi pariter adverſus omnes Fidèles valeat. Nimirum jus Communionis Eccleſiæ perinde ſummis Poteſtatibus conſtat, ac reliquis Fidelibus, Fidei per Baptiſmum profeſſione; qua ſincere edita, jus etiam regni cœlorum. Itaque quis neget, irritum eſſe, violata hac profeſſione, quod edita conſtat? Quis ſalvam Fidem; ſive quod idem eſt, communem Chriſtianiſmum; eſſe poſſe dicat, niſi valeat jus, Eccleſiæ, conſervandæ Fidei cauſa indultum? Quis valere poſſe, exemptis communi cauſæ ſummis Poteſtatibus? Eſt enim omnino juris divini, diſerto Apoſtoli præcepto introducti, 1 *Cor.* VI. 9.— abſtineri conſortio Excommunicatorum, à reliquis Fidelibus. Quod ſi contingat, quis ſummis Poteſtatibus conſtare jus ſuum dicat, communione ſibi miniſtrantium prohibitis? Et tamen communione prohibitarum ſeculi poteſtatum, ſive ſummarum, ſive inferiorum, (quorum eandem utrarumque rationem eſſe neceſſe eſt, quatenus mandatum ſummæ poteſtatis exercent, neque alio auctore quicquam ſuæ poteſtatis agunt) multa ſunt purioris, ad quam provocamus, Eccleſiæ exempla.

Neque

Digitized by Google

Neque enim ſolus ab *Ambroſio Theodoſius* M. ſecundum *Theodoretum Hiſt.* V. 17. excommunicatus eſt, vel *Maximus*, ſi *Paulino* credimus apud *Baronium* 387. 11. Idem *Valenti* contingere potuerat, ſi S. *Baſilio* viſum fuiſſet; A cujus ſententia ſolicitum pependiſſe Imp. refert S. *Gregorius Nazianzenus Orat.de laudib. Baſilij*, num ejus recepturus eſſet oblationem; Hoc enim tum erat, Communione vel carere vel frui. Idem *Philippo* Imp. accidiſſe fama fuerat, quam refert *Euſ. Hiſt.* VI. 27. id eſt, idem fieri potuiſſe oſtendunt, qui hanc famam admittebant. Idem oſtendit S. *Martini Turonenſis* exemplum, *Maximo* Imp. communionem ſuam negantis; Hoc enim erat, Imperatorem, quantum in *Martino* erat, excommunicare. *Præfectum Libyæ* ab *Athanaſio* communione privatum, *Baſilius Epiſt.* XLVII. per ſuam *Diæceſim* vitandum monet. *Andronicum Cyrenaicæ*, ejuſdem, ut videtur, Provinciæ Præſidem communione movet *Epiſt.* LVIII. *Syneſius*; addita denunciatione, per *Synodicam* iſtam, ſi quis ſententiam ſuam, utpote minoris Eccleſiæ Epiſcopi, negligat, penes ipſum futuram ſolutæ communionis Eccleſiæ culpam. Hinc conſtat, qua fiducia fretus *Ambroſius*, *Baſilius*, *Athanaſius*, Imp., vel Provinciæ Præſidem communione prohibuerit; quibus facile erat, in aliam Provinciam delatis, frui eo quod ab ipſis negabatur. Nimirum, quod communi totius Eccleſiæ jure latam ſententiam, niſi ratam haberent totius Orbis Epiſcopi, ſolveretur communio, qua unitas Eccleſiæ conſtabat. Quare *Valentem*, etſi Hæreſis *Eunomianæ* apertum fautorem, *Baſilius*, tanquam Hæreſis compertum non repulit, ſed monitum ſecreto, offerre tanquam Chriſtianum paſſus eſt; Nimirum, quod ſuum ſolius non eſſet de Hæreſi Imperatoris *Valentis* judicare, vocato ſemel in dubium decreto *Niceno*, aliiſque de novo excitatis diſputationum capitulis. Hæc ſunt fere primigenij Chriſtianiſmi exempla, negatæ ſeculi poteſtatibus communionis; niſi *Babylam* huc accenſeamus, ſanctiſſimum Martyrem,

quem

Digitized by Google

quem *Antiochiæ* Epiſcopum, Imp. Eccleſia prohibuiſſe ſcribit S. *Chryſoſtomus*, *libro adv. Gentes*, *& in Bab. Orat.* II. propter interfectum R. *Perſarum* filium, quem obſidem fide publica acceperat; Idque ita, ut pugno in pectus impacto, eum repelleret. Quibus quoniam non videtur derogari fides poſſe, probabile eſt, quod *Euſebius Philippo* Imperatori Romæ accidiſſe ſcribit, revera *Antiochiæ* factum eſſe. Quis enim alius a *Philippo* tum temporis Imperator Eccleſiam ingreſſus fuiſſet? Certe ex Apoſtolo conſtat, 1 ad *Cor* XIV. 23, 24, 25. Eccleſiam, etiam perſecutionis dubiam, Gentiles in Eccleſiam admiſiſſe, quos Fidei indociles non experiretur. Itaque cum eum, quem ut Ethnicum non repuliſſet, ut homicidam repulit Sanctus Martyr, videtur honori Fidei conſuluiſſe; cum haberi non potuiſſe pro Chriſtiano homicidam, ne Imp. quidem, oſtendit. Quæ autem, de interdicta *Bonifacio Comiti ab Aug.* communione, de *Eudoxia Aug.* prohibita Eccleſia a S. *Chryſoſtomo*, deque *Arcadio Aug. ab Innocentio P.* I. ejuſdem *Chryſoſtomi* cauſa excommunicato, referuntur, non neceſſe eſt huc afferri, obſcurioris fidei cauſa, & quia nihil ab allatis diverſum continent.

Eis, hoc facto, jus ſummæ poteſtatis integrum eſſe.

Hæc igitur ita vera ſunt, ita manifeſta ratione nixa, ut communionem Eccleſiæ; ſive *corporis ſanguiniſque Domini*, quæ ſola plena eſt Eccleſiæ Communio; profitendæ Fidei lege indultam, niſi violatæ Fidei nomine negari poſſit, fruſtra futura ſunt omnia, quibus Unitatem Eccleſiæ, ejuſque unitatis vim, in definiendis Eccleſiæ controverſis, aſtruximus. Nec tamen ad illud pertinent, quod de Excommunicationis vi & effectu diſputamus. Cautum enim eſt ab initio, nullam partem ejus juris, quod ſeculi ſtatus ſeculi poteſtatibus ante Fidem acceptam aſſerit, Excommunicatis, propter Excommunicationem perire. Quam veritatem vulgares Theologorum ſententiæ adjuvant, quæ patribus, maritis, Dominis, & omnino hujus ſeculi ratione *majoribus*, integra eſſe jubent officia liberorum, conjugum,

Digitized by Google

jugum, ſervorum; omnino eorum, quos, cum Excommunicatis cibum ſumere, vetare videtur Apoſtolus. Nimirum propter naturæ jura, vel civitatis, Fidei præexiſtentia. Ut manifeſtum ſit, quam recte, perire Eccleſiæ dictum ſit jus cognoſcendi de omnibus Fidelium cauſis; quod Eccleſiæ fuerat, antequam Fidem profiterentur poteſtates ſeculi: Tum etiam, Apoſtolicis præceptis, propter mutatum rerum humanarum ſtatum, ab Eccleſia derogari poſſe. Nimirum, quia antiquiorem eſſe Fidei cauſam, communionis Eccleſiaſticæ lege, dictum eſt. Nam, recepta Fide, hujus ſeculi rationes non conturbari, ad ipſam Fidei ſubſtantiam pertinet. Igitur, cum, eum qui *Eccleſiam non audiat inſtar eſſe Ethnici & Publicani*, jubet Dominus; Cum vetat Apoſtolus, vel *cibum capere cum* Excommunicato; communis vitæ officia excipienda ſunt, quibus obnoxios Fides occupat. Atqui hæc omnium communia ſunt, adverſus ſummas Poteſtates. Tum, plus Fidei interſunt univerſim, quam ſingulorum erga ſuos Officia. Itaque excipiendæ ſunt ſummæ Poteſtates ei Excommunicationi, quæ communis vitæ Officiis interdicit. Equidem ab initio Eccleſiæ, nemini Communione Eccleſiæ univerſim interdictum fuiſſe video, niſi ei, qui per Hæreſin aut Schiſma, renuntiaret ipſe Eccleſiæ. Nam, cui per Pœnitentiam regreſſus patebat ad Eccleſiæ Communionem; quod quia nolebant *Montaniſtæ*, *Novatiani*, *Donatiſtæ*, propterea Eccleſiæ renunciabant; eum communione pulſum negandum eſt; niſi quatenus violatam Fidei profeſſionem, quæ ei Eccleſiam aperuerat, in integrum non reſtitueret. Itaque eatenus ad Eccleſiam pertinebat, quatenus violatæ Fidei reſarciendæ ſpem præbebat. Hæc illa eſt, originario Eccleſiæ jure, quam *minorem Excommunicationem* appellant, ut opinor, Pontificij Juris Doctores; nec quenquam excommunicationis ſententiam incurrere volunt, quod ita excommunicato communicaverit, ne in ſacris quidem, niſi in caſibus quibuſdam paucis, ac raro proveni-

provenientibus. *Majorem* autem, non omnem extra ſacra communionem excludere; Etſi rationem nullam habent, quæ permiſſam vetitæ ſecernat, auctoritate Eccleſiæ antiquiorem. Atqui & talem res poſtulat, propter jus clavium Eccleſiæ auctoritate antiquius; Et cum idonea ſit quam nos adhibemus, aliam eſſe nullam poſſe ſtatuendum erit. Videant itaque Advocati R. Sedis, qui communione ejus pulſos Principes & Reſpub. violari bello poſſe, ab omnibus quibus mandaturus ſit Papa, excindi etiam & occupari docent, quam infandi dogmatis rationem Deo reddituri ſint & Eccleſiæ; cujus neque ipſi decernendo auctores fieri audent, qui ſibi immenſæ molis jus aſſerunt. Certe, niſi innovatis eorum conſtitutis, qui illud jus factis uſurpare auſi ſunt, quod decretis ſuis univerſim aſſerere auſi non ſunt, nunquam Eccleſiæ ratio dogmatis conſtabit, non minus Fidei, quam paci publicæ pernicioſi. Quo manifeſtius eſſe debet, quam ab eo alienus fuerit vel S. *Ambroſius*, vel veteris Eccleſiæ *PP.*, quos publicis Poteſtatibus communione interdixiſſe dictum eſt. Neque enim aliud ſibi ſumpſit S. *Ambroſius*, quam ne celebraret Euchariſtiam eo præſente, quem Eccleſia prohibuerat; Niſi quod conſequens eſt, ne in *locum ſacrum* funus inferatur, inter monimenta Fidelium, in hujuſmodi ſtatu defuncti. Neque aliud ſibi quam mortem deſpondet, ſi gladio ulciſci voluiſſet libertatem, non contumeliæ ſed officij cauſa uſurpatam, *Theodoſius*. Extat *Symmachi P.* adverſus *Anaſtaſium Imp. Apologeticus*, quo amolitur a ſe invidiam excommunicati Imp., his verbis; *Nos non te excommunicavimus Imp., ſed Acacium; Tu recede ab Acacio, & ab illius excommunicatione recedis. Tu te noli miſcere excommunicationi ejus, & non es excommunicatus a nobis. Si te miſces, non a nobis, ſed a teipſo excommunicatus es.* *Acacio* excommunicato, communicantes *Acacio* omnes, neceſſitate conſequentiæ, excommunicatos oſtendit; Neque aliter Imp., quam eos omnes qui ab *Acacio* non recederent; Fidei commu-

communionis nomine ſcilicet, qui Fidelis eſſe vellet. Neque aliter excommunicatum puto *Leonem Iſaurum Imp.*, quam à *Greg.* III. *P. in Conc. Romano*; in quo, ſcilicet, *anathema* dictum eſt *Iconomachis*, de quo *Anaſtaſius* in *Greg.* III. hoc eſt, quomodo à *Symmacho Anaſtaſius*; Is ſcilicet, qui *Acacij* memoriæ communicaret, à Felicis III. ſucceſſore, qui *Acacio* anathema dixerat. Nam quod idem narrat *Anaſtaſius*, *Eutychium Exarchum anathematizatum a militibus Romanis*, quibus, miſſum ab eo Romam compertum fuerat, qui *Gregorium* P. II. interficeret; non videtur mirum, natis turbis ob cauſam Fidei affinem, devoveri anathemate à militibus Exarchum, cujus auctoritatem deſugerent, etiam nulla præeunte ſententia Papæ, quem defendendum ſuſcipiebant. Itaque ut ſe *Anaſtaſium*, non expreſso nomine, ſed cum omnibus qui *Acacio* communicarent, excommunicare *Symmachus* excuſabat, ita *Leonem Iſaurum*, tantum ut *Iconomachum*, à *Gregorio* P. III. excommunicatum, credendum videtur; Ne ſcilicet, tum temporis, deſciſcendi a ſummis poteſtatibus, obtentu Excommunicationis, invectum in Eccleſiam exemplum putemus. Illud quidem conſtat, recuſandi cenſum a *Leone* impoſitum, auctorem *Romanis Gregorium* fuiſſe. Tum, interfici juſsum a *Leone Gregorium*, *Longobardorum* auxilio tutum fuiſſe. Propoſito poſtmodum de dejiciendis Imaginibus edicto, ab exercitibus anathemate *Leoni* dicto, de quo agimus, ſibi omnes ubique in *Italia* Duces elegiſſe, deque Pontificis & ſua immunitate conjuraſſe. Sed tamen, cum ſibi Imp. eligere vellent, monitos a Pontifice, ne deſiſterent ab amore & fide R. Imperij; Auctor *Anaſtaſius in Greg.* II. Quare quod *Theophanes*, eumque ſecuti *Zonaras & Cedrenus Romam*, *Italiam*, Occidentem, auctore *Gregorio* II. a *Leone* & ab Imp. deſciviſſe narrat, hactenus verum eſt; niſi hinc ſecuta *Gregorio* tribuamus. Non eſt mirum, his, & anathemate *Greg.* III. motum *Leonem*, non ſolum *Apuliæ & Calabriæ patrimoniis* (id eſt, fundis, quos

R. Eccleſiæ donatos, regebat ipſa per ſuos Clericos, ut ex *Greg*. I. Epiſtolis palam eſt) manum injeciſſe; ſed & Illyricum totum, Sedi *Conſtantinopolitanæ* attribuiſse, patrimoniis fiſco aſcertis. Deſiderabat nimirum Fidem Pontificis, quatenus ſibi expediebat; Et intereſse ſua putabat, non agnoſci a ſuis, non ſuſtentari ex ſuis, quorum Fidem deſiderabat. Interea loci, agnitum a Pontifice & *Romanis*, & *Italia* tota Imperium, ſequentium temporum geſta, etiam apud Anaſtaſium non pauca oſtendunt. Sed ita, ut quo auctore Duces ſibi elegerant *Itali*, ejus, in *Romani Ducis* electione, primas partes fuiſse oporteat. Certe, *Ravenna* capta a *Longobardis*, auctoritatem ſuam, cum Legatis Imp., interpoſuit apud eos *Stephanus* III., ut reſtitueretur Imperio; Et ab Imperio, miſsa legatione contendit, ut miſſo exercitu ablata repeteret. Nec prius ad *Pipinum* confugit, quam non ſuſcepturos hoc Græcos conſtitit. Huc pertinent, quæ de Patriciatu tum *RR. Francorum*, tum *R*. Pontificis, deque Urbis dominio, *Petrus* de *Marca*, de Concordia 1. XII. 3— 3. XI. 6— erudite, ut ſolet, diſputavit. Nimirum, quæſito *Pipini* bello Exarchatu, lucrum *R*. Sedis eſſe par erat, *Pipino* honorem cedere; qui, confirmatis domi rebus ſuis, ſatis ſibi factum putabat. Hæc cum vera ſint, neque tam mature temporalem Pontificis poteſtatem in mentem cuiquam veniſſe putandum eſt, neque tamen Fidem Imperio debitam, quam, tanquam Deo, animitus præſtandam docet Apoſtolus, in tanto rerum motu exhibitam, aſſerendum. Sed cum, hinc potiſſimum, initium habuiſſe diſcidium, quod adhuc durat, Orientis ab Occidente cenſendum ſit, quod *Illyricum R*. Sedi avulſum, *Conſtantinopolitanæ* deinceps attributum fuerit; magnam *Leoni* cauſam fuiſſe dicendum eſt, cur eis, quorum fidem deſiderabat, *Illyricum*, (quod non propagatæ Fidei ratione, ſed Imperij Orientalis, R. Sedi ſubditum primo fuiſſe oſtendimus) deinceps ſubjectum nollet: Neque tamen ſolvendi ſubditos fide Principibus jurata,

rata, quos ipſi Communione pellant, exemplum tam mature a Pontificibus proditum fuiſſe.

His poſitis, quo jure, quo auctore, a *Græcis* ad Romanos *tranſlatum Imperium* ſit, tribus verbis reſponderi poteſt; Hactenus ſaltem, nequis propterea R. Sedi, Summarum Poteſtatum, vel conſtituendarum vel deſtituendarum jus eſſe autumet. Nam cum Romanorum conſenſu, auctore Papa, qui prius Romanorum *Patricius* fuerat *Carolus* M., jure a Patre quæſito, ei *Imperatori ſemper Auguſto* Romæ ab omnibus Ordinibus acclamatum eſt; non eſt putandum, aliud jus, populi R. acclamatione quæri, potuiſſe, quam quod Imp. ſuo populus R. amplius quam *Patricio* tribuere poterat. Demonſtravit *Petrus* de *Marca*, eatenus cultam a Romanis, conſtituto *Pipini* Patriciatu, Imperij majeſtatem, quatenus ſub Exarchis, a quibus in *Pipinum* tranſlatus fuerat, colebatur. Quod ſi, invaſum ab obitu *Pauli* P. I. pontificatum a *Conſtantino* P., & inde ſecuta mala ſpectemus; tum, quæ Pontificatum *Stephani* III. exercuerunt, viribus eorum, qui fœdam vim ulti fuerant, per quam obtinuerat illam Sedem *Conſtantinus*, & ſecuta poſtmodum ſub *Hadriano* I.; Denique conjurationem in *Leonem* III., cui medelam attulit *Caroli* M. ad Urbem adventus; Hæc inquam ſi ad animum revocemus, non erit dubium, experiendo agnitum, non potuiſſe populum R. in officio contineri, quamdiu, dicis cauſa ſumma poteſtas Imperio aſcripta, adminiſtraretur quaſi *procuratorio nomine*, ab eis qui ſibi ejus arbitrium uſurpabant. Cum igitur ultus injurias *Leonis Carolus, rependente vices Leone*, ut ait *Theophanes*, unctus eſſet in Imperatorem, acclamantibus univerſis; *Carolo Aug. a Deo coronato, magno & Pacifico Imp. Romanorum, vita & victoria*; recte *Anaſtaſius*, conſtitutum Imperatorem ἐπιφωνεῖ. Neque enim dubium magis eſſe poteſt, ſummam poteſtatem ab univerſis Ordinibus, auctore P. in *Carolum* collatam, quam conferre ipſos potuiſſe, quod ſibi retinuerant. Itaque, ſi

R. Sedem a Græcis ad Francos Imperium non tranſtuliſſe.

quando,conſervaſſe majeſtatem *Pontificis* erga ſuos, *Carolum M.*& poſteros legimus, idem ſibi ipſos adverſus *Pontifices*, quod Pontifices ſibi adverſus Imperatores Orientis uſurpaſſe dictum eſt,feciſſe dicamus; ut auctoritatem eis conſervarent,cujus vim & effectum arbitrij ſui futuram conſtabat,penes quos,tuendi armis *Pontificatus* jus eſſet.Neque aliter obtinuit priuſquam ſolidum jus *in Civitatem R.& Ducatum*, *Carolus Calvus*,*a Joanne* VIII. *Imp.* renunciatus, in S. Apoſtolicam tranſcripſit.Sed hoc jus ſola R. *Civitatis*, Romanique *Ducatus* finibus terminabatur. Neque enim ad Exarchatum ipſum pertinebat; quem bello quæſitum, (cujus gerendi jus nullum a R. Sede habere potuit *Pipinus*, quamvis ea auctore geſti) ex pactis cum ea initis, in ipſam tranſcripſerat *Carolus Calvus*. Neque enim ipſius intererat, qui Fidem Imperio nullam debebat, quatenus, ea non teneri Exarchatui ſubditos Imperij cives, Papa ipſis auctor eſſet. *Longobardis*,ſi, alienum palam invadentibus,palam eriperet *Pipinus*, non poterat minori invidia hoc facere, quam ſi in Sedem Apoſtolicam jus illud tranſcriberet, quod, non agnita amplius Imperij Orientalis majeſtate, ſummum exinde futurum erat. Sed utcunque ſe habeat, manifeſtum eſt, non prius, tanquam Imperatori *Carolo* acclamatum, quam bello quæſitum ipſi eſſet *Longobardorum* Regnum; quod legitimum agnoſcebant, qui tanquam Imperatori acclamabant. Itaque cum Regni *Longobardici* ſummum fuiſſe jus nemo neget; non poteſt videri *Imperatorij nominis Majeſtas* ad illud conferendum, ſtabiliendumve pertinere, quod ipſam tempore præceſſiſse palam eſt. Itaque, videant quid ſit de quo diſputent, qui Imperium *R.*, a *Græcis* ad *Francos R.* Sedis jure tranſiiſse contendunt. Regnum *Italiæ*, quod *Longobardorum* fuerat, non potuiſse collati Imperij jure conferri, manifeſtum eſt; quod prius habuit *Carolus* quam Imp. eſset. *Urbis dominium* cum a ſe abdicarunt *Franci*, quicquid aliud Imperatorij nominis, quantumvis *Auguſti*,

majeſtas

Digitized by Google

majeſtas ſignificabat, jure ipſo, quod in Exarchatum reliquum ſibi fecerant, contineri neceſſe erat. Inſecutis temporibus, cum interpretandi juris Romani ſtudium, ab Imperatoribus *Germanis* revocatum, auctoritatem profeſſoribus ejus attuliſſet; nemo neſcit extitiſſe ſcriptores, his literis claros, qui tum Imperatores Orbis dominos aſſererent, ut in libris ſuis legebant. Et fortaſſe, apud Principes alicubi, & Reſpublicas, umbras rerum pro rebus ipſis valuiſſe, obſervari poterit. Sed umbris rerum veritate profligatis, neceſſe eſt, id tantum Juris, inauguratione Imperiali *Francis* tributum videri, quod tum, Senatus proceresque Romanæ Urbis, auctore Papa ſibi vendicare poterant. Dico autem *videri*, quia, quo jure ſe Imperio Orientis ſubduxerint, non eſt opus me auctore aſſeri. Quæ ſi vera ſunt, non poteſt, hoc exemplo, conſtituendarum deſtituendarumque ſummarum poteſtatum jus *R.* Sedi aſſeri.

Unitatis Eccleſiaſticæ, & Pacis Publicæ tuendæ, eandem rationem eſſe.

Nunc, quia ſummarum eſſe Poteſtatum diximus, inſtaurandæ Eccleſiæ auxilio eſſe, ſi in eam incidiſſe labem conſtare poſſit; Occurrendum eſt eorum iniquitati, qui, hoc initium videri volunt fuiſſe, & futurum, bellorum ſive inteſtinorum ſive exterorum, quæcunque inſtaurandæ Eccleſiæ cauſam præferunt. Nimirum, ſi ſemel Fideli Plebi receptum fuerit, conculcandis Eccleſiæ legibus Deum ſibi conciliari; quas, hoc rerum ſtatu, Reipub. etiam leges eſſe dictum eſt; non eſſe mirum, ſi, licentiæ dulcedine ineſcata, ad inſtaurandam legum ſuarum, & ſtatus publici labem, vi ſibi viam faciat; cujus nunquam defuturum prætextum, omnes ſciunt. Quare, argumento hæc eſſe, non aliter Eccleſiæ conſuli a Deo potuiſſe, quam ut certos omnes Fideles faceret, immunes illos ab errore præſtitum a ſe viri, quibus condenda decreta credidit, quæ Eccleſiam tenerent. Nam, quod, omnes Fideles Eccleſiæ communione privandi, jus Eccleſiæ credidit, id vero ſatis non eſſe, ad arcendas ſacrilegio Eccle-

ſiæ leges, quas inviolatas eſſe voluit, tanquam ad omnium ſalutem neceſſarias, ſatis conſtare; cum Legibus conſtituta Eccleſia, nulla rata Excommunicatio ſit, niſi quam Leges ratam eſſe jubeant. Sane, juſtam hujus periculi cauſam videri, ſi, ex adverſa ſententia, Scripturam omnibus perſpicuam in omnibus ad ſalutem neceſſariis, receptum ſit, negari non poteſt. Nam, ut ab initio dictum eſt, adverſus eos, qui rationem Fidei conſtare nolunt, ſi adfuiſſe Sp. Sanctum eis decernendis, quibus diſcidium conſtat, in dubium veniat; eodem jure, etſi minori ratione, ſinguli Fideles adfuturum ſibi Dei Spiritum poſſint polliceri, ſi Scripturæ ducatum, neglecta Eccleſia ſibi ad ſalutem ſequendum proponant. Nam etſi major ratio eſt, adeſſe eis Deum in decernendo, quorum Officium totam Eccleſiam ſpectat; Tamen cum *Fidei Titulo* totum eorum Officium nitatur, quis vetet, communis Fidei titulo, non defuturum Fidelibus Deum videri, in neceſſariis ad ſalutem Fidelium? Tum, quoniam auxilio eſſe ſummas Poteſtates civibus ſuis debere putant, ad ea quæ ſaluti ſuæ neceſſaria Verbo Dei eſſe conſtet; ſi Officio ſuo deeſſe ſummas Poteſtates exiſtiment, quid obſtat, quo minus quærendum ſibi armis arbitrentur, cujus ſibi ſpem nullam, niſi in ſe, poſt Deum reliquam vident? Nam, cum nihil æque ſua intereſse ſciant, ac ſpem ſalutis, quid mirum eſt ipſis videri, non conſtare ſibi hanc ſpem, vitam ac res ſuas ipſi impendere defugientibus? Grave periculum ab utroque extremo; Cui ego occurri non poſſe contendo, niſi finibus Eccleſiaſticæ poteſtati poſitis, intra Fidem quam a Domino promulgatam tradiderunt Apoſtoli, Legeſque, auctoritate ab ipſis ad Eccleſiam Catholicam propagata vel conſtitutas vel probatas. Poſitis autem his finibus, ſecuras eſse poſse tum Poteſtates Fideles, tum R. Sedem, Ordinemque univerſum Eccleſiaſticum, Plebem denique Eccleſiæ, cum pace publica, unitateque Eccleſiæ, conſtitutam omnibus rationem ſalutis communis. Non quaſi defungi poſſint Officio

ſuo

ſuo ſine periculo, quibus ſalutis ſuæ ratio conſtare nullâ poteſt, niſi Officio ſuo, etiam cum periculo, fungendum exiſtiment. Sed quia ſatis ſit, expedire ad communem ſalutem, quod pacis publicæ ſimul atque unitatis Eccleſiaſticæ interſit. Idem in hac Fidei parte obtinet, quod univerſim obtinere dictum eſt; Si vel R. Sedes, vel Generale Concilium tenendum Fide contendat, quod neque ab Apoſtolis Traditum demonſtrare poſſit, neque ſibi revelatum, nihil obſtare, quo minus vel *Muhammedes*, vel *Manichæus*, vel quivis Chriſtianus jus ſibi aſſerat, id quod pro Fide venditet armis pro lege conſtituendi. Nam, quod hi aliunde ſibi revelatum obtendunt, quod pro Fide obtendunt, quam Apoſtolis revelatum ſit; quid intereſt illis, qui id Scripturis revelatum ſibi pertendunt, quod eis rationibus revelatum non obtendunt, quibus revelatum conſtare debere probatum eſt? Equidem injuria facere eos puto, qui omnes *R.* Sedis Communione gaudentes hujus ſententiæ invidia onerant, quaſi excidere jure ſummæ Poteſtatis velint Eccleſiæ Communione pulſos, ſolvique Fide ipſis jurata cives; Qui naſci ſummum jus *R.* Sedi, vel omnino Eccleſiæ, in omnes Reſpublicas, quatenus Fidei interſit. Nam cum hanc diſputationem natam conſtat, ex eis bellis, quæ *Germaniæ* Impp. conflata legimus *R.* Sede auctore, ut vim haberet Excommunicatio, propter quam abdicari immorigeros contigit, civibus Fidei vinculo ſolutis; manifeſtum eſt, agnoſcentibus utriſque bellantium partibus *R.* Sedem, alteram tantum hanc vim, hunc effectum ejus Excommunicationi tribuiſse. Quo minus mirum ſit, hinc ortum ſententiarum divortium ad noſtra tempora propagatum eſse; (Atque adeo utramque ab eis propugnari poſse, qui ejus auctoritatem agnoſcunt) Quamvis gratiores ipſi futuros ſe ſciant, quibus ejus augendi juris ſtudium cordi ſit. Sed cum hoc injuria fieri putem, non poſsum putare injuria fieri, quod per hanc ſententiam, *Imperium in Imperio ſtrui*,

&

& *biceps* ab eis conſtitui contenditur, qui naſci hoc jus volunt *R.* Sedi, nomine Eccleſiæ. Quid enim intereſt ad ſummæ poteſtatis jus, quod ſibi non poſſe vendicare profiteatur *R.* Sedes, quod jure adimere ſe credit inobſequentibus? Certe ei debiturus eſt ſummam Poteſtatem qui habet, qua invita, haberi non poſſe ſciat; debiturus qui adipiſcatur, quam, niſi ea auctore adipiſci ſe non poſſe. Itaque non poteſt eis ſuprèmum jus conſtare, quod alieno arbitrio adminiſtrandum ſibi ſciant. Quid enim eſt, quod Fidei intereſſe dici non poſſit? In quo non poſſit videri, peccati rationem verti? Quod propterea, ad arbitrium ſuum, *Innocentius* III. revocandum non putet? Aut quomodo tam manifeſtæ aggreſſioni obſiſtetur, ſi in eo verti poſſe peccati rationem dicamus, quod ad arbitrium Pontificis *R.* revocandum ſit? Sed hæc ſi vera ſint, ſumptis apud nos in Principem armis, inſtaurandæ Eccleſiæ nomine, qui fidem ei oppigneratam ſecuti, cum neque inſtaurari Eccleſiam contenderent, eis abdicatis Eccleſiæ inſtitutis, quæ tota agnoſcat, neque ſumptis in ſummam Poteſtatem armis; ſi quis *Imperium in Imperio* ſtrui, *biceps Imperium* ab eis conſtitui pertendat, qui Eccleſiæ jura Deo non hominibus accepta referunt, eum fronte carere potius quam injuriam facere oportet. Atqui hi ſunt, qui Excommunicationem, quaſi ex Ordinis Eccleſiaſtici ſententia ita definiunt, quaſi in ſtatum, quem in hoc ſæculo obtinet qui Communione privatur, redundare ejus effectum velint; qui hoſtes non cives eſſe volunt, quicunque, ſecundum communem *Symboli Fidem*, unam Catholicam Eccleſiam nullam eſſe poſſe, ut vident, ſic profitentur, niſi jure divinitus inſtituto fundatam. Sed horum iniquitas quo evadat, poſito Eccleſiæ diſcidio, vel omnino de Religione diſcidio, in quo, jubentibus pro arbitrio Seculi Poteſtatibus, parendum ſemper Fidelibus dicatur, jam dictum eſt. Verum, qui inſtaurandæ Eccleſiæ nomine ſumenda ſibi in Principem arma putabant,

poterant

poterant ſuo jure, non quidem *biceps Imperium* facere, ſed id jus ſibi tribuere, quod ſummæ Poteſtati adimebant, ſi ſuo jure arma ſumebant. Sane ſi ſemel *Fidei* nomine, vel *inſtaurandæ Eccleſiæ*, ſumi arma poſſe ab eis, qui ſummam Poteſtatem non habent, perſuaſum fuerit, quis eſt qui miretur, auctores eos ſequi plebem Fidelem, qui Reipub. cives, quatenus ad plebem Eccleſiæ pertinent, jure ſuo prohiberi prædicent; Neque conſtare eis rationem ſalutis, niſi ſe ſuaque emendandis ſummarum Poteſtatum legibus impendant, quibus hoc rerum ſtatu, Eccleſiam neceſſe eſse conſtitui, dictum eſt? Hoc illud eſt, quod nos, tribus Regnis atrociſſimam inteſtini belli calamitatem conflare vidimus; *Reformationem Legum Eccleſiaſticarum* ferro quærente ea populi parte, quæ, prædicantibus, Fidei eas adverſari quibus vivebamus, obnoxiam ſe fecerat. Itaque conflato ſemel hac cauſæ tumultu, quicunque ejus impetu ſummum ſibi armorum imperium uſurparet, Chriſtianiſmi nomine ſummam Poteſtatem, re quidem, etſi non jure obtineret; Eodem cauſæ genere, ſi verum amamus, ac illi Pontifices *Romani*, qui excommunicandis Imperatoribus, ſolvendis fide populis, ſummæ ſibi, vel partibus ſaltem ſuis, poteſtatis jus, Fidei Chriſtianæ nomine uſurparunt. Itaque, hoc ſi Fidei adverſum non eſſet, quodcunque hujus ſeculi jus Fideli cuiquam, Fidei ſuæ nomine accreſceret, ſive ad Eccleſiæ plebem, ſive ad Ordinem Eccleſiaſticum pertinenti; exiſteret omnino publicæ paci a Fide periculum idem, quod ab initio, ſæculi poteſtatibus ad ſuſcipiendam Fidem obſtabat. Neque enim non fuiſſet Imperio *Romano* a Chriſtianis periculum, niſi vere Chriſtiani fuiſſent, qui hoc ab initio, ſalutis ſuæ nomine, cujus cauſa Chriſtiani erant, cavendum ſibi putabant. Nam hoc quidem, tanquam *Apologeticis pro Fide Chriſtianorum ſcriptis* ſatis teſtatum, pro conceſſo mihi ſumendum eſt. Quod ſi illatam Fidei labem a Pontificibus illis, qui, ſumptum ſibi hujus ſeculi jus, Eccleſiaſticæ poteſtatis nomine, ſolvendis fide

Digitized by Google

populis erga Principes excommunicatos uſurpant, imitentur ſive populi, ſive proceres, quicunque *Reformandæ Eccleſiæ nomine* arma ſumunt in ſummas Poteſtates; videndum eſt omnibus Reformandam Eccleſiam contendentibus, eodem hoc jure fieri,quo, ex auctoratas a Pontifice ſummas Poteſtates armis ſummovendas eſſe contenditur. Videndum autem, non ſolum pacis publicæ, ſed communis Fidei nomine; Quæ ſi vel pacem publicam præſtare debet, vel publicas poteſtates hoſtes experiri, nimirum adverſum Fidei cenſeri debet, quicquid dogmatis, pacem publicam in diſcrimen vocare,experiendo compertum ſit. Neque obſtat quod dici poteſt; Alias fuiſſe noſtris ſumendorum in Principem armorum cauſas, fundatas in jure civium adverſus Principes, a Fidei cauſa alienas. Nam & idem Pontificibus accidit, quibus auctoribus, arma ſumpta legimus adverſus Impp. *Germanos.* Nimirum, non ſolum *Regni Italiæ* nomine, ſed etiam *Germanici*, perperam adminiſtrati, ſumpſerunt Principes ac Civitates arma adverſus Impp., Communione Eccleſiæ Pontificis ſententia privatos, propter negatum jus illud quod R. Sedi aſſerebant. Tanta eſt ſimilitudo cauſarum, propter quas, jus eſſe,Fidei nomine, ſumendi arma adverſus ſummas Poteſtates contendunt, qui, quid *Fidei* nomine tenendum ſit, ab extremo diſſident. Sane etſi magnæ ſunt peccandi illecebræ, cum Chriſto & Deo imputari videtur, quod ſibi faciunt homines male Chriſtiani; (cum ſupremam poteſtatem, civilis victoriæ mercedem, partibus ſuis quærendo, acquiſitum ſibi inſuper cœlorum regnum putant) non eſt tamen obſcurum, rationem, quæ errorem demonſtrat, eandem in Ordinem etiam Eccleſiaſticum, & totam *Hierarchiam* cadere. Nam, ſi Chriſtianiſmi nomine, vel *Clericus Clericatum*, vel Papa Papatum obtinet; quod univerſim Chriſtianiſmo negatum eſt, id Papatui negatum cenſeri debet. Cum igitur univerſim Chriſtianiſmo negatum ſit, vel

Digitized by Google

vel minimum hujus ſeculi jus ſibi nomine Chriſtianiſmi aſſerere; Si liber eſſe poſſet civis a Fidei vinculo, quo civitati ſuæ obligatus eſt, quod ſummis Poteſtatibus communione Eccleſiæ interdictum ſit; quod Chriſtianiſmum, eis legibus, ſuis ſtatuere nolint, quas cives ſui & ſubditi velint; Tum, Chriſtianiſmi ſui nomine, cives, vel ſibi ſupremam poteſtatem, quæ belli civilis victoriam ſequitur, vel illi quæſiverint, cui Papa, vel cui ipſi quæſitam velint. Fidei vinculum, quo civitatibus ſuis tenentur Chriſtiani, non conſtituit Chriſtianiſmus, ſed ſtringit. Quod civilis vitæ nomine pendendum eſt, ut ejus ratio conſtet hujus ſæculi hominibus, id Dei nomine, & communis Chriſtianiſmi, ex animo ita ſolvendum, ut ab eo, quaſi animorum conſcio, mercedem expectemus. Vinculi rationem ac modum leges hominum, ac communis, qua hujus ſeculi vita nititur, fides determinat; propoſiti conſcientiam ad Deum Chriſtianiſmus dirigit. Itaque civitatibus ſuis ac Principibus Clerici fidem debent, quam cives ſui; nec poſſunt ejus officio eximi, quemcunque Ordinis Eccleſiaſtici gradum obtineant. Supremæ poteſtates in eo jus ſuum obtinent, quod cives ſuos, etiam in Papatum provectos, non aliter fidei ſibi debitæ vinculo ſolvere teneantur, quam illos ſolvunt, quos peregrinos fieri patiuntur. Sane ſi Chriſtianis civibus negatum ſit, Chriſtianiſmi inſtaurandi nomine patriæ vim facere, multo magis, auctoritatis Eccleſiaſticæ nomine, negandum erit Papæ ſententiam, quæ ſubditos Fide ſolvat, Principibus debita extra Communionem poſitis, vim habere; cum antiquiorem communis Chriſtianiſmi, quam auctoritatis Eccleſiaſticæ ducendum eſſe rationem, manifeſtum factum ſit. Nam, ut a veritate Chriſtianiſmi aberrare poteſt plebs Chriſtiana, ita Excommunicationis ſententiam errante clavi ferri poſſe, etiam a Papa, in confeſſo eſt. Atqui, oppreſſo ac ſuffocato communi Chriſtianiſmo; cujus ad communem ſalutem antiquior eſt ratio, quam

quam auctoritatis Eccleſiæ; ejus oppreſſi ac ſuffocati ſenſum, ad infimam Chriſtianorum plebem pervenire poſſe, manifeſtum eſt; ad quos, ſperandæ ſalutis rationem pervenire convenit. Itaque de cauſis diſcidiorum, ſeculi poteſtatibus ſupremo loco judicandum eſt, ſi rationem reddere Deo velint, non ſolum publicæ pacis, quæ hoſpitium præſtat Eccleſiæ, ſed etiam ſalutis ſuæ, in communi cum civium ſuorum ſalute cauſa, non neglectæ. Quod enim cives ſui recte putare poſſunt, ſalutis ſuæ aſſequendæ rationi deeſſe, id, cum etiam ad ſupremarum poteſtatum ſalutem, eodem jure pertineat, ipſis a Deo, omnibus procurandum, concreditum videri debet. Quod ſi nihil opis Dei populo in principibus, nihil in Ordine Eccleſiaſtico exiſtere, omnia expertis conſtabit, quid ſupereſt, niſi ut armis, ſuam ſuorumque & poſterorum ſalutem ſibi procurandam exiſtiment? Quod ſi ſemel fines conſtituti ſint, ſenſuque uſurpari, & quaſi manu teneri poſſint, ſi adhibeatur optimarum literarum, antiquitatiſque Eccleſiaſticæ ſententia, ad Scripturarum ſententiam, intra Fidei communis, Legumque Eccleſiæ totius fines continendum; Quid eſt, cur inſtaurari Eccleſiam Fideles Poteſtates reformident? Nam ſi R. Sedi, ſi Ordini Eccleſiaſtici a R. Sede pendenta, errore non poſſe tribuamus, quorum errores manibus ſe tenere Fidelis Plebs putet; Quid obſtet, quo minus errare ſe non poſſe putet, ſi ſatis in diverſum ab eis abeat? Si, in quo errare ſe non poſſe putet, id ſibi armis quærendum exiſtimet? Præſertim, quæ exemplum habeat a R. Sede propagatum. Poſitis autem finibus ſimul cum Fide, ſimul cum Eccleſiæ natis, jus ſibi natum Fideles Poteſtates videbunt, rogendi idoneis pœnis imperio immorigeros, ad id, quod his finibus, auctore Ordine Eccleſiaſtico definitum fuerit; Tum, pro hoſtibus Patriæ puniendi, ſi qui, ad pacem publicam turbandam, diſſidium de Religione Chriſtianiſmi quodcunque tracturi videantur. Tantum autem

eſſe

Digitized by Google

eſſe momenti ad hos fines obtinendos, in Eccleſiæ Communione, quam, Ordinis Eccleſiaſtici auctoritate & conſenſu valere neceſse eſt, ut nunquam poſſit putare, expedire ſibi, violando jure Ordinis Eccleſiaſtici jus ſuum augere; Quamdiu quidem, & ſalutis communis, & paci publicæ ratio conſtat.

Omiſſum

Pag. 590. *l.*21. poſt *ſcribit*, adde, Sed.hæc,& alia, ex Titulo de *Votis* IV. 3. a *Capello* ita tractata ſunt, ut videatur conſtare, Puncta & accentus ad pronunciandam Legem, id eſt, ad *Legem Oralem*, non ad Scripturam ejus, id eſt, *Legem ſcriptam* pertinere; ex.ſententia quidem *Talmudicorum*. Quod in *Nehemiæ* locum commentantur; Vulgari tum ſermone expoſita, quæ legebantur, ut intelligerentur, videtur neceſſariam veritatem habere; quia linguam *Hebraicam* deſitam *Judæis* in Captivitate *Babylonica*, (quod in *Ægypto* factum non fuerat) plerique omnes conſentiunt. Sed —

F I N I S.

Soli Deo Patri, & Filio, & Spiritui Sancto Gloria.

Digitized by Google

Digitized by Google

Index locorum Scripturæ qui adducuntur & explicantur.

Cap.	*Ver.*	*Pag.*
Gen. II.	23	600
	— 23,24	53
IV	26	40
XIV	20	217
XXVIII	22	217
	— 30	25
XLIII	28	600
XLIX		60
Exod. IV	30,31	15
XII	2,25	329
XIV	30,31	15
XVI	27,28	42
XIX	6	160
	— 5,6	42
XXIII	25	42
XXIV	9,11,14	315
Levit. IV	13,14	329
	— 22	585
V	1 — 5	48
VI	13 — 21	518
X	8,11	160
XVII	2,9	161
	— 32	217

Cap.	*Ver.*	*Pag.*
XIX	15	186
XXV		40
XXVII		216
	— 30	217
Num. V	15	160
XI		161
	— 16	315
XII	6,7,8	16
XV	21 — 26	518
	— 22,24	329
XVI	36,40	367
XVIII	12	216
	— 17,18	217
	— 27,30	216
XIX	3	160
	— 17	160
XXV	5,6	551
XXVII	21	160
XXX		203
XXXI	28 — 48	600
XXXV	35,36	330
Deut. IV	2	502
	— 2	504

— 3,4

Digitized by Google

Cap.	Ver.	Pag.
	—3,4	503
	—6,7	544
VI	13	49
VIII	10	49
X	8	123
	—20	49
XI	17	216
XII	30,31	503
	—32	502
XIII	2,13,14	616
XIV	21	217
VI	1,8	616
	—28	333
XVII	4	217
	—8—12	162,180,503
	—8—12	51,615
	—9 12	512
	—12	201
	—14,15	159
	—18	161
XVIII	20,21,22	160
XXI	2,3	168
	—5	160
XXII	2,3	315
XXIII	3,6,8	44
XXIV	8	160
XXV	1,2,3	186
	—4	52
	—17,18,19	44
XXVI	16	42
XXVII		43
XXVIII		43
	—42,43	73
XXIX		43
	—1	616
XXX		43
	—10	160
XXXII	2	311
XXXIII	5	616
XXXIIII	5	159
Jof. IX	14	160
XXIV	2,14	20
	—4,6	330
Jud. V	10	616
X	4	616
XII	14	616
XIV	15	600
XVII	6	159
XVIII	1	159
XIX	1	159
XXI	25	159
Ruth II	4	359
1 *Sam.* VI		552
VI	19	600
VII	16	616
VIII	7,8	159
	—10,18	181
XV	22	67
XVII	12	600
XIX	3	600
	—20	255
XX	14	600
XXII	5,10	160
XXIII	6,9,12	160
XXVIII	6	160
XXIX	12,14,15,16	552
XXX	25	180
2 *Sam.* IV	6	601

Cap.	*Ver.*	*Pag.*
VII	14	545
XII	27	601
1 *Reg.* XII	1	600
XVIII	17,19	161
2 *Reg.* V	18,19	678
VI	33	161
XII	3	130
XVII	27,28	130
XVIII	27	600
1 *Chron.* XIII	2	616
XXIII	6	617
XXIV	3,6,7	617
XXVIII	1	616
2 *Chron.* XV	12,14	616
XVII	8,9	616
XIX	5,8	616
XXIX	10	616
XXX	2	617
XXXIV	31	616
Eſdræ I	2	58
IV	2	591
V	3	168
VI	7	168
VII	11	616
	— 26	201
VIII	20	617
	— 36	168
IX	5	593
	— 6	545
X	8	201

Cap.	*Ver.*	*Pag.*
XI	1	616
Nehem. V	12	616
	— 14,15	616
VII	7,9	168
VIII	8	590
X	29	616
Eſtheræ III	2,3	44
VIII	9	168
IX	3	168
Jobi XIX	25	65
XLII	5	65
	— 7,8,9	68
Pſal. II	7	545
VIII	2	104,105
XVI	8,9,10,11	61
	— 11	66
XVII	15	66
XIX	3	53
	— 8,9,11	507
	— 7,8,9	69
XXII		63
XXII	17	593
XXV	8,11,13	509
	— 12,14	69
XXXIII	5	545
XXXIX		28
	— 13	57
XL	7,12	67
XLI	9	104
L	8,13	67
LXVIII	18	132

Digitized by Google

Cap.	Ver.	Pag.
LXIX	9,21	104
LXXII	2--20	65
LXXIII		31
LXXIV	10	542
LXXXI	6	102
LXXXVI	2	69
LXXXIX	8	311,312
XC	4	281
CV	31	551
CVII	32	309
CIX	8	104
CX		62
CXVIII		32
CXIX		68
CXIX	13	507
CXXVI	5,6	66
CXXXVI	5	545
CXLIX	1	311
	— 8	536
Prov. VII	22	507
VIII & IX		545
Eccl. XII	13,14	68
Eſ. I	11, 20	67
III		163
VI		310
VIII		566
XI	2	106
XXII	23	118
XXIV	24	312
XXVI	19	64
XXIX	13	51

Cap.	Ver.	Pag.
XXXVII	10,21	66
XLV	2,3	189
LI	16	53
LIII		59
	— 4	103
LIV	13	507
LVIII	3,10	67
LXI	1	103
LXV	17	53
Jer. VII	21,22,23	67
	—31	506
X	12	545
XII	1,2	65
XIX	10	283,
XXIV	10,11	617
XXIX	21	548
XXXI	15	104
	—15,16,17	106
	—33,34	507
	—35	506
LI	15	545
Ezek. I.		310
	— 28	545
XVI		74
XX	7	20
XXVIII		566
XXXIII		64
XXXIV	24	585
XLV	7	585
XLVI	2,4	585
Dan. III.	2,3,27	168
VI	7,8	203
		— 8

Digitized by Google

Cap.	*Ver.*	*Pag.*
	— 8	168
	— 9	311
IX		60
XII	1,2	65
Hoſ. XI	1	104
XIV	2	67
Jonæ I		75
Michæ VI	6,7,8	67
Hab. II	3 -- 14	66
Hag. I	8	523
II	12	512
Zech. VII	3, 10	67
VIII	16, 19	67
IX	9	106
XI	12,13	106
XII	10	106
Mal. II	7	160, 512
III	13 — 18	65
IV	4	541
1 *Eſd.*II.III.	34 — 41	545
Jud. VIII	6	553
	— 18	66, 508
	— 18,19,20	546
Sap. VII	22 -- 27	545
IX	9, 10	545
XIX	2	210

Cap.	*Ver.*	*Pag.*
*Eccleſiaſt.*I	1, 4,9, 10	545
XXIV	5 -- 9, 14	545
	— 14	548
XXXV	1 -- 14	547
XLVI	20	552
Bar. III	12 -- 38	544
1 *Maccab.*IV	46	542
IX	27	542
XIV	38	201
2 *Maccab.*VII	23--29	54
XIV	41--46	55
3 *Maccab.*III	25	201
Mat. II	11	102
	— 15	104
	— 23	106
III	16	340
IV	23	321
VIII	2	102
	— 17	103
IX	18	102
	— 35	321
X	1,4	322
	— 2	379
	— 14,15,40	511
	— 17	186
	— 27	102
	— 32, 33	128
	— 32,33,38	102
	— 38	127

Index.

Cap.	*Ver.*	*Pag.*
XI	1	321
	—11	39, 99
	—14	523
	—25	507
XII	12	69
	—27	553
XIII	4	161
	—17	39, 98
XIV	28	379
	—33	102
XV	1, 9	181
	—5--10	518
	—8	51
	—9	67
	—25	102,379
	—28	102
XVI	16--19	380
	—17	116
	—18	115
	—18, 19	511
	—19	118, 164
	—24	102, 127
XVII	12	542
XVIII	15--19	185
	—17--18	118
	—17--20	512
	—17	115, 116
	—18	164
	—18,19,20	327
	—28	382
XIX	25	311
	—27	379
XX	25	165
	—25, 26, 27	381
XXI		103
	—5	106
	—16	104
XXII	36	44
XXIII	2	162,181,512
	—2, 6	310
	—3, 4	186
	—5	67
	—11	381
	—23	67
	—25,26	67
	—34, 35	163
	—35	523
XXIV	3	513
	—14, 23,29,30	513
	—33	379
XXVI		556
	—15	106
	—51--54	608
XXVII	9, 10	106
	—56	293
	—56--61	294
XXVIII	9, 17	102
	—18	121
	—18, 19,20	133
	—19, 20	103,512
	—19	321
	—20	165, 246
Mar. I	10	340
II	23, 28	67
III	14	154, 322
	—16	379
IV	4	212

VI

Index.

Cap.	Ver.	Pag.
VI	13	293
VII	4, 8	67
	— 6	51
	— 7	67
	— 8 -- 12	518
VIII	29	379
	— 34	102, 127
X	21	102, 127
	— 28	379
XI	21	379
XIII	9	186
XIV	29	379
XV	40, 47	294
	— 43	293
XVI	1	294
Lucæ I	17	542
	— 74, 75	98
III	22	340
IV	20	323
	— 21	103
V	4, — 11	379
VI	4	379
	— 16	293
VII.	1, 9	67
VIII	45	379
IX	5	511
	— 20	379
	— 23	102, 127
X	10, 11, 16	511
	— 19	45
	— 24	39, 98
XI	39	67
	— 42	67

Cap.	Ver.	Pag.
XII	8, 9	102, 128
	— 13	608
	— 41	379
XIII	10, 16	67
	— 32	161
XIV	1, 5	67
	— 26, 27	102, 127
XV	—	103
XVIII	12	67.
	— 28	379
XXII	30	311
	— 32	511
	— 34	379
XXIV	32, 45	111
	— 45	29, 510
Joan. I	14, 16	545
	— 16, 17	23
	— 42 — 46	379
II	17	104
III	5	131, 341
	— 22	131
	— 26	101
	— 34	131, 545
IV	1, 2	101
	— 2	131, 273
	— 25, 29	100
V	8, 9, 10	67
	— 39	111
VI	15	608
	— 53	285
	— 68	379
VII	17	509
	— 39	101, 131
IX	34	201
X	24	102
XI	48 — 52	518
XII	15	106

XIII

Digitized by Google

Index.

Cap.	*Ver.*	*Pag.*
XIII	6	379
	— 15	214
	— 18	104
XIV	16, 17, 26	102
XVI	2	207
	— 13	512
XVIII	10	608
	— 33, — 37	608
XIX	25	293, 294
	— 34, 37	106
	— 38	204
XX	2	111
	— 21	167
	— 21, 22, 23	382
	— 22, 23	118
	— 30, 31	506
XXI	15, 16, 17,	380, 511
Act. I	13	204, 293
	— 13, 15	379
	— 17	321
	— 20	104
	— 21	164, 322
	— 23	327, 327
II	5 -- 35	61
	— 14, 37	379
	— 28	335
	— 32	131
	— 37, 38	129
	— 38	339
	— 41	125
	— 41, — 47	330
	— 42, 46,	204, 260, 320
	— 44	207
	— 47	115
III	22, 23	161
	— 23	204
	— 33	340
IV	1, 6	42
	— 4	330
	— 8	379
	— 13	164
	— 16	214
	— 31	207
	— 33, 37	207
V	4	207
	— 7	42
	— 11	115
	— 14	330
	— 42	204, 321
VI		169
	— 1	208, 268
	— 2	164
	— 3	327
	— 3, 6	327
	— 4	321
	— 9	117, 387
VII	37	161
	— 38	23
VIII	1, 3	115
	— 5	299
	— 5, 40	331
	— 12, 15, 16, 17	340
	— 14	382
	— 38	305
IX	31	114 331
X	48	305
XI	2	203
	— 4	164
	— 9	326
	— 22	316
	— 25	321

— 29

Digitized by Google

Cap.	*Ver.*	*Pag.*
	— 29	155
	— 30	316
XII	— 12	204
XIII	1,2,3	359,537
	— 2	515
	— 5,13	299
		537
	— 14	323
	— 35,36,37	61
XIV		537
	— 23	169,316,331
	— 27	326
	— 28	156,163
XV		261,399
	— 4,27	327
	— 7,13	292
	— 13,20,29	294
	— 21,23	155
	— 22,23	164
	— 24	382
	— 28	246,512
	— 36	297
	— 37	299
	— 41	331
XVI		413
	— 3	299
	— 4	331
	— 33	305
XVII	11	506
XVIII	25	305
XIX	4	101
	— 4,5,6	136
	— 10,26	400
	— 21	301

Cap.	*Ver.*	*Pag.*
	— 37	682
XX	4	321
	— 7	260
	— 18	400
	— 19,28	303
	— 25	307
	— 28	516
XXI		399
	— 8	299
	— 18	155
	— 18,22	327
	— 19	321
	— 19, 26	292
	— 20 — 27	380
XXII	3	309
	— 16	130
	— 19	186
XXIII	6	42
XXIV	12	683
XXVI	2	386
	— 11	186
ad *Rom.* I.	4	131
	— 17	23
II	27,28,29	23
III	2	592
	— 21	35
IV	2	35
	— 4,17	133
VI	3,4,5	129
	— 4	130,131
	— 17	108
VII	14	23,510
VIII	2,3	47
	— 2,3,4	119
	— 10, 11	131
IX	31	120
X	9,10	128

— 18

Digitized by Google

Cap.	*Ver.*	*Pag.*
	—18	53,593
XIII	1—6	608
	—14	152
XIV		261
	—11	189
XV	15,16	162
	—18,19	381
	—21	297
	—23	301
	—26	400
XVI	2	209
	—4	114
	—7	300
	—17,18	188
	—23	209
1 ad *Cor.* I	2	382
	—17	121,334
	—24	545
II	12,13	23
	—15	507
III	1	321
V	2	190
	—4	297,327,329
	—5	187
	—11	188,203
	—12	170,328
VI	1	185
	—4	311,321,328
	—4,5	164
	—9	684
	—11	133
VII		213
	—12—24	607,262

Cap.	*Ver.*	*Pag.*
VIII	9,12	261
IX	1	322
	—2	120
	—9	52
	—13,14	162
X	1,4	22
	—4	71,257
	—17	211
	—25—29	261
XI		298
	—2,3,16,20,24	172
	—3—15	253
	—8	336
	—16	254
	—19	114
	—20	208,320
	—20,21,22	211
	—23	321
XII		510
	—7	187,339
	—10	567
	—14	8
	—25	304
	—28	115,299,519, 321,359
	—28,29,	155
XIII	24—21	305
XIV		337,510
	—16	310
	—16,23,24	190
	—23,24,25	339,686
	—24,25	187
	—24,25,30	515
	—26,40	163
	—28	309
	—32,33,36,37	224

—32

Cap.	*Ver.*	*Pag.*
	—32,36,37	297
	—34,35	255
XV	7	156
	—9,10	382
	—51,52	513
XVI	1	331
	—1,9	114
	—11	400
	—22	188
2 ad *Cor.*I	1, 8	400
	—21,22	152
II	4	545
	—6	329
	—10	327
	—28	297
III	6	22
	—14	525
V	1—11	513
VII	5—11	189
VIII		400
	—1	115
	—2	331
	—19	327
	—23	300,300
X	12—16	381
XI	5	155,382
	—13	155,300
XII	11	155
	—11,12	382
ad *Gal.*I	1	359
	—8,9.	188,196,505
	—15	536

Cap.	*Ver.*	*Pag.*
	—18	292,295
II	1—10	537
	—9	292,297,381
	—10	209
	—11,14	380
	—11,14	298
	—12	292
III	16	22
	—26,37	133
	—27	152,130
IV	9	294
	—11	27
	—22,24	152
	—24,25	72
V	11	128
VI	1,2	193
	—12,14	128
ad *Ephes.*I	13	152
II	10	53
	—12	673
	—20	381
III		566
	—7	321
IV		349
	—6	192
	—8,12	132
	—11	115,155,299,304,305,319
	—12	323,359
	—30	152
V	25,26	130
	—31	53
VI	1—5	608

Digitized by Google

Cap.	Ver.	Pag.
	—3	299
	—5	608
	—21	321
	—30	
ad *Philip.* I	1	300
II	17	162
	—25	300,300
III	1	34
	—6	34
IV	18	300
ad *Col.* I	1	300,321,322
	—15	545
	—16	545
	—23,25	321
	—24,25	115
II	9,10	545
	—12	129
III	10	152
IV	—1	608
	—7	321,326
	11	608
	—12	300
	—17	164
1 ad *Theſs.* II	13	511
	—14	331
III	2	321
IV	1,2,11	110
	—10	400
V	12,13	156,328
	—14,15	512
	—23	59,74,507

Cap.	Ver.	Pag.
2 ad *Theſs.* II	6,7	268
	—25	172
III	6	110
	—6—14	188
IV	15,17	513
1 ad *Tim.* I	20	189
	—9,10	258
II	11—15	255
	—13	323
III		306,349
	—1	307
	—2	300
	—6	314
	—25	115,512
IV	4	322
	—14	306,307,333, 515
V		260
	—2,8,16,17,18	208
	—9	558
	—17	316,333
	—19	328
	—19,20	316
	—22	401
VI	1,2	607
	—12,13,14	110
	—14	608
	—20	108,196
	—6	322
2 ad *Tim.* I	9,10	43
II	2	109
	—13,14	109
III	15,16,17	510
	—16,17	505

IV

Digitized by Google

Index.

Cap.	Ver.	Pag.
IV	5	299
	— 10	322
ad *Titum* I	2	156,270
	— 5,7	317
III	1	608
	— 5,6	130
	— 10	188
	— 12	322
ad *Philem.* I	1	337
ad *Heb.* I	2,3	545
	— 4	545
III	1	321
IV	9	57
V	10,11	62
VI	1—6	189
	— 2	124
	— 2,4	133
	— 6	130
	— 20	62
VII	1—25	62
	— 6,7	359
	— 16	43
	— 19	43
VIII	6	43
IX	1	72
	— 9—14	43
	— 15	43
X	22,23	130
	— 23,32	133
	— 26,29	191
	— 32	130

Cap.	Ver.	Pag.
XI	24,25,26	23
	— 35,36	546
XII	16,17	191
XIII	7,17	156,317,328,512
	— 8	23
Jac. I	25	120
II	1	132
	— 2	186
	— 6	132
	— 12	120
IV	1	132
V	1,7	132
	— 14	132,156,316
	— 16	192
1 *Pet.* I	1	132
II	15	128
III	3	259
	— 20	109
	— 21	56,128
V	1	168,321,322
	— 1,5	156
	— 3	208,319
	— 13	400
2 *Pet.* II	21	108
	— 24	188
III	8	281
1 *Joh.* II	20,24,27	108
III	9	109
IV	1	507

Index.

Cap.	Ver.	Pag.	Cap.	Ver.	Pag.
	—2	196		—20	156
V	16	192	II		156,400
				—2	155
2 *Joh.*	1	321		—7,11,17,24	331
	6,7,9	109		—14,15,20	128
	7	188	III		156,400
	10	209		—6,13,22	331
	10,11	188		7	118
			IV		310
3 *Joh.*	1	321	V		310
	5—10	210		—6	310
	9	354		—8	311,311
			VI	6	310
Judæ	3	108		—9,10,11	311
	4,12,19	108		—10	310
	11	128	VII	6	310
	11,12	188		—12,14	311
	12	208		—19	310
	14,15	188	VIII	3	311
	19,23	188,188		—3,4,5	311
			XX	4	311
Apoc. I	2	114	XXI	1	53
	—7	106		—14	381.
	—11	331			

ERRATA.

PRæf. *pag.* 4. *l.* 8. *pro* ſententiam *lege* ſentientium *p.* 43. *l.* 33. S. a Auguſt. veteri *l.* S. Auguſt. à veteris. *p.* 49. *l.* 33. expiari *l.* expiati. *p.* 75. *l.* 7. Prophetam *l* Prophetarum. *p.* 85. *l.* 33. intinguendas *l.* inſtinguendas *p.* 100. *l.* 10. Prophetis *l.* Prophetas *p.* 106. *l.* 26. XXI. *l.* XI. *p.* 108 *l.* 14. cibi *l.* tibi. *p.* 112. *l.* 1. eruditæ *l.* erudite *p.* 115. *l.* 30. 25. *l.* 15. *p.* 120. *l.* 13. 2. *l.* 21. *p.* 128. *l.* 4. 1 Petri *l.* 2 Petri. *p.* 170. *l.* 23. Seldinus *l.* Seldenus & 1. *l.* 1. *p.* 181. *l.* 13. ἀπηρόσιτον *l.* δυσπρόσιτον *p.* 192. *l.* 7. 6. *l.* 5. *p.* 193. *l.* 19. Apoſtatas *l.* Apoſtatis. *p.* 199 *l.* 26. finiendi *l* finiendæ. *p.* 209. *l.* 4. judicerentur *l.* indicerentur. *p.* 210. *l.* 8. Venæ *l.* Zenæ *p.* 220. *l.* 12. ad itum. *l.* aditum *p.* 248. *l.* 14. quo *l.* quos. *p.* 248 *l.* 24. nullo *l.* multo. *p.* 267. *l.* 8. debebant, *l.* debebant; *p.* 297. *l.* 24. II. *l.* XI. *p.* 309. *l.* 2. poſterioris *l.* à poſterioris. *p.* 337. *l.* 4. *l.* ὃς νελῶς. *p.* 362. *l.* 30. in 2 Concord. *l.* in 2 de Concord. *p.* 365. *l.* 14 quidem ſed. *l.* quidem, ſed. *p.* 375. *l.* 25. inochata *l.* inchoata. *p.* 411. *l.* 10. τ̃ δυτικῶν χορῳ φαῖον *l.* τ̃ δυτικῶν χορυφαίων *p.* 413. *l.* 7. Sedes *l.* Sedis *p.* 415. *l.* 8 auctoritas *l.* auctoritatis. *p.* 441 *l.* 5. Provincalium *l.* Provincialium. *p.* 441. *l.* 29. proculis *l.* proculi. 4. *p.* 450. *l.* 11. Archieparum *l.* Archiepiſcoparum. *p.* 464 *l.* 25. Comnicatorias *l.* Communicatorias *p.* 502. *l.* 28. XXI. *l.* XXII. *p.* 519. *l.* 6. *Dele* utramque. *p.* 536. *l.* 34. pronunciæ *l.* provinciæ. *p.* 537. *l.* 12. d. 1. *p.* 553. *l.* 16. in ſuper *l.* inſuper. *p.* 563. *l.* 34. Communinis *l* Communis. *p.* 604. *l.* 8. vanetate *l.* varietate. *p.* 610. *l.* 18 Reipublica *l.* Republica. *p.* 612. *l.* 17. citatis *l.* citatas. *p.* 632. *l.* 19. ipſe *l.* ipſi *p.* 638. *l.* 25. Veluit *l.* velint. *p.* 639. *l.* 27. Eccleſiaſtis *l.* Eccleſiaſticis. *p.* 640. *l.* 14. Eccleſiaſtis *l.* Eccleſiaſticis. *p.* 662. *l.* 27. cum *l.* cum *p.* 677. *l.* 13. Cruci *l.* Crucis. *p.* 690. *l.* 31. Orientalis *l.* Occidentalis. *p.* 691. *l.* 32. viti *l.* iti *p.* 700. *l.* 21. Eccleſiaſtico *l.* Eccleſiaſtici, & pendenta *l.* pendenti, & errore *l.* errare.

INDEX

Digitized by Google

INDEX
RERUM, & VERBORUM.

A.

Pag.

AAronem penes erat Sacerdotium, poſtquam in ipſum a Moyſe erat collatum. 159.
Abel, Enoch, ante Legem Deo placuerunt, ut Chriſtiani. 26.
Abel juſti hoſtia Deo placuit; in ſignificationem Chriſti ritum populi parricidalis Abolentis. 27.
Abrahami Peregrinatio Chriſtianæ Profeſſionis exemplar. 56.
Abrahami Ecchellenſis Commentarius adverſus Origenes Eutychianas. 157.
Abrenunciatio in Baptiſmo, innuit Clavium poteſtatem. 123.
Acacianum ſchiſma 236, 462, 665.
Ἀδὰμ πρωτόπλαστος Ἀκροβύστης τῇ σαρκί. 27
Adami duorum filiorum poſteri diſtinguuntur in Filios Dei, & Hominum. 40.
Adamo quid præceptum tradant Judæi. 101.
Adulteris ſpem veniæ abſtulit Montanus; Apoſtatis, Novatianus. 193.
Ex Ægypto vocatus Iſrael, Filius Dei. 103, 106.
Æthiopis Baptiſmus, non recepta Euchariſtia, ad ſalutem valuit. 285.
Africani ſtyli proprietas, *crederem*, pro credidiſſem. 82.
In Africa quam multi Epiſcopi. 331.
In Africa, Caſtella Eccleſias fuiſſe. 332.
Per Africam Fides ab Eccleſia Rom. orta. 416.
Per Africam Canones Sardicenſes non valuerunt. 433.
Agapæ Corinthi ex Oblationibus. 207, 259, 335.
Ἅγιον κοσμικόν. 72.
Alexander Severus favit Chriſtianis. 212.
Alexandriæ Catecheſeων Schola. 320.
Alexandrinis Judæis, Verſio LXX tribuend. 57
Allegoria perpetua veteris Teſt. 25
Ἀλληγορούμενον. 21
Allegoricus, Anagogicus, & Tropologicus Scripturæ ſenſus. 7.
ἐν Ἀλληγορίᾳ τῆς Σκηνῆς. ibid.
Altari offerri, quicquid Deo offertur. 21
Amalekitas odio haberi præceptum. 44
Ambroſianus Commentarius, laudatus. 211.
—— emendatus. 349.
de Ambroſio, excommunicante Imp. 685, 689.
Ἀναγωγῆς vocab. quomodo reſtringitur. 74.
Ἀνακαινισθῆναι εἰς μετάνοιαν. 190, 191.
Ananias ſacrilegus; ut Judas. 206.
de Anathemate, & de Tradendo Satanæ. 287.
de Ancyrano Canone. 360, 371.
Angelorum Apoſtatarum in regibus Babylonis & Tyri ſignificatio. 58.
Angelorum fœminarum amore lapſorum, fabula. 257.
Angelorum inſtar, Eccleſiarum præfecti. ibid. 301.
de Anglicanis Ordinationibus. 451.
Anglicana Eccleſia, ubi fuerit ante Lutherum. 667.
Antiochus Epiphanes ſacrorum Codicum memoriam abolere inſtituit. 213, 227.
Antiochenæ Eccleſiæ conſenſus contra Novatianum. 225.
Antiochenæ Eccleſiæ, & Romanæ auctores SS. Paulus, & Petrus. 387.
Apocriſiarius, nuncius Rom. Sedis. 474.
Apocalypſios XX cap. de Millennio. 282.
Apocalyptica Viſio de Confeſſibus. 310.
Apocryphorum cenſus Gelaſianus. 491, 493.

Apocrypha

Digitized by Google

INDEX.

Apocrypha Scriptura habet auctoritatem Eccleſiaſticam. pag.541.
'Αποδιορίζοντες ἑαυτούς. 188.
pro Apoſtatis nullum Sacrificium, licet pro Ethnicis. 190.
Apoſtaſia peccatum ad mortem. 192.
Apoſtolica argumentatio ex myſtico ſenſu. 24,75,104,105,133.
Apoſtolica ſcriptura docet omnia neceſſaria. 107,132.
Apoſtolorum ſumma poteſtas. 103,154.
Apoſtolus tuus inſtar tui. 155.
'Αποςόλες τὲς ὑπὲρ λίαν. 155.
Apoſtolorum authoritate omnia definita. 156,265.
Apoſtoli duodecim Tribuum Principes. 161, 162.
Apoſtolico Spiritui ſubditus propheticus. 163.
Apoſtolorum Canones quales. 176,555.
——— rum ſapiant Arianiſmum 178.
Apoſtolorum inſtitutio fons auctoritatis Eccleſiæ. 219,660.
Apoſtolicæ Leges mutari poſſunt. 244,252, 457,513.
Apoſtolorum ſymbolum. 265,272.
Apoſtolis ſuccedunt Epiſcopi. 297.
Apoſtoli, & Epiſcopi auctoritati quid interſit. 298.
ſub Apoſtolis Eccleſiæ ſtatus alius, ac jam conſtitutæ. 304.
Apoſtoli trium in Eccleſia Ordinum cur non meminerint. 305.
Ab Apoſtolis Presbyterorum conſeſſus 316.
Apoſtoli privilegium, Chriſtum in carne vidiſſe. 322.
Apoſtolorum auctoritate quæ peracta ſunt, ea Petri ſolius auctoritate acta non ſunt. 388.
Apoſtolis aliter promiſſum, ac Eccleſiæ. 511.
Apoſtolatum Pauli, ab approbatione reliquorum Apoſtolorum pependiſſe. 525, 536.
Apoſtolis auctoribus, Eccleſiam uſurpaſſe Græcam verſionem. 575.
'Αποσυνάγωγον ποιεῖν. 201
'Αποτόμους ἐν κρίσει eſſe vetat Presbyteros Polycarpus. 329.
Appellatio, proprij nominis, nulla ad R. Sedem. 427.
Appellationes Africanorum. 428.
Aquileienſis Synodus, damnavit Palladium Illyricianum. 422.
ArelatenſeConcilium,de Africanis.229,422.
Arelatenſis Synodus de Papæ judicio cognovit. 396.
Arianiſmum num ſapiant, qui feruntur Canones Apoſtolorum. pag.178.
ארחות Caravannæ. 113.
Ariana hæreſis, quando ſedata. 235.
Arianorum Ordinationes,Concilium Alexandrinum ratas habuit. 370.
Arij cauſa, generalis Concilij decreto terminata. 515.
Ariſteæ, ſeu Ariſtæi libellus de LXX. 569.
Ariſtoteles ad Philoſophiam moralem ætatem requirit. 90,91.
Arnobius, Catechumenus, in Hæreticorum libros incidit. 492.
Athanaſij cauſa,de Calice ſacro. 212, 227, 364.
Atheorum,Idololatrarum,Apoſtatarum pœnæ. 672.
Athenienſes quo jure Atheos proſcripſerunt. 673.
Athei,Gentiles. ibid.
S.Auguſtinus teſte Eccleſia Scripturis fidem habet. 81.
——— emendatus. 84.
Liber ejus deCatechizandisRudibus.124.
Ejus, de Euchariſtia ad ſalutem neceſſaria,locus. 286.
Ejus opera converſi Tertullianiſtæ. 391.
Aurelianus, ſupplicantibus Chriſtianis, Samoſatenum pepulit. 212,223,397,402.
'Αντινομία, quoad Religionem, Judæorum. 117,168.

B.

BAlaami Doctrina. 128.
Baptizati Patres in Moyſen. 22,56,57.
Baptiſmus Joannis in nomen venturi Meſſiæ. 101,135.
Baptiſmus in fidem Trinitatis, poſt aſcenſionem. 101,107.
Baptiſmus Lex ſalutis, in ſuſcipienda Cruce. 102,340,342.
Baptiſmo præmiſſa Catecheſis ſub Apoſtolis. 108.
Baptiſmi conceſſio ex poteſtate Clavium. 119,121, 138,167,260,341,389,661.
Baptiſmus Hæreticorum,ex poteſtate clavium valet. 122,228,263,368.
Baptiſmus ante Catecheſim, quibus de cauſis. 125,146.
Baptiſmo celebratur fidei profeſsio. 109, 128.
Baptiſmi ellogia in ſcripturis Apoſtolicis. 129,134.
Baptiſmum ſequitur donum Spiritus Sancti. 130,131,227,339.
Baptiſmus Joannis,Legis,Diſcipulorum.136, 138.

Baptiſmus

INDEX.

Baptiſmus non legitimus num ſit iterandus. pag. 140, 167.
Baptiſmo ſignum crucis, Ceremoniæque annexæ. 152.
Baptiſmus quomodo Unus. 191, 192.
Baptiſmus, Baptizati Conſecratio, ut Bonorum. 215, 370.
Baptiſmi ritus, Mutabiles. 260.
Baptiſmo, etiam Euchariſtiam includi. 285.
Baptiſmus inefficax, extra unitatem Eccleſiæ. 340.
Barnabas, nulla cogente lege fundos vendidit. 207.
Barnabæ & Pauli Miſſio. 359.
Baruchi locus de Chriſto. 544.
St. Baſilius commendatus, in Eſaiæ cap. III. 163.
Baſilij Epiſtola ad Amphilochium pars Canonici juris Græcorum. 263.
Baſilius de R. Eccleſia. 411.
Baſio Sancto ſalutare. 209.
Bethlemiticum Infanticidium, Benjaminiticum. 104, 106.
Benedictiones præviæ Ordinationi apud Alexandrinos. 356.
Blaſphemia in Spiritum Sanctum. 10.
Blondellus, de exemplari Ignatiano. 355.
Bonoſiacorum cauſa. 231.

C.

CÆſaries promiſſa, an culpetur a S. Paulo. 254.
Caiphas quaſi per Urim & Thummim reſpondit. 118.
Cananæa terra vitæ futuræ figura. 19.
Canonum Eccleſiæ Collectiones 176.
Canones, & Leges Eccleſiæ. 179.
Canonico jure R. Eccleſiæ Primatus. 390.
Canonica R. Sedis Poteſtas terminos admittit. 487.
Canon, Catalogus. 558.
Canonica R. Sedis poteſtas Concilio Sardicenſi aucta. 480.
Capite damnatis, nullum ſacrificium. 49.
Capitalis pœna Doctoris Rebellis. 181.
Capite tecto concionari non vetat Apoſtolus. 254, 259.
Capſarij Eccleſiæ Judæi 79.
Capuenſe Conſilium de Donatiſtis. 370.
Caput Captivitatis i. ϑράρχης, γενάρχης. 566.
Caravannæ 113.
Cardinales Presbyteri duplici honore digni. 318.
de Carthaginienſis Synodicæ fide, anno 419. 428.
Caſa Candida Gallovidia. 375, 448, 451.
Caſtigatio Corporis voluntaria, Carnis interitus. pag 189.
de Catechiſmo loca Apoſtolorum. 107, 109, 128, 133.
Catechumenorum ſtatus a Clavium poteſtate. 123.
Catechiſmus duplex. 125, 147, 191.
Catechumenorum tempus. 144, 151.
Catecheſeωv Schola Alexandriæ. 320.
Catharos, i. Novatianos irritum Baptiſmum dare Cyprianus & Firmilianus, cenſuerunt. 232.
Catholicæ nomen oppoſitum Hæreticis 83, 146, 240, 115.
Catholica Fides quare. 240.
Catholicæ Eccleſiæ auctoritate, inſtauranda Eccleſia. 649.
Cerinthi & Simeonis Hæreſes ſub Apoſtolis. 188.
Catholicæ Eccleſiæ duplex definitio. 244.
Chalcedonenſe Conſilium, agnovit Leonem P communem Patrem. 493.
Charitate, non Fide, creditu non neceſſaria teneri. 252.
Cauſæ effectricis, inſtinctus Spiritus Sancti locum habet 9.
Character ab Ordinatione. 367.
Chalcedonenſem Canonem valere adverſus R. Sedem. 454.
Chalcedonenſis Synodi tria Capitula. 473.
Chaldaicæ verſionis auctoritas. 589.
Cauſæ Eccleſiaſticæ publico quatenus obnoxiæ. 646.
Chiliaſtarum de ſententia, nulla traditio. 280.
Chorepiſcopi poſt Carolum Magnum. 362.
Chriſtianiſmi veritatem ſupponit Eccleſia. 11.
ut Chriſtiani, Patres ſub Lege ſalvati. 25.
Chriſtianiſmus, in ſenſu Vet. Teſt. myſtico. 36, 104.
Chriſtum repudiantes Judæi cœcitate perculſi. 37.
Chriſti & Eccleſiæ myſterium, in Conjugio primorum Parentum. 53.
Chriſtus, non ſemper palam ſe profeſſus eſt. 101, 102.
Chriſtianiſmus, ob contractum in Baptiſmo, habet vim Legis 119.
Chriſtianorum cauſæ judicio Eccleſiæ terminandæ. 185, 197.
Chriſtianis Religio erat celare Epiſcopos veritatem. 199.
Chriſto, ſeu Chreſto ſeu Chreiſto impulſore tumultuantes Judæos. 205.
Chriſtianiſmus Communis Fidei Regula. 605.

Chriſtianiſmus,

Digitized by Google

Chriſtianiſmus, num pœnis ſæculi ſanciendus. pag. 670, 679.
Χειροτονία 326, 330.
de Chorepiſcopis, in Canone Ancyrano. 360, 371.
Chorepiſcopi in Concilio Reienſe. 361.
Confirmare tantum potuerunt. 365.
Circumciſorum corpus Synagoga, Baptizatorum Eccleſia. 116.
Civilis vitæ officium, Amare proximum juxta ſeipſum. 41, 120.
in Circulum quis Diſputat. 92.
de Claritate Scripturarum. 507.
Claudius in Epiſt. ad Gal. Taurinenſis. 34.
Claudianus Mamertus, Antiſtes ordine in ſecundo. 362.
Clavium poteſtas quæ ſit. 118.
Cernitur in Baptiſmo conferendo. 121. 167, 260, 389,
quatenus Legem obtinuit. 200.
Claves Eccleſiæ errare poſſunt. 514.
Clemens, ordinatus a Sancto Petro. 157.
Clementis Epiſtola ad Corinthios. 213.
in perſona Eccleſiæ Romanæ, ad Corinthiacam. 352.
Cleri impoſturam qui auctoritatis Eccleſiaſticæ prætextum palam ferunt. 4, 5.
Cleri ſortes. 208, 319.
Cleri ordo auctoritatem innuit. 494.
Clinici. 134, 139, 143, 152.
Codex Canonum, Juſtelli. 177.
Codex ſacer in medio. 309, 311.
Codicum fides indubitata. 87.
Cœleſtia typos aliorum Cœleſtium faciebant Hæretici. 26, 70.
ad Cœleſtinum Synodicæ fides. 431.
Cœna Dominica, Agapa. 260.
Cœtuum abſolutorum auctores. 4, 5.
Cœtibus ſuperveniebat Spiritus Sancti revelatio. 515.
Collectæ Eccleſiarum, pro reliquis ſuſtentandis. 209.
Columbæ miſsio. 375.
Coluthus, Presbyteros ſibi ordinavit. 371.
Communionem in cultu, poſtulat Eccleſiæ unitas. 112, 125, 173.
Communio Catholicæ Eccleſiæ, lex ſalutis. 142.
Communionis reſtituendæ, lex, pœnitentia. 193.
Communionis nota, Literarum commercium. 223.
Communio in Schiſmate. 270.
Communione Eccleſiæ privari an poſsint Publicæ Poteſtates 684.
Commutatio poſt Oblationem non admiſſa inter Judæos. 216.
in Concilio, ex Epiſcopis ſolis conſtat Ordo. 351.
de Conciliorum jure, & Hierarchiæ ratione. 399, 404.
Concilium Provinciale conſtituere Epiſcopos Provinciales. 400, 406.
Concilia Diœceſium. 402.
Concilia quid poſsint. 406.
Concilia acta jure ſæculi, non minus quam Eccleſiæ. 618.
Concilia Ordinaria, Extraordinaria. 620.
Concupiſcentia, ad Rom. VII. 8.
Lex dicitur, per abuſionem, quæ vinculum in ſe habeat, nullum jus. 47.
a Confirmatione pendet Spiritus Dei. 339.
Confirmatio utrum ad ſalutis Legem pertineat. 342.
Confirmatio per Chriſma. 345.
Confirmatio redeuntium ab Hæreſi. 363.
Confirmatio num a Presbyteris. 376.
de Conſecratione quid ſenſit Eccleſia, ab Athanaſii cauſa ob comminutum Calicem Vitreum 212.
Conſenſui Generis humani infallibili fidem habemus de Scripturis. 76, 77, 241, 243.
Conſenſu fidelium conſtat de Fide Scripturæ. 80, 83, 84.
Conſenſu fidelium conſtat de inſtituta Eccleſia. 114, 138, 173.
Conſenſus Eccleſiæ de jure oblationum. 210.
Conſenſus Eccleſiæ de abdicandis Hæreſibus. 221, 239.
Conſeſſus Feria 2. 197.
Conſeſſus Epiſcopi cum Presbyteris in ſemicirculum. 308.
Conſeſſus ad ritum Eccleſiæ in Viſione Apocalyptica. 310.
Conſtantinus Catechumenus. 124.
—— ejus Conſtitutio de judicio Epiſcopali. 199.
—— oratoria Chriſtianis reddidit, fiſco vindicata. 212.
—— ab illo Hierarchiæ formam ſuſcepit Eccleſia. 397.
Conſtantinus nondum Chriſtianus, Concilium cogit. 621, 626.
Conſtantius capitale cur eſſe juſserit, Sacrificare. 680.
Corpus Eccleſiæ Ordine & Plebe conſtabat. 351.
Creationis opera ſex dierum myſtico ſenſu enarranda. 54.
Crucis ſignum in Baptiſmo, reliquæque ceremoniæ alludunt ad Scripturas Apoſtolicas. 152.

INDEX.

de Culdeis Presbyteris ordinantibus fabula. pag. 331,451.
Cultus Dei Spiritualis quatenus Lege præceptus. 66.
Cumbriæ Regnum Britannicum Christianum. 375.
St. Cyrillus in Legem, myſticum ſenſum enarrat. 36,163.
Cyprianus emendatus. 143.
Cypriani cauſa de rebaptizandis hæreticis. 228.
Cyprum αὐτοκέφαλον pronunciavit Synod. Epheſina. 447,453.
Cyrus Typus Chriſti. 58.

D.

DÆmonum fugandorum ſcientia Salomonis. 553.
Damaſi Epiſtolis Eccleſiaſticis, miniſtravit Hieronymus. 352,411,417.
DavidisThronus in Epiſcopatu Jacobi. 294.
Decimarum jus ſub Evangelio. 216.
Decimarum jus ante Legem. 217.
Decimarum jus ſub nexu Sacrilegij. 218.
Decretales ſuppoſitiæ Iſidori Mercatoris. 177.
Decreta Eccleſiæ errori obnoxia, non Traditio Eccleſiæ. 243.
Decretum Ordinis, ſuffragium Plebis. 338.
Decretorum Papalium auctoritas. 416.
quod Deus non præceperit, quatenus damnatur. 506.
Diaconi Ἀζανῖται. 308.
Diaconi Apoſtolorum non erant Presbyteri. 314.
Diaconorum Ordo in VII Viris. 320.
Diaconi, reſpectu Rectorum. 321.
Diaconi, Evangeliſtis reſpondent. 323.
de Difficultate dijudicandarum cauſarum Schiſmatis. 288.
Difficultatem iſtiuſmodi quare Deus permiſerit. 289.
Difficilis inſtaurandæ Eccleſiæ ratio. 656.
Dionyſij Alexandrini opera, contra Novatianum. 225.
—— Errorem Millennij ſuppreſſit. 283.
Dioſcorus ſede dejectus a Concilio Chalcedonenſi. 236.
Diotrephes. 354.
Diſciplinæ vocabulum apud Tertul. 156.
Diſcipuli, in Chriſti nomine baptizarunt. 131,135.
Diſcipuli Apoſtolorum, Evangeliſtæ. 299, 307.
Diſputare in circulum quid ſit. 92.
Diſputationi quid permiſſum. 250,12, 80. 114.
Docere non omnium Presbyterorum. p. 336.
Dominium non fundatur in gratia. 608.
Donatiſtæ non recepti in Ordinibus ſuis. 158,223,370.
Donatiſtarum defectio ob tradita ſacra. 213,226.
Donatiſtæ Catholicos pro Gentilibus habuerunt. 226,369,270.
Donatiſtis irrogatæ pœnæ. 681.

E.

EBredunenſis Epiſcopi irrita Ordinatio. 365.
Eccleſiæ & Scripturæ auctoritas diſcidium continet. 1,2.
Eccleſiam eſſe, non ſupponi utrinque. 452. 80.
Eccleſiæ Unitas in communione. 14,112.
Eccleſia teſte Eccleſia non aſſeritur; ut ſcriptura teſtibus ipſis ſcripturis. 79 ibid. 116,161,81—87.
Eccleſia quos Hæreticos Scripturis ſummovet. 85,240,93.
Eccleſiæ nomen, apud Apoſtolos. 114.
Eccleſiæ & Synagogæ vocabula. 80,116.
Eccleſiæ Communione antiquior Lex Fidei. 133,135.
Eccleſiæ conſtitutæ auctoritas conſervanda ex Lege Fidei. 135.
Eccleſiæ ſenſu, non verbis Symboli, Traditionem contineri. 147.
Eccleſia jus habet leges ferendi. 171.
Eccleſia nullum habet jus in Regulam fidei. 247.
Eccleſia quid ſit, ex inſtituto Apoſtolico. 291.
Eccleſiæ ſtatus nunc diverſus ac ſub Apoſtolis. 304.
Eccleſiæ Corpus diſtributum in Ordinem & Plebem. 351
Eccleſia tota ſtata Synodus. 404.
Eccleſiæ definita poteſtas. 511.
Eccleſiæ non idem promiſſum quod Apoſtolis. 512.
Eccleſiæ non promiſſum immunem eſſe erroris. 514.
Eccleſiam uſurpaſſe Græcam Verſionem, auctoribus Apoſtolis 575.
Eccleſia eſt in Republica. 610.
Eccleſiæ ratio antiquior quam Reip. 613.
Eccleſiæ & Synagogæ diſcrimen, quod ad jus ſeculi attinet. 614.
Eccleſiæ nullum judicium de cauſis Eccleſiæ ſtatum antevertentibus. 648,686.
Eccleſiaſtici ſcriptores aſſerunt Patres ſalutem Evangelio attigiſſe. 20,25,36,37.

Digitized by Google

INDEX.

Eccleſiaſtes vitam futuram innuit. p. 62, 68.
Eccleſiaſticam auctoritatem habent Scripturæ Apocryphæ, non Propheticam. 541.
Eccleſiaſtici totius inſtrumenti fides certiſſima. 594.
Eccleſiaſticæ res & perſonæ, quatenus publico obnoxiæ. 642.
Eliberitani Canones in morte. Communionem negabant. 193, 325.
Encratitarum Baptiſmus irritus. 232.
Ἐνδιάθετοι Ἑβραϊκαὶ Γραφαί. 542.
Enoch tranſlatus; Paradiſo reſtitutus. 56.
Enochi fabula, de Angelis. 257.
Enthuſiaſtæ, inſtar Muhamedis. 84, 85.
Epaphroditus; idem Epaphras. 300, 321.
ab Epheſino Concilio Eccleſiæ fortuna. 235.
Epheſinæ Eccleſiæ auctores Paulus & Joannes. 387.
Epiphanius de Hæreſibus ab initio. 27, 28.
Epiſcopos Apoſtolis ſuccedere. 297.
Epiſcopi & Apoſtoli auctoritati quid interſit. 298.
Epiſcopi num ſub Apoſtolis iidem cum Preſbyteris. 302.
Epiſcopatum Antichriſtianum putare quam ſtultam. 303.
Epiſcopos interdum Presbyterorum nomine appellari. 318.
Epiſcopi munus proprium docere. 336.
Epiſcopatus proprium jus dandæ Confirmationis. 339.
Epiſcopalis juris fines. 348.
Epiſcopi cur mentio ſine Presbyteris. 354.
Epiſcopum fieri a duobus minimum Epiſcopis. 406.
de Epiſcopatibus ſeculi jure conſtituendis. 640.
Epiſtolæ Apoſtolorum ſupponunt Catechiſmum. 107, 133.
—— habent ſuas cauſas obſcuritatis. 110.
Epiſtolas invicem accipere eſſe communicare. 222.
Epiſtolæ Apoſtolicæ, ſunt Eccleſiaſticæ. 223.
Epiſtolæ Joannis Launoij. 245.
Ἐπιούσιος ἡ καθ᾽ ἡμέραν. 297.
Errores eorum qui jus Eccleſiæ ab Apoſtolis non deducunt. 163.
Eſaiæ cap. LIII. 59.
Eſdræ poteſtas eradicandi. 201.
Ἐθελοθρησκεία· Ἐθελοπερισσοθρησκεία· Ἐθελοδικαιοσύνη Judæorum. 51, 272.
Ethniciſmus Gnoſticorum. 128.
Ethnicorum ad Tribunalia fratrem ſiſtere reum facit Excommunicationis 189, 197.
Ethnici inſtar & Publicani Excommunicatus. 202
Ἐπίπτοσαν pro Ἔπιπτον Alexandrinum. pag. 573.
Ethnicorum calumniæ diverſæ in Epiſcopos & Presbyteros. 358.
Εὐαγγελίζεσθαι majus quam Baptizare. 334.
Euchariſtia vinculum obſervandi Chriſtianiſmum. 183.
Euchariſtiæ communiori cedunt Oblationes. 211.
Euchariſtia in tempore victûs. 260, 284.
Evodium Petrus, Ignatium Paulus ordinaſſe dicitur. 387.
Eunomiani εἰς μίαν κατάδυσιν βαπτίζουσι. 229.
Euſebius Cæſarienſis Evangl. Demonſt. l. 8. adverſus Judæos proſequitur ſcopum Apoſtoli ad Heb. 11. 25, 493.
Eutychianum dogma profiteri feruntur Jacobitæ. 236.
Eutychius de Originibus Eccleſiæ Alexandrinæ. 356.
Εὐταξία magnam vim habet ad retinendum Chriſtianiſmum. 228.
Eva in ſpeciem Eccleſiæ. 29.
Evangelium utrum addat Legi. 31.
Evangelium revelata Lex, Lex velatum Evangelium. 24.
Evangelio non Lege, Patres ſub Lege ſalvati. 20.
Evangelij ſenſus literalis, eſt Legis Spiritualis. 75, 76.
Evangelia non continent neceſſaria omnia. 101.
Evangeliis quæ dicantur impleta. 104.
Evangelium, ex Vet. Teſt. eruendum. 509, 510.
in Evangelio prædicando non conſiſtit clavium poteſtas. 125.
Evangeliſtæ erant Diſcipuli Apoſtolorum. 299, 307, 322.
—— iidem Eccleſiarum Epiſcopi. 301.
Ἔξαρχος in Conciliis. 622.
Excommunicandi Poteſtas. 185, 187.
Excommunicatis Venia difficilis. 187.
Excommunicatio Judæis pœna ſæcularis. 201.
Excommunicatio major & minor Judæorum. 202.
Excommunicatorum Oblationes non recipiendæ. 212.
Excommunicatus in una Eccleſia, non admittendus in alia. 220.
Excommunicatio non eſt Decretoria. 262.
Excommunicatio non niſi de cauſis ab Eccleſiæ ſtatu ortis ferenda. 647.
Excommunicatio major & minor Eccleſiæ. 687.

Ἐ-

INDEX.

Ἑξαήμερος δημιουργία allegoriæ capax. p. 53, 54.
Exorciſmi apud Judæos. 553.
Ἐξουσίαν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς ἔχειν. 256.
Ezekiel Reſurrectionis Propheta. 64.

F.

FAcies fœminarum in ſacris cœtibus velandæ. 253.
Facundus de ſchiſmate Acaciano. 237.
Fanatici Baptiſmum aquæ Joannis Baptiſmum eſſe volunt. 139.
de Fide diſputatio, de lana caprina, Celſo.
Fidelium teſtimonio non auctoritate Eccleſiæ certa eſt de Scripturis fides. 76, &c.
Fidelium, aliud, quatenus fidelium, aliud quatenus communicant. Eccleſiæ. 265.
Fideles Poteſtates de fide decernendi jus non habent. 654.
Fidei aſſerendæ nulla idonea eſt ratio, niſi quæ omnibus refutandis erroribus ſufficiat. 5.
Fidei ratio antiquior auctoritate Eccleſiæ. 6, 265.
Fides vera eſt quæ habet Spiritus Sancti promiſſum. 10.
de Fidei, & Scripturæ Veritate, eadem ratio 14.
— peccatum tollit, Lex tantum cohibuit. 26, 27, 28.
Fides aſſerenda ex Lege & Prophetis. 29, 30, 31.
Fidei Unitas inſtauranda, ex ejus Veritate. 56.
Fidem Divinam facit Spiritus Dei, ſenſu præeunte. 78.
Fide aſſerenda, idem naturâ, ac nobis notius. 89, 101.
Fides quæ ſit juſtifican. 127.
Fidei Lex, communione Eccleſiæ antiquior. 133, 135.
Fidei quæ ſit Regula. 144, 242, 244.
—— eadem eſt ac Diſciplinæ. 150.
Fides, cur Catholica. 240.
Fide quid tenendum ad ſalutem de unitate Eccleſiæ. 271.
de Fide conſtat, diſſentientientibus Patribus. 494.
de Fide ſine Scripturis nihil affirmandum. 532.
Fides certiſſima eſt totius Inſtrumenti Eccleſiaſtici. 594.
Fidei non eſt periculoſum, vitiatos alicubi Codices videri. 597.
de Fide, omnis quæſtio in Hiſtoriæ fidem deſinit. 658.
de Fide, ſolam facti quæſtionem reſtare videri. pag. 660.
Filij Dei & Hominum. 40.
Fines Poteſtatis Eccleſiæ in decernendo de fide. 247.
Fines juris Epiſcopalis. 348.
apud Francos vim Legis obtinuit Canon Sardicenſis ex Regis Imperio. 442.
Fulmen, Judæis, Dei baſium. 55.
Futuri ſæculi Legem, Deus Chriſto reſervavit. 63, 97.
Futurum ſeculum diſertius in Apocryphis quam Propheticis. 546.

G.

GAius Eccleſiæ Hoſpes. 209.
— per Galliam quomodo receptus Canon Sardicenſis. 439, 205.
Gelaſij decretum de ſcriptis Apocryphis. 493.
Gemelli Judæ ex Thamar figura Judæorum & Chriſtianorum. 25, 26.
Gentilis Philoſophiæ ſtudium, fidei periculoſum. 91.
Gentibus converſis, Eccleſia opus habet ſæculi brachio. 166.
Gladij poteſtas. 153.
Gladij poteſtas in Synagoga, poteſtati clavium in Eccleſia reſpondet. 200.
Gnoſtici aliunde quam ex Scripturis docti. 10, 82, 82.
Gnoſtici Chriſtianiſmum ſimulabant. 108, 188.
Gnoſtici negabant fidem, ut vitarent perſecutionem. 127.
Gnoſticos Irenæus & Tertullianus ad Eccleſiarum ſucceſſiones provocant. 157.
Gnoſtici ſine timore convivabantur. 208.
Gnoſtici, & Samoſatenus, conſenſu Eccleſiæ damnati. 221.
Gothofredi Commentarius. 199.
Græcam Verſionem uſurpaſſe Eccleſiam Apoſtolis auctoribus. 575.
a Græcis ad Francos, Rom. Sedes non tranſtulit Imperium. 691.
Γραμματοεισαγωγεῖς. 319, 320.
Gratiam gratis datam & gratum facientem qui ſibi ſumunt. 7, 8.
de Gratia, niſi poſitis intelligendæ Scripturæ rationibus, non poteſt præſumi. 13.
in Gratia, non fundatur Dominium. 608.

H.

HÆreſes Epiphanij ab ipſo rerum initio. 27, 28.

Hæreticorum

INDEX.

Hæreticorum eſt facere cœleſtia typos aliorum cœleſtium. *pag.* 26, 70.
Hæreticis, Catholicum nomen oppoſitum. 83.
Hæretici quibus agendi jus non eſt ex Scripturis. 85, 240.
Hæreticorum Baptiſmus. 122, 228, 263, 368, 393.
Hæreſes quibus negatum Chriſtum in carne veniſſe. 188.
Hæreticus a ſeipſo damnatus. 195, 674.
Hæretici rebaptizandi, Gentiles. 226, 229.
Hæreſis & Schiſma apud Deum & Eccleſiam. 237.
Hæretici & Schiſmatici ad Eccleſiam non pertinent. 262.
Hæretico qui communicat, Hæreticus Eccleſiæ. 461, 464.
Hamanum Mardochæus honorare non debuit. 44.
ad Hebræos Epiſtola Romæ dubia. 192.
Hebraicum Codicem Judæorum ſtudio corruptum non eſſe. 592.
Hegeſippus de Eccleſia Hieroſolymitana. 268, 293.
Helleniſtarum Codicibus Apocrypha venerunt ad Chriſtianos. 562.
Heraclas Alexandrinus. 109, 310.
Hiberniæ Epiſcopi. 332.
de Hierarchiæ ratione, & de jure Conciliorum. 399.
Hierarchiam fundum habet Patrum auctoritas. 489.
Hieronymus & Cyrillus myſticum ſenſum enarrant. 36, 58, 163, 272.
Hieronymus in Catal. emendatus. 411.
Hieronymus Patribus accenſendus, non Origenes. 493.
Hieroſolymitana Eccleſia virgo. 115, 182, 292, 316, 320, 398.
Hieroſolymorum Caſus & finis ſæculi. 513.
Hiſpaniæ Concilia plebem admittebant. 329.
Hiſpania fidem ex Gallia accepit. 416.
de Hiſpanicarum Eccleſiarum uſu. 444.
Hiſtoria de abdicatis Hæreſibus ad Concilium Epheſinum. 221, 239.
Hiſtoricæ Veritatis fides eſt infallibilis. 241, 658.
Hobbiana Blaſphemia. 676.
Hormiſdæ ſententia de Apocryphis ſcriptis. 493.
Hoſtes populi Dei figura Dæmonum. 45.

I.

IDiotarum locus. 190, 309.
Idololatriæ exemptus Abraham. 20.
Idololatria familiæ Lamechi, ut Δητημμία. *pag.* 40.
Idololatriæ periculo Iſraelitæ Gentes odiſſe juſſi. 44.
Idololatria veſci immolatis. 261.
Idololatria caput Superſtitionis. 273.
Idololatria Judæorum deſiit poſt Captivitatem. 66, 67, 508.
Ignatius emendatus. 308.
Ignatius de Eccleſia Rom. 352, 353.
Ignatium Paulus, Evodium Petrus ordinavit. 387.
Imperatorum juſſu acta Concilia extra ordinem. 629.
Imperij jus in octo Synodis Oecumenicis. 621.
Imperium a Græcis ad Francos Rom. Sedes non tranſtulit. 691.
Impleta quæ in Vet. Teſt. de Chriſto. 104.
Impoſitio manuum in Catechumenos. 123.
Impoſitio manuum in Ordinando, ab Apoſtolis. 169.
Impoſitio manuum in Confirmationem. 344.
Independentium ſecta unde. 325.
Infallibilitas quibus competit, & qua ratione. 246, 247.
Infallibilitatem non eſſe præſentis Eccleſiæ, ſed totius. 405.
Infantium communionis nulla Traditio. 284.
Inſtinctus Spiritus Sancti ſupponit Fidem. 9, 10.
Inſtrumentum utriuſque Scripturæ. 112.
Inſtrumenti totius Eccleſiaſtici certiſſima fides. 594.
Interpretatio Scripturæ quomodo gratia. 111.
Interpretatio Scripturæ intra fines Traditionis. 190.
Iræneus juris Romani peritus. 87.
Idem de Regula fidei. 149.
Irenæus Curioſiſſimus Doctrinarum Explorator. 109.
Irreconciliabile cur videatur Eccleſiæ diſcidium. 1.
Iſraeliticus ſtatus Chriſtiano in toto reſpondit. 104.
Iſtrianorum Schiſma in Patriarchatu Aquileienſi. 628.
per Italiam Canon Sardicenſis receptus. 437.

J.

JAcobitæ Eutychiani. 236.
Jacobus, frater Domini. 156, 292.

Jacobi

INDEX.

Jacobi Epiſtola, ad Fideles ex Judæis. p.132.
adverſus Gnoſticos. 293,294.
Jacobus Hieroſolymorum Epiſcopus ob cognationem. 292,294.
in Domini Jeſu nomen baptizare, idem ac in Trinitatis. 136.
Jezabelis doctrina. 128.
St. Joannes Evangelium ſcripſit contra Cerinthum. 301.
St. Joannes & Paulus Eccleſiæ Epheſinæ auctores. 388.
Joanne Major, minimus in regno cœlorum. 65,99.
Joannis Baptiſmus in nomine venturi. 101, 135.
St. Joannes adjurat notarios. 503.
de Jobi ſcriptis, & Salomonis. 61,65,68.
Jonas, typus Chriſti. 71.
Joſephus quid de Statione in Sinai. 16.
Judæi nullum habebant pro Apoſtatis ſacrificium; ſed pro Ethnicis. 190.
Judaiſmi Apoſtolus Tolerantiam præcepit. 261.
Judæorum traditio de ſeptem millenn is. 281.
Judæi binomines. 293,395.
Judæi cur Chriſti & Apoſtolorum Miraculis non credant. 15.
in Judæos & Judaizantes diſputant Apoſtoli. 24,75,104,105.
Judæi adhuc errant neſcientes Scripturas. 25.
Judæorum ſuperſtitio quæ. 51.
Judæorum in diſperſionibus αὐτονομία. 117.
Judaizantes vitandæ perſecutioni Judæorum 128.
Judæi, fide receptâ, quatenus obnoxij Legi. 184.
Judæi excommunicabant adeuntes tribunal Gentile. 201,202.
Judæorum Excommunicatio ſæcularis pœna. ibid.
Judaicæ literaturæ hodiernæ fides. 581.
Judæis incurvare ſe coram Idolo ſcrupulo erat. 648.
Judas Sacrilegus; ut & Ananias. 206.
Judicium ſingulorum de Religione. 288.
Judices ſucceſſores Moyſi. 159.
Jura quæ conſtituunt ſocietatem Eccleſiæ. 153.
Jus in univerſum. 654.
Juſtificatio fide, non Lege; contra Judæos. 203.
Juſtiniani Leges aliorúmque Principum de rebus Eccleſiaſticis. 635.
Juſtinus in Diſp. cum Tryph. emendatus. 280.
Juſtinus Laicus; alicubi erravit. 492.
Juſtitia abſoluta, poſita eſt in æquitate. pag. 253.

K.

Κανονίζειν τὰς Ἐκκλησίας ſine R. Sede non licuit. 413,437,629.
Karraim Judæi. 51,52,181,587.
Κατὰ κεφαλῆς ἔχειν. 258.
Kebius Britannicus. 276,448.
Κλεῶνας à Κλεωναῖος diminutivum. 293.
Κλῆρος, ſtipendii & Miniſterii. 208,319.

L.

LActantius de Trinitate. 497.
Laicis jus erat in periculo mortis baptizandi. 287.
Laicorum Presbyterorum nomen 333,338.
Lamech μονογαμίαν violavit, Idololatriam incœpit. 40.
Latro in cruce ſalutem adeptus eſt ex Lege Fidei. 134.
ſub Lege Patres, & ante Legem Evangelio ſalutem adepti. 20,101.
Legis teſtimonium ad Fidem Evangelij neceſſarium. 41.
Legis æquivocatio. 47.
de Lege, Levit. V. 1—5. 48.
Leges Eccleſiæ, vel quas accipit, vel quas dat. 171.
Legum ferendarum jus Eccleſiæ eſt, ut Synagogæ. 171,180,181.
Legum Eccleſiæ diſcrimen a Canonibus. 179.
Legis præcepta ſexcenta tredecim Judæis. 181.
Legum mutandarum Eccleſiæ jus eſt; etiam Apoſtolicarum. 243,252,304.
Legi addere vel detrahere. 502.
Legum Eccleſiæ cuſtodes Poteſtates Fideles. 653.
Leges Eccleſiæ in quantum retinendæ videantur. 662.
Λειτουργία καθημερινή. 208.
Leonem P. I., communem Patrem agnovit Chalcedonenſis Synodus, ob R. Sedis Primatum. 493.
Leproſi caſtris pulſi, figura Excommunicatorum. 201.
Lex carnalis & ſpiritualis. 19.
Lex duplex, vel Legis duplex ſenſus. 20,21, 46,120,24.
Lex peccatum cohibuit, fides tollit. 26.
Lex Naturæ erat Pietatis forma, quam nunc in Evangelio patefactam colit Eccleſia. 28.
Lex Moſaica ſub Evangelio, quatenus obtineredebet. 46,162.
Lex Moſaica in ceremonialem & civilem diſtinguenda. 50.
Lex Chriſtianiſmi; ex fœdere. 119,171.

Digitized by Google

Lex Fidei communione Eccleſiæ antiquior. pag. 133,135.
Lex Fidei ab Aſcenſione. 133.
Libertinorum Synagoga. 117,387.
Ligatum & ſolutum, ut diſtinguantur à Licito & illicito. 164,203.
Limites poteſtatis Eccleſiæ. 265.
Lincolnienſis Eccleſiæ fines. 331.
Literatura hodiernæ Judaicæ fides. 581.
Loca Idiotarum in Eccleſia. 190.
Λόγια ζῶντα. 23.
Luciferi ſchiſma unde. 233.
Lutherus qua lege Concilium appellavit. 1,2,278.

M.

MAgiſtratus Chriſtianus utriuſque Tabulæ Cuſtos. 653.
Majeſtatis jura. 153.
Major Joanne, minimus in regno cœlorum. 65,99.
Majoritatem Eccleſiarum ad Civitates ſuas referendam eſſe. 397.
Majores cauſas ad R. Sedem redire. 657.
Majores benedicunt Minoribus. 359.
Maimonides Judæorum fidem ad ſtationem in Monte Sinai refert. 15.
Malachias Prophetarum ultimus. 541.
Manifeſtatio Spiritûs. 187,339,510.
Manichæi & Gnoſtici aliunde docti quam ex Scripturis. 82.
Manichæi Hæretici in Fide Trinitatis. 231.
Manichæi & Marcionitæ alium Deum Vet. Teſt. alium Novi ferebant. 32.
Marcion Hæreticus ſemel atque iterum receptus. 196.
Marcioni Eccleſiæ pulſo reſtitutæ Oblationes. 212.
Marcion pulſus, Romæ recipi non potuit. 390.
Martyrum privilegium in reſtituendis lapſis. 196.
Martyrium pro Unitate. 348.
Mediolanenſis Eccleſiæ ſeptem Provinciæ. 410.
Mediolanenſis Sedes à Romano non Ordinabatur. 438.
Mediorum neceſſitas. 249.
Meſſiam qualem expectant Judæi. 18.
Metropolita Synodum Provinciæ convocat. 402.
Metropolitæ quomodo promoti. 412.
Metropoles à Coloniis; ſc. Græcorum. 399.
Midraſhin; multa habent ad Fidem facientia. 37,563.
de Millennio nulla Traditio. 280.
Miniſtri Verbi, & Nov. Teſt., & Evangelij. 321,322.
Miniſteria Poteſtatum Publicarum non ſunt excommunicationi obnoxia. p. 648.
à Miraculis pendet Fidei veritas. 15.
Miracula aſſerendo Chriſto ſatis futura fuiſſe, ſi nulla obtinuiſſet Lex Moſaica. 41, 506.
Miſſio Pauli & Barnabæ. 359.
משבחין Prophetantium. 255.
Monachorum cellas Epiſcoporum Sedes fecit Patricius. 332.
Monarchia in Apoſtolos Petri. 380.
Montanus adulteris ſpem veniæ negavit. 193,391.
Montani hiſtoria. 223.
Montaniſmus Tertulliani. 258.
Moralium præceptorum duplex ſenſus. 44.
Mardochæus negavit Hamano honorem ex Lege. ibid.
Morini exercitationes Biblicæ. 582.
Morituri, baptiſmum in voto habentes ſalvantur. 134,139,143,151.
Mortem ſine ſpe veniæ tranſgreſſio Legis Moſaicæ oſtendit. 31,34.
Mortis ſententia in Adamum pertinuit ad æternam. 98.
Moſaica Lex quatenus valeat Eccleſia auctore tenendum eſt. 653.
Moyſes Rex Iſraelis. 159.
Moſis Lex omnia ad ſalutem neceſſaria non continet. 97.
Moſis Lex duplex. 19,20,21.
Munditiæ legalis judicium apud Judæos 69.
Mundus ſex mille annorum Judæis. 280.
Mutatio Principatus Civitatum, Eccleſiarum Principatum quatenus mutet. 385, 409.
Myſtici ſenſus ratio in Vet. Teſt. 36.
Myſtica ante Legem. 52,53.71.
Myſticus ſenſus Creationis. 53,54,71.
Myſticus ſenſus valet ad argumentandum. 72,75.

N.

NAamani Syro num Idololatria permiſſa. 678.
Nationalis Eccleſiæ fundus quis. 605.
Naturæ Lex fidem aſtruit Evangelio. 16,26.
Naturæ Lex ſub qua Patres. 50.
Nazarenus vocabitur. 106.
Neceſſaria non omnibus in Scripturis perſpicua. 95,134,506.
Neceſſitas Mediorum ſine quibus non eſt Salus. 249.
Non-neceſſaria definiri in quantum expediat. ibid.
Neophytum ordinari vetat Apoſtolus. 324.
Neſtorii hæreſis, quamprimum audita turbavit Eccleſiæ cœtum. 148,236.
Neſtorius Epheſi damnatus, apud Orientales Sanctus. 235.

Nicenum

Digitized by Google

INDEX.

Nicenum Concilium decrevit in ſententiam Victoris Papæ. pag. 228.
de Niceno Canone ſexto. 408.
Niniani Epiſcopatus. 375.
Ninius Britannus. 331, 448, 451.
Nyſſenus Orig. non affinis. 498
Noe juſtitiæ Præco. 56, 101.
Nota in Scripturis nulla, quæ neceſſaria ad ſalutem, à non neceſſariis diſtinguat. 110, 134, 274.
Nota neceſſariorum. 269.
Notius naturâ, & nobis in Theologiâ. 89.
Novatianorum Secta, unde. 192, 193.
—Apoſtatis ſpem veniæ faciebat. 224, 392.
Novatiani reconciliationem negabant, ob peccatum ad mortem. 194, 224.
Novatianorum Epiſcopi, Chorepiſcopi. 361.
Novi Teſt. ſenſus. 70, 103.
Novi Teſt. fides conſenſu Eccleſiæ nititur, ut Vet. Teſt. Synagogæ, 80, 116, 159, 161.
de Novi Teſt. Libris ab initio non receptis. 567.
Numero conſtare Eccleſiam Catholicam, quatenus verum. 240, 539.

O.

Oblationum jus ex Judæ Sacrilegio,
—ex Ananiæ. 206.
—ex Eccleſiæ conſenſu. 210, 334.
—ex Conſecratione in Baptiſmo. 215.
Obſcuritatis Scripturæ Apoſtolicæ cauſa. 110.
de Obſcuritate Scripturarum quid Patres. 528.
in Occidente quomodo crevit Canonica R. Sedis poteſtas. 482.
in Occidente Epiſcopi munus docere; ut ipſo præſente nemini uſurparetur. 366.
in Octo Synodis Imperij jus. 621.
Officia Legis naturalis. 67.
Οἰκονομία. 102.
Oralem Legem, etiam Sacerdotes Sadducæi negabant. 44.
Ordinum trium, quare non meminerint Apoſtoli. 305.
Ordines in Eccleſiâ minores. 324.
Ordo Epiſcopi & Presbyteri an idem. 349. 358.
Ordo Municipiorum Magiſtratu, & Senatu conſtabat. 351.
Ordinationem quid ratam faciat? Character inde. 363. ib.
Ordinatio ſola auctoritate. 368.
de Ordinationis jure Presbyteri. 371.
Ordo, poteſtas ad actum ſpecialem. 377.
Origenes de Myſtico Legis ſenſu. 44, 519.
Origenes de Regula Fidei, emendatus. 145, 183.
Origenis Hæreſis. 148.
Origine adhuc vivente de ſcriptis ejus lis. pag. 491.
Origenes Patribus quare non accenſendus, ut Hieronymus. 495.
in Oriente Sardicenſes Canones non obtinuerunt ab initio. 424.

P.

Pacis Publicæ, & Unitatis Eccleſiaſticæ tuendæ eadem ratio. 693.
Palladium, Epiſcopum Illyricianum damnavit Synodus Aquileienſis. 422.
Pallij jus ſibi ſumebant Archiepiſcopi, etiam apud Britannicas Eccleſias. 449.
Pallium Imperatores indulſerunt Patriarchis. 483.
Papa ob quæ non Antichriſtus. 267.
Papa primus quinque Patriarcharum. 412.
Papalium decretorum auctoritas. 416.
Papæ quomodo Synodis generalibus Præſidere. 458.
Papa à Synodo legitimè damnari poteſt. 469.
Parabolis regnum ſuum Chriſtus adumbrare voluit. 103.
Paradiſi inſtar, fuit terra promiſſa. 49.
Paradiſo pelli fuit Excommunicari. 202.
Paradiſus figura Chriſti, & Eccleſiæ. 49.
Παραδεισῶδες. 188.
Paſchatis in Vigilia Baptizati, in Paſchate Euchariſtiam percipiebant. 147, 344.
de Paſchate Diſſidium. 227.
Paſſionem Chriſti Typum affirmare, Hæreticorum erat. 26, 70.
Patriarchis & Patribus antè, & ſub Lege, Fidei myſterium aliquo modo cognitum in eorum ſalutem. 20, 37.
à Patrûm Traditione Meſſiæ expectatio. 100.
Patrûm Eccleſiæ auctoritas Hierarchiam fundum habet. 486.
Patrûm ſcriptis quænam auctoritas? 491.
Patribus diſſentientibus, de Fide, utcunque conſtat. 494.
Patrûm quænam auctoritas in controverſiis Eccleſiæ finiendis. 519.
Patres an Scripturam ſolam agnoſcant Judicem. 521, 529.
Patres qui aſſerunt Eccleſiæ poteſtatem. 525.
Patres quid pro Traditione? 526.
Patres de Scripturarum Obſcuritate. 528.
à Patricio Ordinati Epiſcopi 365, Presbyteri 3000. 331, 448.
St. Patricius Britannus. 375.
Paulus Romanis, qui Judæis Saulus. 293.
Paulus educatus ad pedes Gamalielis. 309.
Pauli & Barnabæ miſſio. 359.
Pauli reprehenſio de reprehenſo Petro, à Porphyrio. 379.
Paulus non ſecus ac Petrus Romanæ Eccleſiæ auctor; & Antiochenæ. 385.

Digitized by Google

INDEX.

Pauli Apoſtolatum à reliquorum Apoſtolorum approbatione pependiſſe. p. 525, 536.
Peccatum ad mortem. 192.
Pelagius Dioſpoli, nè damnaretur, errores ipſe ſuos damnavit. 407.
Πεπυζηνοί. 230, 398, 668.
Perſarum Regis Præfectus Zorobabel. 168.
Perſpicuum reſpectu ejus cui Perſpicuum eſt. 95.
Πέτρας ἀκολουθούσης Πνευματικῆς. 257.
Petrus Mongus Epiſcopus Alexand. 237, 461.
S. Petri Vita. 328.
Petri Principatus. 379. 457.
Petrus claves accepit in perſona Eccleſiæ. 388.
Philemon S. Pauli συνεργὸς, Presbyter Coloſſenſis. 337.
Philo Judæus Legem ἀλληγορεῖ; qua curâ legendus? 36, 37, 72, 73.
Philoſophiæ Gentilis ſtudium juventuti periculoſum. 91.
Φοῖνιξ ἐν αἰγιαλοῖς. 548.
de Photinianis decretum in Synodo Capuenſi. 231.
Φωτισμὸς, cur Baptiſmus. 130.
Πίστις τῶ ἱερῶν Πρεσβυτέρων. 26, 27, 28.
Plebis ratio in rebus Eccleſiæ. 165, 315, 327.
Plinius de Chriſtianis explicatus. 183.
Pœnitentia aſſerit jus excommunicandi. 187, 193.
Pœnitentia reſtituendæ communionis via. ib.
Pœnis ſæcularibus quo jure ſanciatur Chriſtianiſmus. 670, 675.
τοῖς Πολιτευομένοις inſcriptæ Epiſtolæ Eccleſiaſticæ. 355.
Polycarpus, à Joanne conlocatus. 157.
Polycarpi Epiſtola ad Philippenſes. 329.
Polycarpus Presbyteris Eccleſiæ Philippenſis ſcribit. 352, 353.
Polygamia Patrum diſpenſatio. 217.
ſub Populi aſſiſtentis conſcientiâ tractata. 327.
Poteſtas ſæculi in Eccleſiam. 605.
Poteſtates hodiernæ eodem cum Imperio Romano jure gaudent. 632.
Poteſtati ſæculari obnoxiæ Eccleſiaſticæ res & perſonæ. 642, 646.
Poteſtatum publicarum miniſteria Excommunicationi non obnoxia; eâdem ratione quâ nec ipſæ. 648, 686.
à Poteſtatibus fidelibus Eccleſia inſtauranda eſt: Eccleſiæ Catholicæ auctoritate. 649.
—non ex ſuo arbitrio. 653.
Poteſtas ſumma quomodo tuetur Eccleſiam. 647.
—an poſſit Communione privari? 680.
Præcepta Legis ſpiritualia; Promiſſa carnalia. pag. 31, 32, 44, 100.
Prærogativa Tribus. 197.
Præſentem ſe Deus, quomodo oſtenderit Chriſtianorum cœtibus. 189. 339.
Præſediſſe Conciliis Gen. Imperatores, in Conciliis Gen. Papas.
Presbyterorum munus & honor ab Apoſtolis. 156.
Presbyteri ſub Lege. 168.
Presbyteri, ſub Apoſtolis non iidem cum Epiſcopis. 302.
de Presbyteris cur taceat S. Paulus, & S. Ignatius. 306, 313, 353.
Presbyteri Eccleſiarum, vel partium totius Eccleſiæ. 315.
Presbyterorum conſeſſus ab Apoſtolis inſtituti. 316.
Presbyteris non conceſſum prædicare, ſed docere. 321.
Presbyterorum nomen Laicis non competit. 333.
Presbyterorum Conſilio agenda graviora. 348.
Presbyteri jure irrita Ordinatio. 371, 373.
Presbyteri jure an rata Confirmatio? 376.
Primatus inter Diſcipulos Chriſti. 165, 379.
Primitias offerebant totum deberi agnoſcentes. 211.
Primitùs ordinem Præſidentium penes erat jus impertiendæ Euchariſtiæ, quâ exercebatur Clavium jus. 260.
Primores Plebis quinam in Eccleſiâ. 338.
Πρίζειν ἢ σχίζειν. 548.
Profeſſio Baptiſmum Præibat. 102.
Profeſſio Fidei requiritur ad ſalutem. 127.
Profeſſio celebratur in Baptiſmo. 128.
Promiſſa facta Patribus, quomodo ſuffecerunt ſaluti. 37, 38, 39.
Promiſſum à Prophetis futurũ ſæculum. 64.
Promiſſio facta Petro id dedit, quod omnibus facta, omnibus dedit. 514.
Προπέμπειν viatico proſequi. 210.
Prophetarum ſenſus duplex; Priores & Poſteriores. 57, 100.
Prophetiæ munus deſitum ante Chriſti Adventum. ib.
Prophetarum quædam ſolum ſpiritualem ſenſum habent. 59, 74.
Propheticum munus in revocando ad ſpiritualia. 67, 68.
Prophetica Scriptura, non continet neceſſaria omnia ad ſalutem. 98.
Prophetarum Spiritus Apoſtolico Spiritui ſubditus. 163.
Προσᾴδειν Deo canere. 255.
Proſelytus Judæo ſuperior; populus Chriſtianus. 73.

Πρω-

Digitized by Google

Πρωτοκαθεδρία Scribarum & Phariſæorum. pag. 310.
Προϋπάρχειν animarum oppugnat Nyſſenus. 498.
Proverbiorum Liber quam ἀλληγορίαν habeat. 63,68.
Providentiæ Divinæ ratio de bonis & malis. 65.
Provinciarum conſuetudines Apoſtolicæ Traditiones. 219.
Provinciæ ejuſdem plures Eccleſiæ, non autem ejuſdem Civitatis. 399.
Provinciale Concilium conſtituere Provinciales Epiſcopos, Apoſtolicum. 400,406.
Pſalmorum Liber, Chriſtiani ſtatûs adumbratio. 61,68,106,255.
Publicani inſtar & Ethnici, de Excommunicandis. 202.
de Punctis, & Vocalium Hebræorum origine. 587.
——ad Legem Oralem, non ad ſcriptam pertinere. 701.

Q.

Quadrageſſimalis Catechumenorum Competentium Inſtitutio. 147,151, 344.

R.

רבנייםִ quibus opponuntur Karraim. 51.
P. Ramus cœtuum abſolutorum Vindex. 325.
Ratio ſola præſcribit rebus modum. 5.
Ratio coæva Fidei auctoritate Eccleſiæ antiquior. 6,246.
Ratione credendi non præmiſsâ, Sp. S. inſtinctus diſcerni non poteſt. 9,10,79,80.
Rationis uſu, non lumine, decernendum de Fide. 13.
——ex Rationibus interpretandæ Divinæ voluntatis pronunciandum. 17.
Ratio Characteris in Ordinatione. 363.
Reformati agnoſcunt Apoſtolicum Eccleſiæ regimen. 158,179.
Reformationi non obſtat Traditio. 278.
Regale Sacerdotium cur Dei populus. 160.
Regenſe Concilium Galliæ. 365.
Reges cupiverunt videre, quæ vos videtis. 39,98.
Regimen Veteris populi quale. 159.
Regimen Eccleſiæ quatenus ei conveniat. 162.
Regimen idem in Eccleſia, à primo ad ſecundum Chriſti adventum. 243,406,409, 495.
Regimen Eccleſiæ Apoſtolis creditum à Domino. 114.
Regiminis totius Eccleſiaſtici forma. 291.
Regiminis Eccleſiaſtici ratio ad diſcrimen temporum accommodandum. 406.
Regis Meſſiæ Spiritus. 340.
Regium jus ſub Lege, auctore Synedrio, &c. Pontifice valuiſſe. pag. 615.
Regnum Cœlorum, Lege Veteris Fœderis non fuiſſe promiſſum. 42.
Regula Fidei. 144,244,149.
Regula Fidei & Diſciplinæ idem. 150.
in Regulam Fidei jus nullum habet Eccleſia. 247.
Reienſe Concilium primam habet apud Latinos Chorepiſcoporum mentionem. 361.
Relapſi non poterant per pœnitentiam reſtitui. 195.
Remiſſio peccatorum non erat ex Lege. 166.
Reſpublica quadam Eccleſiæ. 113, 153. 220.
Reſpublicæ ab initio conſenſu conſtant. 153.
Reſurgendi promiſſum nullum ex Lege. 43.
Reſurrectionem ex Lege probat Dominus. 42.
Reſurrectionem carnis propheticis Scripturis adumbrari potius quam ſanciri. 64.
Reſurrectionis Chriſti commemoratio refertur ad Baptiſmum Chriſtianorum. 129.
Reſurrectioni ex Aqua Baptiſmi, aſcribitur carnis Reſurrectio. 131.
à Reſurrectione, Chriſti & ſecuta ejus in Cœlos Aſcenſione, Lex Fidei inſtituta. 133.
à Reſurrectione Chriſti Chariſma myſtici ſenſus. 516.
Reſurrectio clarius expreſſa eſt in Apochryphis, quam prius. 546.
Revelationis Divinæ pro diſcrimine, diverſi ſunt ſub Lege Officiorum Fines. 47.
R. Eccleſia ab initio prima. 291.
R. Sedis Principatus qualis. 379,390.
——ex Urbis ſuæ previlegio. 382.
R. Eccleſiæ S. Paulus auctor, ut S. Petrus, & Antiochenæ. 385.
R. Eccleſiæ in ſuburbicarias jus. 410,413.
ad Romanum Eccleſiam nulla proprii nominis Appellatio. 427.
R. Sedem præſediſſe in octo Synodis Generalibus. 458.
Roma alio jure erga Orientem, alio erga Occidentem. 411,413.
R Sedis ſupparem fuiſſe Mediolanenſem. 437.
R. Sedis Canonica Majoritas à Canone Sardicenſi aucta eſt. 480.
R. Sedi imputandum Schiſma Acacianum. 465.
R. Sedis jus ex Canonica in Infinitum evecta. 485.

S.

Sabellij Hæreſis, Samoſateni, & Socini eadem de Spiritu Sancto. 232,241,660.
Sabellium adversùs Dionyſius Alex. 393.

Digitized by Google

Sacerdotium penes Aaronem, poſtquam à Moyſe in ipſum collatum eſt. 159.
Sacerdotium Regale populus Dei. 160.
Sacramenta Vet. Teſt. Typi Sacramentorum Novi. 137.
Sacrilegium eſt in alios uſus Eccleſiæ facultates conferre. 206,215,334.
Sacrilegium gravius, munus ipſum Sacrum in Laicos transferre. 334.
Sacrilegium Judæ & Ananiæ. 206.
Sadducæorum ſecta apud Judæos unde. 42.
Salaminio Commune fuiſſe videtur trium Sedium Privilegium. 412.
Salomonis & Jobi ſcriptis quatenus Dei cultus Spiritualis præceptus. 66.
Salutis remedium ab ingreſſo in mundum peccato. 52.
Samaritæ à Philippo rite Baptizati, ab Apoſtolis confirmati 341.
Samaſateni & Gnoſtici ex ſolo Eccleſiæ conſenſu damnati ſunt. 221.
Samſonis αὐτοχειρία. 551.
de Samuele poſt mortem vaticinante. 552.
Sapientiæ librum St. Hieron. aſcribit Philoni Hebræo qui ſub Onia Sacerdote vixit. 544.
Sardicenſis Concilii cauſa. 419.
Sardicenſes Canones non obtinuerunt in Oriente ab initio. 424.
—— neque per Africam. 432.
Sardicenſem Canonem per Italiam receptum fuiſſe. 437.
à Sardicenſi Concilio Canonica R. Sedis poteſtas aucta eſt. 480.
Satanæ Traditi ab Apoſtolis, obnoxij erant Malorum Spirituum incurſionibus. 189.
Schiſma inter Græcos & Latinos unde conflatum. 177.
Schiſma & Hæreſis apud Deum & Eccleſiam. 237.
Schiſmatici & Hæretici non pertinent ad Eccleſiam. 262.
Schiſma inter Græcos & Latinos de Proceſſione. 277.
Schiſmatis cauſæ difficile dijudicantur. 288.
Schiſmatis ſtatus non eſt crimen Schiſmatis. 664.
Schiſmatis crimen ad quam partem ſpectat. 658.669.
ſine Schiſmatis crimine decerni poſſe de iis quæ ad totam Eccleſiam pertinent. 664, 669.
Σχίζειν καὶ Πρίζειν. 548.
Scholaſtica Theologia de ſalute Patrum. 38.
Scotos ſub Victore Papa converſos, fabula. 374.
Scribarũ Traditioni quæ tribuant Judæi. 49.
Scribæ Diſcipuli Prophetarum. 162.
Sacerdos ſummus adactus Sacramento nequid immutaret ex ordine agendorum. 42.
Scribæ populi; & Scribæ tui. 169.
Scriptura à Dei gratuito conſilio. 97,529.
Scriptores Eccleſiaſtici contra Judæos aſſerunt ſalutem Patrum ex Fide. 20,25,36.
Scriptorum quos Patres appellamus auctoritas. 491.
Scripturæ & Eccleſiæ auctoritas vinculum Diſſidii. 1,2.
—— unde orta diſputatio. ibid.
Scripturæ utrinque receptæ. 3.
Scripturis ſolis non acquieſcebant Gnoſtici & Manichæi. 10,82.
à Scripturarum fide ad Eccleſiæ auctoritatem progrediendum. 91,601.
Scripturæ auctoritas à Patribus ſupponitur. 3.
Scripturæ ſenſus prior ac notior Eccleſiæ auctoritate. 12.
de Scripturæ & Fidei Veritate eadem eſt diſquiſitio. 14.
Scripturæ univerſa Fides à miraculis. 17.
Scripturæ Novi Teſtamenti Teſtimonium à Vetere. 18,31,70.
Scripturæ Vet. Teſt. ſenſus duplex. 22, 31, 70,104,137.
Scripturæ unde fit certa Fides. 76.
—— quomodo pendet ab auctoritate Eccleſiæ. 80,81,83,84.87,93.116,161.
Scripturæ, teſtibus ipſis Scripturis aſſeruntur; non item Eccleſia, teſte ipſa Eccleſia. 79.
Scriptura Fidei rationibus & materie conſtat. 79,80,88.
Scripturarum fides quomodo ab Eccleſia. 80.
Scripturarum Vet. Teſt. quomodo à Synagoga. bid.
in Scripturarum Veritate idem natura & nobis notius. 90.
de Scripturæ ſenſu, & Traditione quærendum. 94,241.
Scripturam eſſe omnibus perſpicuam non conſtat. 44,506.
Scriptura Apoſtolica docet quæ ad omnium ſalutem tenenda ſunt. 107,132.
—— Obſcura, in nonnullis. 110.
Scripturæ Interpretatio charisma. 111,510.
Scriptura Inſtrumentum. 112.
Scripturæ ſenſus non eſt, quod in Traditionem incurrit. 147.
Scripturas novas de Apoſtolorum, non de Synagogæ jure intelligendas. 168.
Scripturæ intelligendæ præſidia omnia poſtulant conſenſum Eccleſiæ. 239.
Scriptura quomodo Fidei Regula. 248.
Scripturæ adverſus Cœtus abſolutos. 326.

Digitized by Google

Scripturæ, de Scripturis, & de Eccleſiæ teſtantes. 501,505.
Scripturis num ſit inſita claritas. 507.
Scripturæ quæ definitam Eccleſiæ Poteſtatem aſtruunt. 509,510.
Scripturam judicem agnoſcunt Patres aliqui, non Eccleſiam. 521,529.
de Scripturarum Obſcuritate Patres. 528.
ſine Scripturis nihil de fide affirmandum, quatenus Scripturas facit judicem. 532.
Scriptura Apocrypha non habet auctoritatem Propheticam, ſed Eccleſiaſticam. 541.
Scripturæ Canonicæ repoſitæ in Arca fœderis. 560.
Scripturæ intelligendæ & recipiendæ ratio Eccleſiæ auctoritate eſt antiquior. 601.
de Scripturæ ſenſu, ſinguli Fideles Judices non ſunt. 653.
in Scythia, unus fuit Tomitanus Epiſcopus. 332.
Secretum Evangelij; ex Vet. Teſt. eruendum. 509,510.
Seculi quænam Poteſtas in Eccleſiaſticis. 605.
Seculi jus in ſacris diſtinguendum à jure Eccleſiæ. 611.
Seculi poteſtatibus Legum Eccleſiæ cuſtodia credita. 653.
Seldenus ad Origenes Eutychianas. 358.
Septuaginta Diſcipulorum ſecundus Ordo. 155,162,315.
Septuaginta, Moyſi adjutores. 161,315,333.
Severus Alexandrinus de vitis Patriarcharum Arabice. 357.
Siclum Hebræorum, tetradrachmo Attico æqualem, didrachmo Alexandrino. 573.
Sinai Montis ſtatio. 15.
Sociniani de ſalute Patrum hæſitantes, rejecti. 37,38,39,661.
—— Baptiſmum non niſi tempori Apoſtolico proviſum volunt. 139.
Socinus omnem diſputationem, niſi ex ſolius Scripturæ verbis inſtitutam, recuſat. 278.
Socinus idem docet quod Hermogenes de materia Mundo præexiſtente. 531.
à Spiritu Sancto quid fuerit inſpiratum, probandum. 5.
Spiritûs Sancti inſtinguentis præjudicium ſeponendum. 7,10,99.
Spiritûs Sancti inſtinctus, non niſi præmiſſâ ratione credendi, diſcernitur. 9,78,79.
Spiritualis ſenſus Scripturæ, aptandus Hiſtorico. 71.
Spiritus Dei, ſenſu præeunte, facit fidem Divinam. 78.
Spiritûs Sancti Donum, promiſſum, cum Chriſtus de ſeculo diſceſſurus. 102,131.
Spiritûs Sancti promiſſum debetur Baptizatis. 129.
—— à Confirmatione pendet. 339.
Spiritus Sanctus datus Samaritis Baptiſmo ratihabito confirmatione. 130,131.
Spiritus Prophetarum ſubditi Spiritui Apoſtolico. 163.
Spiritus deſerta Synagoga Eccleſiæ præſens. 169,339.
Spiritûs manifeſtatio. 187,339,510.
Spiritui Sancto viſû eſt & nobis 28,246 515.
Spiritus Regis Meſſiæ. 340.
Status ſingularum Eccleſiarum quid poſtulet. 291.
Status Eccleſiæ ſub Apoſtolis. 304,315.
Stipendii & Miniſterii ſortes. 208,319.
Στήρινος τῆς Ἐκκλησίας. 308.
Succeſſio Apoſtolica contra Gnoſticos. 157.
Suidas in voce Σερὺχ. 40.
Suidas de exorciſmis. 553.
Suidas in Γραΐανός. 680.
Σύμπνοια Ariſtoteli. 113.
Superſtitio Judæorum loco Idololatriæ. 67.
Superſtitionem in ſe continet omne Eccleſiæ Diſcidium. 272.
Supremâ poteſtate jubente Fidem negandum docere, Apoſtaſia. 675.
Suſceptorum Mos in Baptiſmo. 152.
Sylveſtri Papæ, Chriſmatis inſtitutum. 357.
Symbolica ſignificatio præceptorum Moſis. 52.
Synagogarum præpoſiti, fœdo operi delegati. 69.
Synagogæ & Eccleſiæ diſcrimen non ex voce. 80,116,159,161,507.
Synagogæ poteſtas condendi juris. 180.
Συναγωγὴ S. Jacobi. 186.
Synagogæ jus gladii; Eccleſiæ clavium poteſtas competit. 200.
Synagogâ ſtante Fideles inter Judæos ſuis moribus uſi. 204.
Synagogæ ordines. 508.
de Synagogæ poteſtate. 517.
Synagogæ & Eccleſiæ diſcrimen quoad jus ſeculi. 614.
Synodica de Paulo Samoſateno. 394.
Syriaca lingua Judæis a Captivitate non vernacula; ſed Chaldaica. 589.
a Syricio Reſcripta Pontificum indubitatæ auctoritatis. 415,662.

T.

Tabernaculi ἀλληγορία. 73.
Talmud multa ponit ad fidem facientia. 33.
Talmudicis inſtitutis utuntur hodierni Judæi. 543.
Talmudicis narrationibus, neque Judæi, quemadmodum ſonant, credunt. 563.
Templum ingreſſi apud Judæos Excommunicati. 202.

Terminanda

Digitized by Google

INDEX.

Terminanda eſt Eccleſiæ Romanæ Canonica Poteſtas pag. 487.
Tertullianus unde Montaniſta? 85,258,372,391.
Tertullianus de Regula Fidei. 149.
Tertullianus quantum valet. 492.
Θεοκράτεια à Moyſe ad Saulum. 159,615.
Thuribula Koræ ſacrata. 367.
Timotheus & Titus cur Evangeliſtæ. 155,299.
Timotheus Epheſinæ Eccleſiæ Præfectus diſcedente Apoſtolo. 301.
Titus per civitates Presbyteros ordinare juſſus. 331.
Tituli Eccleſiaſtici. 212.
Tobiæ & Juditæ hiſtoriæ. 547.
Tomitanus unus Epiſcopus in Scythia. 332.
Τόπος χωρὶς ῥωμαίων. 386.
de Tradendo Satanæ; & de Anathemate. 187.
Traditio contra Scripturam nulla. 3.
Traditione Patrum, Judæi & Samaritæ expectabant Meſſiam. 100.
Traditionis Catholicæ Regula. 144.
Traditionis vox quid ſignificet? 145.
Traditioni non repugnat ſenſus Scripturæ. 147. 241,529.
Traditiones non ſcriptæ. 173,174.
Traditionis vis, tum ad Fidem, tum ad Unitatem. 242.
Traditio Eccleſiæ de Concilio Oecumenico Papa ſuperiori. 245.
Traditio Catholica, non præſentis Eccleſiæ decretum, errore immunis. 243.
Traditio non obſtat Reformationi. 278.
Traditio de origine Epiſcoporum. 351.
Traditio nulla de Libris Apochryphis, quod ſint Divinæ auctoritatis. 554.
Traditione quænam definiri non poſſunt. 666.
pro Traditionibus Patres. 526.
de Traditionibus. 537.
Traditum quid fuerit, certatur inter credentes Traditioni. 274.
Tranſmarinæ Appellationes recuſatæ ab Africanis. 430,432.
Tridentina Synodus armis ſe ratam futuram ſperavit. 2,3.
——ſi ſupponatur Spiritu dictata, diſputationem non fert. 6,11.
in Trinitatis nomine ratus Baptiſm. 141,145,228.
Trinitatis in Unitate Traditio integra erat ab initio. 497.
Tropologiæ exemplum, Bovi Trituranti oris non obſtringendi. 74.
Tropologiæ generalis ſignificatio. ib.
in Typo omnia Vetus populus accepit. 26,137.
Typos facere Cœleſtia, aliorum Cœleſtium, Hæreticorum eſt. 26,70.
Typus Chriſti Jonas. 71.

U.

UNctio Spiritûs. 507.
Unitas Fidei, ex Veritate. 36.
Unitas Eccleſiæ Communionem poſtulat 4,112, 125,171.
Unitatem ſpectat Poteſtas Eccleſiæ in ferendis Legibus. 172,219.
Unitas Eccleſiæ Traditionem efficit. 240.
Unitas Eccleſiæ violata ponit obicem promiſſo Sp. S. 340,342.
Unitatis Eccleſiaſticæ, & Pacis publicæ tuendæ eadem eſt ratio. 693.
de Unitate Eccleſiæ quid fide tenendum. 271.
Univerſalis Concilij auctoritas Papâ ſuperior. 245,277.
in Univerſum quid poſſint Concilia. 406.
Ὑπερόρια ἐκκλησιάζεσθαι. 183.
Urim & Thummim ad Θεοκρατίαν apud Iſraelitas ſpectabat. 159,160.
Urim & Thummim in reſponſo Caiphæ. 518.
Uſſerius laudatus. 355.

V.

VAlentinus quare Hæreſin condidit. 357.
Valentinus Cherbonites. ib.
Vaticanum Sedes Judæorum, & tumuli S. Petri. 386.
Vaticinia impleta ſub Evangelio. 60.
Velandarum fœminarum mos, Viris non Velatis. 253.
Venia & Pœnitentia Excommunicatis difficilis 189.
Verbo & Orationi vacabant Apoſtoli. 320.
Verbo & Doctrinâ laborare. 337.
Veritas perſpecta ſolvit dubia. 5.
Veritas ut indagetur, ſeponendum Sp. S. præjudicium. 10.
Veritatis columna & ſuſtentaculū, Eccl. 115,116.
Verum ſit oportet, quicquid neceſſarium ad ſalutem. 95.
Veteris Teſtamenti ſenſus duplex. 20.
Veteris Teſt. hiſtoria, niſi ex Myſterio Novi non intelligenda. 31.
Vetus Teſtamentum diſtinguendum à Vet. Teſt. Scripturis. 35,43.
Vet. Teſt. ſenſus myſticus extenditur ad prædicationem Chriſti. 41.
Veteris Teſt. fides non minus conſenſu Synagogæ nititur, quam Novi Eccleſiæ. 80,159,161.
Victor Papa, & Aſiatici contendunt de Paſchate. 227,391.
Viduæ ſtipendio quotidiano honorandæ, Preſbyteri duplo. 208.
Viduarum ordo. 259.
Vigilia Paſchatis dies Baptiſmo ſolennis. 147,344.
Vigilij conſenſus in quintam Synodum. 474.
Vincentius Lirinenſi commendatus. 148,528.
Virgines in Eccl Carthaginenſi nolebant velare facies, παρθενίαν profeſſioni ſuæ vindicantes. 257.
Vitiatos Scripturæ Codices alicubi videri, non eſt Fidei periculoſum. 597,604.
de Vocalium & punctorum Hebr. Origine. 587.
Voluntatis erat Dei gratuitæ Script. dare. 97.
Voſſius de Ignatio edito commendatus. 355.
——de Septuaginta. 570.
de Vulgatæ Verſionis Latinæ auctoritate. 578.
Vultui Moſéos velamen oppanſum. 21,22.

W.

WIlfridi Epiſcopi Eboracenſis cauſa ad R. Sedem ex Canone Sardicenſi relata. 662.
Winus Winceſtrenſis ſolus inter Anglorum Epiſcopos regularem habuit Ordinationem. 451, 451.

Z.

ZEno & Acacius Petrum Mongum agnoverunt. 236,462,628.
Zepherinus Papa auctoritate Praxeæ Hæretici nuncium Montano miſit. 224.

FINIS.

ANT 1.316.017

Digitized by Google

Digitized by Google

6559

Digitized by Google

Digitized by Google